HIERONYMI

CARDANI

MEDIOLANENSIS

PHILOSOPHI AC MEDICI

CELEBERRIMI

OPERVM

TOMVS NONVS;

QVI EST

MEDICINALIVM QVARTVS.

CONTENTORVM HVIVS TOMI SERIEM

Index Titulorum exhibet.

EDITIO VT CÆTERIS ELEGANTIOR ITA ET ACCVRATIOR.



LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN,

& MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX

Librorum, Tractatuum, & Capitum Tomi Noni.

I.

II.

III.

Consilia Medica ad varios partium morbos spectantia.

IV.

Opuscula medica Senilia quorum.

LIBER PRIMVS.

De Dentibus.

LIBER II.

De rationali curandi ratione.

PROOEMIVM.

PARS PRIMA.

De contemplatione communi.

PARS SECVNDA.

De institutione generali.

PROOEMIVM.

PARS TERTIA.

De speciali tractatione.

INTRODVCTIO.

SECT.

LIBER TERTIVS.

De facultatibus medicamentorum.

PROOEMIVM.

PARS PRIMA.

De primarum qualitatum, atque ex his ortarum operatione.

PARS SECVNDA.

De purgantibus medicamentis in genere.

PARS TERTIA.

De medicamentis purgantibus in specie.

LIBER QVARTVS.

De curâ morbi Regij.

PROOEMIVM.

LIBER V.

De morbis articularibus.

9. De

Index Capitum.

HIERONYMI CARDANI, IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE SEPTIMESTRI PARTV COMMENTARIVS.

PROOEMIVM.

HIPPOCRATIS intentum est, docere in hoc libro, cur nam aliqui nascantur naturali ratione septimo mense, aliqui, imò plerique differant in nonum? deinde, cur mensis septimus vitalis sit? demum, cur aliqui viuat septimo mense nati, aliqui non? Et sanè Galenus ista docere non potuit, licet non inelegantem paraphrasim eius in hunc librum habeam...: quoniam & si viginti quatuor libros de Demonstratione condiderit, attamen, quantum necesse erat ad interpretationem libri huius Hippocratis ligicæ non satis habuisse videtur. Nec etiam liber ille Galeni esse visus est, sed alterius clari viri, & magis ad explanandum Hippocratem intenti. Neque enim Galenus ille quidem videtur in conscribendis libris, quos satis accuratè conscripsit, maximè in medica arte, & in exponendis Hippocratis libris quos oscitanter exposuit: atque adeò negligenter, vt ipsemet testatus sit, officium explanatoris esse, verba tantum declarare, vt nemo, qui frontem habeat, illum excusare posset. Sed sinamus eum cum suis sequacibus, nos Hippocratem aggrediamur.

TEXTVS.

SEptimestres autem nascuntur diebus centum, & octuaginta duobus, ac dimedio, & insuper accedente diei particula.

COMMENTARIVS.

HIPPOCRATES in hoc libro tria principaliter agit: vnum præsupponit, vt manifestum, reliqua habent rationem magis obscuram, nam manifesta non ratione carent, imò habent euidentiorem: ob id creditur, quod ratio & causa sit eadem ei, quod dicitur, non tamen est, Velut in hoc loco supponit Hippocrates tanquam manifestum, quòd partus omnino præternaturalis sit violentus, & omnino non vitalis. Violentum enim dicitur quod ab exteriore prouenit causa, nil conferente vim passo, si ergo partus fiat, nullam vim conferente fœtu, qui oritur, quomodo vitalis esse potest? nam cum ortus sit principium vitæ, & sint tria principia omnium rerum, natura, ars, & id, quod vim infert, nihil idem potest fieri à duobus principiis seorsum. Scamnum enim non potest fieri à natura, nec pomum ab arte, aut à naturæ contrario. Natura enim generat, vis corrumpit, & ars efficit formam tantum exteriorem: ergo nil idem indifferenter à duobus seorsum principiis ex his fieri potest. Cum ergo partus vitalis fit à natura fœtus, vt docebimus, & ratio etiam ostendit, puer qui violenter nascitur, nec partu editus, sed ab ortu dicitur, nec viuere potest. Alte-

rum, quod Hippocrates supponit, est, quòd tria videntur necessaria ad vitam: perfectio fœtus: mensis impar, quadragenaria impar. Tertium, quòd natura non mouet, nisi motu conuenienti, quoniam ipsa agit, quod optimum est: igitur ipsa non mouet, nisi motu conuenienti. Præsupponit ergo, quòd partus septimestres non perficiuntur, nisi parte media anni, quæ est dierum CLXXXII. & dimidio, & particula diei addita: siquidem horis penè tribus. Neque enim dicere voluit & dimidio diei) quia plus exigitur temporis: neque addere horas, & minutias: tum quia non erant necessariæ: tum quia incertum erat hoc tempus. Adeò, vt Ptolomeus inuenerit aliter quam C. Cæsar, & Sosigenes, & Alphōsus, quàm Ptolomeus, & Copernicus, quàm Alphonsus, ideò velle afferre exactam rationem rei, quam nescimus, & non necessariam, præter id, quod est superuacuum: est etiam stultum. Omnes tamen confitentur, annum non esse minorem diebus CCCLXV, & horis, quinque cum dimidia neque maiorem horis sex, scilicet quadrante diei. Dimidium igitur anni est dies CLXXXII, horæ XIV, & pars quædam vnius horæ, scilicet penè deunx.

Nunc ostendamus rationem naturalem, quare fœtus non perficiantur antè, nec edantur? Docuimus iam antea, quòd non editur, nisi perfectus sit fœtus, quoniam natura optimum agit solum: ergo declarandum est, quòd antea non perficiatur. Hoc igitur sic accipe: nam si ad rationem mensium, & quadragenariarum attendere oporteret, & illas solum obseruare à centesimo sexagesimo supra esset in quinta quadragenaria, & à centesimo octuagesimo supra septimo mense: & Hippocr. vult. CLXXXII. cum parte diei: ergo dimidium anni. In dimidio anni semper ex æquali motu sol peruenit ad punctum oppositum in signifero: ad locum igitur, quem hora conceptionis generauit, vt ex decima parte arietis in decimam libræ. Cùm ergo hora generationis locus ille, scilicet decima pars libræ, esset validissimus, & à sole illustratus, conuenit, vt cum sol ad illud punctum redierit, perficiatur vita: & tum primùm fœtus vitalis fiat. Sol enim vitæ omnium author est, vt etiam Ptolomæus docet ob multitudinem luminis, densitatem, & puritatem eius. Declaratum enim est à nobis in naturalibus, quòd omne agens, dum agit, actionem simul efficit præsentem in eo, quod iam est potestate paratum ad recipiendum, & præparat aliud ad recipiendum, potestatem illi tribuens. Exemplum: Ignis vrit substantiam iam calefactam, & ex qua extrusit humidum, aqueum, & præparat simul aliam materiam ad vstionem calefaciendo illud humidum, & resoluendo humidum aqueum. Et frumentum partem humidi terræ vertit in sui substantiam, aliam autem præparat, vt verti possit. Ita sol hora effusionis hominis efficit generationem, sicut cum lumen accenditur, ita vt crediderim, ibi duo tempora proxima valde esse vnum, in quo effunditur: & hoc ad actum à sole deducitur, interim præparatur, vt excipiatur à sole, & fiat vitale semen, sed hæc ponuntur pro vno, cum sint distincta: sed ob propinquitatem non distinguuntur, sicut nec tempora, in quibus candela admouetur igni, & accenditur. Sunt enim proxima valde, non tamen prorsus idem, imò omnino distincta, etiamsi super candelam esset ignis pyrius: ita tempus concipiendi est omnino alium à tempore effusionis seminis, licet sit valde propinquum. Indicio est, quòd centies idem vir in eandem mulierem effundit semen, & semel tantum concipiet: ergo in eodem tempore pars illustrata à sole oppositis radiis fit vitalis in homine, & in alio animali, puta cane, pars sextilis radij sinistri, in alio autem quadrata semper, tamen opposita est magis vitalis omnibus. Verùm multa animalia propter imbecillitatem haud possunt continere tamdiu fœtum: alia autem indigent, vt sol redeat super idem punctum bis, vt elephas: alia semel, vt equus, semper tamen pars cœli, quæ respicit locum generationis, in quo sol erat, vitalis existit: & hoc est, quod etiam voluit Philosophus quarto de Generatione animalium (cap. 10.) Et in exanguibus proculdubio oportet accipere lunam solis loco: nam illa in sole tantum abest, vt reuiuiscant: moriuntur, vt scorpij, & vermens & alia multa. Alia tamen est ratio volatilium, & muscarum: sed non sunt tot simul extra propositum miscenda. Satis constat in homine partem oppositam loco vitali, & generationis, & trigonam dextram, id est contra successionem, & ordinem signorum vitam potestate recipere, & effici vitalem, in quam cum sol superuenerit, actu perficitur fœtus ad vitam integram: & ob id monetur ad exitum.

Verùm dices, in medietate, quæ est ab initio arietis, ad initium libræ tardiùs mouetur sol, vt potè in diebus centum, octuaginta quatuor, & in alia in diebus centum octuaginta vno vsque ad duos: igitur terminus septimestrium euariabit? Quanquam, quod ad longitudinem attinet, nihil morer: nam dubium non est, quin procrastinari possit, & terminus septimestris, licet incipiat à dimidio anni, tamen profertur multò longiùs, sicut infra videbimus.

At de breuitate difficultas non leuis: nam non videtur posse perfici ante dictum numerum dierum. Dicendum est ergo, vel quòd potest anticipare per vnam diem, & partem tantum, vt tamen non retrahatur infra dies centum, octuaginta duos: vel quòd motus generalium, & horum inferiorum sequitur motum æqualem solis in signifero. Et hoc indigeret longa obseruatione, aut vt fortuitò se offerret casus huiusmodi. Verùm cum dixit (& particula diei) voluit nos intelligere exactam obseruationem temporis.

Ex quo manifestum est, quòd hæc ratio partim certa est, partim coniecturalis: & non est certa in primo genere. Res enim, quæ naturales sunt, aliæ sunt omnino certæ, vt hominem habere cor aut caput: neque enim homo vnquam sine corde, vel capite inuentus est. Hoc certum est, quod pugnat cum seipso, velut partem esse maiorem toto, aut triangulum rectilineum non habere tres angulos æquales duobus rectis. Medium est necessariũ in corporibus simpliciter necessariis, vt solem moue

moueri ab Oriente ad Occidentem , inter hæc neceſſaria non debemus collocare hoc de fœtus generatione, quia in regione viuaciore forſan poſſet aliter contingere. Eſt tamē neceſſarium, quod ex naturæ ordine euenit: quoniā non contingit, vt poſſit ſecus accidere, quia ad perfectionē attinet. Fortuitū autē dicemus naſci nono menſe, quod plerumque tamē accidit, magiſque, quod ſeptimo, vel decimo, medium, vt non naſcatur octauo menſe: Menſe ergo octauo magis contingere poteſt, vt ſint vitales, quāuis ratione repugnante excogitata, ſeu ex pluribus per diuiſionem collecta, quam ante anni dimidium, quod ſimpliciter naturæ rerum repugnat. Ergo doctrina hæc eſt media, ſeu compoſita ex coniecturali, & neceſſaria: vt ſi videamus infantem viuere, ſcimus, quòd natus eſſe non poteſt ante anni dimidium , non tamen ſcimus , quòd non ſit natus octauo menſe , ſed coniectura id aſſequimur. Vtilitas ergo huius libri eſt multiplex , & primò , vt ſciamus , quando infans poteſt viuere & quando non. Et ſi viuit, quādo genitus fuit: & etiam, ſi fuerit filius illius, cuius creditur. Ad hoc etiam accedunt coniecturæ ex ſimilitudine ad patrem , vel ad patruum, & probitate, ac pudicitia vxoris. Et, vt ſciamus cauſas temporum horum, & varietatis eorum, & vt poſſimus deſcendere magis ad propria, prout infrà ſuis locis declarabitur, & quòd hæc eſt pars Aſtrologiæ. Rurſum docet cauſas infantium, qui oblæſi naſcuntur: & dierum criticorum vim exponit: & vnde originē ducant. Poſtmodum oſtendit trium quadragenariarum principalium vires, vt doceat vim in eſſe huic ſpatio temporis : & per occaſionē declarat nobilitatē naturæ humanæ inſinuans immortalitatem animi , & cæleſtem ortum; deinde docet, quomodo mors ſit perfatum: demum ſeptenarij numeri dignitatem etiam in menſibus, & annis, quaſi alludens ad numerū erraticarū: atque in hoc finem facit, vt conſtet cuiuſcunque fuerit hic liber : nam antiquum eſſe conſtat, quandoquidem, vt dixi, ſit expoſitus à Galeno , qui iam mille quadringentis annis fuit, vt inter ipſum, & Hippocratē anni interceſſerunt tantū ſexcenti, imò pauciores: nam à CHRISTO ad Galenum anni numerantur circiter CL. ab Alexandro ad CHRISTVM CCCX. ab Hippocrate ad Alexandrū vix anni LXXX. vt ſint anni inter Hippocratem, & Galenum penè DXL. atque ob id planum ſit antiquioris cuiuſdam eſſe , velut Euryphontis, aut Philiſtij, aut Hippocratis, & cuiuſcumque fuerit, haud indigni, qui Hippocrati doctrina comparetur. Hippocratis tamen eſſe non crediderim. Nam libri dignoſcuntur, quod huius , vel illius ſint authoris, quando in ipſo libro ſuiipſius fecerit mentionem, vt Ariſtoteles, nonnūquam Galenus per ſæpe facit: hoc autem non habemus ab Hippocrate. Secundum argumentum eſt, cum authores alij id cenſuerint , quibus credendum ſit, velut Galeno hac in parte ſatis diligenti: ſed non inueni apud illum, quid de hoc cenſuerit. Tertium eſt, vt ab his, qui libros colligūt, inter genuinos cenſeatur: quod argumentum leue eſt ſatis: tum maximè, quòd , vt Galenus recitat, temporibus Ptolomæi Philadelphi, qui bibliothecam illam adeò celebrem inſtituit, multi libri nomini clariſſimorum authorum aſcribebantur, vt carius venderentur, qui minimè illis editi erant: alij augebantur multis ſuperadditis , quæ author ille ne ſomniarat quidē. Itaque ob fraudem nō ſolum, ſe indicij in conſtantiam , talibus non tantum tribuendum eſt authoritatis , vt eius eſſe cenſeantur, cui aſcribuntur : maximè cum inueniamus libros de Placitis Philoſophorum, & Plutarcho, & Senecæ, & Galeno aſcripto: librum quoque de Mundo, & Ariſtotelis eſſe volunt, & aliorū. Quartum argumentum eſt à phraſi: neque hoc ipſo poſſumus dicere ſecurè hunc librū fuiſſe Hippocratis , quandoquidem Hippocratis phraſis hoc habeat, vt ſit clariſſima, breuis, & grauis. Hæc autem, & ſi breuis ſit, & grauis, clara non eſt: quoniam multa proponit, quorum ratio non percipitur ex illis verbis, quod tamen alienum eſt à conſuetudine Hippocratis. Pro breuitate enim chariſſimus eſt , at hic videtur, neſcio quid, plus polliceri, quàm præſtare, ſermones habens ancipites, qui Hippocrati nō ſunt in vſu. Eſt etiam ratio à dogmate: qui enim eadem repetunt non ſunt iidem, aut à grauitate multùm abſunt. Homo grauis ex iiſdem principiis diuerſa diuerſis in libris docet. Quo circa, vt infra videbitur , aut libri de Natura pueri, & de Octimeſtri partu Hippocratis non ſunt, aut hic ipſe, Videtur autem magis conſentaneum, vt illi ſint, quàm hic, cū liber de Natura pueri proximior ſit phraſi libri de Aere, Aquis, Locis, quem conſtat Hippocratis eſſe, & de Articulis, & Fracturis: vtitur enim conuenientibus ſimililitudinibus in vtriſque, ſicut & in libro de Natura pueri. Et etiam quia illius meminit in aliis , qui eius eſſe exiſtimantur : & argumentum dignitati Hippocratis ſatis congruebat. Liber autem de Octimeſtri partu magis ſimilis eſt libris de vulneribus capitis, de vlceribus, de his quæ in Medicatrina, de alimento: quos omnes conſtat Hippocratis eſſe. De Dialecto autem non eſt argumentum , quod dicam : neque enim eſt ſufficiens , cum tres omnino eſſent ſectæ medicorum antiquorum Græcorum, vt Galenus teſtis eſt Rhodij, Gnidij, & Coi: & omnes Laconica lingua , velut grauiore , vterentur. Et etiam quoniā Lacedemonij dominabātur ante Athenienſes: Attica autem lingua poſtmodum in vſu fuit, & ſi cultior eſſet, Hæc hahui, quæ dicerem de authore: quanquam multum differat homo idem iunior, aut ætate maturiore, à ſeipſo ſene, quod facilè in noſtris libris deprehenditur: tum eorum omnium, qui curam adhibēt , vt meliores in dies euadant. Ob id inter Ariſtotelis opera, & Hippocratis, ac Platonis maius eſt diſcrimē, vt nonnunquam addubitetur de proprijs , quàm in Galeni voluminibus: quoniam, vt medicorum mos eſt, nihil accuratè ſcripſit, Eſt enim, vt dicitur, difficilè ſorbere, & ſufflare, Cum enim Chirurgiæ maximè eſſet intentus , et componendis medicamentis diligenter , non potuit eam in conſcribendis libris apponere diligentiam, quam apponere optabat , & appoſuiſſe ſibi perſuaſit, Nihilominus, vt dixi, clariſſimi viri ætate Hippocratis hic fuit , & forſan Euryphontis nulla ex parte Hippocrate inferioris, ſi ex vnguibus leonem , vt in Prouerbio eſt, cognoſcere mihi conceſſum eſt.

Propoſitum ergo in hoc libro , ſeu ſcopus eſt, declarare , qui fiat, cum homines naſcan-

tur nono mense, septimus autem tam longè absit à nono, cur magis tamen septimo mense nati seruentur, quàm octauo, qui proximior est nono, quam septimus: & cur nunquam vndecimo, qui tantundem distat à nono, quantum septimus? & septimus quidem anticipat perfectionē, vndecimus autem post perfectionem est: verisimilius autem esset vlteriorem perfectionem esse magis vitalem imperfecto, & frequentiùs contingere. Cum tamen vnus, scilicet octimestris; contingat sæpè, sed non viuat: vndecimestris alter viuere posset, si ederetur vltimis diebus: sed nunquam oriatur, nec natura admittat eum.

TEXTVS.

SI enim primi mensis dies quindecim supputaueris, deinde quinque mensium, dies centum quadraginta septem, ad dimidium: in vnde sexaginta enim diebus, quam proximè duo menses perficiuntur, his igitur sic habentibus, ad septimum mensem supersunt dies non plures quam viginti: & est tota summa dimidij anni, vnà cum aliquantula diei parte.

COMMENTARIVS.

LVna redit ad coniunctionem æqualem in diebus XXIX. horis XIII. & tertia propemodum parte cum Sole. Quinque igitur menses dies erunt CXLVII. & horæ propemodum XIX. In vndesexaginta enim diebus duo menses fermè lunares perficiuntur: sunt enim duo menses lunares æquales, vt dixi, dies LIX. & horæ duæ, & bes. Quare quinque menses, vt dictum est, lunares dies erunt CXLII. cum dimidio, pauculis horis additis, quas præterit: quandoquidem cum luna velocior motu vero fuerit, & sol ab initio arietis ad initium libræ, maximè circa cancri initium, etiam ante præscriptum tempus, contingat lunam soli denuo iungi, perfecto mense lunari. Constat autem, vt antea diximus, in absolutione fœtus solum obseruare solem in motu illius menses lunares: quos in prædicto tempore non vulgari ratione contendit esse septem. Ostendit ergo menses quinque medios, quot dierum sint: quia illos necesse est esse perfectos. At de primo, cum omni mense necessarium sit, vt luna coeat cum sole, & ei opponatur, hoc autem fiat, vt demonstratū est in diebus XIV. horis XVIII. & besse, continget, vt si mulier concipiat ipsa die coitus, aut oppositionis, sed verius coniunctionis, vt pòst dicam, vt primus mensis sit absolutus in eo tempore: quare sex primi menses erunt dierum CLXII, horarum XIII, aut paulò plus: quod est dierū CLXII cum dimidio, & hora cum triente. Hucusque omnia manifesta sunt. Et etiam cur sextum mensem necesse sit esse perfectum, quoniam succedit ei septimus: ergo si debet sequi coniunctio luminarium, vel eorum oppositio, necesse est, vt dies intermedij includantur.

His igitur sic se habentibus ad septimum mensem supersunt dies non plures, quàm viginti. Hic Cornarius paululum vertendo labitur: nam expleto sexto mense in centesimo sexagesimo secundo cum dimidio, & decima octaua diei parte, supersunt ex septimo mense dies viginti ad hoc, vt compleatur dimidium anni. Vna cum aliquantula diei parte: id est quia si assumpsero dies quindecim primos loco XIV. cum horis XVIII. & besse, & loco dierum CXLVII. horarum XIX. dies CXLVII. cum dimidio, fient dies CLXII. cum dimidio additis diebus XX. tantum fient dies CLXXXII. cum dimidio: & est tota summa dimidij anni cum aliquantula diei particula. Sensus iterum alius est hoc tempus, scilicet dierum CLXXXII. congregatum ex tribus est dimidium anni, cum aliqua diei particula, id est dimidium anni est: hoc tempus addita ei particula diei. Vt tandem id dicat: Dimidium anni est æquale huic tempori aggregato, & superat, seu excedit ipsum modica diei particula, vt dicat illam esse non dignam consideratione, non solum ob inæqualitatem, vt dixi, motus Solis, & Lunæ, sed quod nulla arte deprehendi posset. Et hic est intellectus verborum, & sensus textus.

At verò, quid sibi voluit, cum dixit hoc? significare voluit, quòd ex septimo mense includebantur in dimidio anni dies viginti, & vltra particula diei, siquidem anni dimidium constitutum est dierum CLXXXII. horarum XIV. cum deunce tempus conflatum è primo mense imperfecto, & quinque perfectis insuper additis diebus viginti est dierum CLXXXII. cum dimidio, & hora vna cum triente: igitur anni dimidium est maius illo aggregato hora cum dimidia. Nam horæ XIV. cum deunce, superant horas XIII. cum triente in hora vna cum dimidia. Liquet ergo, quòd si finis primi mensis fuit pleniludium, quod in viginti diebus etiam solis, id est sine illa particula necesse est fieri nouilunium: igitur in dimidio anni inchoato à die nouilunij, vel etiam per quinque dies ante erunt septem nouilunia, igitur septem menses: ergo poterit oriri ratione perfectionis, & ratione mensis imparis: & etiam guadragenariæ, dies enim CLXXXII. sunt in quinta quadragenaria, quæ à sexagesima die supra centesimam incipit: ergo omnino vitalis erit fœtus, quo ad omnem rationem perfectionis, motus, & roboris.

TEXTVS.

QVum itaque ad hoc perfectionis principium partus peruenerit, maturescente fœtu, & robore multum augescente, in perfectione magis, quàm aliis temporibus, pelliculæ, in quibus ab initio nutritus fuit:

fuit: quemadodum spicarum membranæ laxantur, ad id coactæ, anteaquam fructus perfectè maturescat: & robustissimi ac plenissimi, fœtus violantes, ac dirumpentes pelliculas partum fieri cogunt: & plurimi ex his pereunt.

COMMENTARIVS.

CVm docuisset causam, cur hoc tempore numerus haberet omnes illas tres perfectiones vitales: hic ostendit causam naturalem, cur fœtus completis diebus quærat exitum: hoc autem etiam ex libro de Natura pueri, inquit enim (Iuxta finem) Quando verò mulieri partus appropinquat, tunc puero se mouente, & manibus, ac pedibus calcitrante pelliculam quandam internam rumpi contingit, rupta autem vna, etiam aliæ debiliorem vim habent, & rumpuntur: primùm, quidem illi contiguæ, & cohærentes: postea extrema. Quam autem ruptæ fuerint pelliculæ, tunc fœtus à vinculo exoluitur, & agitatus foras procedit: neque enim amplius robur habet pelliculis amissis, neque vteri amplius puerum continere possunt, pelliculis, velut dixi, amissis, & ab ipsis abruptis. Cohærent enim pelliculæ etiam vteris, vbi circum puerum obuoluuntur, non adeò vi valida, ac multa. Quando autem procedit puer, violat, & dilatat vteros, in exitu, vt potè teneros. Procedit autem in caput, si secundum naturam prodierit: grauissimæ enim sunt ipsi supernæ partes, si ex vmbilico perpendantur. Quum autem in vteris est, magis continens exitic vsque ad pelliculam rupturam simul cum decimo mense, quando partus matri propinquat, & adest. Si verò violentam affectionem perpetiatur puer etiam ante præfinitum tempus ruptis pelliculis, prodit, quin & si alimentum à matre priùs puero defecerit, etiam sic partus matri prius aduenit, & ante decimum mensem puer prodit. Hoc idem declarabat in libro de Octimestri partu eadem sententia, licet diuersis verbis: inquit enim (in fine.) At verò vmbilicus, per quem alimenti, ac spiritus ingressus pueris contingunt, solus ex omni corpore vtero adhæret, & per hunc introitus, ac ingressus ingredientium particeps fit, reliquæ partes conniuent, & non priùs apertæ sunt, quàm vbi in exitu fuerit puer ex ventre; quum autem in exitu fuerit reliquæ omnes aperiuntur, verum vmbilicus conniuet, & resicatur. Quemadmodum autem in his, quæ ex terra nascuntur, fructus pleni, ac maturi secernuntur, ac decidunt iuxta discriminationem, qua parte inhærent: sic etiam pueris maturis, ac perfectis vmbilicus quidem conniuet, ac clauditur, reliqua verò aperiuntur, vt & ingredientia suscipiant, & exitus habent secundum naturam, quibus necesse est viuentes vti. Singula enim separantur iuxta modum, quo agmina congregantur repentia. Optima autem sunt, quæ maximè soli connutrita sunt. (Tex. 6.) Et hoc idem ex parte declarabitur inferiùs, vt liquet. Dicit, quod antequam perfectè maturescant, sicut spicarum membranæ laxantur, & fœtus disrumpuntur ab ipsom et robusto, & habente perfectionem, & vim ad motum incitantem: scilicet mensem lunarem imparem, quo agitatur à luna, scilicet, & perfectionem à sole, qui etiam est in signo septimo, & impari, & robur à quadragenaria impari, scilicet quinta: licet septima sit longè validior. Et ideò fœtus septimestris mouetur ad ortum, licet plurimi ex his pereant: & maximè in regionibus frigidis, & vbi aër malus est: causam autem, cur moriantur, subiicit, dicens.

TEXTVS

QVum enim parui sint, transmutatione maiore, quam alij, vtuntur, & quadraginta dierum afflictionem perferre coguntur, ex vtero egressi, id quod etiam ex decimestribus multos peremit.

COMMENTARIVS.

FInes proponit causas non leues mortis infantium septimestrium. Vnam paruitatem fœtus, quæ necessaria est: quia cum deberet augeri magnitudine ad nonum vsque, necesse est, vt in septimo sit paruus, & vt debeat pati, quoniam in minori corpore necessario est minor vis, Secundam, quod transmutatione maiore, quam alij, scilicet nouimestres vtuntur, scilicet quiæ magis annexi, & magis frigidi, & molliores: ideo ad locum frigidiorem veniunt, durioresque fascias, & separantur maiore vi.

Tertia est magis manifesta: & est quòd coguntur perferre quadragenariam sextam parem extra vterum, nam eo toto tempore infans malè se habet in vtero: ergo deterius extra, Ob id dicit, quod decimestres, id est, qui nascuntur circa centesimam octuagesimam diem, quæ est finis septimæ quadragenariæ malè se habent, & plerique ex his moriuntur: est enim par ille numerus. Ideo qui nascuntur nono mense, faciliùs viuunt, & minus affliguntur, quia totus mensis nonus incipit cum septima quadragenaria dierum. Ducenti eam quadraginta dies sunt octo menses solares ad vnguem, & sex quadragenariæ: ergo nonus mensis totus cum septima quadragenaria oritur, & est securissimus. Sed quia Hippocrates obseruat menses lunares, postquam perfectio est ex dimidio anni, & iam octimestris perfectus est: perfectio enim non mutatur, nec potest regredi, & etiam, quia primus mensis potest compleri in diebus quatuordecim, & horis XVIII cum besse: septem autem menses sequentes sint dies CCVI, & horæ XXI cum triente, erunt octo primi menses simul iuncti dies CCXXI, & horæ insuper XVI: at quoniam non perficitur nonus mensis, nisi nona coniunctio luminariū absoluatur, addemus huic tempori dies XIIII, horas XVIII. cum besse, fient dies penè CCXXXVI. & in tanto tempore potest incipere nonimestris. Simili ratione cum detraxerimus dies

dies quatuor pro octo mensibus lunaribus dierum XXIX cum dimidio ex numero dierum CCXL proposito octo mensium lunarium relinquentur menses octo itidem dierum CCXXXVI, ut priùs ergo nonus mensis incipit vtroque modo à die CCXXXVII dies: igitur CCXXXVII, CCXXXVIII, CCXXXIX, & CCXL sunt ex nono mense iuxta secundum modum, iuxta primum possunt esse ancipites, quia oportet in illis addere quantum est id, quo antecessit generatio diem oppositionis lunæ, adeò vt si generatio fuerit postridie nouilunij, non incipiat nonus mensis secundum Hippocratem, seu authorem huius libri, nisi in die CCLI. Et sunt menses solares octo, & vndecim dies, Et hæc est causa, quòd multi octimestres existimantur nouimestres, & moriuntur: contrà pauci nouimestres, scilicet geniti postridie ab oppositione, vel tertia die, vel quarta, & nati inter CCXXXVI diem, & CCXL sunt nouimestres, & tamen ægrè superuiuere possunt, quia continentur in sexta quadragenarta. Vltra ergo CCXL diem, modò sint nouinestres, superuiuere facilè possunt: quia nati sunt perfecti mense, & quadragenaria imparibus.

Quantum autem referat perferre quadragenariam in vtero, & extra, aut mensem parem, ostendunt monstra, quæ superuiuunt à tempore, quo incipiunt moueri vsque ad ortum, quod tempus est saltem sex mensium, & plerunque plus, & perferunt etiam tempus, quo imperfecti sunt fœtus, & mensem cum quadragenaria parem, vt octauum mensem cum sexta quadragenaria, & sine incommodo, & tamen orta, & mense, & quadragenaria impari, quæ valde sunt monstrifica, vt cum duobus capitibus, veletiam geminata tota statim moriuntur, vt nisi diuisa sint membra principalia, non attingat vllum horum vigintiquatuor horas, Ergo in muliere bene disposita, quæ lædunt in vtero, vix lædunt centesima parte, qua lædunt, dum nascitur infans: medio modo si superueniant iam nato infanti, & præsertim iam multis antea diebus, & confirmato ergo maximè lædunt, quæ nondum nato infante lædunt, postquam natus fuerit, minimè antequam natus fuerit medio modo, quæ superueniunt iam nato,

TEXTVS.

SVnt autem ex his septimestribus, qui etiam superstites manent ex multis pauci: propterea, quòd ratio & tempus, in quod enutriti sunt, in vtero constitit, vt omnium participes sint, quorum esse perfectissimi participes existunt, maximè qui superstites manent, & processerunt de matre prius pariente, vt potè in octauo mense ægrotaturi. Si enim in his laboribus succedant, vt in conspicuum prodeat puer, impossibile est, superstitem esse ob prædictas affectiones, quas ego octimestres perimere dico; imò etiam multos decimestres.

COMMENTARIVS.

NOn semper quanto fœtus diutiùs in vtero manet (quod tamen multi credunt) licet viribus, & mole augeatur, si nascatur vitalior, vt ita dicam, euadit: non solùm, quòd octimestres vitales non sint, septimestres superuiuere possint, sed quòd etiam inter septimestres, qui tardius nascuntur, plerumque rariùs viuunt, & maiore cum labore. Cum enim serius, & circa finem septimi mensis nascuntur, aut non nisi casu orti sunt, & à matre separati, aut ægre id factum est, ob fœtus scilicet imbecillitatem, aut quia valde connexus esset: vt multum hic passus sit, alter valde sit imbecillis, & ob id ægrè vterque viuat post natiuitatem. Adde causam, quã author exponit in textu, scilicet quòd fieri possit, vt iam proximus octauo mensi morbum contraxerit: quod si contigerit, non secus ac octimestrem superuiuere dicit est impossibile, cum sit defatigatus, & æger præter id fœtus. Quocirca scire oportet in imparibus moueri naturam alternante vice: cum enim necesse sit moueri aliquando, necesse est etiam rursus, vt quiescat. Omnia enim quæ non sunt immortalia, defatigantur: vnde etiam aquarum reciprocatio alterna: igitur necesse est, omnia vicissim moueri, & quiescere, hoc igitur in diebus mensibus quadragenariis annis septenariis annorum: hoc ergo exioma clarum est. Sed difficultas est primum, cum alternent hæc in mẽsibus, & non in diebus? Alia est, cur alternatio mensium non sufficiat, sed & quadragenariarum adiungatur? Tertia est, cur partes quietis sint æquales motibus? Demum cur in mensibus & quadragenariis paribus cum sint quieti, fœtus magis affligantur, quàm in imparibus, in quibus mouetur? Dicimus ergo primùm, quod vbi fœtus, & mater secundum naturam se habent, in paribus fœtum melius se habere, quàm im imparibus: & in sexto mense, quàm in quinto: & in octauo, quàm septimo. Si autem cogantur moueri, quis dubitare potest, quin magis affligantur, cum mouentur eo tempore, quo quiescere consueuerunt? non solùm enim mouentur contra consuetudinem: sed etiam cum lapsus est fœtus ex naturali fatigatione. Propter id & quoniam ægrotat infans octauo mense, vt ostendemus, si oriatur: longè deteriùs affliguntur in paribus mensibus, quàm imparibus. Cur autem necessaria sit alternatio quadragenariorum præter menses, causa est dicta superiùs: generaliter nunc autem propriè explicabitur. Menses sunt necessarij ob coitus, & oppositiones Lunæ cum Sole, & ob motus, vt dixi, infantis, & omnem motum quies sequi naturaliter debet ideo menses impares sunt motus pares quietis. Et vt motus in mense quietis malus est, ita quies in mense mobili. Inde non moueri in septimo, vel nono, nec calcitrare malum, sed non adeò malum est, vt moueri in mense quietis, quia motus est potentior quiete, & motus

præ

præsupponit quietē quies nō iam præsupponit motū. Ideo in anno sunt duodecim meses lunares, quia toties cum parte quadam luna redit ad coniunctionem solis. Sed quadragenariæ fiunt diuiso orbe signorum in tres partes, & vnaquaque in tres alias partes, vt sit nona pars orbis. & quia tertia pars orbis est similis naturæ in sexu, & temperatura calidi frigidi sicci,& humidi,vt cācer cū scorpione, & leo cum sagittario: ideo quadragenariæ sunt pro robore fœtus,& sumuntur à sole solo,& alternant propter rationem generalem. Cur autem in fœtu non obseruemus numerū dierum est,quia actio prima indiget continuitate maiore,quàm sit vnius diei: dies autem sumitur à reuolutione cœli totius.Et post est solis reuolutio per se,à qua oritur quadragenaria,vel in comparatione ad lunam,à qua oritur mensis.Cur verò quies sit æqualis motui,est quia motus, & quies sunt secundum naturam:nam in violentis non est æqualitas, vt in tertianis,& quartanis.

TEXTVS.

Caeterum multi fœtus septimestris ætatis, quum pelliculæ laxantur,secedunt in id,quod cedit, & hic alimentum sumunt, primos quidem quadraginta dies laborantes, alij plus,alij minus: propter permutationem autem ex locis,& pelliculis, quæ ipsos aluerunt, transmutantur, & pro vmbilico trahunt,& transumunt etiam per matrem labores. Pelliculæ enim, dum tenduntur,& vmbilicus conuulsus dolores matri inducunt: & fœtus ex antiquo vinculo exolutus grauior redditur. Multæ verò mulieres etiam febricitant, dum hæc contingunt: quædam etiam pereunt vnà cum fœtibus, verùm omnes in breui ex hoc contaminantur, ac inquinantur.

COMMENTARIVS.

Cvm docuisset, quod multi septimestres, ac decimestres obeunt, quoniam laborant,maximè conquiescere deberent in quadragenaria pari,ostēdit modum,quo fiat hoc, & cur,& in quibus:in quibus scilicet,vt dixi, his,qui laxantur iuxta,vel vltra ducentesimū diem, cum enim quadragenaria quinta finiatur ducentesima die si ergo infans non nascatur eo tempore,maximos in vtero patitur labores:ergo natus multo magis mouetur propter ea,quæ diximus:quod omne malū multo maius est natis,quàm in vtero fœtu adhuc manente:& longè etiam maius, si fœtus tum oriatur,quàm si iam sit ortus.Quòd autē ante ortum adeò patiatur,docet, quoniā ex superfluo motu laxantur in fine septimi mensis mēbranæ,ideò debilitantur,& fœtus magis grauat eas,vt qui descēderit iàm,vnde triplex incommodum membranarum tensarum disrumpātur,& fœtus ob hæc laborat vmbilico iunctus memmbranis illis,& ideo male nutritur: matri autem infert dolores,cum placentæ alligetur,quæ vtero annexa illum conuellit. Vnde etiam multis ex illis febris (inquit) aduenit.Et descēdente fœtu,& febre succedente per illos quadraginta dies, quorum triginta octauo mensi deputantur abortus sæpe sequi solet, in qua etiam mater non solùm fœtus interit. Et si non sequatur abortus,sed perueniat fœtus vsque ad nonum mensem, vt nascatur, attamen interim mater contaminatur & bonum habitum amittit. Dicit ergo,quòd multis septimestribus fœtibus(non enim omnibus) contingit, vt ægrotent octauo mense laxatis membranis eos continentibus,& fœtu secedente,quo demittit vinculum,& ita loco incommodo viuunt, & alimentum trahunt, molesti matri,& sibi.

Circa quod est notandum,quòd septimestrium plures sunt species:quidam enim sunt à centesimo sexagesimo secundo die cum dimidio ad centesimum octuagesimum secundum cum dimidio, & particula illa diei, qui non sunt perfecti, ideoque minimè vitales, nisi res pro miraculo possit censeri. Pòst sunt ab ea die vsque ad CXCII. cum dimidio, & particula diei,& hi possunt viuere iuxta rationem diei conceptionis, & possunt esse non vitales, etiam vbi citiùs geniti sint: vt luna cum sole non potuerit septies conuenire. Pòst sunt vitales firmi à CXCIII.die ad CC: & sunt dies septem, & sunt intra cancellos septimi mensis exacti, & quintæ quadragenariæ. Sed quia primi mensis dies possunt esse quindecim tantū,& sex menses sequentes CLXXVII,sequitur, vt in CXCIII. die incipere possit octauus mensis: ergo tutiores sunt dies inter CLXXXIII,& CXCIII, & sunt nouem omnibus alijs: ergo septimestri etiam præter alias causas dictas nulla est securitas nascendi;securissimi autem, vt sint è septimo mense, sunt à CLXXXIII. ad CXIII, sed non sunt securi, quod sint septimi mensis perfecti, possunt enim esse imperfecti, vt cōtra à CXCIII.ad CC.sunt securissimi,quòd si sint septimi mensis, quod sint perfecti:sed fieri potest,vt non sint septimi mensis,sed octaui,& tunc essent exitiales. à CC. autem die supra vsque ad CCVI.cum dimidia, & si possint esse septimestres, quod rarius accidit,omnino tamen sunt sextæ quadragenariæ, & ideo non vitales,aut ægerrimè. Author tamen videtur probare illos,qui sunt à CLXXXIII. die supra,sed propè: & ratio est,quia cum sic sponte nascuntur,significatur robur virium fœtus,nec multū patitur nascendo,& postquā natus fuerit,plures dies, vt XVI,aut paulo minus,ex quinta quadragenaria scilicet ad CC.vsque vt confirmetur, antequam sexta superueniat. Et nota, quod menses non operantur,nisi dum fœtus est in vtero,quia faciunt ad ortum tantū ideo postquam exierint,non operantur, sed intra vterum,& in ortu,tum verò adeò malè afficiunt, vt post ortum breui moriantur,& interim vt semimortui iaceant nec sugunt lac: hísque signis octimestres dignoscuntur, at quadragenariæ cum ad formationem corporis perfectam directæ sint,intùs, & extra corpus

matris operantur. Vnde qui nascitur in septimo mense, & quinta quadragenaria ab octauo mense, postquam natus est, non læditur, quia solum vim obtinet ad impellendũ, vt oriatur, quæ cessat, quia iam natus est: à sexta autem quadragenaria magis offenditur, vt dixi, quàm in vtero esset loquitur autem de his inferiùs (Tex.com. 18.)

TEXTVS.

Aiunt autem & octonos menses difficillimè vteros ferre, rectè id dicentes.

COMMENTARIVS.

Non hic de octimestri partu agit, sed gestatione, vt luce clarius est: non enim dixisset difficillimè vteros ferre, sed interire potius octimestres. Quinetiam ad vteros potius, quàm fœtus est referendum. Solùm manet dubitatio, an omnes vtero gerentes octauo mense ægriùs ferant, an solum, in quibus facta est immodica commotio mense septimo? Et videtur mihi, quod de his tantum: tum quia non omnibus vtero gerentibus hoc eueniat: tum quia sermo non esset continuus: tum etiam propter ea, quæ subijcit in sequenti textu. At dices, nónne hoc continetur in illis verbis? Primos quidem quadraginta dies laborantes? nam octauus mensis, cum sit post septimum, in his includitur, certè, sed non ob aliud hoc adiecit, quàm vt sententiam priorem, & propriam hoc testimonio confirmaret: quamuis uideri velit aliorum sententiam sua velle confirmare, ideo hoc ab Hippocratis more est alienum, vt videatur magis callidus hac in parte. Verùm quia ibi subiicis (Alij plus, alij minùs:) docet, quod octauus mensis est ex his: sed non totus semper. Si enim lapsus paruus sit, aut nimis magnus ante finiuntur labores. his quidem per abortum, illis per sanitatem loco pristino infante restituto. Plures enim fœminas vidimus, in quibus per lapsum, & casũ iam eruperat aqua, in quibusdam etiam sanguis tenuis supinas triduo toto ferme recubuisse, & cocco, & scobe tenuissima eboris, vel thure cum fructu palmæ, vel saccharo assumptis restitutas, & peruenisse ad partum vitalem, & multorum annorum.

TEXTVS.

Est autem octauus mẽsis non solum hoc tempus: sed & dies accedunt à septimo mense, & à nono, & ab ipso anno.

COMMENTARIVS.

Cum dixisset (Tex. 6.) laborarẽ fœtum quagraginta diebus, plus, aut minùs, & pòst, probasset illos, qui dixissent, quod mense octauo videbatur sibi contradixisse. Propterea inquit, (Tex. 7.) quod octauo mensi decedunt dies ex septimo, vt antea demonstraui. nam septimus mensis, si incipiat à CLXIII. die, finitur CXCIII. & ita supersunt XIII. dies ex septimo mense, qui possunt accedere ad octauum. Et ita ex nono si incipiat à CCXXXVII. die, qui est vltimus terminus initij eius, palàm erunt dies octaui mensis XLIII. medij, scilicet inter CXCIII. ad CCXXXVI. Et hoc potest accidere ratione dierum lunæ, non tamen potest habere vtraque incrementa antè, & pòst. Imò si mensis septimus finiatur die CXCIII. octauus finietur CCXXIII: & ita non extendetur ad CCXXXVI. Verùm respondeo, quòd cum dies illi à CCXXIII. non possint adnumerari nono mensi, relinquentur octauo: quia initium mensis octaui, si sit (gratia exẽpli) die CXCIIII. fuit generatio ante oppositionẽ vna die, & finis primi mensis XVI. die. post coniunctionem autem statim: & ita per singulos menses, vt sit finis septimi mẽsis coniunctio ipsa præcedens diem CXCIII: & ideo extendetur octauus vsque ad CCXXIII diem, & antea fuit coniunctio: ergo fluent dies antequam superueniat oppositio XIII. Igitur hi poterunt adnumerari tam octauo mẽsi quàm nono: quare octauus mensis in hoc casu erit dierum plusquam quadraginta, sed authori sufficiũt dies XL. Istos ergo dies surripuit ex septimo mense. Videamus modò, quomodo ex octauo? & incipiat primus mẽsis post lunæ coniunctionẽ statim, & erunt septem menses dies CCVI. cùm dimidio, & octauus mensis erit vsque ad dies ducẽtos, triginta sex, & quia tum primùm celebrata erit coniunctio, tredecim dies proximè sequentes ad CXLIX. erunt noni mensis. Sed quia in his nulla est coniunctio, nec oppositio luminariũ, poterunt ita copulari octauo mensi, sicut nono: ergo tunc octauus habebit dies XL, & erunt decem ex his noni mensis, ideo octauus à nono mense surripuit dies decem. Iterum ponatur, quòd ante septem dies ab oppositione, seu septem post coniunctionem genitus sit infans, tunc octauus mensis incipiet die CXCVIII, & finietur circa CCXL: ergo rursus habebit dies plusquam quadraginta, quorum, id quod est vltra triginta partem, subripuit ex septimo, partem ex nono: & hoc, vbi laborauerit infans septimo mense ad exitũ. aliter singuli menses habebunt suos terminos. Quanquam hæc ratio sit potius quadragenariarum quam mensium. Sed hoc fecit Hippocrates, vt rationem veram opinioni communi conuenienter aptaret: quod fuit pulchrum, & ingeniosum.

Et ab ipso anno, quod si ratio coniunctionum, & oppositionum non patiatur augeri octauum mensem, extendetur tamen ad quadraginta dies, vt sit nona pars anni.

TEXTVS.

Verùm dies non similiter neque dicunt, neque cognoscunt mulieres. Decipiuntur enim ex eo quòd non eodem modo fiunt, sed aliquando à septimo mense plures dies accedunt ad quadraginta, aliquando à nono.

Tunc

Tunc enim fieri necesse est prout contigerit, mulierem in uentre concipere, tum mense, tum tempore.

COMMENTARIVS

CVm laudasset sententiam mulierum, vt veram, & fideliter relatam, declarat, in quo sæpe decipiantur, & ob id etiam errent, & falsa referant: & est, quod putant, se peperisse in octauo mense, cum peperint in septimo, vel nono: & est hoc ad vnguem contrarium præcedenti. nam sicut ex septimo mense accedunt dies, & ex nono, vt mensis octauus quandoque crescat ad dies XLIII, ita versa vice nonnunquam octauus mensis exiguus redditur, quoniam dies, qui illi adnumerantur, sunt ex septimo, vel nono mense & tunc hi menses longi reddūtur, vt contrà octauus valde breuis. contingit autem hoc ex dictis, quando mensis septimus incipiet à die CLXIII, qui nascetur vsque ad CXCIII. erit è septimo mense, reliqui ad CCVI. tribuentur octauo mensi, & erunt verè: sed cum conceptus fuerit infans statim post luminarium coniunctionem, finis mensis septimi erit CCVI. non solum, verū vsque ad CCXX. igitur à CCVI. ad CCXX. tribuentur octauo mensi, cum sint ex septimo mense verè, quia non sunt, nisi septem coniunctiones Solis, ac Lunæ. Pariter dicemus & in nono, cuius initium est quandoque à CCXXIII, quandoque à CCL: & tunc idem erit finis noni mensis, & septimæ quadragenariæ ad vnguem. Et ideo vides, quòd sunt quatuor ordines: duo septimi mensis, & octaui, & duo noni, & octaui. Dies enim qui sunt à CXCIII. ad CCXX, pertinent ad septimum, & octauum: qui autem sunt à CCXX. ad CCL, pertinent ad octauum, & nonum: sed bifariàm diuersa ratione. Nam primùm à CXCIII. ad CCVI. adiiciuntur octauo, & sunt ex septimo semper: & à CCVI. ad CCXX. adiiciuntur septimo, quamuis sint ex octauo. & ita à CCXX. ad CCXXXVI. adijciuntur quandoque nono mensi, quamuis semper sint ex octauo: & ita versa vice à CCXXXVI. ad CCL. adiiciuntur octauo, quamuis semper pertineant ad nonum. Secundum est, quod dies ex septimo mense adduntur octauo, ob id quòd mensis incœpit statim post nouilunium: & ex nono, quia statim ante nouilunium. Est autem aduertendum, quod sæpe dixi, hanc additionem semper alternatim fieri, vt si ex septimo, non ex nono, & si ex nono, ex septimo. Ex quo patet, singulos menses habere partem stabilem, & patrem mutabilem: velut septimus habet stabilem à CLXXXIII. ad CXCIII, mutabilem à CXCIII. ad CCVI. Octauus similiter à CCVI ad CCXX. mutabilem, & stabilem à CCXX ad CCXXXVI: & nonus mutabilem à CCXXXVI. ad CCL, & stabilem à CCL. ad CCLXV. & quod est vltra, est commune nono, & decimo mensi. Est autem duplex mutabile, quo ad rem, & quo ad nos: vt in sequenti exponetur.

TEXTVS.

MEnsis autem octauus minimè dubius est, secundum hunc enim contingit, vt iudicatio difficilis existat.

COMMENTARIVS.

SErmo hic totus est institutus de abortientibus, atque parientibus, quod velut nostris temporibus numeramus dies incerto modo per menses, Ianuarium, Februarium, Martium, & reliquos, specie quidem solares vocatos, re ipsa nec solares, nec lunares: quandoquidem nec constent æquali dierum numero, nec sol singulo anno ad eundem redeat locū, ideo mulieres, quo mense ceperint, Hebræi & Græci numerabant menses à lunæ cum sole coniunctione, & dies ab ipso tempore coniunctionis, dicentes, Agriani mensis septima, & vigesima natus est Hippocrates: Plato Thargilionis septima. Et ita quæuis mulier sciebat, quo mense concepisset: & ideo qua luna, & quotus mensis agebatur, quo vterum gestaret. sed, vt docuit, decipiebantur circa dies, quos adnumerabant perperam præcedenti vel sequenti: vbi enim scientia, ibi etiam error. Nostræ autem mulieres cum ignorent prorsus mensem, non possunt errare, sed nescire, hæc est causa, quòd Hippocrates tot, & tāta dixit de his, quia habebāt scientiam mensis conceptionis. Octauus antē mensis est certus, dicit Hippocrates, non ex numero dierum, sed ex difficili partu. Appellat solutionem vteri in partu, quemadmodum solutionem febris, quamuis enim septimestres plerique pereant, non tamen adeo difficilis est partus in illis, vt in octimestribus.

TEXTVS

ET mea sententia pars etiam in vndecimo mense, mensis est vt hic satis memorabilis existat.

COMMENTARIVS.

Cum hoc dixit, intelligit quòd sit mensis aptus ad gestationem vteri, id est, quòd aliquid ex vndecimo mense recipiatur, tanquam legitimum. Et hoc transiit ad Iurisconsultos: sed non est intellectum ab illis, putant enim illi ad CCCXXX dies legitimum partum posse extendi, in quo errant tripliciter, primùm, quòd accipiunt solares menses pro lunaribus: & ita sunt solum dies CCCXXV. secundò, quia accipit partem mensis, id est dimidiam pro toto mense: & ita contrahitur partus naturalis ad hoc, scilicet decē menses, qui sunt dies CCXCV, & quindecim dies vndecimi mensis, tertiò, quia præsupponit Hippocrates in hoc casu, quòd sit conceptus die nouilunijs: & ita primus mensis non habebit, nisi quindecim dies, & vndecimus totidem, vt sint triginta dies, nouem autem

medij

medij habebũt CCLXV: quib⁹ additis XXX, fiet, vt hi vndecim menses non possint habere, plusquam CCXCV. dies, vt prius: & ita verè comprehenduntur intra decem menses. Et tunc erit in octaua quadragenaria totus: & ideo memorabilis, vt etiam octauus, qui est in sexta quadragenaria, & ob id difficilis iudicationis. Veriùs autem exponetur infrà (com. 13.) nam hic loquitur de mensibus, vt ab astris sumuntur.

TEXTVS

PORRÒ mulieribus de partibus fidem derogare non oportet, dicunt enim omna, & semper dicunt, & semper proferunt: neque enim aut opere, aut sermone persuasæ sunt, sed ex eo, quod cognouerunt in corporibus suis contigisse. Licet autem & volentibus aliud dicere: quæ verò iudicio prædiæ sunt, & victoriam de hac sententia pronunciant, semper dicunt, ac testantur nasci septimestres, & octimestres, & nouimestres, & decimestres, & vndecimestres: & ex his octimestres non superstites manere. Dicunt autẽ & abortus plurimos in primis quadraginta diebus fieri, sed & reliqua conscripta his accidere, in quadragenarijs, ac in singulis mensibus fieri dicunt.

COMMENTARIVS

Præstat ad intellectum huius partis primùm præsupponere, quæ ille scripsit, seu Hippocrates, vt verius dicam, & vtcunque sit consentanea huic loco in libro de Natura pueri: oportet enim à manifestioribus quancunque doctrinam inchoare: sunt autem hæc. Cæterùm quæ longius, quàm decem mensium tempus vterum gestare sibi visæ sunt (nam hoc iam sæpe audiui) illæ ipsæ hoc modo, quem dicturus sum (Iuxta finem) deceptæ sunt. quum vteri spiritum acceperint in se ipsos à ventre flatum exhibente, eleuantur, ac intumescunt, contingit enim hoc: videntur sanè sibi mulieres tunc cõcepisse. Præterea si menses non procedentes congregati fuerint in vtero, & diutiùs manserint, semper profluunt in vteros: aliquando vnà cum flatu à ventre aliquando etiã calescentes: & sanè tunc quoque in vtero habere mulieres sibi videntur, nimirum mensibus non prodeuntibus, & vteris eleuatis: deinde aliquando menses sua sponte erumpunt, aut alijs superuenientibus à corpore in vteros, & priores protrudentibus, & flatus egreditur: & priores protrudentibus, & flatus egreditur: & multis iam statim post mensium purgationem vteri hiant & ad pudendum vertuntur, & tunc viris permistæ ad se genituram concipiunt eadem die, aut omnino in paucis. Existimant autem inexpertæ harum rerum ac rationum, etiam illo tempore se in vtero habuisse, quando menses non prodibant ipsis, & vteri erant eleuati, ac tumentes. Quòd autem non diutiùs, quàm decem mensibus contingat vterum gestare, ego demonstrabo. Alimentum & augmentum, quod à matre descendit, non amplius sufficiens est puero, vbi decẽ menses præterierint, & fœtus auctus fuerit: trahit enim quod dulcissimum est in sangnine ad sese, simulque etiam lacte modicè fruitur. quum autem hæc ipsi rariora, & pauciora sint, & puer plenus, ac maturus existat copiosius alimentum desiderans calcitrat, ac pelliculas rumpens, initium partus matri inducit: & hoc perpetiuntur magis mulieres primiparæ. deficit enim pueris alimentum, vt ad decimum vsque mensem sufficere non possit: deficit autẽ per hunc modum. Sunc quædam mulieres, quibus sufficientes menses purgantur, quædam quibus pauciores: hoc ipsum, si semper fiat in natura & genere maternum ipsis existit. Quæ verò menses paucos demittunt, hæ etiam pueris postremo tẽpore, vbi iam nati fuerint, alimentum rarius ex hibentes, ipsos calcitrare faciunt, vt & ante decimũ prodire festinent. Modicus enim sanguis à iuuenculis, ac nouellis matribus procedit: vt plurimum verò contingit tales mulieres etiam sine lacte esse, quæ paucos menses demittunt: sicciores enim sunt, & densiotem carnem habent! Huic autẽ rationi, quòd videlicet deficiente alimento, prodit puer, etiam si non aliqua violenta affectio ipsi accidat, etiã hoc testimonio esse potest. Volucris ex oui luteo nascitur hoc modo. Incumbãte matre, ouũ calescit, & quod in ouo inest à matre, mouetur: calescens autem id, quod in ouo inest, spiritum habet, & alterum frigidum ab aere per ouum attrahit. Ouum enim adeò rarum est, vt spiritum, qui attrahitur, sufficientẽ ei, quod intus est, transmittat: & augescit volucris in ouo, & coarticulatur modo eodem, ac consimili, velut puer, quemadmodum iam antea à me relatum est. Nascitur autem ex luteo oui volucris: alimentum verò, & augmentum habet ex albo, quod in ouo est, atque hoc iàm omnibus manifestum factum est, qui animum aduerterunt. Vbi autem deficit alimentũ pullo ex ouo, non habens id sufficiens, vnde viuat, fortiter mouetur in ouo, vberius alimentum quærens & pelliculæ circũ dirumpuntur: & vbi mater sentit pullũ vehementer motum, putamen excalpens, ipsum excludit: atque hæc fieri solent in viginti diebus, & manifestum est, quòd ita se habent. Vbi enim exclusa est volucris, nullis humor in oui testis inest, qui sanè memorabilis existat: expensus est enim in pullum. Sic etiam, vbi absolutus fuerit puer, mater non amplius sufficiens alimentum ipsi exhibere potest. Vberius itaque præsente alimentum puer quærens, calcitrãdo pelliculas dirũpit, & à vinculo exolutus, simul foràs prodit. atque hæc, vt longissimè, in decem mensibus fiunt: & secundũ hanc rationẽ etiã pecoribus, ac feris partus aduenit in tempore, quo singula pariunt, non tardius. Etenim vnicuique animali necesse est, tẽpus esse, in quo alimentum fœtui rarius erit, & deficiet, & partus adest. Et quæ quidem paucius alimentum pueris præbent, citiùs pariunt: quæ verò vberius, posterius. Ex his tamen præcedentibus liquet, hanc partem esse epilogum omnium, quæ de-

numero

numero mensium hucusque dixit, cuius summa est, quòd gestatio vteri durat CXIII. diebus, idest, à CLXXXIII. ad CCXCVI. diem: & in his concluduntur, vt dixi, quinque menses, quos enumerat in textu: constat autē in vndecimo, quod sic intelligendus est, vt etiā septimus vitalis esse incipit CLXXXIII, qui numerus dierum continet septem nouilunia, velut hoc anno M D.LXVII. ab vltima Nouembris ad XXVII. Maij sequentis anni sunt solum CLXXX. dies, & tamen septem nouilunia. Si ergo addantur his dies CXVIII, erunt dies CCXVIII, & vndecim menses: sed vt videantur vndecim, mensibus sufficiunt dies CCXCV. vt dixi, scilicet CCLXVI. pro nouem mensibus, & pro primo mense dies XV, vt sint CCLXXX. & hic verè finem accipere potest decimus mensis. Vndecimus autem statim incipit, & verè absoluitrium in CCCX. diebus: sed si accipiatur plenilunium in CCXCVI, videbitur vndecimestres, sed tamen non verè erit. Hic autem error, vt dixi, procedit ex mala numeratione mensium, & in vsu, ac consueta Græcis.

Et ex his octimestres non superstites manere) Proponit vnum, quod superiùs dictum est sed non frustra repetit, quoniam non solum hoc verum est, quòd non viuant, sed etiam est notum mulieribus prudentibus: Sed dices, si mulieres decipiuntur in computando vndecim menses cum sint tantum decem, quomodo verè norunt octimestres non viuere? Clarū est enim, quòd octimestris dicitur, qui post octo nouilunia natus est: si ergo vndecimestrem dixerint eum, qui particeps est vndecimi mensis, palam est, quòd poterunt etiam sic appellare octimestrem, qui solum est ingressus octauum mensem, & expleuit octo nouilunia. Vnde manifestum nostras decipi mulieres, quæ menses à parte vocant, id est, mensem octauum, qui est inter septimum, & octauum nouilunium: vult enim Hippocrates mensem octauum dici, qui est inter octauum, et nonum nouilunium.

Dicunt autem, & abortus plurimos) Hoc est secundum argumentum, quo probat, mulieres non decipi circa numerum mensium, quia norunt distinguere quadragenarias inuicem à mensibus, dum dicunt, abortus fieri maximè in prima quadragenaria, non autem in primo mense: ita de singulis quadragenarijs, veluti quod in tertia incipiunt esse robustiores in quinta autē vitales, & statim post medium earum. Et notandum, quod innuit, menses incipere à nouilunijs, id est primus mensis post primum nouiluniū, secundus post secundum: & ita de cæteris, non autem quadragenaria, sed illa quæ agitur: velut prima quadragenaria est à prima die ad quadragesimam, sunt tamen similes in hoc, quod possunt numerari imperfecti menses, sed tamen possunt extendi vltra triginta dies: velut si quis concipiatur post pleniluniū sequenti die, durabit primus mensis quadraginta quatuor diebus vsque scilicet ad secundum nouilunium. hoc autem in quadragenarijs accidere non potest: nunquam enim illa excedit quadraginta dies, neque potest esse minor illo numero: vltima tamen potest esse imperfecta. Hinc contingunt duæ dubitationes. Prima est, quoniam si menses dignoscuntur ab experimento, vtpotè quia octauus est malæ indicationis: ergo non est habenda fides illis in cæteris mensibus, vt potè in septimo, cū enim morietur infans, appellabitur octimestris, præterea dixi, quòd decipiuntur in enumerandis mensibus, non ergo vera dicunt. Altera dubitatio est magis ad rem, quia CCXCV. dies sunt in octaua quadragenaria, & in mense pari verè, quia in decimo mense: ergo fœtus non erit magis vitalis, quàm in octauo mense. Propterea dico, quod fœtus decimi mensis, qui cadunt in quadragenariam parem, habent duo incommoda tantum, mensem scilicet parem, & quadragenariam, sed qui cadunt in octauum mensem, aliquando etiam cadunt in quadragenariam imparem, & uerè sunt in nouo mense: qui tamen verè sunt octimestres, cadunt in quadragenariam, & mensem parem, quanquam, vt dixi, mensis sit perfectus & quadragenaria imperfecta: & cum hoc fœtus est imperfectus. Et debilitatur ex anteriore motu: ergo quatuor causæ sunt potentiores duabus, & maximè, quia imperfectio est causa valde potens, præterea Hippocrates non extendit decimum mensem vltra septimam quadragenariam. Secundà verò dubitatio dissoluitur ex hoc, quod mulieres rectè dicunt, & sentiunt de mensibus, non tamen in numero dierū conputando in comparatione ad nouilunia, sed solum simpliciter: vt sit sensus, cum sint tria, dies conceptionis, & numerus ab illa die, & numerus nouiluniorum præteritorum, hæc sciunt dicere: sed nesciunt computare, quia aliquæ computant primum mensem ad tempus nouilunij, & aliquæ ab ipso nouilunio. hæ rectè dicunt: illæ erant.

Ad primam quæstionem dicimus, vndecimestres apellari à mulieribus, quæ primū mensem computant ante nouilunium. Primum ponamus quod sit conceptus triduo ante nouilunium, erit primus mensis trium dierum, sequentes nouem menses erunt CCLXVI. dies: igitur vndecimus mēsis incipiet CCLXX. die, & erit in decimo mense, & septima quadragenaria vsque ad decimam diem vndecimi mensis. sed hic modus non est ad mentē Hippocratis. Alius modus dictus est magis ad mentem Hippocratis: vt primus mensis sit quindecim dierum, & ita decem menses CCLXXXIII. dies, & reliquum decimi mensis computatur pro vndecimo mense, & maximè post CCXCV. dies. Proponit autem duo genera mulierum. primum simplicium: secundum sapientum. & hanc sententiam tribuit sapientibus. Ergo non errant, & est, quòd exactis CCXCVI, qui sunt decem menses perfecti, potest nasci in vndecimo mense, non vsque ad duodecimum, sed ad CCC. diem, vel paulò pòst: est enim mensis impar, licet quadragenaria sit par, tum maximè quia est perfectus, sed de hoc clariùs in sequenti.

TEXTVS

TEXTVS

QVum autem septimo mése pelliculæ dirumpantur, & fœtus secesserit, labores, qui circa octauum mensem, & sextum quadragenarium, in partu fieri traduntur, corripiunt. hoc autem tempore præterito, quibus benefuturum est, inflammationes tum fœtus, tum matris exoluuntur, vt venter molliatur & tumor à præcordijs, & laterum mollitudine descendat ad locos inferiores, ad facilem partus tempore progressionem: & septima sanè quadragenaria plurimo tempore fœtus isthic existunt. Nam loci ipsis molles sũt, & transmotiones ipsis faciliores ac frequentiores fiunt, & propterea ad partus magis solubiles consistunt: & mulieres per hos vltimos dies ex toto quadragenario faciliùs vteros ferunt, donec contigerit fœtum verti. Postea verò dolores partus, ac labores incumbunt, donec à puero, & à secunda mulier liberetur.

COMMENTARIVS

EEt de septima quidem quadragenaria, quomodo in ea fœtus maximè vitales existant, meminit in libro de Octimestri partu his verbis (In fine) Cæterùm decimestres, & vndecimestres partus ex septem quadragenarijs eodem modo fiunt, velut ex dimidio anno septimestres. Plurimis enim mulieribus necessarium est, in ventre concipere: post menstrua purgamenta, vbi ab his exolutæ fierint. Oportet igitur mulieri tempus dare mẽsis, in quo ipsa purgatio continget, & hoc tempus, quibus breuissimum fit, tres sunt dies, plerisque autem multò plures. Sunt autem & alia multa impedimenta etiam in viris, ex quibus conceptus retardatur: oportet autem vel maximè hoc considerare, quod nouilunium, quod dies vnus existit, exactissimè trigesima mensis pars est. Dico autem dies fermè quindecim mensis pars sunt: tres verò dies pars mensis decima sunt, & reliqua iuxta horum rationem, & non est possibile in paucioribus partibus fieri, neque menstruorum solutionem, neque fœtuum conceptionem. Ex his igitur omnibus necessarium est, plerasque mulieres circa plenilunium, & vltra in ventre concipere, vt ducenti octuaginta dies sæpe vndecimum mensem apprehendere videantur: tot enim dies septem quadragenarias constituunt. Nam cum vltra plenilunium mulier concipit, necesse est, eum conceptum vndecimum mensem attingere ac apprehendere, quo ad vltimum circuitum perueniat. Sed & de hoc videbitur inferiùs (Tex. 20.) nunc satis sit rem ipsam, quantum spectat ad commodum intelligendi præcedentia, explicasse. Vult, quòd in quadragenaria septima, quæ perfectissimis numeris constat, fœtus nascatur: sed priùs patitur in quinta, vt oriatur septimo mense, vnde tum multa, non omnia vincula, abrumpuntur: si enim omnia abrumperentur, necesse esset, ipsum nasci. Vnde si nascatur septimo mense, abruptis vinculis, in octauo fœtus inflammationibus corripitur, & matres etiam, quæ si bene habituræ sunt, descendunt hæc ad laterum molles partes ex præcordijs, quia loca illa facta sunt capaciora, cum ibi non premantur, nec à iecore, nec à liene: vnde ex motu illo in septimo mense etiamsi non nascatur infans, duo commoda sequuntur, vnum vt fœtu descendente, faciliùs ferant fœtum matres, quàm antè: & vt copia sanguinis descendente, tanquã vehiculo, & emollitis partibus vteri, & vuluæ, facilior fiat exitus pueri in partu minore periculo, tam eius, quàm matris, & minore dolore, atque cõpressione, tum extensione. In fine igitur huius septimæ quadragenariæ, dicit Hippocrates, circumuertitur infans: & tunc dolores partus adueniunt, Intelligit autem, quòd etiam potest sic oriri alia ratione in vndecimo mense, & tamen intra CCLXXX. dies rectà ratione: nam supponit (vt se declarat in libro de Octimestri partu) quod menses numerentur à purgationibus, nam hæ sequuntur mensem lunarem: ideoque tales menses sunt noti mulieribus. Secundò supponit, quòd purgationes in mulieribus aliæ absoluuntur vna die, & tunc solùm post purgationem vsque ad decem dies potest concipere mulier, quia vterus, vt parùm purgatus, post illos rursus impletur: & si purgetur per duos dies, solum potest concipere vsque ad quindecim dies: reliquo tempore vterus est nimis plenus vsque ad nouam purgationem, quæ verò purgantur tribus diebus, syncerum habent magis vterum: & ob id toto mense concipere potest: & ob id dixit, quod quemadmodum vnum est tertia pars trium, ita decem diebus illa potest concipere, quia tria continent totum mensem, & duo dimidium mensis, diuisis triginta per duo: & ita quæ purgatur tribus diebus, potest concipere quouis die mensis, vsque ad alteram purgationem: concipiat ergo per decẽ dies ante alteram purgationem: superueniente tempore nouæ purgationis mulier numerabit pro illis decem diebus vnum mensem, inde pro nouem mensibus dies CCLXVI. vt dixi, qui cum decem superioribus primi mensis erunt CCLXXVI. pro decem mensibus, quos numerabit mulier præsertim ignara, quando conceperit: si ergo ipsa præsupponit CCXXVI. die se gestasse vterum decem integris mensibus, & pariat CCLXXX. die videbitur ei perperisse quarta die mensis vndecimi: & hæc est quarta interpretatio præcedentis textus, & magis ad mentem Hippocratis, & clarior.

TEXTVS.

QVæcunque verò mulieres multos pueros pepererunt,& quidam ex ipsis claudus natus est, aut cæcus, aut aliud quoddam malum habens, aiunt in hoc puero octauum mensem ipsas difficiliùs transegisse, quàm in his, quos pepererunt nihil mali habentes. Fœtus enim manens,in octauo mense fortiter ægrotauit, vt etiam morbus abscessum ac ablationem siue mutilationem alicuius partis fecerit, quemadmodum etiam viris fortes morbi aciunt.

COMMENTARIVS.

DVo vult ostendere, scilicet octauum mensem esse pessimum, vt qui si fœtum non elidat, persæpe tamen debilitat, aut mutilum reddit: alterum, vt intelligamus causam fœtuum, qui mutili, aut imbecilles, & debilitati nascuntur. Ex quibus sequitur etiam causa monstrorum. Sunt enim monstra duorum generum: scilicet quæ in alienam formam degenerant, & quæ multiplicia sunt (4.de Gen.Anim.cap.4.) velut bos agnino capite, & puer equino, & rursus puer biceps,aut quatuor cum pedibus,quæ ab initio fiunt confuso semine,aut colliso,aut non eu cto sanguine matris. Alia (Aristoteles) monstrosa sunt, cum aliquid deficit, non in vnum coit, aut membrum magnitudinem habet vltra mensuram,aut tuber:talia omnia in octauo mense fieri solent,atque eiusmodi si minora sint, iam non monstrosa sunt, sed debilitates:aliæ quidem in membris,vt claudicatio: aliæ in operatione, & in membro, vt muti, cœcique blesi: aliæ in sola operatione, vt stupidi mente. Ostendit hoc ex sensu ipsarum mulierum, quæ quoties pepererint surdum, aut cæcum, aut claudum, dicunt se laborasse in octauo mense,læsiones enim istiusmodi trium sunt generum: aut enim graues admodum, & abortit mulier eodem mense fœtum mortuum, aut qui parum, id est, per solam diem superuixit, qui enim eo mense nascuntur, duabus ex causis malè nascuntur:& quoniam signum est afflictum fuisse fœtum: & quia mensis malus per se ad fœtus natiuitatem est. Nam quidam nascuntur octauo mense, non afflicti, sed ob debilitatem vinculorum, & fœtus magnitudinem: alij cum sint oblæsi mense octauo,nono tamen nascuntur. Vnde tum ex his,tum ex aliis,aliqui,licet pauci valdè, supersunt. Alij ergo minùs læduntur, tamen differtur ortus ad nonum mensem, nec læditur pars Princeps vitæ,& sunt cerebrum venis magnis, quæ ad illud veniunt, cor, & pulmo, ventriculus, iecur, septum transuersum,renes,intestina,& vesica: nam si huiusmodi grauiter læduntur in fœtu, interit, sed partic ula nobilis,vt oculi,aures, lingua, dorsum,pedes, & manus, & remanent syderati, gibbi,claudi, manci, surdi, muti, cæci. Aliis læditur pars non necessaria, velut crus, genu, brachium, ita tamen vt præter deformitatem nil mali adsit. Cuiusmodi autem morbi sint, qui mutilos reddere possint, sunt, cancri,erysipelata, putredines, abscessus. At dubium est ob id, an fœtus in vtero sentiat? mirum est,cur non fleat: at fleuisse in vtero pro prodigio habitum est. Estque etiam id rarissimum, & horrendum: at si non flet, si non vagit,cum sit animal,& perfectum, vnde?Est igitur dicendum, sentire quidem fœtum,quòd hoc ipso deprehendatur in dubiis, et am immaturo linteo,vino frigido, madefacto: calcitrat enim,non ergo flet,vel quoniam exaudiri non potest:vel quia cerebrum molle est, vt constringi non possit, sed non quærimus lachrymam, verùm vocem,& vagitum? Dicendum ergo constantis effectus constantem causam assignando, fœtum, antequam oriatur, non respirare per asperam arteriam, sed vmbilicum:vnde cum vna sit, rarò duæ, etsi duæ exiguæ, non tantum suppeditari spiritus, vt vocem emittere possit. Quomodo autem viris decidant membra per morbos,tertio Epidemiorum declaratum est: sed in adultis iam vix accidit,nisi morbi sint è pestilentium genere, velut Indicus, Elephantiasis pestis: & veneno feruentium serpentum morsus, at in teneris facilè est lædi aliquam particulam,præsertim imbecillem, quales sunt circa caput, & pedes. Dum tamen in vtero sunt, facilè superuiuunt: at cum oriuntur, tunc ob ipsum ortum, tum ob aërem, qui circumstat, & alias causas intereunt. Audiui à fide dignis,eas,quæ vagitum infantis in vtero audierunt,interiisse ex partu, non longè à verisimili ratione, seu enim imaginentur solum, quæ vtero gerunt fœtum,nec ab astantibus audiatur,seu verè audiatur, seu rugitus quidam fit in ventre, vt aliquando causam habet manifestam,nisi hoc vltimo modo fit.

TEXTVS.

QVi verò fœtus in alio tempore vehementer ægrotant, pereunt priùs, quàm ipsis abscessus eiusmodi fiat.

COMMENTARIVS.

SEnes inquit (2. Aphor. 39.) iuuenibus ægrotant minùs:qui verò ipsis accidunt morbi, plerumque comitantur ad mortem. Et rursus(p.Aph.14.) Ob hoc non similiter senibus febres acutæ fiunt. Morbi,dicit Galenus, faciliùs accidunt imbecillibus,non tamen acuti. Commune autem vt dixi,præceptum est, imbecilles faciliùs ægrotare,& ob id plerumque leuioribus morbis,natura grauiorem noxam non expectante, vnde etiam minùs pereunt, quia morbus paruus est: & difficiliùs sanantur, quia vires languidæ sunt.Cum ergo alio mense, & quadragenaria morbus acciderit, pereunt, antequam abscessus, id est, deriuationes, ac quasi iudicationes, eo modo fiant, vt mutili nasci possint:

possint: quia morbus est necessariò maior, nisi causā habeat ex externo principio, velut timore, casu, febre vterū ferentis, quòd & si accidat, aut parùm læduntur, aut si læduntur, vehementer necesse est vt abortiant, non ob vnam causam, sed plures: quæ tamen non simul esse necesse est, Ante quartum quidem mensem, quòd fœtus sit imbecillis: nono mense, & decimo, quòd vterus sit nimis plenus, & grauis, & vincula resoluta: quarto mense, quòd mensis hic numero pari sit similiter, & sexto: quinto autem, quòd totus sit in pari quadragenaria, atque, hæc est vna ratio deducta ex numero, Alia est, quòd cum vehementer ægrotet, natura non potest secernere, quoniam fœtus est inualidus ob paruitatem: languidior enim est, quàm in octauo secundum naturam, non quia fatigatus, vt in octauo mense: nec habet vias perfectas, siquidem vt infrà (Tex. 21.) videbitur, septimo mense fœtus prorsus absoluitur, Est enim, vt suprà dictum est, proprium tempus dimidium anni, Manifestum est autem, quòd hæc est responsio tacitæ obiectioni, quam quis posset facere huic secundæ rationi, qua probat, fœtum octauo mense plurimùm affligi. Quis enim dicere posset, si quis laboret, etiam alijs mensibus mutilus nasci poterit? dicit, quòd non.

TEXTVS

QVicunque autem octimestres fœtus non valde ægrotant, sed iuxta vnam aliquam partem ex se, cessu afflictionem protulerunt, quadraginta quidem dies in imbecillitate transigunt, vt plurimùm in vtero, propter prædictas necessitates: sani autem fiunt.

COMMENTARIVS.

REspondet alij obiectioni, posset enim aliquis dicere, si omnes læduntur, adeò vt saltem plurimi in octauo mense, & qui tum læduntur, oblæsi, & mutili nascuntur, igitur plerique, si non omnes, læsi, aut mutili nascuntur? Respondet in illis verbis (sani autem fiunt) quòd in sequentibus quadraginta diebus, qui sunt post sextam quadragenariam, scilicet à CCXL. ad CCLXXX. reficiuntur: & hoc non solum facit, vt respondeat tacitæ rationi, quæ posset fieri in oppositum, sed vt doceat, quòd infrà (Tex. 18.) intendit declarare, scilicet quòd in nono mēse, etiam qui generaliter incipit fermè, aut paulo antè, quam septima quadragenaria, scilicet vt dictum est CCLXXXVII. die, & post CCLXXXVI., quòd fœtus adhuc est imbecillis: & hoc est primum. Secundum, quòd quantò magis processerit in nono mense fœtus, eò validior est, & securiùs oritur, quia magis remotus est à tempore afflictionis. Tertium, quòd qui nascitur vltimis diebus septimæ quadragenariæ, validior est, quamuis natus mense pari, scilicet decimo, quàm antea, scilicet in nono, Ex quo sequitur aliud, quòd vult, plus posse quadragenariæ numerum imparem, quàm mensis: & generaliter præponit robore vt liquet, vbique quadragenariam mensi. Vltimo (Tex: sequen) docet, quòd quamuis nonus mensis difficilis sit ad vitam, est tamen vitalis: sed vitalis potius ob quadragenariam, quàm per se: licétque ex hoc apertè videre, eum velle, quòd partus septimestris sit magis vitalis, quàm nouimestris: vt hunc ordinem insinuat, scilicet vitalis est maximè in decimo mense, id est à CCLXX. ad CCLXXX. seu potius à die CCLXVI. ad CCLXXX. sub quibus comprehenduntur etiam vndecimestres, sub eo sensu declarato suprà (Tex. 13.) inde septimestres: inde de nouimestribus, vltimò octimestres, qui teste Plino (libro septimo capite quinto) vitales cœperunt esse, in Italia, vt ille inquit, Cæsonia C. principis vxor ex Vestilia: vltra hos menses, scilicet ante septimum, neque post CCLXXX. id est decimum, seu vndecimum mensem, nullus prorsus vitalis est iuxta Hippoocratis sententiam. nisi monstrosum sit, post non antè: nam perfectis talia contingere possunt, imperfectis impossibile est. Loquitur autem hic in textu, & intendit principaliter de sexta quadragenaria illud (sani autem fiunt) id est, in fine illius, & in sequente, scilicet septima: non autem vt perferant in septima, vel vt sani fiant in sexta, adeò sermo est clarus, vt vnū intelligat, scilicet quòd in sexta quadragenaria languet fœtus: & hoc docet manifestè: aliud insinuat, scilicet quòd in septima sanescit: & hoc docet postmodum in sequenti textu. Et hic mos fuit antiquorum, vnum dicere, & aliud insinuare: quamuis ipse manistè vtrumque doceat.

TEXTVS.

QVicunque autem natus fuerit in his quadraginta diebus, eum impossibile est superstitem manere: ægrotanti enim adhuc ipsi in vtero transmutationes & afflictiones post partum accidunt.

COMMENTARIVS.

DE sexta quadragenaria illi sermo est, de qua superiùs locutus est. Et primùm quidem videamus, an octimestres, & qui nascuntur in pari quadragenaria, pereant, rursúmque assumamus sermonem superiùs (comment. 5.) habitum supponentes, quod ibidem dictū est, quòd in pari quadragenaria, & mense fœtus quiescunt: & quòd si mouentur, mouentur à causa violentia, vel quia contineri ab vtero non possunt. Et quòd natura facit ex his, quæ facere potest optimum: & quòd non potest res violenta esse principium rei naturalis (comment, primo) Igitur si fœtus nascitur in mense, & quadragenaria pari, non potest viuere, si oriatur ob violentiam: nam sic principium rei

naturalis

naturalis esset violentum, sin autem ex imbecillitate, non potest fieri, quin etiam fœtus euadat imbecillis, & sustinens compressionem illam, quæ fit in partu: & iam factus æger, necesse est, vt vel in ipso partu, vel paulò pòst obeat. Neque enim oritur ex proprio principio, quia si esset validus, non nasceretur: ergo ex alieno, & exteriore, ergo omnino vt in priore ratione non potest superuenire. Commemorat autem duo extrema, & præterit medium, quod est potentius, scilicet actionem partus, & compressionem.

Ex his primum manifestum est, tum antecedentibus, tum etiam verbis illis (Ægrotanti enim adhuc) loqui illum, non de omnibus, qui nascuntur in octauo mense, neque in sexta quadragenaria, sed solùm de ægrotantibus. Et ideo ex hoc liquet, quòd multi possunt superuiuere, qui non ægrotant, si eo tempore nascantur. Nam duo filij Cardinalis Sfondrati, & ipse Cardinalis Sfondratus, omnes nati sunt octauo mense, & superuixere, Et in Ægypto nati octauo mense generaliter viuunt quia aer, & aqua, & cœlum, & corpora, & alimenta sunt viuacissima. Primum quidem cœlum, cum ea pars sit propinqua signifero circulo vitæ authori, cum per illum erraticæ omnes, & præcipuè Sol, & Luna deferantur. Aqua verò Nili omnium fermè aquarum saluberrima est, pura, & aereæ naturæ, cocta, tenuis. Quantum autem faciat aquarum bonitas ad vitam tuendam, ostendit ratio ipsa, quoniam vbi aquæ optimæ sunt, omnia germinant, adeò vt Thales crediderit, aquam esse generationis, & naturæ principium. Nilus autem saluberrimus est, quoniam longissimo itinere, & partim violentus excidit per cataractas, partim lenis fluit, & totam torridam plagam dissecat à Meridie in Septentrionem. Terra verò cum singulis annis à Nili aqua optima irrigetur per plus quam tres menses, toties, & tamdiu imbuta, & ipsa saluberrima redditur. Vnde aër cœlo, terra, aquis salubribus circumdatus, aura etiam fluminis, & maris ventis purgatus, & ipse optimus euadit. At cibi omnes, & animalia cum his quatuor constent, & alantur, salubritatem maximã consequuntur. Homines autem omnibus his commodis freti robusti, incolumes, validi, longæuique euadunt. Quibus ergo parentes, cœlum, terra, aer, alimentum fauent, his nimirum quasi aduersus naturæ decreta viuere contingit. Vnde etiam constat monstrum ibi mirum vixisse ad quartum vsque annum, quod vmbilico tenus ex duobus constabat, infra autem vnus erat puer. Hactenus quomodo, & quando, & vbi viuere possint octimestres dictum est: sed nihilominus stat aduersus ratio generalis adducta, scilicet, quòd naturalis rei posset esse principium violentum: vel quòd optimum ex omnibus non eligeret. Si enim aduersus naturæ institutum oritur octimestris, naturalis rei violentum potest esse principium: quod omnino nefas est dicere. Sin autem ex naturæ instituto, non optimum elegit natura cum laborè labori addat. Omitto enim modò ægritudinem, quoniam, vt dixi, tales cum Hippocrate, qui iam morbo correpti sunt, etiam in Aegypto interire existimauerint, de sanis loquor, Itaque dicendũ est, quòd cum d[illegible]rit, quo nam pacto septimestres, & nouimestres nascantur, ex defectu alimenti, secundum naturámque sit hic ortus, vt in illis verbis ex Hippocrate in libro de Natura pueri (comment. 3. & 12.) Etenim cuique animali necesse est tempus esse, in quo alimentum fœtui parius erit, & deficiet, & partus adest. Et quæ quidem parcius alimentum pueris præbent, citiùs pariunt: quæ verò vberius, posterius. Contingit ergo vel ex proprietate naturæ, vel casu deficere alimentum octauo mense quod abundè suppeditatũ est septimo alioquin incolumi non solùm, sed & valido fœtu: tunc licet mensis sit quietis, & quadragenaria, quia tamen læditur, frangit membrãnas, & exit, antequam contabescat, aut ægrotet: vbi tamen exierit, quoniam occurrit aeri, & quoniam compressus est in partu, mense, & quadragenaria, qua debuit quiescere, ægrotat diu, & vix superesse potest, sunt tamen, qui supersunt, & in Aegypto plures. Hucusque de generali ratione horum dictum sit: nunc modò videamus, à qua die quadragenaria illa numeranda sit. Et sanè videtur Hippocrates despexisse menses, sed obseruasse potius motum solis, & quadragenarias: quod etiam colligitur ex illis verbis superius (Tex. 8.) explanatis: Est autem octauus mensis non solùm hoc tempus, sed & dies accedunt ex septimo mense, & nono, & ab ipso anno. Ideo videtur intelligere quadragenariam sextam, quæ incipit à ducentesima die: posset etiam intelligere eam, quæ incipit à ducentesimaseptima die, expleto prorsus mense septimo, vel etiam à centesima octuagesima tertia die, vt dies illa dicatur sola salutaris in eo mense, propter id, quod dixit (Tex. primo) Septimestres autem nascuntur diebus centum, & octuaginta, & dimidio insuper accidente diei particula. Sed huic obstat experientia, quoniam aliqui citiùs ex his nascuntur, aliqui seriùs. Inde ratio etiam obstat, nam additis quadraginta diebus, fient centum viginti tres dies solùm pro octauo mense: igitur nonus mensis tunc incipiet, at Hippocrates (Infra Tex, vigesimo, & in libro de Octimestri partu) vult, quòd finiatur ducentesima septuagesima die, aut saltem ducentesima sexagesimaseptima die: & ita hic mensis contineret dies XLIIII: quod est planè absurdum. Itaque non est existimandum, aut mensem octauum extendi diebus LIII à CLXXXIII. ad CCXXXVI, aut nonum diebus XLIII. sic enim esset conuertere menses in quadragenarias: at quadragenariæ sunt septem tantùm. Quatuor autem sensus denuò relinquuntur, primus, vt dixi, à die ducentesimo, secundus à CXCIII: tertius à die finis laboris. Potest etiam intelligi post CCVI diem à fine illius mensis: & quæ suadent opinionem vnam, reliquas dissuadent.

Prima igitur est, vt à die ducentesima oriatur infans, cuius quadragenariæ pars continetur in septimo mense, scilicet dies septem, & tres noni mensis, vt sint dies triginta præter eos in octauo mense. Et hic sensus

est valde verisimilis, propter illa verba, quæ dixit superius (Textu 8. & 9.) quòd accedunt dies ex septimo, & nono mense. sed non videtur Hippocrates menses statuisse firmos, sed solas quadragenarias: & causa est, quoniam cum primus mensis varietur à quintadecima die ad trigesimam, & vltimus solùm inchoatus intelligatur, erit varietas totius mensis, & numeri eorum extensa per quadraginta quatuor dies. Exemplum. Concipiatur infans statim ante coniunctionē Lunæ cum Sole in ipsa oppositione, erit vnus mensis: huic addantur menses septē, qui sunt CCIII, fient nouem menses ad vnguem CCXX dies, at hoc tempus totum in media est sexta quadragenaria. Sextam verò quadragenariam si quis à die CXCIII. incipiat, aut à CCVI, in easdem incidit difficultates, vt nullus horum modorum satisfaciat. Melius est ergo, vt à die initij laboris incipiamus, aut à die finis sumamus finem laboris: tunc enim res erit magis conueniens experimento. Cum ergo duo hæc principia statuerimus, scilicet quòd quadragenariæ sint immobiles, & menses varientur iuxta occasionem temporis conceptus, habebimus sensum integrum, & est, quod si quadragenaria coincidat cum septem diebus vltimis mensis septimi, & toto octauo, & tribus, nobis totum illud tempus erit laboriosissimum, infirmum, & periculosissimum: & incipiet à ducentesima die, & finietur ad ducentesimam quadragesimam. Si verò quadragenaria incipiat (gratia exempli) ducentesima quarta die habebit finē in octaua die mensis noni: & hoc totum tempus erit laboriosum, quia labores tunc inceperunt. Vltimi tamen dies quadragenariæ non erunt valde laboriosi, quia sunt præter naturam. Quatuor autem illi primi dies erunt longè peiores, quàm primi, quoniam in illis incœpit labor, cum iam deberet esse incrementum: & ob id valde mali, & quantò magis procedent vsque ad triginta dies quadragenariæ. Nā dicebat Hippocrates secunda Aphorismorum (30.) Circa initia, & fines omnia imbecilliora, cum consistunt validiora. Verùm, vt concludam, cum quadragenariæ non varientur, melius est, sextam à CC. die numerare. Sed cur adeò quadragenarium numerum non solum Hippocrates, sed etiam Sacra Scriptura obseruat, & extollit, cum causam nullam ex astris habere videatur: numerus verò per se non sit actionis principium, sed res prorsus à mente ficta, solus enim intellectus noster numerum efficit. De sacra pagina non est vt loquar, maximè hic, verùm de his tantum sermo habendus est, quæ ad naturam pertinent, & medēdi artem & planè absurdum esset ob Hippocratis authoritatem his deferre vim, quæ ui prædita minimè sunt: aut credere Hippocratē tantum huic ordini detulisse frustra. Cuius causam & Galenus prorsus, & quicunque illum secuti sunt, ignorarunt, vixque si reuiuisceret, & audiret, intelligeret, cum tamen adeò aperta sit, vt quiuis musicus eam intelligeret. Sol in trecētis sexaginta quinque diebus circuit signiferum: in tertia sui partem, quæ est dierum centum, & viginti vnius, atque horarū penè decemocto (nam numero dierum integro fermè quadrantem adiicere conuenit) redit ad consimile signum, consimilemque partem, qualis ea fuit, ex qua initium res illum sumpsit, seu ortus, seu motus, seu morbus: vt potè si ab initio fuit in vndecima parte capricorni, peruenit ad tertiam decimam partem tauri, ex signo frigido ac sicco, in signū itidem frigidum, ac siccum. Quis ergo dubitat, quin ob similitudinem temperaturæ, ac naturarum debeat renouare, quod inchoarat? At dico, id modò contingere in centum viginti diebus, non in centum viginti duobus: quoniam motu vero cum in opposito absidis fuerit, scilicet ab initio scorpij & à tertiadecima Octobris ad initium piscium, & vsque ad decimam Februarij, intercedunt dies centum, & decem, nouem, & horæ paulo plus tredecim, scilicet tredecim cum particula: igitur actio solis æquatur huic numero; nam velocissimo semper, & efficacissimo assimilatur etiam, quod ab initio tauri ad initium virginis feratur in diebus plusquàm centum viginti quatuor: natura tamen imitatur velocissimum motum, igitur tertia pars anni est dierum centum & viginti. Alia ratio est quòd res ipsæ, & affectiones, & operationes recipiuntur in natura humana, vt cognoscuntur ab illa, non vt in se ipsis se habent: nā ditonus est in proportione LXXXI. ad LXIIII, & delectat in proportione LXXX. ad LXIIII, quæ est sesquiquarta, & rursus, & semiditonus esset à CXCVI. ad LXXXI: & est, vt XXXII. ad XXVII, & redigitur ad XCVI, ad LXXX, & est sesquiquinta. Similiter & in sexta minore à CXXVIII. ad LXXX. loco LXXXI, vt VIII. ad V, & minore CLX ad XCVI, vt V. ad III, cum futura esset ex ordine, vt CLXII. ad XCVI, scilicet vt XXVII. ad XVI. quod ignotum est, refugit natura nostra: centū igitur, & viginti duo, cum partes non habeat, nisi ad LXI, & II, & CXXI. partes ad XI, natura refugit ad proximiorem numerum, in quo sesquialtera, sesquitertia, sesquiquarta, sesquiquinta, tū sesquisexta, sesquioctaua, dupla, tripla, & quadrupla collocari possunt, is autem numerus est CXX. quare natura nostra meritò refugit ex CXXII, & CXXI ad centesimum vigesimum, in quo omnes ordines proportionem clare habenter. Hoc ergo constituto, facilè est inuenire rationem quadragenariæ, quæ est tertia centum, & viginti, vt etiam centum viginti totius circuitus. At vt in centum vigintivis est similitudinis, & ratio partis, quæ constat secundū primum numerum imparem, qui est non solum perfectionis, sed amoris, ita in quadragenaria constat ratio diuisionis perfectionis, atque amoris, non autem similitudinis. Vt quod potentia ipsa definitur, ad actum reducatur: quocirca in quadraginta diebus sol ad locū similem potestate quadā redit, non autē actu. Impares autem quadragenariæ deducunt ad loca firmiora, velut tertia ad quadratū, quinta ad oppositum, septima ad trigonum locum, vt cum robore similitudinē coniungat. Oportet autem imparium finem & parium obseruare medium, nam tertiam ob id laudamus, quod ad trigonum loci prioris deducat:

id

id enim in fine agit. Prima autem, vt est principium omnium, media est inter pares, & impares. Quòd si obiicias illud ex quarto Prognosticorum: (Tex. 4.) Fieri verò non potest, vt aliquid horum integris diebus vere numeretur: non enim annus, aut menses integris diebus numerari solent, imo dixi, quòd hoc animaduertis Hippocrates, quæ ad menses, & hebdomadas pertinent, non integra esse, tum ob annuum numerum dierum, qui integer non est: tum varietatem mensium ob motum lunæ, tum ob diuisionem quadragenariæ in sex hebdomadas: vt hebdomada sit dierum sex, horarum sexdecim, quadragenariæ tamen integræ semper manent apud illum, reliqua omnia euariant, & nec integra sunt, præter diem vigesimam, quod quadragenariæ medium sit: reliqui à Lunæ circuitu pendent.

TEXTVS.

QVicunque verò ægrotans in vtero ad nonum mensem peruenerit, & in hoc mense natus fuerit, superstes erit: & superuiuunt quidem non minus hi, quàm septimestres, verùm pauci etiam ex his educantur. Neque enim crassitudinem habent, quam perfectissimi habent, & labores in vtero non diu antè tolerauerunt, vt tenues euaserint.

COMMENTARIVS.

MAnifestum est, quòd hic non de omnibus loquitur, qui nascuntur nono mense, sed de his, quos superius (Tex. 6.) dixit ægrotare mense octauo, propter motum, & laxationem membranarum, quæ accidit in septimo mense, hoc enim est connexum his, quæ dicta sunt superiùs. Diuisit enim septimestres in eos, qui superuiuere non possunt: & sunt, qui nascuntur ante anni dimidium: & qui seruantur: & qui nati, licet possent seruari ratione numeri dierum, quia tamen sunt parui, & propter motum separationis, qui est violentior, quàm in nouimestribus, cum sint similes hi fructibus decidentibus sponte ob maturitatem, illi acerbis, & ob sextam quadragenariam pereunt. Et in eos, qui mouentur, & non nascuntur tunc, sed quidam in fine septimi mensis, & vix seruantur, quidam in octauo, & pereunt: quidam non nascuntur in octauo, sed ægrotant, & pòst nascuntur in nono mense, quos etiam dicit viuos nasci, & superuiuere, id est, lac sumere non tamen educantur. At cum dixit hic (non educantur) intelligit, quòd non transeunt quadraginta primos dies, hic est enim terminus primæ educationis: secundus ad secundum annum, & lactationem comprehendit: tertius vsque ad quintum. Sed cum doceat causas, scilicet exilitatem corporis, & lassitudinem, atque debilitatem ex vtero contractam, intelligit primos quadraginta dies, quia etiam horum meminit, aut ad summum vsque ad primum annum: & hic est genuinus sensus. Sed dubitabit aliquis, quo ergo in tempore nati superuiuent, si non in nouo mense: dico, quòd in decimo, id est à CCLXV. ad CCLXXX. diem, & sunt penè dies quindecim. Sin dicas, duo obstare, primùm, quòd magis viuent in mense pari, quàm impari, cum quadragenaria sit eadem secundò, quòd omnes deberent octauo mense affligi: & hoc est absurdum, cum enim maior pars infantium oriatur nono mense, pauci seruarentur. Et quomodo etiam tenues euadere possunt, & similes septimestribus? Respondeo, quòd mens Hippocratis est, vt intelligamus tria simul. Primum, qui possunt superuiuere nati nono mense, & qui non? & est, quòd cum passi fuerint multum in octauo mense, vel exiles nati fuerint, & magis in initio noni mensis, quàm in fine pereunt. Secundum, cur quidam nati nono mense statim pereunt, & quidam non? Dicit clarè, quoniam qui ægrotarunt in vtero matris octauo mense, cum nascuntur in nono, nondum refocillati, nec carnibus restituti, pereunt ob imbecillitatem, & tenuitatem. Et cum dicis, decimus mensis est par: dico, quod quadragenaria est impar. in octauo autem mense laborant, quia mensis, & quadragenaria est par, & non nascuntur tamen: at decimo nascuntur. Vnde si ad vndecimum transeant, cum à CCLXXX. die ad CCXCV. sint dies paris quadragenariæ, & mensis, non vult, quòd seruari possint, seu pòst nati, scilicet in vndecimo mense, seu etiam in ipso decimo oriantur, commodius tamen in vndecimo, quàm in nono, quoniã laborauit infans solùm quindecim diebus: nam totus mensis decimus non est in octaua quadragenaria pari, sicut totus octauus est in sexta quadragenaria. Hippocrates tamen non vult omnino vndecimo mense (nisi sub sensu illo, vt contineatur sub septima quadragenario) quemquam posse seruari. Tertium est, quod tempus restitutionis est vnius integri mensis, quia vno integro mense laborarunt: sic illud in libro de Natura pueri (Pag. 5.) Rependitur autem in purgatione vniuersæ: purgatio enim puerperij in primis diebus plurima procedit, inde paucior. Vult enim pares esse lapsibus restitutiones: non tamen moriuntur omnes nono mense nati, quamuis afflicti octauo, quoniam non æqualiter eodem tempore affliguntur. Vult etiam in his debilibus causam mortis præcipuam esse, Partus vim, & incommodum, imbecillitati superuenientia.

TEXTVS.

SEruabitur autem vel maximè talis puer, si nouem mensium fuerit in exitu: robustior autem euadet, etiam is, qui plurimum abest à morbis, qui octimestribus accidere solent.

COMMENTARIVS.

CVr dicat, si nouem mensium fuerit in exitu, quasi antea seruari posset? Sed est

est modus loquendi, quem si quis inuertat, statim sensum percipiet, vt si dicat, robustus erit, qui nono mense nascetur, modò in octauo non laborauerit: nam si in septimo perfectus est, & nasci potest, & bene habet, & semper conditio melior euadit processu temporis, quia corpulentior fit, necesse est, vt nono mense natus, si quid non passa est mulier, robustior sit nato in septimo mense, propter corporis molem auctam, & corpus firmius factum, & vasa ampliora, & eo, qui octauo mense ægrotauit; sin autem ægrotauit, cum maximè fuerit distans in nono mense à noxa, tum maximè etiam seruabitur: hoc autem erit in fine mensis noni; distat enim per mensem finis noni mensis à fine octaui. Vnde illud secundi Epidemiorum (Sec. 3.) quibus nihil secundum constitutum tempus accidit, singulis vitales partus fiunt. Existimat enim Hippocrates non posse infantem mori, qui ab omni violentia absit: quoniam si non ægrotauit in octauo mense, securus est de ortu. Si enim ob imbecillitatem læderetur in ortu, magis læsus esset in octauo mense. At dices, plures infantes moriuntur in ortu, quàm incidant in abortum, octauo mense: dico, quod verum est, imò hæc est sententiæ declaratio, scilicet quod infantes, qui læduntur in octauo mense, plures sunt, quàm qui moriantur post ortum statim: non tamen, qui læduntur in octauo, moriuntur, in nono si nascantur, nisi in initio noni mensis. Monstra igitur læduntur octauo mense, & simul etiam solent turbas excitare in vtero, adeòut cum mulier octauo mense multum affligitur, in periculo est non leui, ne monstrum loco infantis gestet in vtero.

TEXTVS.

QVi enim in septem quadragenariis nascuntur, decimestres appellati ob id, maximè educantur, quam robustissimi sunt, & plurimum à vulgarium puerorum tempore absunt, in quo affliguntur quadraginta ægrotantes diebus, circa octauum mensem.

COMMENTARIVS.

QVi oriuntur à CCLXVI. diebus ad CCLXXX. vt dictum est, palam est, quod nascuntur septima quadragnaria, siquidem illa incipit C C L X die. tria igitur habent: sunt in quadragenaria non solum impari, sed septima: & plurimum absunt à C C X X X VI, quæ est finis octaui mensis, siquidem mense integro: & præter id sunt in decimo mense, qui est par; ideò superuiuunt, & sunt robusti: quoniam de primis duobus constat, de tertio non est clarum; possunt enim etiam esse vndecimestres, vt docebit inferiùs: ideo dicit, decimestres appellari, non decimestres cum sint, innuens, quod parum refert, vt sint decimestres in hoc casu. Et si modò etiam aliquid intersit, plurimum tamen abest hic mensis à laboribus octaui: ideo non solum educantur sed sunt robustissimi, & differunt plurimum à vulgarium puerorum tempore: nam, vt dixi, plerique infantes oriuntur nono mense, paucivalde decimo: qui tamen oriuntur decimo, felicissimè nascuntur.

Illud quæsitu dignum, ad decimestres vocet vere tales, qui diebus computantur? an eos, qui numero mensium, id est, in quibus iam fluxere menses nouies? Dubitatio tamen euidens est ex verbis: nam in septem quadragenariis cum nascantur, dierum numero terminantur. At dicet aliquis, ergo esse nati CCXLI die? nam hic sub septima quadragenaria comprehenditur. Respondeo, quòd eum dixit: Et plurimum à vulgarium puerorum tempore absunt, id est, à sexta quadragenaria: vel vt illa partem septimi vel noni mensis comprehendat: nam octauum mensem excedit. Intelligit ergo arcanum, quòd qui oritur CCLXXX. die, is sit perfectissimus, quia maximè abest à tempore læsionis, & imbecillitatis, & quòd septenus numerus sit absolutus: nam quicquid à termino deficit, non est in termino. Vnde persæpe contingit, vt par prima noni vitalis omnino non sit simpliciter quidem, quia proxima nimis sextæ quadragenariæ: non per se, sed casu, cum octauus mensis perfectus fuerit.

TEXTVS.

DEclarant autem de morbis, & afflictionibus octimestriū etiam nouimestres tenues nascentes: iuxta multitudinem enim temporis, etiam magnitudo corporis contingit ex morborum afflictione progressis, & non velut septimestres carnosi gignuntur, & crassitudinem propè coáltam habentes, vt qui tempus, quo in vtero gestabantur, sine morbis transegerunt.

COMMENTARIVS.

OStendit octimestrium fœtuum labores ex his, quæ accidunt nono mense natis: nam cum deberent esse corpulentiores, carnosiores, & pinguiores septimestribus, quonian quantò magis degunt in utero, tantò magis augentur corporis non solum magnitudine, sed carne. Et hoc ideo procedere necesse est, ob octaui mensis labores. Quòd si quis opponat, dicens, id contingere alimenti defectu? Respondebit Hippocrates, quòd hoc contingere magis deberet decimestribus, & in fine noni mensis quàm in principio: ergo palàm est, quod octauus mensis in causa est huius extenuationis. Cæterum cum dicat Philosophus septimo de Historia animalium (cap. 4) Fœtus, qui septimo uitalis quidem, hic primus exit, sed

sed magna ex parte infirmior, quamobrem cunabulis ex lana eum obuoluunt, & fascijs alligant. Meatus etiam nonnulli inscissi, vt aurium, aut narium sæpenumero generantur: sed accrescenti articulantur infanti, & demũ suam formam recipiũt, & plerįq; de his quoque septimo natis viuere, atque adolescere possunt. Qui autem mense octauo nascuntur, viuere, atque adolescere in terra Aegypto possunt, & quibusdam alijs in locis, vbi mulieres fertiliores sunt, multosque simul facilè, & ferunt, & pariunt etiamsi monstruosi sint: sed locis Græciæ multi intereunt, nec nisi perpauci seruantur. Vnde fit, vt si quis seruetur, non octauo mense natus existimetur, sed mulierem sui conceptus initium latuisse. Infestantur maximè mulieres mense quarto octauoque, & si vel quarto, vel octauo fœtus perierit: ipsæ quoque magna ex parte intereunt; itaque fit, ne solum mense octauo nati non viuant, sed etiam ipsis emortuis, periculum, quæ pariunt subeant. Simili modo & qui diuturniores, quàm vndecimo mense nati videntur, latere putantur: latet enim mulieres conceptus initium, si cum antè inflatus fuerit vterus, vt sæpe accidit, pòst coierint, atque conceperint. hoc enim principium esse sui conceptus existimant, quòd simile initium attulit.

Hic sanè multa cogimur animaduertere. Primum, quoniam Philosophus dicit, eum esse infirmiorem. Secundum, quòd cum dixit, Meatus esse inscissos, etiam vult illum esse imperfectum, qui oritur. Tertium, quòd velit in Græcia aliquos octimestres seruari, licet perpaucos. Quartum, quòd dicat abortum fieri maxime quarto atque octauo mense. Quintum, quòd existimet, etiam post vndecimum mensem ferre posse: quod si referatur ad existimationem, transfertur vltra vndecimum mensem, atque, ita contradicit Hippocrati, si verò ad rem, non potest iuxta Hippocratem extendi ad vndecimum vtrouis modo: ergo Hippocrati contradicit Aristoteles. Conandum est igitur, & si non ordinatim à facilioribus inchoando, quæ obstant, dissoluere.

Cum ergo dixit, meatus quosdam remanere inscissos, veluti aures, non de omnibus loquitur Aristoteles, sunt enim quatuor species septimestrium ad Hippocratis, atque Aristotelis mentem: Non vitales, qui orti sunt ante anni dimidium: Vitales, sed non perfecti, de quibus nunc loquimur: Vitales imbecilles tantum, qui plurimi sunt: Et vitales robusti, de quibus Hippocrates agit in præsenti textu. Sed rari tamen sunt, quoniam pauci eo numero absoluuntur, scilicet CC dierum, quibus constant menses sex, & dies insuper X X III, & absoluta est quinta quadragenaria, & dimidium anni fœtus superauit. Hoc solum interest, quòd Aristoteles refert, quæ audiuit, & vulgus dicere solet, tales infantes esse exiguos, quia sunt parui, & imbecilles, at Hippocrates, quæ vidit, & considerauit, quòd sunt bene corporati, & carnosi pro ratione corporis, & non minùs viuaces nouimestribus: atque, ita sunt concordes hac in parte. Comparatus ergo nouimestri septimestris est infirmior, quia potest esse ex abortu, non ita nouimestris, & etiam ob teneritudinem tertia specie: quia minor, & ob id imbecillior iuxta vulgi opinionem, quòd verò in Græcia seruentur aliqui octimestres, Hippocrates expresse suprà negauit: sed sermo eius est in Coo Aristotelis (Tex. 17.) in aliqua parte Græciæ Aegypto similiori: vt pote in Cypro. Diceret etiam Hippocrates, seruatos non fuisse octimestres, sed, vt diximus, septimestres extensos aut nouimestres contractos.

De quarto mense fiunt abortus periculosi, non tamen frequentes: sed cum fætus maximè annexus sit matri, oportet violentam esse causam, vnde abortus fit, & matrem in periculo versari ob id; Hippocrates autem de spontaneis abortibus solùm loquitur, qui fiunt in prima, & sexta quadragenaria. Demum dico, vndecimo mense nasci pueros, etiam iuxta Hippocratem, vltra illum, id est vltra C C L X X X diem, haberi pro miraculo: Hippocrates autem reddit causam eorum, quæ secundum naturam eueniunt.

TEXTVS.

VErùm enimuero conceptus, & abortus, & partus mulieribus in eo tempore, in quo etiam morbi, & sanitas, & mors omnibus hominibus fiunt; hæcuerò omnia partim secundùm dies, partim secundum menses, partim secundum dierum quadragenarias, partim secundum annum significationem sui præbent.

COMMENTARIVS.

TRia tribus cõparat iuxta quatuor modos. Et præterea genus, ad genus scilicet modos, quibus vterus comparatur ad fœtum, & æger ad finem, scilicet ratione valetudinis. vt homo, dum laborat, aut etiam forsan dum adhuc sanus est, comparatur morbo, aut sanitati, aut morti: ita vterus ad conceptionem, & tanquam morbus in homine: inde ad salutem, & est velut partus: vel ad mortem, & est abortus, & hoc per tempora. Et melius est, meo iudicio, vt censeamus, Hippocratem comparare conceptionem ad duos exitus oppositos, partum, & abortum, velut etiam morbum ad sanationem, & mortem, vt fiant quatuor membra, quæ singula ducta per quatuor tempora, efficient sexdecim, & est clarissimus sensus, ac comparatio admodum concinna. Et de diebus quidem infrà docebit (Tex. 25.) dum dixit: Dies quidem maximè insignes sunt in plurimis primi, & septimi, multum potentes in morbis, & multum in fœtibus. De mensibus hoc idem infrà paulo pòst (Tex 26.) docet, dicens: Cæterùm in mensibus (eademque in diebus fiunt) iuxta rationem insunt: sanguinis enim exitus mulieribus singulis mensibus apparent, tanquam peculiarem vim in corporibus mensis

habeat. Vnde sanè septem menses his, quæ vterum gestant fœtus principium perfectionis constituunt. Hæc eadem declarat in dentitione puerorum mense septimo (Tex. 27.) Et de morbis paulò pòst (Tex. 28.) nec oportet id repetere, cum abundè sit suo loco expositum. At de quadragenariis longam inferiùs (Tex. 29. 30. & 31.) habebis dissertationem, vbi commemorat primam, sextam, & septimam.

Quæsitum est autem ibi meritò, cur quintæ, in qua primùm absoluuntur pueri, non meminerit, atque discussum? reliquerit autem quadragenariorum morborum considerationem, tanquam notam. Inquit enim in primo Prognosticorum (com. 31.) In omni morbo, qui cum febre infestet, & quadragesimo die iudicetur. De sequentibus & hæc habet primo Epidemiorum (Tex. 25.) Quadragesimus, sexagesimus, Octuagesimus, & centesimus vigesimus. At de anno pariter infrà (Sec. 3. Tex. 52. ex diuis, nostra,) agit iuxta eandem rationem morborum, dicens. Porrò anno finiente multi quidem morbi fiunt, multæ etiam sanitates, iuxta temporis rationem ad menses, & ad dies, septenariis autem annorum cum multa alia insignia fiant, tamen dentes excidunt, atque alij renascuntur. Sed clariùs secundo de morbis (Tex. 35. & 36.) de capitis morbis loquens: Multis quoque morbus redit septimo, aut quarto decimo anno. Et in sec. de Natura humana (p. 4.) Morbi, qui æstate fiunt, hyeme finiuntur: & qui hyeme fiunt, æstate, hæc de morbis. Nam de fœtu iam dixerat (Tex. 1.) quòd in dimidio anni, scilicet diebus CLXXXII. & particula diei perficitur. Apparet igitur totum, quod dixit, esse verum. Ex quo apparet, quòd causa motus, & mutationis in fœtu, & morbo sit vna, non tamen materia vna: sed quemadmodum Virgilius:

Limus vt hic durescit, & hæc, vt cera liquescit.

Vno eodémque igni.

Ita in partu naturali, & abortu, præter naturam, sanatione secundum naturam, & morte præter naturam, vt redigantur quatuor capita ad duo; nam vel vincit natura, vel causa naturæ contraria. Cum verò natura vincit, iidem numeri seruantur, etsi paululum deflectant ob ea, quæ superueniunt: at si causa naturæ contraria peruicerit, non idem seruatur numerus: neque enim abortus fiunt semper in septimo mense, vel nono, sed si causa præter naturam perfectè superauerit, poterit effectus sequi, & iuxta naturalem numerum, & prope. & procul: sed hoc solum per se: si autem non perfectè, fiet in eodem termino, aut propè. Et ideo quærendum esset à Galeno, cur plurimæ malæ crises fiant in septima, quasi natura cooperante ad malum. An quia natura non perfecta victa eligit, quod minus malum est.

TEXTVS.

IN omnibus enim his temporibus insunt ad vnum quemque & vtilia multa, & hostilia multa.

COMMENTARIVS.

DEclarat, quod diximus, tempora hæc efficere tam bona, quam mala: & de bono causa est manifesta, de malo magis obscurum, neque enim possumus recurrere ad casum, vel fortunam, cum vt dixi hæc accidant in pluribus, nec ad naturam, cum illa non erret. Propterea bene fecisset Aristoteles, si hoc declarasset: cum non sit etiam opus aberrantis naturæ, cum in debitis diebus operetur. An quia, cum in septima crisis futura esset, & non concoxit, moritur æger? si enim à natura opus est, cur non expectat coctionem? si à materia, cur diem naturæ propitiam expectat? Neque est, sicut de monstro: vbi enim natura est, & color, & materia, ibi, quantum licet, operatur: si impediatur, monstrum fit: at natura non est impedita in crisi, cum medicus malam crisim futuram denunciat. Ergo necesse est, ponere quintum genus, quod fit ex lucta, cum duorum contrariorum vnum modò alterum vincit, aut vincitur natura enim eligit diem, nec antè mouet, quia malum sustinere potest, sed differt: non potest autem propter morbum, aut morbi causam, aut symptomata, aut malum regimen, aut propriam imbecillitatem vlteriùs sustinere, ipsa autem mouet semper in iis diebus, quamuis persæpe obscuro motu: ideo cogitur pugnam inire, sicut si quis potionem venenosam constrictis faucibus cogatur haurire, nam natura, quamuis sagax, non vitat mala comparatione futuri: hoc enim est animæ iam liberioris, velut mentis, sed præsentium: quod est deterius: ideo pugnam infœlicem orditur. At cum materia prorsus superauerit iam, tum natura vincitur facilius, & fit iudicium in die, non seruante numerum. Ex quo patet, quòd iudicium malum in die seruante numerum, est magis laboriosum, quam extra numerum suum.

TEXTVS.

EX vtilibus igitur sanitas, & augmentum contingit: ex contrariis morbi, & mors.

COMMENTARIVS.

OStendit, quæ sint vtilia in fœtibus, omissis morbis, cum id perspicuum sit, quòd si vtilis fiat mutatio in huiusmodi temporibus, contingit sanitas, aut morbi alleuiatio, ex contrariis mors aut mutatio in deterius, ex hoc etiam colligere licet, quòd actio naturæ non extenditur vltra tempus, veluti crisis non procedit vltra septimam,

nec

nec læsio octaui mensis, vltra octauum mentem, aliter omnia essent fortuita: quòd tamen iam actum est, procedit, & impedit, vt extenuatio, imbecillitas, abscessus & similia, vt antea (Tex. 21.) visum est. Ergo dicit, quòd in fœtibus, quæ eueniunt bona, sunt sanitas: & hæc pertinet ad animam, vt possit vti non solum integris operationibus membrorum, sed etiam perfectis: incrementum autem ad corpus ipsum pertinet. Opposita autem essent morbi, & diminutio: sed quia diminutio in carnibus est leue malum, in solidis adeò graue, vt mors præcedere soleat, ideo posuit mortem loco diminutionis. Intelligit autem per contraria, quæ sunt inutilia, non autem contraria similiter: vnde frigus nonnunquam erit vtile, & calor inutilis, quicquid ergo iuuat, vtile appellat: quicquid nocet, contrarium, seu hostile, vt vtar verbo eius in præcedenti textu. Non vult autem, quòd in temporibus sint vtilia, aut hostilia, si enim vtilia, & hostilia simul essent, fœtus meliùs, & deteriùs se haberet: quod esse non potest, sin autem alterum eorum tantum, iure merito subiret dubitatio, cur non etiam reliquum? Vult ergo, quòd in his temporibus sint multa vtilia, si fœtus sit bene constitutus, multa inutilia, si male: hæc autem contingunt ob motum, in materia enim valdè mobili si superet, in sexta morietur æger: si autem non adeò mobilis sit, in septima, fœtus ergo imbecillior in sexto mense transiget ipsum in septimo: quamuis validior, & mensis, seu quadragenaria robustior non poterit ferre vterum, & abortiet ob motum. Homo enim in capite fert centum libras ferri, & à pila ferrea ponderis vnius libræ interit, & statim: motus enim est causa fermè omnium tam in cœlo, quàm infra in corporibus: & in incorporeis mutatio quædã, quam negãt, qui nesciunt ordinem rerum. Porrò quæ affligunt fœtum, alia sunt naturalia, vt fæx, sudor, vrina: alia præter naturam, vt matris labores, vigiliæ: alia contra naturam, vt dolor.

TEXTVS.

Dies quidem igitur maximè insignes in plurimis sunt primi & septimi, multum potentes in morbis, & multum in fœtibus. Nam plurimi abortus in his diebus fiunt, nominantur autem tales effluxus, non abortus. Verùm alij dies intra quadragesimum insignes quidem minùs sunt: multi verò iudicant.

COMMENTARIVS.

Cvm dixisset, dies plurimum posse tam in morbis, quàm in fœtibus, declarat, quinam sint, & differentiam eorum in morbis, & in fœtibus: & dicit, quòd in fœtibus solùm primus & septimus sunt insignes, adeo vt cum mulier semen retinuerit prima die magnum est ad conceptionem fundamentum, quia non est spes, nisi aberret, vt defluat genitura sequentibus diebus, vsque ad septimam: etsi postmodum retineatur in septima, non videtur magnum instare periculum, nisi in quadragesima. A quadragesima autem vsque ad octauum mensem transfertur (com. 21.) quanquam, vt diximus, Aristoteles mensis quarti, sed hoc extra rem: quia cum Hippocrates de vno genere ad aliud non amplius retinet vim primi, aut miscet vnum cum alio. Veluti dies sexagesimus, octuagesimus, & centesimus vigesimus, quorum meminit in primo Epidemiorum, vt suprà diximus, non numerantur vt dies, sed vt termini, & fines quadragenariũ Etsi quis dicat, quòd meminit & sexagesimi, qui non est terminus quadragenariæ: dico, quòd meminit eius, vt dimidij quadragenariæ. Et ideo consideratur quadragenaria bifariam, vel vt ad quadragenariam in numero computatur, vtpote sexta ad septimam in fœtibus: atque ita dicimus in sexta quadragenaria minimè fœtum esse vitalem, & in septima esse & maximè vitalem, & assumimus totam quadragenariam, vel consideramus quadragenariam seriatim, vt primam, secundam, tertiam: & ita consideramus solum in morbis, & finem, seu terminum earum, aut medium, non alios dies, neque tempora.

Verùm alij dies) ponit differentiam dierum intra quadragesimum diem: & ponit, vt dixi, in fœtibus solùm primum, & septimum, sed in morbis longè plures iudicant, vt quartus, decimus, vigesimus, & alij, at secunda & quarta Aphorismorum (Tex. 24.) & alibi sæpè (Tex. 36.) de quibus infrà (Tex. 28.) At quod dicat tam in morbis, quàm fœtibus primam plurimum posse, magnam habet in morbis difficultatem: neque ipse meminit vllibi in tot ægris, quos numerauit in Epidemiis, quanquam iudicatum esse in prima die. Forsan quis referat ad Ephœmeras, aut ad sudorem illum pestilentem, quem ipse non viderat: neque ob Ephœmeras dictum putem: tum quia est vnum tantum morbi genus, vt non ei conueniat illud in morbis (est enim quasi dicat, in omnibus morbis) & etiam quia Ephœmera solet esse leuissimus morbus. Propterea meo iudicio intelligit commutationem, quæ fit à prima die, & ingressum: nam morbi quidam adeò sæui sunt, vt signa lethalia ab ipsa prima die referant, velut in Sileno (langu. 2.) & Critone (langu. 9.) primo Epidemiorum, & de Hermocrate (langu. 2.) & clariùs de Phileste in Thaso (langu. 4.) qui omnes perierunt, in quibusdam signa salutis apparuere, vt tertio Prognosticorum (Tex. 2.) simplicissimæ quidem febres, & signis firmatæ securissimis: vbi cum velit vltra quartum diem finiri, apparet in prima die oportere talia signa apparere. De cõmutatione autẽ Ephœmerarum in putridas meminit Galenus Nono artis curandi (cap. 1.) tum alibi sæpè. Nos etiam declarauimus. (In Arte parua medendi nostra) alias eas febres, quæ cum maximo rigore incipiunt succedente postmodum acuta, vel minimo malo signo adiecto, lethales fermè omnes esse.

Nominantur autem tales effluxus, non abortus.) Non curaui, vt ordo in tam exigua

parte ſeruaretur. Hippocrates quatuor genera proponit exitus ſeminis ex vtero. primus, cum nondum carneus eſt, & vocatur effluxus, non abortus: ἐκρύσεις ἀλλ' οὐ τρωσμοὶ, inquit Græcè, et cum cyema eſt, & carneum quod continetur, & nondum etiam dicitur abortus, quoniam in abortu delineatum eiicitur. Eſt enim & effluxus hic, & ἀποφθορὰν vocat Hippocrates, ſexto de Morbis vulgaribus (par. 1. Tex. 1.) deperditionem: ſed Galenus putat falsò idem eſſe cum abortu: at vt genus cum ſpecie eſſe poteſt, vt τρωσμὸς omnis id eſt abortus deperditio quædam ſit, non tamen deperditio abortus, ſed abortus eſt cuiuſdã fœtus, & fœtus abſoluta res cum iam delineatus eſt: cum autem abſolutus fuerit, partus vocatur.

TEXTVS.

Cæterùm in menſibus eadem, quæ in diebus fiunt, iuxta rationem inſunt: menſes enim mulieribus ſanis ſingulis menſibus apparent, tanquam peculiarem in corporibus vim menſis habeat, vnde ſanè ſeptem menſes his, quæ vterum geſtant, fœtus principium perfectionis conſtituunt.

COMMENTARIVS.

Poſtquam egit de diebus, oſtendit de menſibus, & vult, quòd in ſeptem menſibus fœtus perfectionem acquirit, ſeu quòd hic numerus perfectus ſit, ſeu quòd aſtrorum errantium circuitus abſoluatur. Exhibent enim primum menſem Saturno, ſecundum Ioui, vt in ſeptimum de Luna dominetur, in nonum Iupiter: ideoque vitalis fit in vtroque: nam luna luminare eſt, & Iupiter benefica. Sed quàm malè conuenit Saturnus, qui frigidus eſt, & ſiccus, & maleficus primæ plantationi humanæ, & vt incipiamus à remotiſſima ſtella. Deinde decimus menſis, qui optimus eſt ad partum, teſte Hippocrate, in Martis maleficæ dominium incidet, præferetúrque Mars longè Ioui, vt nati ſub Martis menſe viuant, Iouis autem intereant. Et propterea generationem luminaribus tantum tribuemus Hippocratis ex ſententia, tum quia primum vitalis fit infans in anni dimidio: tum quòd quadragenariæ à ſolis motu menſes à lunæ congreſſu cum ſole manifeſtè pendent. Sed neque Ptolomeus ab hac ſententia diſcrepat, qui vitam ſoli, & lunæ tantum tribuit, quòd lumine præ cæteris abundent, non autem alijs erraticis, niſi caſu quodam, vbi luminaria cadant, & vna ex illis præcipuis locis dominetur. Verùm cum impares menſes, & ſeptem numero magis fœtui conueniant, cauſa eſt, quòd in generatione cum ſit coitus maſculi, & fœminæ, ſol, & luna dominantur: refertúrque generatio huiuſmodi, vel ad illorum coniunctionem cum ſol dominatur, vel ad oppoſitionem cum luna: & in coniunctione ſolis calor à luna humectatur in oppoſitione lunæ, humidum à ſole incaleſcit: tametſi quòd frequentius, neque in coitu, nec oppoſitione luminarium conceptus ſit infans, ſemper tamen eandem ſeruat rationem. Quicunque igitur horum dominetur, alterna mutatione ad idem redit: ſolares primo, tertio, quinto, ſeptimo, nono menſe ſub ſole ſunt, & benè habent, paribus ſub luna, & ſunt infirmi: lunares itidem, & qui ad oppoſitionem referuntur, imparibus ſub luna, & validi paribus ſub ſole, & inualidi, quòd contra naturam degant: licet lunares debiles debiliores ſint debilibus ſolaribus; & validi validis eadem ratione. Contingit & ob hoc in quibuſdam temporibus affligi fœtus, & mulieres abortire ob id ex luminarium deliquijs. Et contingunt iuxta hoc plurimæ diuerſitates in ſingulis. Primum ſi mulieres in nouilunio menſes ſuos emittãt, aut alio tempore: & tum in plenilunio, aut quadratis, cum luna videtur proximior terræ. Secundum ſi concipiat mulier tempore nouilunij, pleniluniiúe, aut intermedio tempore. Tertium ſi veram luminarium conſtitutionem etiam beneficæ, aut maleficæ iungantur illis aut dominetur, & ſimiliter in temporibus iuxta diuiſionem mediorum motuum ſumptis. Quartum magis ad aſtronomos pertinet, & eſt ſol ad oppoſitum locum, aut trigonum perueniat, & lunam referunt commutare cum aſcendente. Ex his atque huiuſmodi incommoda oriuntur fœtibus, aut ſatis bene petranſeunt.

Quod ad menſes autem mulierum attinet, dicebat Philoſophus ſeptimo De hiſtoria Animalium (cap. 2.) Profluuium menſium decreſcente luna contingit, quamobrem nonnulli cauillo ſexum fœmineum lunæ tribuunt, quoniã ſi ſimul cum illa decreſcat, mulier purgetur, moxque repleantur ambæ, eueniat. Paucis menſtrua ſingulis menſibus mouentur, ſed vno intermiſſo plurimis. Faciliùs agitur cum his, quæ duobus, aut tribus diebus purgantur, quàm quæ plurimis. Idem inquit (4. de Generatione animal. ca. 2.) decreſcente Luna, fieri menſes, quod tum corpus frigidius humidiuſque reddatur. Verùm non id perpetuum eſt omnibus fœmineis, vt in nouilunio menſes profluant, quamuis non vllo tempore frequentius, quàm nouilunio, pleniluniòque quod etiam videtur ſentire ibi Ariſtoles: ſed conſtat, naturam menſis hoc ſequi, transfertur tamẽ antè retróque aut paulatim tempus mutetur: & cui menſe fluere ſoliti erant in plenilunio, vltima quadra eueniant.

TEXTVS.

Pveris verò, vbi ſeptem menſes à natiuitate impleuerunt, tum alia vtilia in corporibus fiunt, tum dentes in eo tempore apparere incipiunt.

COMMENT.

COMMENTARIVS.

AGit continuando de mensium in humanis corporibus, non solum, dum sunt in vtero, sed post quam nati fuerint: inquit enim quòd mensibus septem criuntur dentes. Aristoteles septimo De natura Animalium (cap. 10. in fine) Pueri (inquit) septimo mense dentire incipiunt: primùm edunt primores, alij superiores prius, alij inferiores. Denique omnes maturiùs dentient, quorum nutrices lac habent calidius. quæri igitur meritò potest, vnde hoc, vt septimo mense primum dentes oriuntur? nam dentes in vtero ipso gigni affirmat author libri de Carnibus (Pag. 4.) An velut vt infans esse vitalis incipit in anni dimidio, ita & dentes tum primùm prodeant. Sed quænam sunt vtilia illa alia, quæ primùm mense septimo in infantibus apparent: neque audire, aut videre, aut ridere tum incipiunt, sed vel ab ortu, vel à quadragesima die: nec ambulare, aut loqui, hæc enim multò serius: id verò magis mirum est, quod dicat tum alia, non vnum intelligit. Sed neque somniare tum incipiunt, id enim non nisi quarto, aut quinto anno contingit, vt inqui Aristoteles quarto de Generatione animalium (cap. 10. in fine) Nec mihi sanè tum primum agnoscere domesticos, & maximè nutricem: nam antea id facere solent, attamen iure aliquid est in eis melius existimandum, quod initium eius mensis est cum dimidio anni coniunctũ, & ob id puto, tum primum omnia in melius commutari, euigilari, abblandiri, corpore confirmari, admirari, constanter intueri, atque se ostendete tum primum hominis filium, non catulum, aut pullum, tum verò & caput expurgatur: & generaliter tum primùm spes de ipsis concipi potest, si sani eum mensem superauerint. Plurimi enim ipsa prima die, qua oriuntur, pereunt, cibum non assumentes, multi ad septimum diem vsque conuulsi, vt inquit Aristoteles (7. de Nat. Animal.) alij ad XI. diem, vt suprà visum est, & post ad dentitionem vsque & in ipsa dentitione.

TEXTVS.

EAdem ratio etiam in decretorijs diebus, siquidem fortassis vnà cum his, quos recensui, coniungere qui velit, historiæ, ac cognitionis gratia referentur. Etenim medicum, qui ægrotorum salutem rectè coniectare vellet, animaduertere quidem oportet, & contemplari omnes dies: ex paribus verò decimum quartum, & vigesimũ octauum, & quadragesimum secundum. Hic enim terminus ponitur à quibusdam pro harmoniæ ratione, & integer, ac perfectus numerus: verùm ob quam causam, longiùs fuerit in præsenti exequi, contemplari autem sic oportet per ternarios, ac quaternarios: ternarijs quidem omnibus copulatis, qua ternarios autem duobus ad duos connexis.

COMMENTARIVS.

QVòd quartus decimus dies sit iudicatorius, hoc planum est. Videtur autẽ quod suprà (Tex. 25.) dixit, ac reliquit exponere velle, ponit ergo vigesimum octauum, & quadragesimum secundum, quem dicit, pro harmoniæ ratione esse perfectum. Et de vigesimo octauo, quòd sit perfectus numerus iuxta Geomet, & secundum Plat. etiam numerus generationis liquet (per vlt. 9. Elẽ.) nã sumptis 1. 2. 4. continuè duplis, quorum aggregatum est numerus primus: igitur cum ex 4. in 7. fiat 28. erit numerus perfectus. Et ab eo homo ad generationem idoneus: sicut à sexto anno addentium stabilium restitutionem, aut natiuitatem, & à sexto mense ad primum illorum ortum. Sed & in XXVIII. diebus luna motum suum perficit: atque hæc nota. sed Hippocrates statuit XLII. numerum perfectum potius, quàm XXVIII, quod ex 6. & 7. producatur, qui duo numeri diuersis rationibus censentur esse perfecti. Sed quod dicit (pro harmoniæ ratione) intelligendum, quòd antiqui integram harmoniam ex inerrantium cœlo syderum numero septenario sumpserunt, ad quod alludit Virgilius:

1 7
2 4
4 28

Est mihi disparibus septem compacta cicutis: Fistula.

Et ob etiam Apollini sacer, quod citharam ex totidem chordis composuerit: quanquam sint, qui dicant, eam Mercurio potius sacram, quòd ab illo in testudinis concha inuenta, & fabricata sit. Referunt Terpandrum in lyra septima chorda inuenta illam absoluisse. Sed non est præsentis instituti de hoc disserere, vt etiam monet Hippocrates, dicens: Verùm ob quam causam longiùs fuerit in præsenti exequi. Et ideo ad institutum reuertamur de diebus iudicatorijs, declarando solum illa verba: Contemplari autem sic oportet per ternarios, & quaternarios, ternarijs: & reliqua, horum sensus est, quòd quaternarijs simul coniunctis, dum medius terminus communis est, fit septenarius, inde ex duobus septenariis numerus quatuordecim: quo geminato, & triplicato fiunt XXVIII, & XLII, & hoc est per se clarum: sicut quare assumat quaternarium, & ternarium, quoniam ambobus iunctis fiunt septem. Sed cur assumit omnes ternarios, clarum est in figura, nam sumptis alternatim, ternariisque iunctis, fiunt septem: & similiter sumptis duobus quaternariis, idem septenarius, & commutata ratione: nam in quaternario pregressu sunt tres termini, & in ternario quatuor: ideo in vnum conueniunt. Sed de his nimis: nam veri Philosophi numeris ob res vires tribuunt, non

1 1
3
5 4
7 7

rebus

rebus ob numeros. Et quoniam ſunt ſeptem ſtellæ errantes , vel quia in hoc tempore fit talis coniunctio , aut perficitur talis circuitus, aut quoniam humores praui , ſcilicet bilis vtraque in eundem motum concurrunt, aut aliquid ſimile , ideo numeri hi ſortiti ſunt has vires, non quia hi numeri, aut quia ſic creati ex numero, aut quoniam ex illis motibus cognitus eſt, aut ſyderibus, vim hanc, vel illam habet.

Reliquum eſt , vt dicamus de vigeſimo octauo die , & quadrageſimoſecundo, quos nuſquam in legitimis libris inter criticos connumerauit , adeò vt non pauci dubitauerint, an hic liber Hippocratis legitimus eſſet: at mihi videtur, hunc eſſe legitimum, & quòd nullus eò perfectionis venire potuiſſet, nec tamen diſſentit à prioribus locis, ſed quemadmodum vndecimum menſem recepit inter vitales ferendi fœtum, ea tamen lege, vt nō excederet CCLXXX dies: ita XXVIII. ex duobus terminis quatuordecim dierum componit , & XLII. ex tribus, vt paris ratio ſemper ſeruetur. namque duo tales numeri communi termino in XXVII. finiuntur, & tres in XL. Sed qui componunt , ſunt termini dierum quatuordecim , verùm imperfectorum, ſcilicet dierum XIII, horarum XVI, & dies XXVIII, vt par criſim ſignicat, ſed ob acceſſionem , & quia anticipat, tribuimus hunc motum XXVII. At in XLII. eſt alia ratio , quoniam ex computatione dierum XIII , horarum XVI. ter ſumpta, conſurgunt dies XLI. ad vnguem: dixit ergo terminum proprium , qui eſt XLII, quanquam res poſtea redigatur ad XL. Quod verò non ex errore hoc contigerit, nec alius ſit, qui hoc ſcripſerit, manifeſtum eſt: neque enim latere poterat , quòd dies XLII. exit extra quadragenariam , & , vt dixi, mens Hippocratis eſt , vt nullus ex modis principalibus tranſeat in alium , nec commiſceatur. Neceſſe eſt enim quòd cum tranſit XL. diem, vt numeretur per quadragenarias. Sed cur dixit : Quaternarios autem duobus ad duos copulatis. quoniam ſi iungerentur ſemper duobus intermiſſis vno communi termino , non in XIIII, diem, ſed in XIII. criſis incideret : à ſeptenario ergo mutare ordinem oportet. eſſet autem idem de ternario : propterea vult inferre tria , primùm conſtitutionem ſeptenarij trifariam , ſcilicet & externario , & ex qua ternario coniunctis (nam tria & quatuor efficiunt ſeptem : ſecundum & tertium compoſitionem ſeptenarij) ex ternario ſolo , & quaternario ſolo continuatis, vt dixi ſuperiùs. Secundum principale, quod ex ternario vltra ſeptimum continuato fiunt dies iudicatorij impares , velut nonus, & vndecimus , non autem quartus decimus : ſed quatuordecim componitur ex pari, ſcilicet quaternario : abhorret enim quòd imperfectus numerus , ſeu par ab imparibus componatur, ſcilicet XIIII. ex duobus ſeptenarijs , ſed dicit , par ex paribus fit, & ita ex quaternario ? ſed quoniam communi conſtituto temino decimus, & decimus tertius prodibant critici, propterea adiecit illa verba , quæ ſuprà dixi. Tertium eſt, quòd pares ex paribus conſtituuntur , ſicut impares ex imparibus : & ait XXVIII, & XLII. ex XIIII. Et hoc , licèt parum referat, quoniam & Hippocrates inquit: Hic enim terminus ponitur &c. aſcripſimus tamen ad imitationem interpretandorum librorum , & ne quis librum hunc alterius authoris eſſe exiſtimet.

TEXTVS.

At verò quadragenarij primùm in fœtibus iudicant. Quiſquis enim primos quadraginta dies tranſmiſerit , abortus effugit ex omni cauſa factos : plures autem fiunt in primo quadragenario abortus, quàm in alijs omnibus. Hoc autem tempore præterito fœtus validiores ſunt : & ipſorum corporis per ſingula membra diſcretio fit , & maſculorum quidem partes omnes valde conſpicuæ fiunt : fœmellæ uerò in hoc tempus carnes apparent, exortus , ac proceſſus ſolum habentes: ſimilia enim longius tempus in ſimili ſunt, & tardiùs diſcernuntur propter conſuetudinem , & amicitiam: quanquam aliàs, cum à matre ſegregatæ fuerint filiæ, citiùs, quam filij pubeſcant, & ſapiant, ac ſeneſcant propter corporum imbecillitatem, & victus rationem.

COMMENTARIVS.

Sex proponit hac in parte Hippocrates, Primum, quod quicunque euaſerit primos quadraginta dies , facilè euadit abortus, qui fiunt à quauis cauſa : & hoc eſt quia primi quadraginta dies in fœtibus iudicant, hic autem duo ſunt inquirenda : primum, quid velit per verba illa (abortus effugit ex omni cauſa factos) neque enim ex caſu, vulnere, vel terrore : nam huiuſmodi cauſæ etiam quarto menſe abortus efficiunt , verba ergo illa, ἐκφὲυγει τοὺς τρωσμοὺς ἐπὶ παντὸς γινομένους, fugiunt abortus in vniuerſum, qui fiunt, id eſt, fieri ſolent, hoc autem eſt , ac ſi dicat, minimè obnoxij ſunt ad primos comparando abortibus, quacunque ex cauſa accidere poſſint. Plures enim fiunt abortus in prima quadragenaria, quàm in alijs omnibus ſex ſequentibus ſimul iunctis, non ſeorſum acceptis. Quid ergo voluit , cum dixit: In febribus indicant? an quòd abortum iudicium vocet? abſit , quid enim abſurdius? ſed quoniam , qui iudicantur, iam in conſpicuo ſunt, an ſeruari debeāt, an non, ita in prima quadragenaria perſpicuum fit , an quis ſeruari debeat fœtus, an non, cum nemo fermè ſua cauſa , qui terminum illum exegerit pereat, ſeu abortu eiiciatur. Fiunt ergo abortus maximè eo tempore , quoniam inualidus

dus eſt fœtus, & nimiùm humidus, cogitur enim tum temporis & fœtum formare ſemen, & placentam creare, cui inſideat, & membranas, quibus circumuoluatur, & annectatur: præterea continere, quod additum eſt ex ſanguine, quod niſi natura prouidiſſet eo tempore, vt minimum ſanguinis maximè primis nouem diebus afflueret, nullus fœtus ſeruari poſſet. Adde, quòd ſanguis primus excrementitius eſt, & humidior reliquo: vnde tum temporis fœtus minimè validi eſſe poſſunt. Id verò maximè accidit, cum nondum vterus ſiccatus fuerit à purgatione: minùs etiam ſeruari poſſunt, ſi nondum fuerit perfecta ipſa purgatio. Sed ex hoc relinquitur dubitatio, cur quædam tantum mulieres abortiunt ſponte, ſtato menſe, poſt primam quadragenariam, quod frequenti experimento didicimus: & Hippocrates teſtatus eſt (5. Aphoriſ. 43.) his verbis: Quæcunque moderatè corpus habentes abortiunt bimeſtres, & trimeſtres ſine cauſa manifeſta, his vteri acetabula muco plena ſunt, & non poſſunt vterum continere præ grauitate, ſed abrumpitur. Et in libro de Superfœtatione (pag. 4.) Mulier, quæ concipit, ſed perdit fœtum ſemper bimeſtrem, vbi conceperit, aut trimeſtrem, aut quadrimeſtrem, aut etiam poſt: ſed ſemper eodem menſe id accidit, quoniam non poteſt vltra id tempus vterus extendi, & ideo minimè ſufficit capiendo fœtui. Meminit & in primo de Morbis muliebribus (pag. 23.) earum, quæ fœtus bimeſtres: non autem ſtatim ab initio corrumpunt: ideo videtur hoc repugnare dictis. Sed non eſt ita: nil enim horum accidere poteſt cauſa fœtus coniuncta cauſæ, vt ſi morbus nouus exoriatur, vel qui acutus non fuit, in acutum tranſierit: vel ſi mulieris habitus hoc repoſcat, vt nos ex Accorombono (5. par. com. 30.) docuimus in Aphoriſmis, plurimo enim ſanguine affluente, fœtus perditur, quemadmodum & ex crapula non vna cœna, aut die, ſed pluribus homo ſuffocatur.

Hoc autem tempore) Hæc eſt ſecunda pars, in qua docet, fœtum fieri validiorem: vt incipiat tempus roboris in ſecunda quadragenaria, quæ tamen eſt par. Deinde quia iam dixit (Tex. 22.) abortire maximè fœminas in octauo menſe, qui tamen eſt poſt primam quadragenariam. Et in quarta Aphoriſmorum (1.) innuit fœtus primò fieri validos quarto menſe, qui totus continetur in tertia, non in ſecunda quadragenaria. Reſpondeo, quòd ſufficit Hippocrati, vt fœtus quantò maior fit, eò fiat robuſtior: & hoc contingit, quia in maiori mole maior eſt virtus, vt dici ſolet. Secundò, quoniam corpus magis ſiccatur, & ideo fit durius: ſecundo de Temperamentis (ca. 3.) Tertiò, quia membra principalia abſoluuntur, & ita magis colligitur calor, & redditur robuſtior. Quartò, quia canales ampliores fiunt, atque ita ſpiritus, & ſanguis meliùs mouentur, & perflantur, adeò vt non ſit tam magnum periculum de ſuffocatione. Et ideo his omnibus cauſis fœtus, quantò magis creſcit, tantò robuſtior euadit: ideóque minus paratus ad abortum. Et ideo iſta regula eſt generalis, & per ſe, nec vllam patitur exceptionem: quòd fœtus quantò magis creſcit, tantò eſt robuſtior, & minus obnoxius abortui. Et illud de robore eſt verum etiam in omnibus animalib. adeò quod ſi etiam ſenex poſſet augeri, fieret robuſtior, & minùs obnoxius morti: ſed quoad matrem, contingit contrarium, ſcilicet vt quantò magis augetur, tantò maiore indiget alimento, cui poſtmodum mater exhibendo non ſufficit. Secũdum eſt, quòd vincula prægrauantur, quibus fœtus ſuſtinetur, & ideo laxantur, & præparatur fœtus ad exitũ. Tertiò, quod excrementa omnia, ſcilicet vrina, & ſudor, & ſanguis impurus magis abundat: & ideo læditur tam fœtus, quàm etiam infans ab his tribus. Quartum eſt proprium matri, & eſt reſpirationis læſio propulſis inteſtinis in ſeptum tranſuerſum, vt membra, ſpiritus comprimuntur. Hæc igitur incommoda maiora fiunt creſcente fœtu, & fœtus ex oppoſito fit robuſtior: vnde commoda vſque ad quintũ menſem ſemper maiora ſunt incommodis, in ſeptimo ſunt æqualia: ideo ſecũdum naturam tunc ad ortum præparatur infans, poſt incommoda magis augentur commodis: & ob id in octauo menſe maximè laborat fœtus, & mater, ſed quia illud tempus clauditur numero pari, tam ratione menſis, quàm quadragenariæ, & natura ad tantam mutationem exigit quietem præcedentem, quæ debet eſſe in pari quadragenaria, & menſe, & illa fuerunt cum motu, quia fuerunt in impari quadragenaria, ſcilicet quinta, & menſe, ſiquidem ſeptimo: ideo non eſt ſufficiens eo menſe ad protrudendum fœtum, nec commodè poteſt illum retinere, ideo aliquæ abortiunt eo menſe ratione matrum: & omnes fermè fœtus, ac matres tum vexantur, & malè ſe habent. Quòd autem fœtus ſint validiores à quarto menſe ad ſeptimum vſq; nec meminerit ſecundi, & tertij menſis: dico, quòd in ſecundo, & tertio menſe ſunt validiores comparatiuè, & reſpectu primi mẽſis, non tamen, quoad medicamenta purgantia: oportet enim eſſe robuſtiorẽ, & ſicciorẽ fœtum, & vincula, quibus continetur, firmiora.

Et ipſorum corporis per ſingula membra.) Hæc eſt tertia pars, in qua docet, quod mẽbra diſcernuntur in ſecunda quadragenaria: propterea vt hoc rectè intelligatur, adducã, quæ ipſe aliis in locis de hac diſcretione dixerit, ſæpè enim docui non aliter melius, quã vnumquemque per illius dicta interpretari, ergo in libro de Alimento (pag. 3.) inquit: Ad figurationem ſoles triginta quinque ad motum ſeptuaginta, ad perfectionem ducenti, & decẽ. Et rurſus in libro de Natura pueri (pag. 5.) Poſtquam declaraſſet, quòd in primis ſex diebus apparuerunt membranæ, & quid concretum, velut in duo, ſed rubrum cum veſtigiis albis in ambitu, velut in ſugillatis, ſubiicit: Multæ mulieres paulo antè trigeſimum diem fœtum maſculum perdiderunt, & apparuit inarticulatus: qui autem poſterius abortierunt, aut in ipſa trigeſima die, omnes articulati erant. Idem in fœmellis iuxta rationem dierum ſuorum, qui ſunt quadraginta duo. Hanc etiam ſententiam ſic interpretantur, vt etiam Macrobius, quod vt diſcretum fuerit tardiùs, aut citiùs, ita mouetur, atque etiam oritur: adeò vt ſi in triginta diſcer-

natur, moueatur in sexaginta, oriatur in C L X X X. vnde illud (6. Epidem. par. 7. in fine,) quicquid in septuaginta, aut nonaginta diebus mouetur, in triplo eius perficitur. Sed Galenus videtur aliter sentire in primo de Sympt. causis (cap. 7.) cum dixit: Sed ad fœtum per primos duos menses parum sanguinis influit, vnde Græci nondum embryon vocant, sed eyema, id est, gestationem: quasi innuat, quòd exiguus sit, & informis. In libro autẽ de Fœtus formatione, (cap. 1.) & primo etiam de semine hæc habet: Non enim neq; expressæ formationis, neque motionis, neque absolutionis, & egressus in lucem præfinitus est terminus fœtibus, sed vt Hippocrates, & qui eum secuti sunt, grauissimi authores tradiderunt. Et inde: Primum tempus est, in quo vel in abortu, vel in dissectione adhuc seminis species apparet: quo etiam tempore cum sanguine loca illa repleta fuerint, córque & iecur, & cerebrum indistinctam, & informem, non tamen magnitudine carentem ostendunt: genituramque Hippocrates, non fœtum appellat. Secundum tempus, cum iam carneam substantiam obtinet, non seminalẽ: túmque fœtus iam appellatur. Tertium, cum tria principia exquisite videre licet, & delineationem reliquorum membrorum. Planè tria principia manifesta apparent: non adeò perspicuè ventris forma, multò minùs brachiorum, & crurium: vnde talium membrorum ortus Hippocrates ramificationem appellare à plantarum similitudine solet. Quartum, cum brachia & crura absoluta sunt, & iam palpitat infans (sic enim eum tum vocat Hippocrates) & mouetur instar perfecti animalis. Princeps autem accepit ex libro quodam, cui titulus est. De Anatomia viuorum, (ca. de Anatomia vteri in fine,) & tribuitur Galeno: & est, quòd in primis VI. diebus nil trahit semen ab vtero in X I I. sequentibus ad XVIII. scilicet quòd fiat carnea substantia, attracto sanguine, sed informis, vt I X. sequentibus ad X X V I I. vsque formentur partes maiores, & aliis I X. diebus perficiatur membrorum omnium distinctio. Et hic nec Princeps concordat cum libro illo, & in libro illo est error manifestus. Et si vellem persequi nugas horum more veterum, conclusionem parerem, laborem adderem, vtilis nihil dicerem. Et quòd Princeps disputat contra Galenum, addens quæ non sunt coniuncta loco, & maledicens, vbi non innititur firmis rationibus: vt Galenus, qui iuncta nimis separat, cum vterque in commodum humanum grauiter peccet, sed viam mediam tenere oportet, vt disputationes de principiis seiungamus à narrationibus, & causis: coniungamus illa, quæ vel necessaria sunt in opere, vel sine quibus, quæ tractantur, intelligi non possunt. Sic quidam, qui adduxit in tabula, tanquam Galeni, quod alterius est, & ab eo recitatur, vt eum coarguat, non vt id dicat sexto Epidemiorum (Sec. 1. com. 2.) cum inquit, Fœtus octauo mense soluitur, & decimo oritur. Quod absurdum adeò est, vt indignum sit fabro, ne dum Galeno, nam vbi fœtus conuersus fuerit in vtero, necesse est, vt emittatur, quia intestina comprimunt iecur, ventriculum, & septum transuersum: & ideo necesse est, vel vt mulier pariat illum, si perfectum est tempus, vel abortiat, si nondum absolutum. Forsan deerant pulchræ quæstiones, his nugis relictis, velut an fœtus in vtero per pulmonem respiret? & si non, an pectus moueatur: nam quòd ventriculus non concoquat cibum, videtur ab omnibus pro constanti, cum nec habeat, quod sugat, & venæ duæ ex vmbilico ferantur latæ, non quemadmodum in iam natis per venam portæ, seu illius ramos, & iecoris in venam cauam illius, quæ est in parte gibba: inde ergo transit sanguis in cor. Hic licet videre vnum admirabile, scilicet, quòd illud, quod videtur faciliùs, est difficilius, & contraria ratione, quod deberet esse difficilius scitu, promptius, ac certius determinari potest, nam de respiratione dubium magis esse potest, sed si infans per os inspiraret aërem, primùm non est locus, vnde illum trahat, nec quò demittat: igitur non potest infans in vtero respirare. In ortu ergo primùm incipit simul respirare per os, & vmbilicum, inde vinculo astricto vmbilico, solùm per os: ergo infans in ventre neque respirat, neque mouet pulmonem, neque pectus euidenti motu, respiraret enim. Sed de ventriculo an concoquat, dubium est. Author libri de carnibus (pag. 3.) hæc habet: Cæterum puer in vtero comprimens labra ex vtero matris sugit, & tum alimentum, tum spiritum intro cor trahit, vbi sanè mater respirat. Si verò quis interroget, quomodo hoc quis sciat, quod puer in vtero trahit, & sugit? illi sic respondendum est. Pueri nascuntur, stercus in intestinis habentes: & vbi nati fuerint, celerrimè ventrem tum homines, tum pecora exonerant. At qui non haberent stercus, nisi in vtero suxissent, imò neque mammam statim, vt natum est, sugere nollet, si non in vtero suxisset. Iul. Cæsar Arantius in suo libello. De Humano fœtu (cap. 9.) putat fæces illas remitti ex caua iecoris, vbi enim sanguis ex vmbilico prodiit in iecur, tametsi, vt dixi, amplo vase, magnam partem tamen relinquit in ipso iecore, ex quo illud augetur, transfunditúrque, & quod aqueum est, ad cauam, quod biliosum ad felis vesicam, quod feculentum ad lienem, reliquum ad intestina per venas mesaræi, cuius quod omnino terreum est, exprimitur in intestina, coagulatúrque in fæces, nam omnino fieri non potest, vt infans sugat, cum ad os nihil perueniat, ex quo sugere possit, nisi forsan quis dicat, quod non omnino absurdum est, sugere aliquid excrementi sudorifici: nam in illo fœtus circumuolutus est, vt tam sugere discat in vtero, vt cum extra fuerit, statim priori alimẽto destitutum ali possit. Quo argumẽto deprehẽditur, librũ de Carnib. non esse Hippocratis. Quod verò ad situm attinet, Arãtias dissectis prægnantibus, infantes capite ad os vteri posito, & inclinato, facie ad omentum cõuersa, inuenisse se testatur, sed cũ iam vexatus infans ob matris interitũ noxam sentit, se circũuoluit, & descendit, nã etiam trimestres exeunt plerumque capite priùs exerto, nam iacere infantes prono capite, semper absurdũ est ob causas dictas: circumuolui autẽ multo

antè,

ante, etiam absurdius, & Hippocrates ipse hoc testatur: & prægnantes cum pariturae sunt hanc sentiunt circumuolutionem, licet non omnes: vel quia non animaduertant, vel oppressæ tum doloribus vehementibus, vel si per somnum fiat: hoc autem latet eos, qui dialecticam Hippocratis, quam nos tradidimus, ignorant: nam in his, quæ sunt ex ordine naturæ, non contingit posse non esse: at aliquæ mulieres sentiunt hanc reuolutionem, igitur infans in his iacuit toto tempore capite erecto: sed non potest esse situs secundum naturam contrarius, igitur omnes infantes in vtero capite erecto degunt, nisi cum oriri volunt, aut coguntur: priùs tamen descendunt, quam voluantur: nam postquam reuoluti sunt, necesse est vt oriantur, quoniam neque sic possunt manere, vt dixi: nam non potest duplex situs illi esse naturalis: neque possunt circumuolui iterum: nam sit, vt dorsum mulieris sit *b*, & caput fœtus circumuolutum ex *a* per *b*, in *c*: si ergo posset circũuolui iterum ped *d*, strangeretur vinculum vmbilici, aut intorqueretur, vt nec respirare posset, nec ali fœtus: si vero posset redire per *b*, haberet motum retrorsum, qui illis non datur, imò nec pueris iam adultis; mouetur enim in anteriora infans ante perfectam tamen reuolutionem, vt cum caput est in *b*, potest retrocedere: sed est periculosissimum, & raro contingit. Facit & ad hoc, quòd infantis caput graue sit, vt ad ascensum paratum esse possit: & quanquam mulier iaceat, tamen altior semper est pars in *a*, quàm *c*, nisi à pedibus suspenderetur prægnans. Adsunt & intestina, quæ comprimunt locum, ad quem regressus fieri deberet; constat igitur pueros in vtero erectos sedere, complicatis genibus, ac manibus, sed ad fauces erectis, vt apud Vesalium (lib. 5. fig. 35. tab. 4.) cum verò postquam descenderit infans, multæ seruentur ex abortu quiescendo: ergo descensus fit ante reuolutionem.

a
b d
c

Vt ergo ad institutum reuertar, sic Hippocratis dicta interpretabimur, vt in prima quadragenaria fiat solum distinctio partium, non sensilis, nisi coniectura, adeò vt dicamus ista principia sunt non tamen membra; nam hoc non contingit nisi prope motum: vt motus in sexaginta diebus incipit cum primum, aut cum tardiùs in LXXXIV: igitur vera distinctio membrorum incipit in secunda quadragenaria, nec in principio, sed iuxta finem illius. Est ergo triplex distinctio membrorum, vt partes: & hæc fit in prima quadragenaria, vt membra non absoluta, sed absolutorum: & hæc fit in initio secundæ quadragenariæ, & est absoluta, & absolutorum: & hæc perficitur in fine ipsius. Galenus intelligit de numero dierum, qui certus non est, Hippocrates de quadragenariis: Princeps loquitur de distinctione partium solùm, non in membra figurata.

Et masculorum quidem partes.) Hæc est quarta pars, in qua docet, quòd masculi celeriùs absoluuntur, & in initio secundæ quadragenariæ apparent omnino distincti: fœmellæ autem habent distincta membra, sed non formata, verùm carnes cum processibus, seu exortibus. Vnde secunda sectione sexti Epidemiorum (Tex. 31.) Mas in vtero citiùs concretus, ac formatus, vbi mouetur cessat, ac tardius, prolixioríque tempore augetur. Et in libro de Natura pueri (pag. 5.) Fœmina quidem primam concretionem recipit in quadraginta duobus diebus, quod tempus longissimum, mas autem in triginta: cui etiam subscripsit Aristoteles septimo de Natura animalium (c. 3.) Sed non aduertunt, quam bene infert Hippocrates illud, Masculi citius formantur, & mouentur, & tamen nascuntur eodem tempore, quo fœmina: ergo necesse est, vt motus ille cesset, & in posterum tardius absoluatur; αὔξεται enim hic incrementum, & perfectionem propriè magis, quàm solam molis additionem significat. Sed dices, si in secunda quadragenaria solùm apparet caro, & non lineamenta in fœmina, quando absoluetur? dico, quod non comparat masculum fœminæ in quadragenaria, sed absolutè in quouis tempore, vt sensus verborum sit, in secunda quadragenaria, quo tempore apparet masculus formatus, fœmina non est formata adhuc, quia masculis celeriùs absoluitur: non tamen negat, quin & ipsa in eadem absoluatur, sed mascululus primum.

Similia enim longius tempus in simili sunt.) Hæc est quinta pars, in qua Hippocrates docet, quòd fœmina tardiùs absoluitur, quàm mas, quia est in vtero fœminæ, & simile à simili tardiùs absoluitur. Aristoteles loco citato, & Hippocrates sexto Epidemiorum loco propè citato (Par. 2. Tex. 30.) ad caliditatem hoc reducere videntur in masculis: inquit enim. Quia in calidiore solidioréque dextra, nimirum parte, mares concipiunt, ideo nigri sunt, &c. & statim subiicit, quòd celerius concrescunt, atque formantur; reducit ergo caliditatem partis vteri, in qua generantur, non in caliditatem fœtus: Philosophus autem vult, quòd ob calorem proprium celeriùs absoluatur. Sed idem dicunt: nam Aristoteles vult, quòd ob caliditatem celeriùs absoluuntur: est autem calidior dicit Hippocrates, quia in dextra parte seminis calor meliùs conseruatus est. Tardius autem absoluitur in fœmina, quia simile in simili: est enim frigidius vtraque frigiditate propria, scilicet & matris: masculus ob frigiditatem solùm matris, cum sit ei dissimilis; ideo enigmaticè locutus, quia enim similis: ideo frigidiore principio constat, & tardiùs concrescit, & absoluitur masculus contrà.

Quanquam alias cum à matre absoluãtur.) Hæc est sexta pars, in qua docet, cur celerius pubescant, sapiant, & senescant; tria principalia coniunxit: absolutionem, cum dicit (pubescant) perfectionem, cum dixit (sapiant) occasum & finem, cum dixit (senescant) Adducit duas causas: imbecillitatem, & victus rationem. De prima dubium non est, quòd cũ Aristotele cõcordat: quæ enim imbecillia sunt natura, ad finẽ celerius perueniũt, sed reliquæ sibi respondent, scilicet perfectio, & initiũ, quo absoluitur: ergo necesse est omnia hæc celerius aduenire in puella, quã in puero.

Videmus hoc in cunctis, non solùm animalibus, sed etiam plantis, vt quæ breuis sunt vitæ, etiam celeriùs adolescant. Velut in cuniculis, & iuuencis comparatione ad hominem: & in plantis, cucurbita, & hedera inuicem collatis. Quin etiam præcox sapientia, est indicium breuitatis vitæ ob hoc. Vnde illud.

Immodicis breuis est ætas, & rara senectus.

Liquet ergo, quòd similitudinem illam accipit non simpliciter, sed vt est causa causæ: nam decuisset transferre incrementum puellarum ad dissimilitudinem. Quod verò adducit de victus ratione, est, quoniam puellæ non exercentur: ideo etiam vtuntur pauciore cibo, & ob vtramque imbecillitatem citiùs senescunt: ergo etiam celeriùs adolescunt, & ad iuuentutem perueniunt: sed vt breuiorem intelligas, materia fœminæ est tenuior, & frigidior ob causas enarratas ab Hippocrate, & Aristotele: ideo tardiùs dissoluitur congelatum, tardiúsque formatur. Vbi autē fuerit formata, quia est tenuior, celeriùs perducitur ad finem suæ magnitudinis, atque perfectionis: hæc autem tenuitas accidit, quia habet minus de calore, & est in loco minus calido. Vnde secundum generationis membra, est semper frigidior masculo, cum enim generetur in parte dextra, masculus propellit membrum extra: ideo ea parte calidior est.

TEXTVS

ALter quadragenarius est, in quo circa octauum mensem fœtus in vtero ægrotat: de quibus hic totus sermo institutus est.

COMMENTARIVS.

HIc est secundus quadragenarius considerations dignus, atque omnino malus, in quo fœtus, inquit, ægrotare solet: neque enim omnis fœtus ægrotat: & est ille, in quo totus octauus mensis continetur: & est par, & sexus in ordine, & durat à CC. diebus ad CCXL. sed hoc iam sæpiùs declaratum est. Verùm dubitatio est in verbis illis, de quibus hic totus sermo institutus est: quasi iste liber deberet inscribi de Octimestri partu potius, quàm de septimestri. Sed intelligit non de Octimestri, quod singulariter profertur, sed de his, qui in vtero ægrotant. Nam nunc sermo est de ipsis. Græcè idem discrimen, eadem similitudo, ἐν ᾗ περὶ τὸν ὄγδοον μῆνα τὰ ἔμβρυα ἐν τῇ μήτρῃ νοσεῖ, περὶ ὧν ὁ λόγος λέγεται ὧδ' ἐνύμωαι. Propterea etiam ex vi sermonis magis morbi causam in quadragenariam, quàm mensem referre videtur, cum dixit, Circa octauum mensem. Et certè existimandum est ita, cum de quadragenaria, nō mense sermonem hunc instituerit. Videtur autem hoc simile esse his, quæ in diebus in morbis acutis proponit: septimam scilicet iudicare, seu bene, seu male: quæ illam antecedit, ægrè, & ad malū plerunque: cuius causam quarto Prognosticorum (In Princip.) declarauimus. Instituit ergo sermonem de quadragenariis post menses, ac dies. Primus enim quadragenarius iudicat, sed semper, si iudicet, ad malum: sextus non iudicat, sed debilitat fœtum: septimus ad bonum plerumque & per se confirmat fœtum, & vitalem facit, sed ob propinquitatem huius periculosus est. Ob id illum diuidit in duas partes: vnam, quæ tuta est, & est XV. dierum vltimorum, qui Decimo mensi tribuuntur: aliam, quam rursus diuidit non iuxta numerum dierum, sed æstimationem: nam pars propior octauo mensi periculosior est, quàm quæ finis est mensis noni, sicut ea robustior est decimi non solùm, quòd longius absit ab incommodis octaui mensis, sed quoniam robur infantis, & vteri incolumitatem ostendat, quæ tamdiu partum protraxit, & manere potuerit in eodem statu: propterea subiicit.

TEXTVS.

TErtius est, in quo vbi nascantur pueri, etiam malè afflicti, si effugerint quadraginta dies, apparent magis robusti, ac sapientes: nam & splendores clariùs vident, & strepitum audiunt, quod prius non potuerunt, tanquam incrementum habeat hoc tempus, tum iuxta alia, tum iuxta sapientiam ex corpore elucescentem.

COMMENTARIVS.

MEminit tantùm trium quadragenariarum, omittens quintam, in qua perficitur septimestris fœtus: nam hic loquitur de septima: in præcedenti de sexta, antea de prima, quid ergo causæ est, quòd quintā (Tex. 29.) prætermiserit? hoc est de illis, quæ solent prætermittere expositores. Ego tamen dignum existimaui, vt antea declararetur. Dico ergo, septimestrem partum non edi ob quadragenariam, sed more antiquorum cum sint tria principia gestationis vteri, duo ac duo semper iungit: tria enim principia sunt superius (Tex. 22.) declarata: annus seu pars illius, menses scilicet lunares, & quadragenariæ efficiunt octimestrem, vt viuere non possit, & vt nouimestris viuat: quadragenaria cū anni parte, vt decimestres: nam CCLXXX. sunt duo quadrantes totius anni, septimestres autē viuunt, quia dimidium anni exegerunt, & numerus mensis est impar. At dices, cur præfert septimum mensem quintæ quadragenariæ cum etiam illa sit impar, & quadragenaria potentior mense. Respōdeo, quòd septenarius est numerus perfectior quinario, & mensis in partu: quadragenaria, quia quadragenaria est solùm potentior in morbis. Mensis enim est efficacior duplici ratione: tum quia pendet ex congressu luminarium, tum quia habet causam naturalem, scilicet commotionem vteri perpetuam, ergo etiam dum vtero gerunt, necesse est fieri commotionem singulo mense. At dices, cur ergo non considerauit vtrunque mensem, & quadragenariam, vel cum anni dimidio vel illo

illo amiſſo. Dico, quòd oportuit aſſumere annum, quia Quarto de generatione Animalium (cap. 10.) Generationes & corruptiones, & vita cunctorũ conſtat circuitibus aſtrorũ: & cuncta ſic definiuntur. Et hæc eſt cauſa, cur dixerit, quòd in ſeptimo menſe vitales partus fiunt, non in nono, nec ſimpliciter in ſeptimo menſe, ſed in dimidio anni: ideo neceſſe fuit annum aſſumere, non quadragenariam, regula enim eſt apud Ptolomæum, & in noſtra Dialectica declarata: Quod pro primo aſſumitur, vbi deſierit eſſe primum, reiicitur ad tertium, vel vltimum locum. Velut in præſenti caſu: Quadragenaria habet primum locum in fœtibus poſt menſis, in ſeptimeſtri fœtu neceſſe eſt, dare primum locum ſolis circuitui, ergo quadragenaria non poteſt habere ſecundum locum, ſed habebit tertium, aut vltimum, aut omnino non habebit: quod etiam in humanis negotiis obſeruare ſolemus, neque enim competitores ſecundo loco habere ſolent, qui eliguntur, ſed alios: ipſos verò competitores, aut extremo loco, aut prorſus nullo. Conuenit etiam magis menſis lunaris cum circuitu ſolis, quam quadragenaria: & ob id quinta quadragenaria à conſideratione excidit. Hæc autem perſpicua ſunt peritis in arte Aſtronomica, imperitis forſan videbuntur mirabilia. Cum enim pars fortunæ primum locum in vita occupauerit, non iam ſol ſecundum locum in illa habebit, imò ne vllam quidem prorſus ſignificationem, ſed luna, quæ fuit ſecunda à ſole, vbi genitura ſolem primum dominium vitæ habuerit. Et ſi dicas in nocturna genitura ſol habet ſecundum locum, ſi luna non poſſit vitam ſignificare, dico, quòd verum eſt, quia nullus nouus ſignificator ſubingreſſus eſt. Ideo regula tenet, quando ſubingreditur tertius, non quando eſt commutatio ſolũ inter duos. Vult ergo in hac parte oſtendere perfectionem ſeptimæ quadragenariæ, dicens, quòd cum illa diuidatur in duas partes, quarum prima eſt triginta dierum afflictorũ ex octaui menſis propinquitate, ſecunda decem dierum perfecta, atque robuſta, in vtraque tamen eſt perfectio animæ, quoniam vident ſplendorẽ, & ſtrepitus audiunt, quod neque ſeptimeſtres, neque octimeſtres facere poſſunt. Et quia hoc fuiſſet argumentum mortalitatis animi ſiquidem quod eſt immortale, non mutatur tempore, & etiam quia deſinit operari ex imbecillitate inſtrumenti, ſubſtantia autem genita non poteſt carere operatione propria: etiã quòd illud, ex quo genita eſt, debilitetur, extenuetur, vt corpus, quod extenuatum fuerat octauo menſe, nihilominus ſubſtantia animæ manet illæſa ideo ſubiicit.

TEXTVS.

PEculiarem quidem ſapientiam in corpore ineſſe manifeſtum eſt in prima ſanè die: nam in ſomnis ſtatim vbi nati ſunt pueri ridere, & plorare videntur; vigilantes quoque ſua ſponte ſtatim rident, ac plorant prius quam quadraginta dies tranſeant. Non rident autem, etiamſi titillantur, ac irritentur priuſquam hoc ipſum tempus tranſeat: hebetantur enim vires in muccis.

COMMENTARIVS.

HOc in loco declarat vnum Hippocrates, quod vt demonſtratur longa indigeat oratione: verùm in opere Theonoſti iam multa de hoc diximus (li. 4.) Sed nunc ſufficiat, oſtendiſſe primò, quis ſit ſenſus huius textus: ſecundò, quod hoc ſit opinio optimorum Philoſophorum: tertiò, quòd ſit conſentanea rationi naturali: quartò: quænam obſtent his quæ ſequi videntur. Colligamus ergo hanc ſententiam: Infans, cum perfectus fuerit, peculiarem habet ſapientiam, ac penè diuinam à prima die ortus ſui, nam in ſõnis, vbi ſtatim nati fuerint pueri, per ſomnũ rident, ac plorant: vigilantes etiam ſponte rident, ac plorant, priuſquam quadraginta dies tranſeant: ſcilicet quoniam dolent, ideo lugent: at ridẽt non ex præſentibus, ſed ex imaginibus, quæ ſponte illis offeruntur: non mouentur autem ad riſum dicit ex his, quæ vident, atque audiunt, etiamſi titillentur, ergo quando ſponte rident: id accidit ex peculiari ſapientia id eſt, ingenita.

Modò videamus, cur hoc dixerit Hippocrates: nam non aliena à veriſimilibus, quæ tunc apud ſapientes in opinione erant, iſta ſunt. Pythagoras enim aiebat meminiſſe, quòd Euphorbus fuiſſet tempore belli Troiani, atque multa huiuſmodi etiam ex Philoſtrato verbis Tyanei commemorantur, ſed redeamus ad eruditos. Plato nil aliud putat eſſe ſcientiam noſtram, niſi memoriam & ſcire ipſum reminiſci. Vnde in Menone hæc habet Soc: Ferunt enim hominis animũ immortalem eſſe, eúmque tum decedere, quòd quidem mori vocant, tum iterum redire, interire verò nunquam: quam ob cauſam vitã quàm ſanctiſſimè agere monent. Quicunq; enim pœnas antiquæ miſeriæ Proſerpinæ iam dederunt, iis illa ad ſupernum ſolem nono anno rurſus anima redit, quouſque in reges gloria, ſagacitate, ſapientiáque præſtantes euadant. Reliquum autem tempus ſancti heroes inter homines vocantur. Cum ergo animus immortalis ſit, ac ſæpius in hanc vitã redierit, viderítque perſæpè & quæ in hac, & quæ in alia vita ſunt, omniáque perceperit, nihil vtique reſtat, quin ipſe didicerit. Quamobrem nihil mirum eſt, ſi eorum, quæ ad virtutem, & ad alia pertinent reminiſci poſſit: quippe cum olim illa cognouerit. Cum enim tota natura cognata ſit, ac ſibimet conſona, & animus cuncta didicerit, nihil prohibet hominem vnius cuiuſdam remineſcentem, quam diſciplinam vocant, reliqua omnia recuperare: ſi quis adeò conſtans ſit, vt quærendo minimè fatigetur. Quærere igitur, ac diſcere, remineſcẽtia eſt. Sed & Plotin. de hoc in lib. Quid animal? quid homo? (ca. 8.) eadẽ fermè ſcripſit his verbis: quin etiã apparet adeſſe corporib. illuſtrans illa, viuentiáq; efficiens, non ex ſeipſa, in quã, atq; corpore, ſed manes quidem ipſa: ſui verò ſimulachra

exhibens, sicut in pluribus speculis vultus imaginem. Sed sunt multa huiusmodi apud illum, quæ declarant, non esse animam corpori immistam, sed seorsum affici in mundo illo incorporeo ab intellectu. Sed videamus Aristotelem in Mystica Philosophia (li. 2.) loquens enim de statu animæ nostræ separatæ, inquit: Non contingit animæ memorari quicquam ignobile, quare contemplatur perfectissimo modo, & paulò infrà: Anima in mundo superiore est omnino immutabilis, impatibilisque, cognoscitque substantiam suam totam vnicam scientiam, & prorsus indifferento. Anima diuertens ab intellectu, & in hunc mundum dimissa præter cognitionem intellectus memoriam habet: neque tamen meminit entium superiorum, alioquin non descendisset huc, sicut nec inferiorum memor illinc recedens, istuc descendit, sic prius lapsa ad cœlos, si memoriam eorum seruaret in eis subsisteret. Quare dum hic est, solam habet inferiorum memoriam, sic etiam ascendens ad cœlum, non meminit alterius, quam ipsius. Est enim memoria quædam similis sensui alia intellectui: namque anima considerat hunc mundum per intellectum, antequam inhabitet illum: hæc verò est quædam ignorantia, non scientia, quæ tamen est nobilior ipsa scientia, non tamen meminit præcognitorum in hoc mundo, maximè sensibilium & corruptioni obnoxiorum, sed versatur circa intellecta ex sensibilibus, antequam autem ad constitutionem animalium descenderint, sensum habuerunt, sed intellectui similem: dum vero in corpora descenderunt, corporeum induunt sensum mediæ inter intellectum, & corpora. Et in initio quinti: Anima nobilis liquit mundum superiorem, vt inferiora formet, ac regat, quo functa munere redit ad pristinum statum, si quis autem quærat, quo nam pacto animus demissus ab orbe incorporeo dum adest corporibus cœlicis, potest esse memor illius, si ipse non habet memoriam, antequam descendat ab eodem? Dicimus, quòd animus tum in cœlis, tum in orbe incorporeo habet memoriam: verùm nisi corporibus diuersis inextiterit, illius operationes non manifestè fiunt. Neque adeò remanserunt habitus iam diu præteriti, vt penitus mundi incorporei obliuisceretur, nisi sufficeret admonitio parua ad eius memoriam. Verùm si quisquam obiiciat, quòd cum breuisque temporis, paucitásque generationum satis sit ad memoriam plenam? è contrario igitur longitudo quoque temporis, multitudóque generationum proculdubio faciet ad obliuionem, ita quòd cum generationes reuertantur circulariter. Animus obliuiscetur cuiuslibet longè præteriti, neq; erit memor alicuius iam diu præcogniti, propter interuallum à statu primo, dissolutionémque seu deletionem ex motu continuo: quapropter etiam Animus tunc non erit memor orbis intellectualis. Atque ob distantiam ab illo non aliquid prænotum eius seruabit. Itaq; foret similis animæ brutali id autem est absurdum. Respondebimus, quòd cum animus descendit à Mundi superno ad subteriorem, id est, ad ostendendas operationes suas in materia non oportet ipsam peruenire vsque ad infimum, sed enim ad definitum locum se transfert, ibique subsistit: neque aptatur cuilibet generationi, sed in quadam desistit, donec iussus retrocedat, digressúsque inde ascendat regionem altiorem, quàm generationi cuiquam conueniat, vbi primùm extitit. Ideo licet dicere, quòd Animos huiusmodi non lateat Ens Mundi superni (sicut præfassi sumus) Atque eam ob causam anima ipsa in confinio vtriusque mundi collocata est, ob commune commodum, atque multiplex. Et licet regat corpus vniuersum, tamen aduena illi, quoniā orbis eius est superior isto. Cum verò animus noster ab his impedimentis liber fuerit, aptè ascendet ad verum statum formarum illustrium, coniungetúrque animæ, & intellectui vniuersali. Itaque antequā rursus descendat, homo propriè dicitur, vbi autem descenderit hominis sensilis simulachrum, & pro viribus: simile verò & priori homini, vt quæ fingat materiam sibi opportunam, ideóque hic secundus homo primi & anterioris exemplar est, sed infirmum: cum in priore potentes sint sensus illustres & perspicui, in hoc ipso pauciores minùs perfecti, ac magis & ex parte. Antea enim anima sentit incorporea, sicut homo inferiora: tertio autem ordine est homo hic qui plus sensus est particeps, vt primus intellectus. Inter animam, quæ verus homo est, atque hunc ipsū hominem, seu vnumquemque hominis natura in medio est constituta tantò inferior præclaro illo homine diuino, quàm singulis istis mortalibus præstantior est. In qua sententia etiam Iamblicus est. In primo (c. 5.) siquidem inquit, verum animis, corporibus perfectis, & ante generationem æternis sua natura, boni non adest essentia, neque illius causa ea prior, sed portio quædam illis, & habitus aduenit, quale videmur pulchritudinis, & virtutis munus, valdè distans ab his, cuiusmodi perspicimus in hominibus, hæc enim ambigua portio quædam, & sicut aduentitia compositis aduenit: illa verò immutabilis consistit, & indeficiens, nec vnquam à se ipsa abscistit, nec ab vllis aufertur, & non multò pòst, loquens de Statu animarum ante descensum in corpore, inquit: Nam qualem vitæ speciem præ manibus habuit, tale corpus habet cum instrumentis suis appositè compactum, naturam item similem continentem, quæ quidem suscipit ipsius animæ perfectiorem vitam. Itaque liquet, nostrum Hippocratem non aliena à placitis eruditissimorum philosophorum primùm pòst Pythagoram tradidisse non solùm, verum etiā demonstrasse. Est ergo eius demonstratio huiusmodi: In primis quadraginta diebus infans ridet sponte, tam in somno, quàm in vigilia, sicut etiam plorat, sed plorat, dicit, & sponte, & si offendatur: non autem ridet vel ex titulatione, vel ex his, quæ videt, & quæ repræsentantur: igitur ridet ex peculiari causa, quæ alia esse non potest, quàm illustris splendor animi, vel memoria præteritæ beatæ vitæ: ergo infans his primis quadraginta diebus habet peculiarē sapientiam. Ex qua postmodum pendet animorū immortalitas; tanquam causa, quæ effectu declaratur.

Sed

Sed plurima videntur huic opinioni aduersari: primũ quod istud posset contingere, velut etiam fletus ex vaporibus, qui conuellerent musculos, vt esset hic risus, quædã cõuulsio tenuis, nã & qui moriuntur vulnerati in septo trãsuerso, & qui comederũt sardonicã herbã, quæ genus apij esse videtur, dubio procul vt ridentes pereunt: vnde in adagium conuersum est, Sardonius risus. Secundum, quod nondum adeò certe constat, quod ita sit. Tertium, quod huiusmodi opinio parum naturalis est, dicente philosopho, nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Demum si etiam admittamus ingenitam quandam alacritatem, non tamen ob id debemus credere, quòd à risu proficiscatur, cum is vel iudicio, vel violentia fiat, quorum vno caret, alterum nihil ad rem facit, sed existimandum potius, si modò à cognitione proficiscatur, esse causam illius, abundans quoddam animæ lumen, & vtcumque contingat, nihil ex hoc minus concludi posse, quam animi immortalitatem. Sed hæc alio spectant, solum reliqua diluamus. Non esse risum hunc ex conuulsione indicat, quòd in beneualentibus magis accedat, nec est similis risui conuulsio, in quo inæqualiter partes faciei distenduntur: & oculi acies hebetescit, & minus partes superiores corrugantur, verùm genæ ipsæ potiùs, cum ergo huiusmodi non his accidant, immeritò existimandum est hunc risum conuulsionis initio tribuendum An verò ita sit, sola authoritas Hippocratis fidem huic rei facere posset, cum tamen & illam frequens doceat experimentum. Quòd autem hæc opinio prorsum à naturali ratione aliena sit, non habeo quid dicam, cum Hippocrates huic fundamento innitatur, quod vires supple sensilia cognoscendi hebetantur in muccis. Videtur autem ratio huiusmodi sic construi debere: Risus fit vel ex cognitione, vel ex conuulsione, vel titillatione: & si ex cognitione, vel per sensum habita, vel ingenita; sed non fit ex cognitione per sensum habita: tum quia sensus tunc in muccis hebetantur: tum quia experimentum docet, nullo sensili eos gaudere: neque ex titillatione, seu per vapores, seu alia quauis ratione; quoniam id sensu deprehenditur. Neque violenta ex causa, & conuulsionis speciem præbente: namque qui maximè riderent, maximè perirent, cuius contrarium accidit: igitur necesse est huiusmodi risum contingere ob ingenitam quandam cognitionem, quam ipse vocat sapientiam; siquis merito dubitet, quænam sit hæc sapientia, quæ nec sensibus parta est, nec disciplina vlla? respondebimus esse coniunctionem ipsam adhuc cum superiore mente: siquidem crediderunt Philosophi, quicumque optimè instituti, quósque sequitur hic Hippocrates, & est verisimile lumine naturali animam bifariam ad nos descendere, & mortalibus iungi deserentem immortalia: primùm affecta quidem, vt corpori se iungat, eóque ictu descendere: inde coniunctione cum illo, postquam descenderit, nec dum tamen immortalia deseruisse, quod accidit primis illis quadraginta diebus: demum ni sensuum abstractam ab illis, quod postea accidit. Vnde optimè dixisse Silenum cõstat Aristotelis authoritate, optimum homini esse nunquam nasci: nam anima omnino menti æternæ coniuncta manet gaudio immenso; pòst verò si natus, statim obeat: namque adhuc fruitur, & si non perfectè gaudio illo sempiterno: cum aut sensibus operam collocauerit iam, tum omnium malorum particeps per vitam & hominem fit, atque misera. Quomodo autem dixit, hebetãtur vires muccis, si anima ingenitam potest retinere sapientiam: an forsan, vt declararet, illam non posse obrui à corporea labe, quæ propria animæ sit, alteram hebetari, quæ à corpore originem habet. Si ergo ingenita est, vel consequitur animi cœlestem substantiã, vel est propria generationi animæ. Aliàs autem retulimus, mentẽ Hippocratis esse, quod anima ipsa sit immortalis, sicut Galeni contrà. Nam quid aliud intendit per illa verba (in li. de artib. pag. 2.) Et videtur sanè mihi, quod calidum vocamus, immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia, tũ præsentia, tum futura. Et post (pag. 3.) Et calidum plurimum in venis & corde est, & propterea spiritum cor habet. Et in Primo de Diæta (pag. 3.) inquit: Equidẽ nullum omnino corpus perit, neque fit, quòd prius non erat, verùm permista & discreta mutantur. Propterea etiam Galenus dubitauit Quinto in sextum Epidemiorum (com. 5.) dicens Profectò si vt in libro de Septimanis author ille manifestè de Animæ substantia disseruit, sic & in alio quopiã certè legitimo Hippocratis lib. dictum inueniretur, aliquid planè haberẽ, quod de hoc verbo producitur, dici posset, & in illis verbis siue aliqua vis incorporea à cõditore nostro cerebro indita sit, & morie͂tibus animalibus recedat, de hoc nullam habeo firmam rationẽ. Quin etiam Arist. ipse sec. de part. Animal. (c. 7.) hæc habet, de Anima loquens: Animam arbitrari ignem esse simile est, atque si serram, aut asciam, fabrum, aut, artem fabrilem ideo arbitreris, quia opus non nisi iunctis his efficiatur. Sententia sanè ac verba tanto Philos. digna, per quæ facilè est intelligere, animam ipsam incorpoream esse, & ingenita sapientia præditam.

TEXTVS.

QVanquam mors etiam par fatum sit sorte designata.

COMMENTARIVS

CVm declarasset, quod sunt tres quadragenarij maximè periculosi, primus in quo abortiunt persæpe mulieres, & secundus in quo laborant fœtus, & ægrotant, & tertius in quo nascuntur, & viuunt: est enim numero impari, & septeno ac perfectus, seu quod tot sint erratticæ, seu quod ad trigonum radium sol iam redierit, & naturæ similis signum, seu vt Platonici dicunt, quod 7. est compositus ex 4. & 3. qui constituunt epitritam, & ipse etiam est duplo potentior 5. vt sit diagramma 5. qui constituitur ex 3. & 2.

quorum est prima proportio sexquialtera. Sed & alio modo componitur ex 5. & 2. quorum proportio ad symphoniam deducta efficit diapason diapente, quæ est harmonia iucunda. Sic igitur septima quadragenaria, cùm sit maximè vitalis, quærit Hippocrates, cur tamen in illa cum nati fuerint multi pereant infantes? & si responderi posset, de mutatione aeris, cibi, decubitus, & dolores in partu, & cum vincula franguntu quemadmodum dixit in libro de Octimestri partu: sed Hippocrates supponit quod sint omnino benè nati, & tamen moriuntur, dicit, quia tametsi mors accidat ex violentia, accidit tamē omnibus per fatu, madeo vt causa mortis generalis sit per fatū, specialis autem violentia, sicut magis propria, casus matris, morbus vulnus, quæ tamen omnia continentur sub violentia, sic & violentia & natura sub fato, seu per fatum intelligas causas, quæ præcedunt proprias, quas omnes admittunt, seu astrorum vim, vt Astrologi, seu aliquid maius sine sit ordo ipse æternus rerum, & vinculum, seu diuina voluntas, quam per parcas intellexere, vnde Homerus in Odiss.

Numina decretam fatis auertere mortem.
Haud possunt, etiam si Diis charissimus ille—sit.

Ad quod allusit Manlius:

Nascentes morimur, finisque aborigine pendet
Sed hoc ad singulos modos referri potest.

Possent adduci alia circa uerba, vt quod per fatum mors naturalis intelligatur solum, nec violenta: vt illud:

Sed quia nec fato, merita nec morte peribat.

Verùm altiorem sensum in Hippocrate fuisse existimandum est, scilicet ac si diceret, quoniam quibusdam filij denegantur ex fatorum ordine, seu astrorum vi, seu alterutri parentum, vt patri, non matri, vt ex alio viro alere possit: aut matri, non patri, vt ex alia mulierere educati viuant, non ex ea, seu vt vtrique simpliciter, vt cum neutri superuiuunt, seu vtrique vt ad alterutrum comparatur, vt sæpe contingit habere vtrunque filios ex priore coniuge, communes educare non posse: quæ omnia etiam de generatione prodidit Plato, & verissima sunt. Quandoque imò persæpe ex propria genesi, seu fato, quod accipit plures suscipientibus filios etiam tempore debito, vt aliqui viuant, aliqui non.

TEXTVS.

VT hoc exemplo omnibus sit, quòd omnia, quæ naturam ex iisdē habēt, transmutationes per tempora venientia habeant. Declaratur autem in singulis, cum alia nascantur, alia corrumpantur.

COMMENTARIVS.

Hæc tria referia possunt ad præcedentem textum: at ille nil declarat, & continuus est cum hoc ipso: vel ad alium proximo eū antecedentem, vbi loquitur de peculiari sapientia, sed quid sapientiæ cum præsenti sermone de transmutatione? Vult ergo docere hoc exemplo de Septimestri partu more suo, ex specie ad genus, ex hoc vno ad speciem, quòd omnia, quæ conueniunt in materia, etiam ordines suos mutationum habent, in quibus generātur, ac dissoluuntur, quæ etiam ab Aristotele clariùs explicata sunt: quarto de Generatione Animalium (cap. 10.) tantò clarius, quantò facilius est iam inuenta solum considerasse, quàm simul inuenisse, & explicasse. Existimo autem causam breuitatis antiquorum, & maximè Hippocratis, ac similium non fuisse solam penuriam chartæ, eum in corticibus arborum scibere tantum solerent, quanquam & hanc causam vnam fuisse credam, neque sermonis solitam breuitatem cum Doricus esset: nec tamen hanc defuisse putem, sed animi habitum, quo intelligebant, atque huius causa, præcipuè tanta breuitate conscripta, cum non secus animo hæc versarent. Fuisset enim operosum, & difficillimum, & res erroribus plena, si consultò huic breuitati studuissent. Est enim sensus hic septimestris fœtus, historia exemplo esse debet: omnia, quæ mortalia sunt, tum nascendo, tum moriendo certis circuitibus agi, quia videmus in talibus circuitibus, tum alia generari, tum alia corrumpi. Signum est igitur, quòd omnia eadem lege aguuntur, quam sequentem partem in succedentibus declarat. Cum autem dixit: Per tempora venientia, docet, quòd iuxta naturam cuiusque rei tempora, quæ veniunt, determinantur. Vtpote, canis habet determinationem per septenarios nouem dierum, sicut homo, per totidem menses, & equus per totidem quadragenarias, & elephas per duos annos, & pullus per dies ter septem, & quæ accidunt vnicuique sponte, necessariò eueniunt, seu bona, seu mala, iuxta proprias diuisiones: homini in septem aut octo mensibus, aut nouem, cani in totidem dierum septenarijs, pullo in prima, aut secunda au tertia septenaria. Sed cur dixit, quæ naturam ex eisdem habent? Refertur ad eadem, quasi dicat, non simpliciter tantum, quod omnia generantur certo circuitu, aut corrumpitur, sed quòd omnia, quæ habent naturam eandem, vtpote omnes homines, aut canes, aut leones habent primò eadem tempora generationis, & corruptionis, & eadem etiam tempora generationis inter se: vt primum referatur ad idem in numero, & secundum ad idem in specie. Velut fœtus Socratis generatur in CLXXXII. diebus, vt sit vitalis, aut non vitalis, vt oriatur seu partu, seu abortu. Et hominibus omnibus hic terminus generationis erit, vt nascantur. Et ita per has duas regulas cōprehenditur regula generalis, quam intendit Hippocrates huiusmodi: Omnia genita in vniuerso habent propria tempora, & determinata iuxta singulas species, in quibus oriuntur, aut pereant. Et demonstratur hoc modo, quia habent easdem operationes, cum sint eiusdem speciei: ergo & materiam,

materiam, & instrumenta eadem, ergo in eodem tempore absoluentur: ergo in eodem etiam generabuntur, & corrumpentur. Sed dubium est circa primum, quia Philosophus (7. de Hist. cap. 4.) inquit: Cæteris animalibus vnum est pariendi tempus: homini soli non vnum est pariendi tempus. Secundum verò, quoniam antequam absolutum sit, poterit corrumpi, licet non possit perfici, & ita abortus alio tempore, quàm partus, & multò ante fieri. Respondeo, quòd Aristoteles accipit menses vulgari opinione, sed Hippocrates distinxit partum in vitalem, & perfectum: vitalem constituit in quadragenaria, & mense impari: atque ideo à CLXXXIII. die ad CC, sed raró vltra terminum superiùs dictum. De corruptione dico, quòd abortus naturales, scilicet in quibus fœtus, nec mortuus est, nec præter naturam læsus, indicio sunt abominanda monstra bicipitra, alia cornuta, & colligata corpora, quæ tamen, si nil sinistri accidat matri, temporibus suis nascuntur.

COMMENTARIVS.

POrrò anno finiente, multi quidem morbi fiunt, multæ etiam sanitates iuxta temporis rationem ad menses, & ad singulos dies.

COMMENTARIVS

DIxerat superiùs (Tex. 22.) partus & abortus, & mutationes fieri in diebus, mensibus, quadragenariis, annisque præsertim primo & septimo mutationem, initium in primo, declarauerátque in sequentibus verbis, & textibus ante hunc, diebus mensibus, & quadragenarijs, modò hic incipit de annis, & primùm de primo, pòst insequenti de septimo: neque argumentum à mensibus ad annos valet, quoniam mensis ex concursu fit duorum luminarium, annus à sole tantùm: vim tamen sortitur luna à sole ipso, & sol est oculus mundi, & instrumentum animæ illius, vt non solùm luna, sed omnia astra ab ipso lumen habeant saltem illud, quo egregiè lucent, videmúsque illius aduentu cuncta viuentia manifestè lætari, turgere, geminare, discessu tristari, languescere, siccari, ac demum tabescere, nisi sint eiusmodi, vt lucem non ferant, velut scorpij, & ex sanguineis talpæ, & inter plantas, lichen & capillus Veneris, ideò rectè Virgilius (Georg. 1.) vtriusque considerationem habendam dixit:

—Vos ò clarissima mundi.
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista,
Poculaque inuentis Acheloia miscuit vuis.

Potest igitur à causa id ostendi, quoniam singula tempora suos morbos generant: tertia Aphoris. (Tex. 20. & tribus sequent.) Sed redeunte annos, redeunt singula tempora: igitur & singuli morbi pariter etiam soluuntur sed quia dissoluentur non solùm integris annis, sed etiam in partibus illorum, vt secundo de Natura humana (Tex. 16.) Propterea dixit iuxta temporis rationem ad menses, dicit enim quòd XLV. diebus soluntur, si non anno. Alibi dictum est, quòd morbi, qui æstate fiunt, hyeme soluuntur, & contraria ratione. Omnia hæc ad vnum tendunt, vt solis motu cuncta determinentur.

Sed quòd dixit, iuxta temporis rationem, ad menses, & ad singulos dies: hoc nondum prorsus ex parte declaratum est, ex parte omnino non declaratum: nam mensibus puto constare, quòd quibusdam singulo mense Aprili mouetur podagra, alijs Augusto contingit malè se habere, vt nobis, hoc autem contingit, vt reuertantur morbi, velut comitiales, podagræ, fluxus, hæmorrhoidarum febres, vel dolores: & hoc quandoque contingit de solaribus mensibus, quandoque lunaribus. Verùm melius est, vt de solaribus intelligamus, quoniam in illis magis æqualiter diuiditur annus: quanquam velim, vt ambo genera obseruentur. Multis enim à prima luna, quæ æquinoctium præcedit, morbi, & maximè fluxiones mouentur. Et Ecclesia statuit pascha, seu diē azimorum post cōiunctionem ab æquinoctio. Idem iubet obseruare de diebus, velut narrat Valerius Max. (de Miraculis) Antipatrum Sidonium omnibus annis vno tantum die, quo genitus erat, febri laborasse, cúmque ad extremam senectutem peruenisset, eodem quoque die interijsse. Nostris temporibus, sed non satis ad propositum, Carolo V. Imp. 6. Calend. Martij, qua die natus erat, victor Gallorum ipsum Regem cœpit: post paucos annos imperij coronam adeptus est. Eisdem quoque diebus singulis annis clara sydera oriuntur, & occidunt, vt Syrigatus docet libro ad hoc edito. Quòd si verum est, singulis partibus cœli quasdam inesse figuras, prout Conciliator in lib. quodam (in Astrolabio) scriptum reliquit, hoc etiam certius erit. Verùm vt hæc admirabiliora sunt, ita vt quæ diximus de mensibus, sunt frequentiora. Nam dies variantur, & ob bisextum, & ob errantium motus, & maximè lunæ congressus, & ob materiam. Quinetiam nautæ certos dies inauspicatos obseruant: & Aegyptij plura de his prodiderunt, quæ aliena sunt à veritate, si generaliter sumantur. Hippocrates enim, vt dixi, annum, & dies annuos, non simpliciter accipit, sed comparando ad initium rei naturalis in singulis. Atque per hæc admonitos nos esse voluit, circuitum etiam aliorum, & vt in sequenti docet, etiam plures annos continentium. Ptolomæus autem mensem constituit dierum XXVIII, horarum duarum: sed est dissimilitudinis.

TEXTVS

TEXTVS

SEptenarijs autem annorum, cum alia multa insignia corporibus fiũt, tum dentes pueris excidunt, & alij nascuntur.

COMMENTARIVS.

Septenarios plures proponit annorum, sed vnius tantùm vires explicat (lib. de Die natali) Multa de his, & à Censorino, & à Macrobio, atque alijs scripta sunt. Exponam autem, quæ in his fiant. In primo quidem septenario excidunt priores dentes, non tamen laterales postremi, tum alij eorum vice renascuntur, qui vsque ad vitæ finem perseuerant. Quibusdam tamen tertiò etiam renascuntur, de quo in primo de Dentibus (in Som. Scip.) diximus. Secundò septenario pueri pubescunt, & semen eorum vitale existit. Tertio incrementum in longitudinem desinit absoluto homine. Quarto finis incrementi etiam in latitudinem imponitur: tum verò primùm duplicato numero potestatis generandi, summa perfectio aduenit ad prolem in masculis procreandam. Quintò virium robur ad summum deuenit. Sextò consistit omnibus, si rectè sit educatus. Septimò vt vires paululum infirmiores euadunt, ita mens & prudentia multò firmior. Octauo iam manifestè vires infirmiores redduntur: sapientia maximum recipit incrementum. Nono ad culmen sapientiæ peruenit, vires debilitantur manifestè. Decimus magnam potestatem habet: nam eo vsque sapientia stat: homo viribus se sustinere potest: vis generandi finem accipit, vt etiam testatur Aristoteles (7. de Hist. anim. ca. 6. in princ.) Quadruplum ab initio temporis generandi absumitur anni, scilicet quinquaginta sex, qui quater quatuordecim continent. Vnde etiam rectè à Mose dictum est: Dies nostri septuaginta anni, & ad summum octaginta: vltrà autem nil, nisi labor & dolor. Præterea quidam ad octuagesimum satis viuaces perdurant. Nos tamen demonstrauimus in lib. Proport. (Propos. 183.) aliud secundum naturam loquentibus dicendum esse, nec naturam hominibus, sed homines, tum alios, tum parentes, tum nosmetipsos iniquos esse.

Sed iam videamus, an hi numeri sint definiti? Videbitur forsan, quod non, quoniam aliqui pubescant tertiodecimo anno, alij nec decimo octauo quidem: vnde multi crediderunt horum haud leges certas esse, sed anticipiant paulò antè, non tamen multùm, quòd etsi accidat, vt B. Hieronymus refert de eo, qui nouennis nutricem suam grauidam reddidit, si modò persuasus non fuit, inter miracula censendum est, vt etiam de Borgia Epirota, & his, qui bicipites nascuntur, at tarditatis nullius terminus, nullum miraculum impediri, tamdiu naturæ opus, quod etiam persæpe omnino frustretur. Objiciat quispiam de puellis, quas constat non bis septem annis fieri genitales, sed bis sex: tum minimè absurdum sit: ea quæ patiuntur, non adeò exactis legibus vinciri, sed quæ agunt: cum tamen nec viderim, nec legisse meminerim eo anno puellã aliquã concepisse. Alij contra omnino superstitiosiores, horum annorum numerum vt exitialem obseruant, quod Hippocrates & vitæ, & mortis eosdem terminos statuat. Sed non video, qua ratione, cum septenarijs confirmetur vir, & non nisi senio adueniente desinant vires, quas sensim flaccescere haud dubium est, non in ipso septenario anno, velint eundem esse homini formidabilem. At Aristoteles LXIII obijt, & Cicero, etiam clarissimi viri, & Scipio maior LVI. De duobus primis constat, quòd violenter vnus gladio, alter exilij mœrore, de tertio incertum est: ergo sanè nunquam melius degi, quàm his climatericis annis, octauo penè perij: quòd si modò aliqua esset ratio obseruationis in his, longè verisimilius, quàm in septimo, velut etiam in diebus iudicatorijs, quamquam in illis aliqui, in septimo etiam obeant, quòd causa sit in corpore naturæ inimica, vt non ob naturam, sed ob causam illam quandoque mors contingat.

Reliquum est igitur, vt videamus, an hi septenarij vim aliunde recipiant, velut Astrologi, qui in planetarum numerum & ordinem redigunt in nocturnis genituris à luna in diurnis, à sole incipientes, & in vtrisque ascendentes, vt nocturnæ in Saturnum desinant, qui fiet prolis generandæ author, aut martem vitæ: quamobrem absurdum hoc commentum omittere decet.

Dicamus ergo, quòd fœtus vitalis fit septimo mense, & ob id singulis septem, postquam prodierit ex vtero gradum vnum perfectionis accipit: perficitur autem nono aut decimo mense, ideò quibus nono, LXIII. annis, quibus decimo, LXX. contingit absolui: sed celeriùs multò decrescunt, scilicet XXXV, aut ad summum XL. cum ergo ex XL. anno vita ad CIX. proferatur, eadem erit ratio, vt ex CIX. prodeat XL, ita ex CCLVIII. LXX. iuxta incrementi virium, & perfectionis rationem, tametsi ergo homo non augeatur ad LXX. annum, neque viuat ad CCLVIII, seruat tamen easdem rationes, atque mutationes eisdem temporibus.

TEXTVS.

QVæ enim in corporibus fiunt, ea scribam.

COMMENTARIVS.

Accingit se ad scribendum librum de Septimanis, quem magna iactura rei literariæ amisimus. Vidit illum Galenus, qui eum citat sexto Epidemiorũ (3. Par. com. 5.) &

& Ætius(lib.5.cap.83.) ante nostram tamen ætatem intercidit, ex quo scrupus dissoluitur, scilicet quærentium, an hic liber sit magni Hippocratis, scilicet filij Heraclidæ? at constat eiusdem fuisse authoris, cuius & liber de Septimanis: ambos autem Hippocratis, tum ex subtilitate inuentionis, tum ex breuitate. Non est desperandum tamen, aliquando posse inueniri, tametsi non constet expositum à Galleno, illud tamen testatur Galenus de illo, Hippocratem (sed dubitat, an Hippocrates sit) in eo exposuisse qualis sit animi nostri substantia, longa est eiusmodi tractatio, & non solum de singulis septenariis egit in eiusmodi libro, sed peculiariter etiam de morbis quibusdam, velut de Quartana, dicens, quòd inuadit hominem magis in vigore ætatis, quàm aliàs. Ergo per singulas ætates morbi quidam eueniunt, quod declarauit author libri de Coacis prædictionibus (pagina 22.) his verbis: Morbi hi ante pubertatem non fiunt: peripneumonia, pleurisis, podagra, nephrisis, varix circa tibiam, fluxus sanguineus, cancer non congenitus, vitiligo (λευκὴ dicta) non à natura insita, defluxus medullæ, spinalis, hæmorrhois voluulus (chordapsus appellatus) non cognatus. Horum morborum nullum ante pubertatem fore expectandum est. Verùm ab anno decimo quarto vsque ad quadragesimum secundum, natura corporis morborum omnis generis ferax fit. Rursus ab hac ætate vsque ad annos sexaginta tres non fiunt strumæ, neque lapis in vesica, nisi prius existat, neque defluxus medulla spinalis, neque nephritis, nisi ex alia ætate committentur, neque hæmorrhoides, neque fluxus sanguineus, nisi priùs fuerit. Hi vsque ad senectutem absunt morbi. Videntur igitur verba hæc excerpta ex libro de Hebdomadibus: quare verisimile est, etiam multa alia inesse ei libro, quæ author ille ex libro de Hebdomatibus acceperit. Plurima autem legittima illius opera intercidisse memorat Galenus tertio de Articulis (com. 18. & 32.)

EXAMEN

EXAMEN XXII ÆGRORVM HIPPOCRATIS QVEM EDIDIT ANNVM AGENS LXXIII.

ILLVSTRISSIMO VIRO

IACOBO BONCOMPAGNO

VTRIVSQVE MILITIÆ S.R.E.
Gubernatori Generali.

H. CARDANVS. S.P.D.

OPVSCVLVM hoc Domine aggressus sum, vt non hæc ipsa viginti duo Hippocratis solum exempla declararem: vel morborum & causarum historiam exindeque curationem docerem: aut etiam reliquorum viginti ægrorum quæ ibidem ascripta sunt vel cæterorum qui in libris Epidemiorum quotquot supersint. sed vt quod latebat reconditi aperirem. Et vt quiuis ex arte similibus obseruationibus illam augere valeret quod nostris temporibus tanto facilius fieri poterit & melius quanto ætas nostra arte dissecandi corpora humana illustrior euasit. At similia cum in arcanis habenda sint cum lectione ipsa delectent; merito fit vt quisquè debeat talibus incumbere. Non tamen suadeo vt aliquis putans se communi bono consulturum aggredi velit commentarij commentarium, cum in tenebras venturus sit cimerias: nec maximò quantumuis volumine expleturus vel millesimam eorum præceptorum quæ in hoc opere traduntur. Velut enim mathematici quanto maioribus agunt & pluribus de numeris tanto difficilius se explicant & facilius aberrant, ita in hoc negocio. Itaque hunc libellum cunctis disciplinis explicandis augendis illustrandisque accommodatum edere decreui. Et si quisque velit particulæ eius vt dixi fabricare commentariolum id illius vsui futurum puto: modo id seruet Horatij vt nos inuertimus

Sumite duntaxat partem qui scribitis æquam.
Viribus.

Namque si pro vno quoque ægro vnum acceperitis signum summa accedet ad MMMCXCIV. millium regularum seu theorematum. Quid igitur fiet si omnia assumamus & singulis vtamur, nomne numerus ad nos infinitus erit? Simpliciter non dicam. Ergo simul docuimus exemplum artis mediæ cui hæc inuentio adeò congruit, & est vt ita appellem symbolica: vt reliquas post se præter vnam ciuilem procul relinquat maximè mathematicam, nam contemplatiuis & mechanicis artibus vocatis non tam frequenti est vsui. Qua ex re difficultati conscribendi & intelligendi nostros consulimus. Itaque merito tibi inclyte Heros tuisque egregiis laudibus liber hic debetur, vt cuius patrocinio author gratulatur, illius gloriæ ac famæ immortali cedat.

Examen XXII. Ægrorum Hippocratis, quem edidit annum agens LXXIV.

GALENVS immemor sui dicti ad eos introducuntur quod medica præcepta deberet esse vtilia sanitati parandæ, vt fini artis quæ habetur per ablationem causæ libro de opt. secta ad Thrasybulum non declarauit in expositione librorum Epidemiorum causas signorũ ab Hipp. commemoratorum. Vnde quid prodesse potest ad curam mera eiicientis, si signum ipsum ne vngue lato obsit ægrotanti, vt nec vrina cruda. Cum autem signa vt huic proposito satisfaciunt, seu symptomata etiam sint seu non, alia quidem sunt communia

&

& quasi pathognomica si non prorsus alia superuenientia, horumque sint quatuor species, alia communiter notarum causarum velut cruditatis in febribus quod plus dominetur calor præter naturam quam naturalis: illud autem est causa manifesta mortis. Alia sub his continentur velut sub delirio timor, tristitia, desperatio, & hæc addunt super delirium signum atræ bilis prædominantis, ideoque grauius periculum & difficiliorem curationem si modo sanari contingat. Alia quæ sunt ancipitia quæ sui natura bonum & malum significare possunt: vt rigor significat intermittentem: si non intermittat causam ignotam: & ideo quædam ex his cum sint quatuor generum, alia quorum vterque modus causam habet notam alia quorum vnus tantum modus: alia quorum vtriusque modi causa ignota est: alia quorum causa diuersitatis perpetuitas est. Alia quæ sunt vnius modi & causam habent ignotam, vt sanguis paucus merus mortis.

Primi ergo ordinis in quo etiam communia comprehendi possunt eiusmodi erunt febris & exacerbationes & species & symptomata propria quorum causæ sunt declaratæ a Galeno & dignoscuntur per signa pathognomica, vigiliæ, delirium, vrinarum genera omnia generalia vt octa cruda multa pauca bene colorata male crassa tenuis fœtida turbata perspicua. Deiectiones liquidæ crudæ sudor frigidus extremitates liuidæ ostendunt enim extinctionem caloris innati conuulsio sitis lingua arida aut aspera vel nigra puerperæ abortus fastidium, molestia, vomitus vitulenti, capitis dolor surditas obliuio, strangulatio spiritus: omnes differentiæ simplices, iactatio anxietas defectus sputi non maturati nec eiecti sine causa manifesta, vel etiam manifesta sed mala, cutis arida circumtensa: sub his ergo secundi generis. Appello secundum ordinem eorum quæ sunt communia seu propria notarum causarum sed inchoata non perfecta, aut non per se nata accidere, sed dum transeunt in aliud aut illud significant. Tertij autem ordinis, rigor, frigus extremorum sputamina, morbus regius papulæ rubræ, lassitudo perpetua, sudor, surditas, sopor [illegible] turbata aluus ex tenuibus, non sentire, horror. Anomala lumbrorum vel coxæ dolor aut femoris vrina cum dolore mordax. Lingua nigra aspera absque sitina signum extinctionis caloris: sed tanquam à causa?

Quarti autem seu quod incertum habent causam: stilla sanguinis mori: respiratio rara & magna exacerbationes paribus diebus: mera: spiritus sublimis: palpitationes in toto corpore, aut cordis Præcordij intentis, submollis & longa vtrinque vel dextrum distentum seu sine dolore seu cum dolore & inflammatione submollis aut sublimia: spiritus tenuis imminutus.

Igitur vt ab initio redeam ad propositum cum quatuor sint signorum genera quorum duo prima causas iam habent notas ab aliisque declaratas: licet vt dixi duorum sint genera communia & propria sed in hoc conueniunt quod sunt notarum causarum. Et in illis consideranda est sola magnitudo aut paruitas, sed in tertio continentur euidentiora XVI. in Quarto XII. Quæ operæ precium erit singula explicare. Sed prius è XLII. ægris quos proponit Hippocrates in Primo & Tertio Epidemiorum XXV. qui obiere nomina docere hoc modo.

Primi Epidemiorum.

I. Philiscus. 2. Silenus. 4. Philini vxor 8. Erasinus.

Hic præterimus nonum ægrum in quo nil peculiare sed multitudine materiæ & prauitate ac regressu ad membra principalia, vt obierit secunda die. Qua ratione omittimus VII. ac VIII. secundi & IV. vltimi, vt sint IV. qui omittuntur detracti à XXV. qui obierunt relinquuntur XXI. quorum historiam subtexuimus, atque antea Epilogum necessarium.

II. Dromedai vxor. 11. Quidam calescens Tertij Epid. constitutione prima. 2. Hermocrates. 3. Qui in Dealcis horto. 4. Philistes. 6. Eurianactis filia. 9. Apud Tisamenum. 10. Apud Pantimedem. 11. Abortiens. 12. In mendacium foro.

Constitutione vltima.

I. Parius. 2. Mulier quædam. 3. Python. 5. Caluus. 13. Apollonius. 14. Puerpera.

Huius cura fuisset omnino vel ab initio deplorata nisi vel balneo vel strenuo auxilio infra auocati fuissent menses. 15. Dealois vxor. 16. Adolescens Melibeæ.

Eorum autem quatuor qui cum mortui sint historiam omisimus, scilicet ex primi ordinis VII. & VIII. secundi. Itemque. IV. tertij. Primus ex multitudine nimia & prauitate cum motu vehementi obiit, nil forsan profuturis auxiliis si modo pharmaco vehementi, vt in Quinto tertij ordinis non venæ sectione vllomodo. Septimus secundi ex angina palam vt causa nota fuerit. In hac si quid profuisset sectio venæ ab initio inter vires, & morbum melius erat auxilium. Octauus autem ex magnitudine causarum procatarticarum magnitudinem antecedentium & coniunctarum declaranit. Magnitudo procatarticarum, insuetus enim erat his laboribus: sed magnitudo simptomatum, & signum lethale in initio morbi, scilicet in tertia die: Difficile fuisset occurrere ob aluum turbatam, cum sectione venæ, à principio ipso opus fuisset, quale in præcedenti docuimus. Quod autem adiicitur præcordio intento submolle enarrabitur infra. Semper autem symptomata mala quanto celerius aduenerint vsque ad statum sunt periculosiora: cum à validiore causa, & naturam impotentem ad coctiones reddant. Sed Quartus æger tertij ordinis (phreneticum eum appellauit cum prima die delirauerit & virulenta vomuerit & capite doluerit) non est vt exponam, sed in nono ægro huius enarrationis. Cætera fuerunt communia signa & notarum causarum. Iam vero sanandorum non meminimus ea ratione quod constat illos debuisse sanari: Qui communes causas validas habuerunt: scilicet motum

vehementem materiam aut prauam aut valdè propè membra principalia: nec multum admodum: non abscessum aut inflammationem loco principali, aut aptum prohibere cursum naturalem: Quibus vires validæ sint: nec mali moris signa morbi nec in curatione error: Solius Tertij ægri secundæ constitutionis memoriam fecimus causas ob illas quas ibi narrabimus. Sed iam nunc ad ægrorum propositorum expositionem veniamus.

1\. 1. Philiscum quod mori debuerit signa aliqua primi generis & ab initio & post tum secundi & tertij declararunt: velut sudor qui non in melius morbum transmutauit, vnde non à robore virium nec sola multitudine processit, sed æstu maximo cordis: vt neque vrinarum nigrarum exitus cum primum in tertia apparuerint. Hoc solum videtur lethale ab initio frigidus sudor in febre acuta: & spiritus reuocato similis, non tamen mortem in tertia die declarabant, nam spiritus reuocatus est qualis in plorantibus. Et nisi Hippocrates dixisset quasi reuocato, non quasi perpetuo, clarum esset omnia signa inflammati septi transuersi in parte sinistra affuisse, sed & sic plura fuerunt inflammati septi quam cerebri, cum etiam illud quasi perpetuo possit tam applicari magno & raro quam reuocato. Fundamentum hoc fuit ergo vrinarum nigrarum: caloris cordis vehementer inflammato: sudoris frigidi: accessionum parium dierum; inquietis, linguæ nigræ: delirij nocturni: refrigerationis extremorum: spiratio erat magna ob necessitatem quia rara ob delirium latens. Partes enim quæ ortui neruorum sunt propinquæ possunt vitiari vt non recordentur sui muneris: cum mediæ quæ sunt propè ventriculos parum afficiantur nerui enim à lateribus oriuntur. Ita fit vt quandoque homo deliret ex vaporibus absque vitio respirationis, nonnunquam contra, quandoque vtrumque accidit, & tunc indicat totum laborare cerebrum. Solum restat vt doceamus cur profluxerit sanguis è naribus scilicet vtrisque & merus. Ridicula est Galeni expositio merum per atrum exponentis: nam id est nigrum colorem pro puro sufficiendo & id etiam magis quod affirmet. Rubri sanguinis stillam in morbo exitiali visam nunquam. Imo illud planè est inflammationis ad exitium peruenientis indicium cum velut ex immodico cursu sanguis à natura excernitur liquefactus quasi attenuatus: cum nil ex inflammata parte secerni possit circundata tunica duriore, nam quibus effluit niger sanguis, hi postmodum eruenta si benè cedat res eiiciunt, & saniosa inde cocta, multique sic liberantur.

2\. 2. Silenus autem serius obiit, & die impari huic adiecit ætatem XX. annorum vt ostenderet cur non in septima obierit, quanquam mortuo similis euaserit, obmutuit etenim refrigeratis extremis non resoluit, nihil minxit sed ob ætatem transit ad criticum sequentem. Idque primum: secundum cum dixit ignis id est febris valdè ardés seu calida corripuit, licet enim soleant primum in ephemeram ex motibus violentis cruditatibus incidere prius, si tamen corpus fuerit præparatum per alios labores intempestiuos aut cruditates aut plenitudinem aut cacochimiã statim incidunt ab ephemera in putridam vt Galenus affirmat hic in commento, & hæc duo valdè benè tum multa alia, quod si in reliquis eadem præstitisset ægris, nos magna cura liberasset. Verum solum id addit in explicationis difficultatem quod locum mutat, ponit enim in fine commenti quod Hippocrates proposuerat in principio, sed tamen multa addit, quem Auerroës hac in parte turpiter in exponendo Aristotelem imitatus est: vt vix in viginti quinque commentis aliud inuentis quam sequentis aut antecedentis textus Aristotelis verba transcripta: fœdo sanè exemplo. Vnde constat Galenum multo melius intellexisse & diligentius exposuisse Hippocratem, quam Auerroëm Aristotelem: similiter & illud valdè bene dictum quod ergo mutare non proposui ne benè dicta interpretando latinas vt Comicus ait fueram non bonas, super verbis enim illis Hippocratis: Hypochondrij contentio submollis vtrimque promissa ad vmbilicum: cum perpetua palpitatione: inquit Galenus: iam etiam Hypochondrium illi perpetuo palpitasse affirmauit: quod quidem turbationis vel delirij esse signum in libro Præsagiorum est dictum, videtur (huic) homini aliqua fuisse inflãmatio in septo transuerso quamobrem dixit suprascripta verba: submolli enim id est subuacua citra minorem: qui sic vbi hypochondria inflammantur, sed vbi inflammatione septi transuersi hypochondriũ per continuitatem sursum trahitur absque tumore vt nil clarius primo die aluus buliosa mera: Putruerunt materiæ communes quas in caua iecoris in mæsareo intestinis ventriculo lienéque & præcordiis ac renibus continebantur & accensæ sunt: Et simul quæ in gibba & venis magnis & etiam in iugularibus & arteriis ipsis. Et rursus ex inferioribus ad superiora tendebant. Vnde primum tensio colli capitis lumborum grauitásque vrinæ & alui excrementa nigra: tum euersis coctionibus liquida tenuiáque & spumosa, vigiliæ inde etiam delirium ex inflammatione deiectionis pingues vt XII. Methodi; erat enim febris colliquatiua. Sed cur meræ? Mera dicit Galenus quæ proprium retinent colorem absque alio admisto: hæc lethalia: ostendunt enim consumptum omne vtile humidum (aut corruptum) à putredine, aut si naturalis sit nil externi peccantis materiæ: & certè non posse eum humorem concoqui, concoctio enim fit solum à calore naturali, qui adesse non potest nisi in naturali etiam humido. Oportet igitur humidis naturalibus esse coniuncta: Vrina perlucida pauca mente constitit, hoc indicabat (quod alias dixi non semel) materiam ferri ad caput per quatuor venas iugulares: quo tempore (& perdurat raro vltra vnam diem) neque delirant neque comate corripiuntur, nec dolore capitis laborant: neque pulsus opprimitur: cum materia non sit in termino ex quo id est circa cor, neque ad quem idest in capite, sed videntur se benè habere, & astantibus etiam & medicis imperitis: cum tamen spiratio

Et 8. Method.

cap. 5. 2. in 6. Epid. com 8. 7. Aphor 6.

ſpiratio ſic læſa in eis, & magis in hoc: cui inflammatio erat in ſepto tranſuerſo, octauo frigidus toto corpore ſudor: & cum ſudore papulæ rubentes rotundæ paruæ varis ſimiles permanebant, nec abſceſſum efficiebant. Hunc locum non plane aſſecutus eſt Galenus: exiſtimauit enim fuiſſe naturæ motum ſe exonerantis: quod ſi ita fuiſſet aut poterat liberari aut diutius ferre morbum: ſed ſunt immodicæ efferuentiæ ſignum, ideo breui mortem afferunt, nam ſi ſint ex opere naturæ aut abſceſſum cum dolore efficiunt, aut papulas cum pruritu: & tunc & vim naturæ recte operantis oſtendunt, & ſenſum quo percipit noxam: atque hi liberantur vt contra alij pereunt. Quæ enim à contrariis fiunt par eſt ſortiri debere contrarios exitus. Et quæ ſortiuntur contrarios exitus etiam à contrariis cauſis ortum habere. Pauca enim experimenta internorum morborum vidit Galenus & pauciora obſeruauit: intentus chirurgiæ maximè inde medicamentorum compoſitioni. Simile eſt illud in præcedenti, quod acceſſiones fuerint pares vnde id alias repetit Hippocrates, vt velit inſinuare morbos qui exacerbantur in diebus paribus eſſe lethaliores, vt in illo Tertij Epidemiorum: Virgo tamen liberata eſt. Dico vt habetur in tertio ſuper Primũ Epidemiorum. Qui dieb. paribus exacerbantur morbi paribus iudicãtur. Et qui imparib. imparibus. Et manifeſtum eſt quod damnat morbos exacerbationes habentes ſolum in acutis, cum dixit. Diebus paribus: At tales vel continuo increſcunt ne deliteſcere deberent: igitur duo mala habent ſine quiete: vel ſi validior eſt par exacerbatio, cum motus à prima inchoauerit, duæ erunt ſedes materiæ: & etiam quia criſis fiet in die pari quæ non aſtipulatur motui Lunæ: Præter id ſi in pari exacerbatur & ſit maior, igitur duo incrementa ſimul vt in Quarta ad ſecundam, & naturali morborum incremento ad tertiam: aliter non diceretur exacerbatio in paribus diebus maior. Vel die ſignificare inflammationem iam factam, cum in prima die febris fuerit ex concurſu humorum & ephemeræ inſtar. Aut contingit quod materia craſſior in die pari mouetur poſt tenuem. Et hoc ſignificat permiſtionem eius cum humore crudo pituitoſo aut melancholico: & cum ex natura humoris deberet eſſe mitior ſi non aliud obſtaret quàm frigiditas & craſſities: & fiat validior: indicium eſt maioris corruptionis & cauſæ peioris: ideo indicat morbum eſſe lethalem. In Virgine illa fuit ſolùm capitis grauitas & oculorum dolor ideo vtrumque periculo vocauit. Conditio enim in ſigno vel morbo aut ſymptomate lethali mortem ſignificans, in non lethali non eſt ſignum mortis. Erat enim defluxio: vrinæ reſtiterunt: cauſam huius declarat Galenus ſeptima Aphoriſmorum. Et Tertio de ſymptomatum cauſis. Præcipuè vel quia obturata loca per quæ venire ad veſicam debet: vel quia à calore conſumpta aut alio tranſlata, aut nimis mordax vt etiam in vlcere, aut tranſitus locus occluſus, vel quoniam vis animalis torpet aut refrigeratus locus: aut ob plures ex his. Ergo in acutis ob copioſum ſudorem alias deiectionem vel

languen. 1. languen 12. *Text. 13.* *com. 48. cap. 1. pag 7.*

Tom. I X.

etiam ſolum calorem verum hiccauſam docet cum dixit: vrinam reddebat cum dolore mordacem: vnde veriſſimile eſt ob accedinem bilis fuiſſe ſuppreſſam. Sed dixerat iam antea quod quibus in ſttranguriam morbus commutatus eſt, eorum nullus periit. Aduertendum hæc non apparuiſſe ſigna niſi cum iam mortuus eſſet morbi ratione, licet ſuperuiueret ob virium robur, fuit enim vt dixit Galenus, mors in VII. die, extremæ parum recaleſcebant ſomni tenues. Hic notandum dari in lethalibus morbis quietem, tum ob horas diei, tum motum materiæ, tum aſtrorum diſpoſitionem, tum ob comparationes cauſarum: & hæc eſt euidentior ex his cauſis tum auxilia communia, velut diei pars prima: exacerbationis alleuiatio: humectatio corporis: Deiectio alui: exitus vrinarum: lætitia, cibus & potus accommodatus: vtpote deiectio alui exitus vrinarum: vtrumque alleuiationis morbi, inde congreſſus amicorum ex quibus mollis cibi aſſumptio. Et exinde ſomnus leuis: & hæc magis in diebus mitioribus vt XII. & XVI. ſecundum Galenum. Quod ſi nulla fiat intermiſſio neceſſe eſt vt valdè breui moriatur. Velut Critoni & Phrenetico illi qui in Quarta obiit. Vltimo dixit vrinam multam & craſſam minxiſſe, in qua ſimilia farinæ ſubſidebant; Huius cauſam declarauit ſecundo Progn. quanquam deteriores ſtatuat alias duas: nihilominus multa occurrerant: quomodo colligi & exprimi potuerit adeo proxima morte: ſed tum liquet alleuatum eſſe: magna enim mala, vt caſus virium, amiſſio vocis & mentis, conuulſio, ſpirandi difficultas, delirium & mors ſolent conſequi motum materiæ potius quam ipſam materiam: etiamſi multa ſit & praua. Hic quæram an præſtitiſſet in his duobus ægris mittere ſanguinem? non cur non miſerit: cum conſtet ſub magiſtro compoſitum hanc hiſtoriam, emendatam conſtanti ætate, productam in publicum iam eo ſeneſcente, imò non ab illo publicatam, ſed potius à filiis. Ergo ſuppoſitis inflammationibus ſepti tranſuerſi cum ad illius nutritionem perueniant duo rami trunco qui ex iecoris caua aſcendit per ipſum, & cordis inuadant inuolucrum, dubium non eſt illis etiam diuiſis in propagines ab eiſdem nutriri detracto ſanguine maximè non modico alleuiari inflammationem longè tutius, ac melius quam in peripneumonia. Omiſit autem Hippocrates curam vt dixi, quoniam non erat ſui muneris, & neque ſentiebant dolorem, erat autem mos illis nemini mittere ſanguinem, niſi partem inflammatam eſſe ſuſpicarentur, nec ſuſpicari facilè poterant de illa, cum in parte carnoſa eſſet, quæ parum aut nihil ſentit: Ergo hic poterat euadere: de priore non eſt veriſſimile.

3. Philini vxore: magnitudo & concurſus ſignorum trium primorum, & puerperium declarabant mortem. Doloris cordis mentio docet non eſſe Hippocratis: cum os ventriculi intelligat. Etſi in Aphoriſmis ſimilem videatur admittere abuſum, multum differt dicere cordis dolores vomitu leuantur, & Socrati cor doluit. Verùm inflammatus vterus dicere non auſus eſt. Cæterum conſtabat

2. in primo. Epid. Tex. 41 & 79. *languen. 9. 1. conſt. languen. 4. cõſt. 3. Tex. & com. 25.* *Veſal. lib. 3. in fig. cap. 6. lit C. Declar. in cap. 7 poſt. prin.* *3.*

D 2 mate

materiam sursum rapi,& cerebrum ex puerperio debile factum esse. Dolores enim vehementer originem lædunt, si quis non admoueret cum conuulsionibus & obliuione, mingebat vrinam crassam & multam:admonita crassam & albam, & cum sedimento turbulento,velut in iumentis: sed non adeò multa & non tam corrupta: Erat multa & cruda materia, & magnus calor febrilis, & membra principalia imbecillia, vnde nec concoqui poterat nec subsidere: sed ferebatur sursum.Palpitationes in corpore erant ex genere tertio signorum vel à flatu: hic à vapore in musculis:ideo conuulsionis initium, cætera nota.

4\. Erasmus obiit in fine Quintæ, neque enim horas subtrahere oportet, cum vt dixi a luna vsque ad X X. vel X X I. numerandi sint dies: & à XXI. supra præter XXVII. à sole. In eo omnia magna & assidua, ideò ad mortem spectantia. In Quarta tamen commota bilis atra. Quæ superuenerunt ex secundo signorum genere, causa mortis inflammatio in præcordiis: symptoma conuulsio assidua:In Quinta inflammatio corrupta est: & materia per iugulares delata est ad cerebrum corde inflammato: ideò mane resipuit,& recreatus est: sudauit perpetuò, ideò breui obiit,non ob id dicunt. Signa decretoria quæ non decernunt: nam serius obiisset, sed ob cordis inflammationem: ideò omnes qui ab initio morbi sudant perpetuò non remittentes quicquam intra quintam pereunt: eum praui morbi in septima occidant:tales autem non praui sed pessimi sunt. Fit & hoc quandoque & eadem causa à morbis valdè lethalibus.

5\. Dromedai vxorem: hæc ex puerperio: febris petens caput & maligna:spiritus rarus & magnus:inflammatio in septo transuerso, & ad hypochondrium tendens: non erat morbus Epidemius,ex quo laborauit Clezomenius etiam & Tertius qui sequitur, & in Thaso repetit sæpius. Sudor frigidus hic in acuta febre primi est generis, nam frigidus sudor contingit aut à materia frigida, aut quauis causa refrigerata cute maximè ab aëre, & latis cutis meatibus. Et tunc non est exitialis imò sæpè sanatur, aut causa occidit, vel contingit refrigerato corde, vt in nimio defluxu sanguinis, in dolore vehementi, timore, veneno, cum resolutione caloris naturalis, calor externus & contrarius innato adiungitur, tunc enim quamuis calore naturarali extincto proprietatem habet prouocandi sudorem & dissoluendi corpus,quia solum cor facultatem habet sudorem prouocandi: indicio quod plantæ non sudant,nec animalia exanguia. Et tunc sudor talis est lethalis. Et ideò rationes quas adduxit Galenus non sunt veræ.Propterea mulier hæc sudauit toto corpore, quia cor nondum multum refrigeratum erat. Quarto materia deserto corde cœpit ascendere ad cerebrum. Permansit materia in itinere ad sextum vsque.Tum sudauit toto corpore sed extrema erant refrigerata,calor autem ille præter naturam fuit, & quandoque accidit vt non supersit calor naturalis nec præter naturam, & tunc sudor frigidus redditur. Nonnunquam enim in his casibus contingit,vt homo mortuus diu circa pectus calidus permaneat.

6\. Hic pertransiit à prima ad quartam quasi absque incremento: iuuatus est enim multum à vomitu, sicut à potu scilicet largiore offensus est. Vrina oleaginea dissolutionem,vt pinguis egestio ostendit & nobiliorum partium,multa quidem vnum malum maius, pauca minus. Sed duo mala,lumbrici prodierunt V I I. die obiit X I. Credendum est quod viui cum non adiecerit mortuos. Dicebat tamen Hasen.Vermes in acutis sunt mali,minus tamen in declinatione quam ante, & viui quam mortui. Dico quod vermes in initio & ad flatum debent comparari, & qui apparent ab initio (vt dicit Sauonarola quem alij etiam sequuti sunt)viui significant morbum perniciosum,& quem ob venenosam qualitatem perferre non possunt, mortui verò non mali,quia à natura expelluntur. In augmenti autem:fine & flatu, contra bòni viui,non enim possunt pati caloris magnitudinem, & bilis amaritudinem, & sitim: mortui autem mali quoniam indicant prauitatem materiæ, sudauit multum,febre carere visus est, non multum dormiuit:Hic imparibus diebus exacerbabatur:fuit crisis non respondens accessioni. Vnde alias dictum est in lethali morbo posse partis inflammationem rectè suppurari, ideóque & compositæ febris vnam:illa tamen non prorsus abscedit: Propterea dixit (visus est) Deprehendimus quod referente magistro Hippocrate tamen cum tetigisset non subscribente: neque par fuit vt scriberet se cum illo contendisse. A somno spuit vomitus, qui subsequutus est indicium & propriè nigrorum, Vesperi vomuit nigra pauca biliosa id est adustione mutata. Non tamen mortuus est in nona,vt prædicere Aphorismus. Nam inquit de nigra bile aut velut sanguis id est splendida, at neutrum hic scribit, ideò etiam neque verum ob id superfuit vsque ad X I. nam cum dicit, Decimo crura doluerunt:quia erat par dies,& in quo natura illi fauerat.

XVI. Tertij Tract. 5 c 1. in fine.

1\. de differen. febr. c.6.

4\. Aphor 1.

7\. Hermocrates hic omnia signa habuit ab initio biliosi & grauis morbi ac tendentis ad caput cum suspicione inflammationis iecoris,aut proximæ partis velut menti quia illi iungitur.Et rerum quidem difficilium nihil attingit Galenus.Nam procul dubio hæc materia turgens erat quæ medicamento potenti veniebat euacuanda,quod si illa iam in venis iecoris resederat aut detrusa in illius substantiam, actum fuit nisi aut summa inedia vel ptisanæ cremore cum mercuriali locus esset,lingua adusta id est sicca vel nigra, sed hoc dixisset: potius arida: hoc cum esset sine magna siti, vel initium perturbationis mentis,à qua non multum aberat, vel extinctionem facultatis appetitiuæ, nec id longius,est enim & illa animalis sensilis vt materiam crassam & siccam sed minimè igneam portendebat:id autem non raro accidit.Vnde in initiis febrium non est lethale signum: sed si perseueret & ardens fuerit febris: sed hic neque principium excesserat,neque admodum: ardens erat febris. Rectè dicit per hypochondrium, dextrum debere intelligi: præsertim cum auriginosus euaserit. Deposi-

tæ

tæ vrinæ non ſubſidebant. Tria ſunt genera vrinarum turbatarum quæ non ſubſidunt, vnum quod remanet vt mingitur, vt in vera peſtilentia: ſecundum quod glomeratur in rotundum, & eſt turbulentum, quaſi ſparſus ſit in eum puluis, tertium quod reſidet vt materia craſſa, omnia hæc vaporibus conſtant, ideò deferri materiam ad caput aut moueri ſaltem multitudinem vaporum cum enim materia à calore naturali ſubacta eſt, efficit ſedimentum, ſi non ſit ſubacta nec à calore diuidatur poſt tempus infundo maculæ reſidet: ſi calor violentus in illam egerit & tenuis fuerit nullum contentum aut exile ac paucum relinquitur in vrina: ſi puluerulentum vbique exuſtus ac caliginoſus & terreus vapor per vrinam ſparſus agitur: ſi vis caloris naturalis aliqua viget in corpore reuoluitur in globum & ſupernatat: ſi prorſus deſcendit pauciores euadunt, nam magis terreus humor eſt qui putruit. Cum tranſeat ex prima die ad quintam, veriſimile eſt nihil noui interim accidiſſe, cum vero in ſexto euaſerit in morbum æruginoſum, tria neceſſe eſt contigiſſe: materiam in iecur conſediſſe, & venis eius: & crudam quia ante ſeptimam niſi admodum pauca & leuis: ſed cum hanc tranſmutationem ſecretæ ſint vrinæ tenues, & quæ non ſubſideant, ſeptimaque dies grauis & ſopor in XI. oportuit ibi inflammationem ſed paruam factam fuiſſe collecta in vnum materia, & in illius carnem intruſa. Sopor autem quoad locum hunc attinet trifariam fit, aut ex dulci humido ad cerebrum delato: aut refrigerato primo principio id eſt cerebro, aut vaporum multitudine confertim ad ipſum delata iuxta eorum naturam crudi dulces atri feruidi valdè mobiles humidi craſſi & vt plurimum miſti fit, & ob virium imbecillitatem cum ſiccitate qui eſt peſſimus, cum qui delaſſatis accidat non malus ſit & quotidiani experimenti vt in foſſoribus. Viſa ſunt XI. die cuncta remiſſa vt etiam ſupra dixi de iugularibus: erat enim initium tuberculi in iecore. Et eodem modo in XIV. Concludit Galenus ſoporem illum fuiſſe vel ex refrigeratione principij, hoc non benè cum cauſa non appareat quod foret lethalis, quia à calore: eſt enim anomala & principalis, à calore frigus, & à ſicco humidum non contra, ſubtilitas illa ridicula eſt cœpit ſopor, quoniam antea mingebat vrinam craſſam & à quinta ad XI. tenuem. Quid ergo ſi rurſum craſſam mingere cœpit? ſed faceſſat inter tot maxima præterita. Die XVII. (dum pus conficitur, imò dum putreſcit dolores ac febres fiunt) ſi rectè vixiſſet: nam quomodo non conſtat, nec eſt veriſimile & rectè curatus fuiſſet potuit liberari, quando vel ſic tam ſerò obierit? Quæ indicatio autem fuit in vigeſima? Docet dicens. Iterum iudicatus eſt & febre liberatus non ſudauit: De vrinis credendum eſt igitur mutatas eſſe, ſed manſit ſopor, lingua arida abſque ſiti, à cibo abhorruit, & loqui nō valebat læſis neruis ſexti & tertij paris: & cerebri parte ortui illorum proxima. Verùm Galenus totum hoc ad naturalem facultatem trahit animali prætermiſſa: vnde nec meminit quod dixerit (loqui non valebat) cum id retrahat ad ſomnolentiam: ſed quid etiam de ſurditate? Animaduertit quod obiit præcedente aluo lubrica cum multis tenuibus excrementis. Inter præcipuos errores, quia quam multi ſunt, duo proximi fuere præter dictos. Primus quod non animaduertit maximam cordis imbecillitatem ob quam nunquam ſudauit. Sudor enim omnis à corde eſt. Facultas naturalis erat ſatis mediocris: ſed prorſus à vitali deſtituta, nihil in animali ſanguineo quale eſt homo perficere poterat. Quod ſi quis pulſus notitiam habuiſſet, & illius arteriam tetigiſſet, inueniſſet miras differentias anomaliæ, & omnes ad imbecillitatem tendentes. Alter, quod exiſtimauerit deiectionem appetitus pertinere ad facultatem naturalem, cum principalis nulla & per ſe fuerit, ſed partim in ventriculo à iecore, & partim à cerebro. Quod verò redigat liberationem à febre in extinctionem caloris naturalis, cum in XIV. primum euenerit, & ab ea die in XIV. obierit planè fatuum eſt: recipere cauſam propemodum mirificam, & relinquere tot alias, præſertim cum dixerit: (Proximis diebus, febris acuta) quomodo febris acuta pridie quam obierit, ſi in XII. ante diebus deſierat ob extinctionem innati caloris? Dico ergo deſiiſſe collecta inflammatione inde ceſſante motu: ſecundo ceſſante ſuppuratione aut corruptione (vtroque enim modo obire potuit) Tertio pus aut ſaniem ſparſam in XXIV. & tunc cum cor eſſet debile, & cerebrum & ſanies ſparſa fuit: aut ſi pus in profundo carnis iecoris fuit corruptum, vt Albucaſſis docet, noua corruptione, velut in concluſis ſub fimo excalefeciſſe corpus iecoris & omne venoſum genus: ſpargendo vaporum putridorum immenſam congeriem ad reliqua membra principalia, iam vt dixi imbecillia ſicque quaſi repentè ædificio toto ruente extinctum.

8. Qui in Dealcis. Placuit vniuerſa vnius qui pro morituro habere potuit & ſanatus eſt hiſtoriam aſcribere, nam in ſecunda die meri ſanguinis ſtilla ex ſiniſtra manauit cum in dextra diu capitis parte laboraſſet. Tertium ſignum oculi dextri diſtorſio in nona & XXIX. Quartum vrinæ cum ſubſidentia liuida. Et in XV. & XVI ac XVII. prauæ & in XXVII. ac XXIX. Quintum de alui excrementis quæ deteriora fuerunt omnibus aliis, nigra, liuida, tenuia, ſpumoſa, pinguia, graueolentia, fermè per totum morbum, licet non omnia ſemper ſed maximè tertiò, quintò, ſextò, ſeptimò, octauò, XV. XVII. At & delirium frequens quartò, quintò, ſextò, ſed maximè XIV. XVI. XVII. XVIII. XXI. ſed & ſopore correptus eſt (idque ſeptimum lethale ſignum & primi generis in acutis) Tertia die & XVIII. ſed octauum erat ſudor circa caput & clauiculas in quarta. Nonum fuit de hypochondrio dextro ſubmolliter diſtento in eadem die quarta & XXI. cum tum etiam ad vmbilicum eſſet perpetua palpitatio. Decimum fuit vomitus in quarta biliosorum flauorum paucorum poſt virulentorum. Fuerant & alia mala vt ægrè ſurgere etiam à tertia die, & vigiliæ ac lingua arida. Noſter Galenus nullam fugæ viam inueniens nugatur, ſed audi cur ſeruatus ſit.

Primum non fuit signum vllum inflammationis sed potius decubitus ad lienem & coxam seu crus dextrum & hoc solum animaduertisse Galenus videtur: sed ad seruandum illum non sufficiebat aduersus tot causas morbósque potentes & signa praua. Sed audi principalia. Primum fuit defuisse anomaliam vtpote non sudor frigidus, non ariditas linguæ sine siti, non excretio multorum cum deiectione appetitus, non sopor magnus cum acumine febris: nam in tertia dixit nonnihil, non simpliciter. In XVIII. non dixit quòd febre laborauerit acuta. Tertium fuit quod natura semper fuit sollicita ad transmittendum materias ad membra ignobiliora, quando secus non potuit: sed principaliter tentauit omne genus euacuationis per sanguinem narium, per vomitum sæpius per aluum, & sudorem. Et ideò nullum fuit signum constans validum, oportet autem lethalia signa aut perseuerare aut alleuiare sine excretionis nota. Quartum quod membra nutritionis erant quæ propriè laborabant lien ventriculus intestina mesaræum. Et ideò palpitatio illa fuit ex motu materiæ ad intestina: vnde postmodum collecta deiecta est, licet multò pòst. Et forsan œdema ibi genitum fuit & in XX. diebus suppuratum & eiectum est. Et hoc valdè verisimile: quia mihi hac hyeme contigit in colo intestino: & sanatio producta est pluribus diebus. Solum restat dubium de diebus iudicatoriis in quibus semper deterius habuit, vt in IV. XIV. XVII. solum à XX. cœpit in melius commutari, & in XI. commodè satis. Vnde dicendum quod clarè obiisset, si ante XL. natura plenè crisim tentasset: sed ob robur virium, & quia diu iam morbo destinebatur, & diligentius curatus fuit: quod euidens est ex narratione, nam omnia magis ad amussim obseruata sunt. Hoc ergo vltimum fuit rationale. Aliud etiam aduertendum est maximi momenti, quod pleraque ex istis fuere symptomata non signa, vt vomitus deiectio & cætera. Et si obiicias de mutatione lateris quæ fuit anomalia? Et similiter de motu materiæ in tenuitate vrinarum? Et de sanguinis meri stilla: dico quod morbus est productus diu, & ob id nullam præterquam de vrinis significationem validam obtinuit. Vrinæ autem non multum poterant, quia materia illa vt dixi continebatur in ventre inferiore, & omnia illa nigra cesserunt commodè, quoniam à splene veniebant: nam materia iam erat in motu ad illum Obserua etiam quod materiæ communes si possunt educi per medicamentum rectè agendo in initio etiam à natura. Et ideò hæc historia est materiæ turgentis, ob id cessare debet admiratio omnis quæ Galenum frustra detinuit: Et si ab initio purgatus fuisset non adeò tam multa in animo versata fuissent.

9. Philistæ. Redeo ad ordinem: in hoc iecur & cerebrum, ac simul ex signo: nam illa ex causis) septum transuersum laborauit: Virulentus vomitus tum ab incendio iecoris, tum cerebro compatiente fiunt. Diebus paribus exacerbatus est: obiit tamen in impari, quia exacerbatio fuit à conuulsionibus, quæ quandoque nullam moram præbent, si vires sint imbecilles: si validæ die critica sequenti si mediocres die sequente, morbus inflammatio septi transuersi, sectio venæ ob validas cruditates iuuare non poterat purgatio propter cerebrum iam occupatum. Sed & virulentum hi verterunt quasi minus æruginoso: cum potius de odore dicatur quam de colore.

10. Eurianactis filiam. Hic non est morbi acuti casus: nec facilè est diuinare, quot diebus intercepta fuerit, nec numerandi mos Hippocraticus est. Tabula fuit hæc virgo subiecta tussi ac distillationibus acribus multis tenuibus & prauis, in qua emortua est vis naturalis inquit Galenus, appetendi tam cibos quàm potus: sed & animalis cum conqueret expelleret certè: fieri potest vt ex longa, destillatione crebra acri corrupta sit, & ventriculi facultas & iecoris etiam vt simul deperierint appetit tam potus quam etiã cibi. Numerus dierum constat altero duorum modorum vt obierit in XXIII. aut XXV. certè, nam cum dicit XII. & VII. à die illa si computantur termini fuerunt XXIII. si ab illo XXV. Adnumerauit hanc ob sequentem (vt reor) quæ angina laborauit, tanquam affinibus morbis. An verò magis naturalis quam animalis vis? quid naturali cum destillatione: & cur sola vis appetendi? & maximè quod neque potum desideraret? verisimilius est vtramque simul: ideò in appetendi functione ambas coniunctas eam prorsus aboleuisse cum secus raro accidat vt tota extinguatur. Mens ergo Hippocratis (si modo Hippocrates hunc ægrotantem inter suos recensuit) est vt retraheret quoquomodo dies hos ad numerum criticorum per partes. Quod vero Galenus [illegible] in tot modos & confusè tamen distinguat accipe rem: bonus appetitus est qui solita hora absente etiam cibo boni aut saltem consueti cupidum facit. Secundo loco eum euariat: Tertiò cum solus præsentis est: Quarto cum nullius est: si tamen in memoriam reuocetur qui placet, oblatum moderatè sumit. Quintò si offerri postulat, sed non suscipit. Sexto loco cum neque afferri prorsus vult.

11. Quæ ad Tisamenem. Sequitur de ileo id est inflammatione intestini tenuis, plerumque enim in eo (licet & in aliis) fit. Indicia febris, dolor, vomitus fecum, frigus extremorum. Reuoca quod sexta Aphorismorum dictum est de lipyriis. In his meminit Galenus sectionis venæ: si ipse expertum affirmaret auxilium crederem: secus cum venæ intestinorum cum caua vena iecoris nil habeant commercij: cum maximè indigeamus viribus peracutus sit: cum videamus oris ventriculi summam (& ideò omnium membrorum nobilium) imbecillitatem, & meminerim in iuuenta me curasse Prolixenam adolescentem ex huiusmodi morbo absque venæ sectione, quæ iam biduo feces vomeret, non habeo quod dicam de hoc. Vnum est præter solita signa ventris durities quædam vt lapis, aut saltem vt tympanum proprium & lethale signum, postquam alia sunt quasi huic morbo pathognomica. Quomodo autem in membro exangui fiat inflammatio ostendit doloris acerbitas summa.

12. Apud

VI. XVII. XXIII. XXV.

12. Apud Pancimedem. Mulier cum abortierit peius affecta fuit, quam si fuisset puerpera, ideò laborauit morbo acuto cum labore partus cum symptomatibus abortus. Quod verò sponte aut casu abortierit: ex signis est tertij modi. Primum potuit esse ex infantis imbecillitate, hoc minus malum quã si casu: Et contra si ex humorum prauitate deterius quam si casu. Animaduertendum quod præter hæc cum morbus fuerit vâldè acutus, & ideò indigebat coctione celerrima: excrementorum autem tenuitas tanta & tam generalis facultatis naturalis ad quam coctio & separatio & crisis pertinent summam imbecillitatem declarabat, si ad exitum respicias mortem certam: si tempus quo peracutæ febres exterminantur? septimam diem: cum facultas expultrix esset valida signum fuit bonum: quod tamen sollicitando mortem accelerauit. Reliqua plana sunt, obiit enim ex magnitudine causarum & symptomatum & naturæ morbi. At de his sermonem me non habiturum ab initio præfatus sum: nec nugari in litterulis nullius vsus placet.

13. 3. Epid. 11. primi ordinis.

13. In hac fuit retenta materia ideo plura symptomata, non tamen adeò debilitata, sed res peruenit ad phrenitim. Signa propria lethalia cœperunt à quarta die, oculus dexter distortus: sudor frigidus secundum caput & extremitates frigidæ. Quartum detyrium: in Quinta deiectiones multæ & meræ: vrinæ paucæ tenues, sed subnigræ: De paucitate mirum non fuit cum deiectiones multæ forent in aluo, considerare oportet quod exacerbabatur in imparibus: sed quoniam quarta licet sit par, est tamen indicatrix, ideò in quarta licet fuerit exacerbatus morbus in sexta per eadem transiit, & mortem ad sequentem diem transtulit, imparem criticam & longius distantem ab initio morbi lethalis & in deterius labentis perpetuò. Ideò si quis dicat quæ dies est perniciosior sexta an octaua? dicam sextum ostendere sæuiorem morbum, octauam occurrere viribus imbecillioribus, propter errores tamen sexta plures occidere consueuit. Hæc igitur comparatur præcedenti vtraque ex abortu: sed illa ex morbo propriè ad vires comparato: Prior vt putat Galenus secundo aut tertio mense, hæc quinto abortiit: lumbi dolor tametsi in præcedente non sit subsequutus ob fœtus paruitatem, in hac accidit. Quæ enim abortiunt aliæ largè expurgantur, quod optimum est illis: aliæ lumborum dolorem incurrunt quod periculo non vacat: aliæ febricitant & vterus & caput si vexetur rarò euadunt. Phreneticum fuisse Galenus affirmat, Ex sudore pauco frigido circa caput & cum delirio hoc non definit solum quid sit, nam constat esse delirium constans: sed an cerebri inflammatio alias dictum est, vt præsenti proposito satisfaciat dicemus ex primo Prorrhetici. Et introductorio phrenitim esse bilem cum delirio perpetuo ex bile flaua in cerebro vel eius membranis, aut saltem in septo transuerso coaceruata. Et hæc sententia proxima est veritati. Galenus autẽ illum quid esset ignorauit: aut locus in quo id docuit iniuria temporum excidit. Et hæc est vna ex his quæ vix sanari potuisset etiamsi ab initio admota fuissent auxilia. Verissimile enim est ex prauitate humorum abortisse minimè integram cum sectio venæ tot humoribus prauis extra venas positis illos intro traxisset purgatio non sufficeret extra educere ob dolores & concursum ad vterum relinquebatur vnica spes in morbi longitudine minimè expellenda.

14.

14. In mendacium foro. In hac præter signa communia puerpera secunda & in fine XII. In XI. quoque malus vomitus XII. & XIII. itidem, sed peiora per vomitum singultus conuulsionem ventriculi ostendebat, quamuis per se sit signum tertij ordinis: solum restat vt de sanguine narium vt in congruo morienti: cum ipsum calidum, & à natura protrusum, & cuius finis causa indicare debemus? Non expurgatam probè, cum die partus febris inualerit planum est: redundauit ad caput in hora mortis quod erat paratum iuxta præcordia, & vt in lac transiret: ob iuuentam enim & sanguinio tenuitatem expressum fuit & collectum iuxta faciem, & venæ iugulares forsan intumuerat, adeò vt vel constitutione mortis, aut euaporatione inflammationis: & vel laxitate oris venarum, aut tenuitate sanguinis effluxerit singuli modi sunt satis: vnde in quatuor deueniunt.

15.

15. Parius. Cum legerem ab initio historiam huius dicebam mecum, hic potuit sanari si rectè curatus fuisset: Verùm cum occurissem verbis illis: Repetiit febris si quando intermitteret essetque lenior, nam ferculis multis vitiosisque vtebatur. Non solum admirabar de iudicio huiusmodi, quod homines etiam vident in rebus fortuitis sæpius contingere: sed confirmatus sum in opinione. Opere pretium igitur me facturum video, si qui ægri ex his qui moriuntur serò seruari possunt breui diffiniero. Hoc autem à notissimis incipiendo si diffinimemus, Morbi qui ex compositione pendent & eo modo substantia corrupta intereunt, serò tamen vt fistulæ internæ & carcinomata seu interna, siccitates præterea vt ventriculi vel pulmonis. Et sub his comprehenduntur senes vltimi senij, in his parua aut nulla spes superest sanandi illos etiamsi triennio superessent. Et generaliter omnes qui insanabilibus morbis laborant, velut ex raritate substantiæ. At quidam morbi materiarij sunt qui comparati ad homines vel ob ætatem, vel ob structuram, vel ob symptoma præcipuè vigilias aut seruitutem, aut vitæ genus qui diutius proferuntur nec tamen sanari possunt. Indicium ergo spei est aliquando verè melius se habere in omnibus omnia enim sunt mutabilia. Igitur in Pario hoc cum dixit febris continua & ardens, declarat quod genus acutæ fuerit: cum dixit soporosus & in somnis declarauit vaporum ascendentium diuersitatem in calore, & frigore, non tamen siccitatem excedentem, nam dormiit: siccitas autem non tollitur maximè breui. In sexta omnia corruerunt: Delirium excrementa omnia pinguia in suo genere. In octauo sanguinis stilla, vomitus malus. Par erat vt decimo grauaretur: non

accidit:

accidit, imò alleuiatus est, XII. tamen vrinæ & deiectiones deteriores (sed cum symptomatis potius quam signi rationem obtinent, & multæ sunt, potius pro bonis quam malis habendæ, exonerata enim natura à materiis communibus concoquit licet non antea) febris acuta. XI. & XVII. non bene, cũ vtroque die sudauerit. A cibo abhorruit, soporosas erat, ambo vel lethalia vel longitudinis morbi signa. Quin etiam casu quodam cibi abominatio mortis causa est, quod prauis ægri vel astantes vti velint. At XXXIV. à febre fuit liber, aluus tamen non substitit: rediit calor sed liberior fuit in XL. verum à cibo abhorruit, quod signum erat prauorum humorum communicantium ori ventriculi id præcipuè ex distillatione, si à cerebro: vel à ventriculo ex mala victus ratione quod minus malum est, aut sine: Ex iecore vel liene, fuit autem, vt testatur ex mala victus ratione ex parte saltem. Postmodum reuertebantur febres inconstanti ordine. Circa recidiuas deliria vrinæ crassæ sed malæ & conturbatæ. Deiectiones autem contra multæ sed tenues: febres continuæ cum aluus subsideret cruda & feruida, quod soleo damnare in Romanis vinis quæ cruda sunt & feruida, vt augeant simul & bilem flauam & crassos humores, vt nil perniciosius. Duabus antithesibus quod potuit malum docuit. Verum præcipua causa harum materierum fuit calida temperies non expers putredinis in iecore & ob id imbecillitas, & ex vtroque, & ab effectu, & ab origine in eodem obstructio. Si quis huic sanguinem misisset secundum rationem fecisset. Superest vt dicamus de vrinis oleaginis, illæ conspiciuntur in hecticis manifestæ vt etiam pingues: ergo dubitatio Galeni est ex suis: nam omnis vrina oleagina est ob colliquationem solidorum & pessima non tamen omnis vrina quæ videtur oleagina: ergo dubitatio est nulla: cum sit solum de comparatione nominum Galeno consueta, qui composuit tot libros, vt ipse testatur de Grammatica, & vbique talem se præstat, nec hoc dico quod ipsum ignorantiæ damnum, sed quod ob nimiam in illis eruditionem & studium minus se exercuit in seriis & vtilioribus: quomodo autem vna ab altera dignoscatur ad libros eius argumenti pertinet.

16.

16. In Thaso ad frigidam, Corollarium hic tractationi præponi debet: plus enim continet quam illa, vrinæ huius perpetuò nigræ erant tenuesque & aquosæ, soporque consequebatur, cibum non sumebat, animo erat deiecto, insomnis, iracunda, implacida, melancholica. Ergo quod ad historiam attinet hæc quarta puerpera fuit quæ iam dum in vtero gereret ægra, non purgata in partu, ideoque tertia die ab illo febre acuta correpta: octaua die plurimum omnia exacerbata sunt delirio & deiectionibus prauis. Cum vero morbus XXVII. die in dextrum corendicem diuturno & graui dolore decubuisset: in XL. remisit cum vrinarum tamen cruditate, & mutatus est in tussim magnam & humidam quæ LX. cessarunt nullo signo coctionis præcedente, nulla euacuatione, nullaque transmutatione succedente, verum maxilla dextra contracta est, & subsecutus sopor ac delirium, abhorruit à cibis, cumque rediisset & febris & maxilla ad locum suum, manifestum fuit imminere mortem: obmutuit ergo, inde ad mentem rediit, die LXXX. obiit. Hic habes omnia aperta, causam mortis, contractionem defluxionis ex femore ad pectus, post ex pectore ad maxillam: tertio ex maxilla ad ventriculos cerebri post ex illis loquuta est. Vt hoc solum relinquatur mirabile (nam de reditu illo ad superiora potuit esse copia cibi, aut frigus vel animi mœror, vnum quod si tum rectè curata fuisset non obstitisset) ideò hoc solum declarandum, & cur in VIII. die adeò exacerbata sit. Primum quidem magnam & nobilem difficultatem habet: contingit enim plurimis paucis ante horis quam moriantur, vt videantur resipere & melius se habere, quod non ex mutatione materiei accidit: tam parum enim ante mortem quænam mutatio accidere potest? id ergo alia ex causa reuocatis spiritibus ob labores continuè passos tamdiu, & resolutas vndique vires. Vnde circa cordis meditullium & cerebri regiam congregantur, tuncque & nota rectè præscribunt, & de futuris quandoque admiranda præsagia dicunt. Ad diem verò octauam producta est grauis symptomatum accessio, quoniam materia crassa erat, & vires satis robustæ, vnde morbus etiam diuturnus euasit, & anceps iudicium cum multas mutationes exciperit.

17. Lang 3 Tertij. Epid. ordinis. 2.

17. Pythio. Plurimi qui cum tam violentis indiciis morbis corripiuntur aut in intermittentes febres veniunt, aut declinantes in mitiores & breues breui sanantur: sed si natura eorum euicta sit per continua incrementa feruntur ad mortem vt hic, & indicium plerumque à causis præcedentibus sumitur, nec tamen si qui sic se habuit in ferendo quæ supra vires sunt citò præcipitatur in mortem, qui hæc non passus est aut facile euadit, aut tandem saltem, aut non talia patitur. Hic ergo à secunda die lethale signum passus est, frigebant manus & caput obmutuit voce defectus (hoc declarat Galenus quomodo deterius sit quam obmutescere: nam obmutescere est locutione priuari, voce defici est non posse non solum loqui sed neque clamare Diu breuispirus. Prauitas potest dici de tempore, & vocatur celer: aut spissa, seu ex ambabus frequens: aut ad spatium pectoris, vnde it reditque & vocatur parua: cum ergo neque paruam neque frequentem dixerit sed breuem per breuem intelligit paruam & frequentem, atque in hoc ergo declarat refrigerationem membrorum spiritualium. Vnde rectè subiungit rediit calor. In quarta cum accessiones fierent per dies pares eadem tria mala signa passus est (nam Quartum fuerunt causæ vehementes quibus decidit in membrum) superaddidit vrinam nigram. Finem tamen Quartæ mitiorem vt etiam Quintæ initium, & contra finem Quintæ, atque initium Quartæ laboriosa. In sexto non mitiora fuere quæ ad exacerbationes: dolores autem ventris grauiores: ob quos clysterem immisit. In octaua aduenit accessio & reliqua sed superadditu spiratio exilis & imminuta, vnde manifestum ipsum

ipsum laborasse in partibus spiritualibus, & vt Galenus docet cum in prima die cœperit laborare acuta febre, tamen secunda die peruenit ad illam refrigerationem, & hoc docuit esse in causa materiam putridam ac venenosæ qualitatis non expertem, quæ quamdiu putrescit adeò calorem naturalem absumit & extinguit, vt finita accessione remaneat homo tanquam mortuus. Et hoc perdurat donec iterum in sequenti accessione calor succendatur. Ergo in huiusmodi casu calor naturalis singulis accessionibus fit minor, & ad interitum homo peruenit. Oportet igitur in huiusmodi febricitantibus hoc cognoscere & palam est quod eiusmodi ægri offenduntur nedum non iuuantur, imò grauiter ab exsoluentibus omnibus sectione venæ medicamento inedia vigiliis cucurbitulis etiam siccis. Dubium est de frictionibus quoniam calorem excitant alia parte: si quid prodesse potest Theriaca, vnicornu, Pezar, & fortan quædam magis propria vnicuique generi, & sunt e seminum genere & quæ prohibent putredinem: velut instrumentum aut substantiam qualitatis venenosæ, est enim longiuscula inquisitio: cum scire quod diximus sufficiat. Alter modus est in febribus Diaphoreticis syncopatibus. Et tertius in syncopatibus humorosis aut ab ore ventriculi, vt sint quatuor modi (ad quos omnes alij traduci possunt) quorum trium satis perfectè curam docuit Galenus in Methodo ideò supersedeo. Reliquum est quoniam aliquis dicere posset nonne hæc est accessionis ratio? Dico quod in accessione non obmutescunt nec priuantur voce, nec fiunt breui spiri nisi ex vna illarum quatuor communium causarum dictarum: vel ob vitium oris ventriculi, vt in decimo Methodi: Secundo in hystericis passionibus: & ego eam vidi in Patritia muliere Virginia Bentiuola Bononiensi in duabus ægritudinibus diuturnis: atque in singulis durauit hoc symptoma plusquam per quinquaginta dies: & curata fuit à me & suo medico familiari: & Castoreum inter cætera multum profuit. Et potest demum accidere ex tertia peculiari causa vermium. Item à veneno epoto, vsque fungorum & esu carnium aut piscium putridorum. De spiratione exili & imminuta dico quod comparanda fuit breui, cum ergo in breui sit frequentia iam & paruitas & hæc sit minor, igitur oportuit quod in ea foret diminutio non solum in vtraque longitudine temporis & descensus ita quod pectus parum attolleretur, sed quod esset parum lata & alta, dico altam parum nunc non comparatione profunditatis sed altitudinis corporis aërio, qui respiratione trahitur & expellitur, ita vt cum sit spiratio ob asperæ arteriæ formam sub cylindrica forma antea cum esset sub maiore, tunc erat sub minore.

Lib. XII. c. III. IV. & VI.

18. languen 13. Ep. o.d 2.

18. Caluus. Femur dextrum doluit, & obiit in Quarta, Galenus hac in parte nihil prorsus dixit, nisi quod si à causa pro catartica, vt casu sinistro minus esse metuendum. Quin etiam mittendum sanguinem contra Hippocratis præcepta. Materia enim turgebat, & quoniam nimis multa erat, nec sectione venæ detrahenda, nec fomentis irritanda, sed valido medicamento purganda. Indicio febris non solum acuta, sed etiam ardens: Et quod vbi remissus est dolor materia occupauit cor & cerebrum: ob id frigiditas extremorum vigiliæ febris acuta multa vrina: natura protrudere sed infœliciter conante: ideo mala. Et cum dolore desiit delirium: ideò statim obiit absque inflammatione, nam si decubuisset iuxta loci rationem diutius perdurasset, ac motus mirum in modum actionem adauget. Huius curam tamen non omnino desperandam duxissemus, & eam, quasi insinuauit Hippocrates ab initio vomitu opus erat, inde fotu præcordiorum & victu dissecante & attenuante.

19. languen 13.

19. Apollonius in Abderis. Carne bubula lacte vnde nil mirum esset eleuatum fuisse præcordium multo minus si iam eleuatum fuit ob hæc obiisse, dico dextrum & cum dolore. Vnde inflammatio fuit in mesaræo vsque ad cauam iecoris pertingens, indicio erant vrinæ tenues ac etiam nigræ: deiectiones variæ: frigus extremorum, soporosus & insomnis, perpetuum delirium febris cum rigore, & cum capite consensus: materia fuit crassa, ideóque febres non acutæ, sed obliuio, obiit ergo serius vt in XXXIV. occupato cerebro vt lethargus factus sit.

20. v. lang. 8.

20. Puerpera, ex gemellis febris horrida & acuta & atræ bilis dominantis signa manifesta. Vrinæ postmodum pessimæ tenues nigræ & oleosæ quæ calorem significant colliquantem, nam quod in deiectionibus pinguedo in vrinis oleosum, ideo Galenum consule duodecimo Artis curandi: & sufficit: Cur autem tamdiu perdurauerit (obiit enim in XIV. motus ad inferna in causa fuit, & aluus liquida: & menses quos verisimile est licet imperfectè defluxisse, qui dum virtus valida fuit prodibant.

21. lang. XV.

21. Dealcis vxor. Huius morbus fuit cum delirio & mala spiratione quæ ambo cerebrum laborare grauiter declarabant. In nona die delirium multum inualuit in XIV. quod maius symptoma fit circa spirationem quam rationem: facta est cum spiritu raro & magno ac rursus breui supra: à prima itaque die vellebat floccos & delirabat in XIV. læsa respiratio. Cætera erāt signa ad secundum genus pertinentia aut ad primum. Secundi enim voco quæ sunt præludia aut partes primi: ad quem cuncta signa pertinent quæ secundum naturam sunt, licet mala ex ordine vt accessio, exacerbatio, dolor capitis, sitis, vigilia imbecillitas, vrinarum cruditas ab initio aut si mala sint ob magnitudinem, licet sint genere secundum naturam vt nuper dictum: Et hæc appellaui communia: nam delirium conuulsio frigus extremorum in febre calente & continua non sunt signa communia sed propria, & primi generis quia habent causam notam. Ergo à XVII. amisit omnem rationem & non poterat potum transmittere, quod vt reor non ex difficultate loci accidebat, sed quia transglutire est opus sensus rectricis qui etiam est communis (vt palam est) omnibus animalibus. Et ideò est motus voluntarius: capiendo voluntarium vt medici appellant XX. ad mentem rediit; muta breui spira. Huius reditus cau-

ſam ante docui, non tamen tantum ſuperfuit virium ob breuem ſpirationem reor maximè vt loqui poſſit, cum antea etiam multum defatigata loquendo eſſet. Alias docuimus quod ſpiratio breuis & frequens velut in acceſſione laborantibus intra horas XXIV. ægrum moriturum nunciat. Subdit huic fuiſſe perpetuò ſpiritum rarum & magnum nihil ſentiebat: taciturna omnino aut ſemper loquebatur: perpetuò ſe contegebat & Phreneticum fuiſſe. Quare ex dictis XXI. die mori debuit vt etiam accidit. Quod vero dicat perpetuò fuiſſe cum magno & raro ſpiritu, & in XIV. quod talis fuiſſet & rurſus breui ſpira clarum eſt vt etiam Galenus exponit quod perpetuò ideſt toto morbi decurſu intelligendum eſt. Hæc autem phrenetica non fuit purè phrenetica, ſed vt Galenus rectè docet ex bile & melancholia (congeſta in cerebri ſubſtantia non membranis multominùs in ſepto tranſuerſo) vixit diutius cum à prima die talis extiterit tum ob febrem ad manum tenuem, tum quod aliquantulum dormiret, fuit enim materia in loco cerebro ſuperiore miſta ſanguini pauco ſupra falcem. Et ideò mitior quod ſymptomata talia eſſent ſed omnium phrenetidum magis inſanabilis. Hæc igitur paſſa eſt febrē horridam, hoc per ſe bonum, quia intermittentis ſignum: cum dixit acutam deterius quia continua, & validè motus cum iunguntur deterius horrida acuta: nā horrida deberet diſcutere. A febre ardente habito rigore ſuperueniente fit ſolutio: at hæc non diſcuſſit aluus irritabatur bonum, ſed cum nil demiſerit malum: irritum enim naturæ opus & moleſtiam inſuper addidit: admonita paululum bibebat, delirij ſignum cum ſitire debuiſſet & rationis lædi inchoationis ſi antea deliraſſet bonum: febres ad manum tenues bonum ſed cum his quæ anteceſſerant & quæ in nona die ſecuta ſunt maximè lethalia: talia propriè ſunt medicorum quæ circumuertuntur ad comparationem & vocatur ſyndeome nulli alij communis. At ergo hic ſolum deeſt quod ex comparatione habetur & cui comparari & quomodo? hoc autem dictum eſt alias: velut ſimili ortu, effectu, fine abſceſſu, concauſa, loco ſympathia, antipathia, ratiocinatione, diuiſione, comparatione in vino quod offendit ventriculum natura & cogendo cibum: iuuat proprietate, ſomnum prouocat, ſitim accendit: eandem cruda illuuie in ventriculo relicta prohibet ſexqui alterum decuplum, chilias totum: tempora occaſiones & cætera. Vltimum eſt conſecutio & ex ea collectio & quæ ſequuntur, ex nde electio, atque demum incertorum euentus auxilia & reliqua. Vt quantitas principium: Igitu euacuatio totius: poteſt enim augeri, quare remoto impedimenti: & ex facili ablatio intemperies: & reſtitutio operationis: Et rurſus materiei euacuatio cuius principium non eſt quantitas, ſed motus naturæ ob quantitatem: igitur mutatio magna in corpore ob motum (hoc autem principale.) Ideò magnum periculum & magna cuſtodia eſt opus. Quare ex mutato ſtatu alia ſubinde vt de Germano in Æthiopiam degente. Inde ſeges conſiderationum periculorum cautionum & auxiliorum. Namque cum ad multiplices cauſas deuenerimus non quemadmodum ab initio, vnum aut duo ex vno ſed quatuor aut quinque perſæpè ex prioribus proueniunt. Inde (quod maximè aduertendum) ex omnium conſenſu perſæpè mutatio priorum in contraria. Et quaſi euerſio, vnde diligentia tum ſingulari opus eſt: idque eſt quaſi apex totius operis & induſtriæ atque inuentionis. Non enim idem in medicamento quod educit, vis enim in illo adiuuat ideò minor naturæ motus & cætera quæ ſequuntur. Eſt etiam alter modus ſeu reducitur ad hunc ab his quæ inſunt à cauſis, à coniunctis atque contrariis. Et vt Poëtis ad dignoſcendas ſyllabas plurimum conducit memoria carminum, ita eruditio memoriáque dictorum authorum celebrium, quæ adducendo impingimus in vnum ex his quatuor: inde per præcedentem modum ex vno duo tria quatuor, tandem deuenimus in ſplendores de quibus dictum eſt.

22. Adoleſcens in Melibæa, vinum & vnus præcipuè iuncta maximè euertunt hominem, ſiccant plurimum, calefaciunt corpus, lædunt cerebrum, & ventriculum, & in adoleſcente propriè cuius ſanguis eſt calidior & ſubſtantia mollis & rara. Spiritus magnus & rarus per interuallum oſtendebat futuram continuam noxam, obſeruaui ſæpius eiuſmodi malam coniugationem vel ſic præterquam in vno omnes peremiſſe, perpetuam autem lethalem & vt in pluribus celerius mortem ſuperuenturam ſignificare. Vrinæ quoque tenues & egeſtiones dilutæ ac biliosæ, omnia phreneſis futuræ prænuntia. Perpetua cordis palpitatio & hypochondrij contentio ſubmollis ab vtroque latere declararunt ſepti tranſuerſi inflammationem, cum aliis ſignis ſupradictis. Delirium ab initio in prima die modeſtum fuit ob iuuenis prudentiam cum ſæuierit in XIV. inſanuit in XX. obiit XXIV. Egeſtiones aut multæ & tenues aut biliosæ & pingues. Vrinæ oleaginæ diſſolutionem & colliquationem manifeſtè oſtenderunt. Delirium vocat mētis aberrationem abſque motu violento, cum illo ſi ſit, inſaniam, ſuppreſſa eſt vrina. Dixi cauſas ſupra, hic fuit motus ad aliam partem & obliuio non ſolum virtutis animalis ſed naturalis expultricis. Sed cur ab initio non ſitiebat, non ſitiunt quia non abſumitur humidum vel quoniam non ſentiunt ob delirium aut quia extincta eſt facultas animalis ac naturalis ſimul. Humida enim ſubſtantia indiget, & frigida qualitate vt homo ſiti careat, propterea dixit Philoſophus ſitim eſſe appetitum frigidi & humidi. Atque hic appetitus ſit in ore ventriculi vt Galenus & iure affirmat: nam & fumes proculdubio ſentitur ibidem, contrariarum vero idem debet eſſe ſubiectum. Quamuis ob ſaporum cognitionem quæ eſt in lingua plures fallantur exiſtimantes ibi fieri ſitim. Et licet ſuis contingat & à pulmone, & corde & iecore ac vtero & renibus ac cerebro, vel ob deſtillationem aut abſque, tamen contingit communicato affectu cauſæ cum ſtomacho id eſt ventriculi ore. Et licet ſalſa deguſtata & lingua arida efficere videantur ſitim? appetitus

22. lang. XVI. Hoc expoſitum habetur Theoricè in Memoriali Practicè c. 1. ſect. 6.

2. de Anima 9. de vſu part. c. 11.

petitus tamen manifestè in ore ventriculi non in lingua est licet causa potest esse in ea primum. Et ideò cum causa sitis possit esse vel euacuatio humidi suauis, vel resolutio aut calor vt colligitur Quarta Aphorismorum, ideò extinctio illius fit ab omni sapore frigido: sunt autem eiusmodi insipidus maxime inde acidus post acerbus demum astringens: Et post quodcumque humidum quod adeo est abundans vt calorem obtundat magis substantia quam exacuat qualitate. Vt dulcia & pinguia & magis austera. Vnde vinum eiusmodi extinguit sitim trifariam: substantia humida: qualitate austera, quæ est pars acerbi, vnde aliqui falluntur in cognitione eorum saporum & facultate quia nutrit, & nutrimentum licet sit natura calidum modo non exsiccet plus extinguit quam irritet sitim. Aqua magis extinguit sitim refrigerando quam vinum alias minus cum non nutriat nisi parum admodum, sed toto nutrimenti abluit bilem, aut educit vel extinguit. In adolescente ergo isto non desiit sitis ob id quod multum biberat & iecur truxerat ad se partem dulcem, & feruidam id est aquam ardentem ideò relinquitur pars aquosa & persæpe acida, ideò non sitiebat. Indicio fuerunt excrementa quod etiam ad curam impedimento fuisset cúmque bilis in ventriculo efficere soleat quatuor symptomata vt ferme colligitur Tertio in Primum sitis vigilia fastidium cibi & vsque ad nauseam & amaror hic in lingua: fastidium & nauseum vnum in ore, aliud in fundo ventriculis vbi etiam sitis, vigilia verò in cerebro: distinguendum est quando vnum non aliud quando plura. Sitis fit cum resolutio magna est aut calor maximus ac tenuissima in substantia quorum vtrumque accidit in salso vt declaratum est alias: salsum enim est ex igneo & aqueo: acre in crasso magis & minus igneo, erodit tamen magis quam in terreo. Ideò demiror de Galeno qui bili amaræ sitim ingentem adaptet, cum terreum si crassum sit amarorem ostentat: & siccatis partibus crebri excitet vigilias si vero communicetur ori ventriculi etiam sitim facit maximè si tenue sit idest aqueo mistum, amaror ergo & cibi fastidium se consequuntur: sitis autem humidam substantiam: delirium & vigiliæ vapores ascendentes, hi ascendunt ob febris vehementiam, ideò febris vehemens & assidua parit vigilias ex quibus confirmata intemperie delirium. Ergo si delirium citra hanc accidat, tamen adsit: causa est in capite & est deterius, si omnino desit? insania quæ periculo vacat. Putredo enim est causa mortis, & sitis ab ea est inextinguibilis vt ita dicam: & quæ ab his quæ ei proportione respondent: vt esu carnium viperarum. In quarta autem Aphorismorum docere quod ex tussi extinguitur sitis in ardentibus febribus: si materia ad locum attracta, seu refrigerato corde quod sitim efficit maxima ex parte: seu quod indicium sit materiam morbi esse potius crudam & frigidam quam biliosam & puram: nunquam enim potest esse expers bilis.

CONSILIA MEDICA

AD VARIOS PARTIVM MORBOS SPECTANTIA.

CONSILIVM I.

De Dolore Capitis & sibilo aurium.

Scribitis Præclarissimi Viri naturalem cóplexionem esse caliditatis maximæ cum viuacitate operationum, Cerebri calidi sublimidique; Iecoris calidi, quantum verò ad totius habitudinem spectat, esse mediocrem inter extrema: adeo vt quadratus homo possit appellari: caluum celerrimè factum esse, nec sensibus vigere, quæ duo potius siccitatem quam humiditatem iudicare videntur, Scribitis quoque eum pati antiquum capitis dolorem periodicum qui semicrania à nonnullis; à Gal. 2. *de compos. medicam. secundum loco* cephalea nuncupatur ac pati etiam continuum sibilium annis dextræ cum grauitate, cerebrique primario affectu in præsentia his morbis laborare, & anno superiori à tali dolore in coma incidisse. Licet cephalæa tam à frigidâ quam calida causâ possit prouenire, sibilus ille tamen continuus cum grauitate comáque anni superioris materiam potius crassam & frigidam indicat, à qua vapores fuliginosi eleuantur, cui fortè aliquid materiæ calidæ à membris inferioribus transmissæ, prout scribitis, posset admisceris. Pro his malis affectibus remouendis præsidia quæruntur quæ licet à medio absente vix trahi possint, tamen scribam quæ mihi magis idonea videntur, & in primis in regimine potus & cibi, euitentur cibi flatuosi omnes & caput vaporibus replentes, atque crassum & viscosum nutrimentum dantes, quorum enumerationem præsenti medico relinquimus. Vinum verò sit mediocris potentiæ & saporis, & substantiæ subtilis in colore altum vel medij coloris. Quantum verò ad curam spectat. Prima intentiò curatiua erit tantum corpus inani res: secundò, caput enarrare: tertiò,

tiò, auri læsæ localia applicarem, quartò, caput & cerebrum robustiora reddere, ne ab inferioribus membris malam suscipiant. Sed prima intentio curatiua in primis præmissa ventris lenitione mittendus erit sanguis ex vena humerali, quam Arabes appellant cephalenum in ea quantitate quæ ætati, virtuti, plenitudini, anni tempori conuenit: vbi materiæ plenitudo nulla adesset omitti posset sectio venæ postea totius purgatio facienda cur cum infra scriptis pilulis, sumptis prius his syrupis videlicet. ℞. oxymellis symp. syr. de stillade de succo encliuiæ bona ʒ. ʃ. aquæ bertonicæ boraginis ana ℥ ij. Postridie capiat pilulas cochias in quantitate à medico præsente, inungenda, censerem tamen non minorem quantitatem quam ℈. iiij nec maiorem quam ℈. V. seruatis his quæ seruari debent in similium medicamentorum assumptione. Pro secunda intentione exequenda cum masticatoriis aut his quæ inter nares ponuntur suppositis diuersionibus solitis quæ semper fieri debent, & in aliis intentionibus exequendis vtendum erit zinziberé, pipere, vel piretro stafisagria, vel syrupi capiendo parum de quolibet istorum vel de pluribus & cum mastice vel vna passa facere masticatoria. Inter nares, vtendum erit succo rad. bliti, vel succo maioranæ, vel succo radicis ireos. Vel facienda sub forma inunctionis tali modo videlicet.

℞. Succi rad. bliti, artanitæ, ireos ana ʒ ß. olei ireos & elaterij ana ℈. j. Et cum modico ceræ fiat linimentum molle ad inungendum nares.

Pro tertia intentione vtendum erit istis, instillando in aures. ℞. cinamomi, anisi, rosarum ana ℈. ij. rad. ireos ℈. ij. Subtilissime puluerisentur & cum ℥j. oxymellis & modici aceti aut vini fiatque Linimentum, vt possit instillari in aures.

Item ℞. Ellebori albi, castorei ana ℈j. Puluerisentur & dissoluantur cum oxymellite vt prædictum est. Item ℞. Corticis rad. Ellebori nigri, rad. Ireos, Castorei ana ʒ. ß. Et similiter cum oxymellite aut aceto dissolue & intra aures instillentur.

Pro quartâ intentione conuenit vsus pulueris subtilis garyophyllor. & macis super commissuris capitis, & præcipuè Coronali, admiscendo tempore calido vel santala, vel rosas. Fiatque Lotio capitis, præmissis diuersionibus, vt super dictum est, singulis decem diebus cum lixiuio in quo sit primùm decocta verbena viridis. Potest & tempore frigido decoqui similiter menta, vel maiorana. Et ista sufficiunt.

CONSILIVM II.

De Cephalaligia vertigine, aliisque symptomatis ab vtero oriundis.

ILLVSTRIS hæc Domina annum agens circa trigesimum octauum temperatura, vt coniectura assequi potui, vel naturali vel acquisititia, quæ in actiuis quidem qualitatibus ad calidam vergit, in passiuis vero ad temperatam proxime accedit, licet longo iam tractu temporis, ratione caliditatis ad siccam parumper declinet, afficitur quàm plurimis affectibus, & symptomatibus & si non semper & assidue, sed per periodos & interualla, verumtamen sæpius torquetur dolore capitis, rarius vertigine, cardialgia, & hysterica passione, atque vniuscuiusque morbi propria est curatio. Ideo horum omnium affectuum propriam substantiam nouisse oportet, vt à quoque illorum curationem incipere possimus, & quid primum aut secundum, quid magis aut minus agendum sit, intelligamus. Nam qui inter se distincti sunt, initio sumpto abeo, quod magis vrget distinctè sunt curandi. Qui vero sunt impliciti seorsum eximi non possunt. Qui autem vel ex morbi natura, vel ex partium conditione alteri connectuntur, posteriores non tollentur, nisi sublatis prioribus. Quibus vero causa non desiit, ea ante affectum amonenda est, hæc autem non amouetur ratione, nisi prius optimeque cognita fuerit, hæc comparatur diligenti inuestigatione eius quod perspicuum est, vt inde in abstrusas & occultas causas deducamur. Nam quod ortu & causarum ordine est postremũ primò nobis se manifestè offert (is enim est de quo maxime conquiritur) quod quidem Symptoma in actione deprauata existit, ex situ & doloris specie nobis innotescit pars affecta, & causa continens, solæ membranæ in capite dolore afficiuntur, at qui dolor vsque ad radices oculorum pertingit ergo internè afficiuntur, dolor autem est acer, pungens, & quandoque pulsans & frigidis iuuatur, ergo fit ab humore, seu vapore bilioso, & quandoque sanguine tenui membranas internas feriente, hanc autem materiam prius aliunde illapsam excipiebat caput, inferiorum quidem partium consensu præsertim vteri & ventriculi nunc vero temporis diuturnitate partim essentialiter læditur, partim aliunde excipi vapores præcipuè (qui cum per arterias in cerebri ventriculos feruntur amplexu choroide variè spiritus impellentes sensus & motus turbulentos reddunt. Ex quo sequitur aliud symptoma quod partes occupat, ex quo omnia circumagi videntur & vertigo dicitur, quod autem hæc partim per consensum partim etiam per se, & essentialiter fiat ostendunt nobis signa demonstratiua communia quæ & sedem affectam, & morbi speciem, & eius causam nobis demonstrant, hæc autem sunt aurium tinnitus dolor capitis assiduus. Nam quolibet leui de causa ac fere singulis diebus hoc dolore affligitur quandoque etiam cum aliqua grauitate, adhæc oris amaror, sitis valida, & ventriculi morsus hi autem partim in ipso ventriculo gignuntur, partim aliunde fluuiunt, gignuntur quidem. Nam ventriculus natura calidioris est temperaturæ, & sicuti optima concoctio fit à calore temperato ita diminuto fit cruditas: eo vero supra modum aucto fit ciborum corruptio seu inquinatio qui in bilem versi vel quoquomodo putrefacti vapores edunt quæ caput & cor feriunt. Qui per consensum fiunt, hi originem trahunt tum

ab vtero tum etiam a fœcibus inteſtinorum retentis contigit enim, vt quandoque per octo dies integros nihil excernat. Detinentur autem feces in laborante (meo quidem iudicio) duabus de cauſis, tum ex circumiacentium partium caliditate eas ſiccante, ex quo quandoque vrina eſt copioſior, tum etiam quia parum bilis tranſmittitur ad inteſtina, ex qua vis expultrix ſolet ad excretionem ſtimulari: hæc autem vniuerſa fere in ventriculum regurgitat, & os ventriculi vellicat quod quidem in hac Illuſtriſ. Domina admod. eſt eximij & acuti ſenſus, à qualibet enim re mordicante & à quolibet pharmaco afficitur. Quod autem copia bilis in ventriculo detineatur inter cætera nobis inditio eſt quòd ex pharmaco etiam leniente ingens eius copia educatur quod ſponte raro contingit vt etiam feces nullam eius tincturam habeant, ex his ſequitur animi defectus & cor ipſum ex prauis vaporibus loci propinquitate facile afficitur, cum præſertim ex ſœuiſſimis animi accidentibus labefacta ſit quorum etiam recordatione quandoque in ſyncopes incidit quibus ex cauſis aliqua intẽperies contracta fuit vt ex pulſus preſertim brachij ſiniſtri inæqualitate apparet. Illud etiam addendum eſt quod ſimiles & tetri vapores ex vtero attolluntur qui ſi in ventriculum, nauſeam patiunt: cum in membra reſpirationi deſeruientia fit anhelitus: cum in fauces, ſoffocationem timet: cum in cor, ſyncope fit; quæ forte leuior eſſet niſi ſponte & aliis de cauſis iam diu eſſet huic affectui pronum & aptum: cum in ſpinam, ſimile quid conuulſioni accidit: cum in caput (quod tamen rarius contingit) veternum ſoporem inducit hæc enim omnia ſepe conſpeximus contigiſſe in hac laborante noſtra. Hæc affectio quam hyſtericam appellant tribus de cauſis ſolet contingere, vel ex ſeminis retentione, vel menſium ſuppreſſione aut diminutione, vel ex alio quolibet humore putrefacto, hæc autem, illuſtris mulier vidua eſt, & menſes æquo parcius fluunt non ratione totius corporis nec omnino membrorum principalium, ſed procipue vteri, non ex eius refrigeratione aut tumore, ſed vaſorum obſtructione: vnde ſæpe tetro colore inficitur, licet vt plurimum ſtatim euaneſcat. Ad id igitur quod vltimo eſt inuentum, omnis fere curatio eſt dirigenda, Nam huius ſanatio ceteris conducit & ab eo auſpicandum cuius curatio alteri non officiat quod ſi aliqua in re diſſentiant, mediocritate vtemur: fieri autem poterit vt amotis prioribus affectibus qui partim locum cauſæ obtinent, poſteriores ſi non tollentur, ſaltem, minuentur. Nam affectus inueterati & ſtabiles etiam amotâ cauſâ penitus non tolluntur. Primò tamen cauſæ eſt ſuccurrendum. mox ipſi affectui: ab ea ducto exordio quæ ortu prima, & in inueſtigatione poſtrema eſt inuenta: abhac ad ceteras donec ad omnes affectus progreſſus fiat. Quamobrem cum præcipua ſit cauſa ea quæ ad vterum ſpectat & reliqui affectus hunc fere conſequantur. Ideo quæ ad ipſum ſpectant prius ſunt corrigenda: ex affectus ſpecie remedij genus nobis innoteſcit: ergo obſtructio tollenda, vel his quæ euacuant, vel detergunt, vel tenues & fluxiles humores reddunt: vtendi ratio ex partium conditione ſumitur. Remedia autem ſunt ea quæ euacuant & immutant, inter cætera ſumme euacuat ſanguinis miſſio, à qua auſpicandum eſſe cenſeo. Nam diminuti humores facilius à naturâ emungi poſſunt: ad hæc vniuerſum corpus refrigeratus præſertim hepar: membra enim præcipua vt prius dixi calidioris ſunt temperaturæ, vt ex totius habitu nobis inſpicere licet expulſu, exactionum promptitudine, & reliquis ſignis quæ ſunt temperaturæ conueniunt. Ideo primo quidem præſertim hoc vere ſecarem venam internam brachij dextri: poſtmodum tempore menſium ad ciendum naturæ motum ſecarem pedis venam, inde exhiberem ea quæ facultatem habent attenuandi, incidendi, detergendi, & aperiendi præter vehementẽ, calefactionem tale quidem ſit quod cæteros affectus non negligat, ventriculum, cerebrũ, & cor reſpiciat, & ſi quid adeſt ſeminis ſiccet, & ſi qui putridi humores reperiantur in vtero aut ventriculo, eos corrigat primo ſoluta aluo leui pharmaco vt Diacar ℥.j. aut electu: lenitiui tantundem vt de cocto facilior ſit aditus ſumat infraſcriptum decoctum continuando per plures dies.

℞. Bettonicæ m. j. ß. borraginis, buguloſſæ, capilli veneris, meliſſe, an. m. j. radic Cicore m. ß. dictami albi ℥. ß. matricariæ m. ß. cicerum rubreorum m. j. Sem. Rute ℥. j. decoquantur in iure pulli vſque ad rerum coctionem: inde coletur liquor de quo capiat ℥. v. Syruppi de acetoſitate citri vel limonum ℥. jß. ſumat ad minus bis in anno inde capiat infra ſcriptum pharmacum.

℞. Mirobalanorum citrinorum ʒ. j. ß. Senæ Polypodij, epiſtimi an, ʒ. ij. paſtullarum prunorum an. m. ß. florum cordialium. m. j. De conquantur in aqua Buguloſſe, meliſſe, capillorum veneris an. j. ß. vſque ad conſumptionem tertiæ partis: inde coletur cui addatur Sirupi roſati ſolutiui ℥. iij. Speriæ tueræ. ʒ j. ß confec. gamabus ℥. j. Poſt huius aſſumptionem ſumat cliſterem ex iure pulli & Saccharo & oleo violato: ad educendos verè putridos humores qui preſertim in capacitate & tunicis ventriculi detinentur ſingulis menſibus ſumat catapotia ex hiera, & quia ex aſſiduo vſu huius medicamenti poſſet ſubſequi aliqua ventriculo ſiccitas, ideo per tres aut quatuor dies poſt horum aſſumptionem capiat ptiſſanam addito parum cinamoni, vel ius pulli. Interim vero dum menſes fluunt vtatur balneis, in vnctionibus frictionibus, cucurbiculis, peſſulis, & ſeſſionibus, modo vno, modo alio auxilij genere: interim etiam ſumat decoct. acerum rubeorum cum rad. petroſilli & quia aluum vt plurimum ſponte non deiicit, poſt vniuerſales euacuationes adſciendum ventrem ſumat cocleat vnum paſſullarum, hoc modo preparatum alternis diebus aut ſaltem bis in hebdomada.

℞. Sene ℥. ij. infundantur per diem naturalem in aqua mellis actu calida: inde parum bulliat, & coletur: in qua colatura infundantur paſſullarum dulcium ℥. vj. &

decoquātur vsque ad aquæ consumptionem: postea condiantur Saccharo & cinamomo. Vel huius loco capiat Sacchari rosati vel violati ℥.j. cum Sene. ʒ.j. Quod si hæc non proficiat vtatur hoc clystere.

℞. Decocti maluatus in iure pulli lib. j. ß. olei communi ℥. vj. Sacchari ℥. j. ß. salis parum: fiat clister hoc enim emolientur feces: & irritabitur natura ad eorum expulsionem & forteforiuna tandem assuefacta sponte sua excretionem molietur. Quæ autem facta est in membris praua impressio longo temporis spatio est corrigenda & immutanda & præsertim optima, & exquisita victus ratione: huius maiorem partem sibi vendicant cibus & potus qui vt bellè nutruit optimè debent esse comparata in materia potuit tenui quam crassa temperamento potius in medio qualitatum existente: si id fieri nequit potius declinet ad frigidam & humidam quam aloquin: mediam non ferat: Nam biliosis bilis efferuescit, & vitiosi humores benignitate cibi destituti vires suas promunt, & sæpenumero in ventriculum irrumpunt. Quocirca cum ventriculus laborantis nostræ vitiosis humoribus & præsertim bile repleatur, cibo & potu eius vis est compescenda. Sit autem alimentum mediocre. Nam *nec Sacietas, nec fames, nec aliud naturam excedens bonum.* Vinum autem sit pauciferum quod minime caput repleat. Opportunum autem esset si aliquid etiam assumeret quod præter id quod totâ substantiâ familiare nutrimentum esset, aliquam etiam vim medicamenti obtineret, vt si quandoque prima mensa, in prandio vteretur ferculo ex borragine, buglossa, melissa, & feniculo vna cum passulis in optimo iure pulli preparatis: hoc idem etiam in cœna loco acetarij posset vti vna cum aceto rosato & parum aquæ & passulis. A prandio vero & cœna vtatur aliquo cibo adstringenti sicuti sunt pyra sub acerbo, cytonia: hæc enim non solum ad alui digestionem faciunt, verum etiam ad vaporem qui in caput attolluntur, colubitionem, hoc etiam idem magis præstare poterit si post carnem transactis duabus horis, cum lectum petit, sumat Sacchari rosati ℥.j. tum ad reprimendos fumidos vapores, tum etiam vt quodam modo cerebrum ex quadam veluti frigida aura refrigeratum sommum capiat & quiescat. Quod si longiori ac profundiori somno vtatur (plurimam enim noctus partem insomnem ducit,) & melior fieret distributio, & vniuersa membra magis humectarentur, & vires ex longa quiete validiores facilius putridis vaporibus resisterent: presertim vitale, quorum maxima habenda est ratio, & illis prospiciendum tum his quæ vim habent alterandi, tum etiam his quæ facultatem habent tota substantia putredini resistendi, quæ medio vaporum non solum per venas & arterias verum etiam per cæca spiracula in cor ipsum effertur: & si non substantiam, saltem spiritus inficit; hic autem debet assiduè vti sicuti sunt diabuglossatum, diaborraginatum, diacherime, Theriaca mithridatium, Syrupus de acitositate citri, & similia ad hoc, munctionem, epithemata, licet horum ob mammas non adeo facilis sit transitus ideo laudarem, vt assiduæ huiusmodi iaculum ferret quod quidem tale sit.

℞. Florum Borraginis, Buglossæ, Violares, melanglorum, an. m. ß. foliorum melissæ, rosarum an. m. ß. corticum citri, ligni aloes, Sandalorum an. ʒ. ij. ß. croci ℈ j. musci, ambiæ an. gr. ij. misce. His per actis spero etiam capitis symptomata leuiora: quod si non cedant etiam capiti tanquam parti per se affectæ erit consulendum. Quocirca ad vacuandos spiritus turbulendos non in conueniens, esset arterias post aures secare, hoc enim auxilio quam plurimi prorsus à vertigine liberi euacere. Ad hanc rem etiam consulo vt quandoque vtatur mirabalanis citrinis Sacchàro conditis, nec non saluia Sacchàro preparata. Pro capitis verò dolore primo euacuanda est materia si quæ adest, & reuellenda & deriuanda postea intemperies immutanda. Vellem vt vena post aures secaretur, & quandoque cucurbitulas occipitio & scapulis imponeret & capiti adhiberentur tempore præsertim afflictionis, refrigerantia sicuti sunt oleum, à qua & acetum omnia rosacea; hic enim solet summopere iuuari. Idoneum etiam esset præsidium si in brachiis fieret cauteria: & si hæc non proficiant, forte non inconueniens esset si auxilium peteret à Thernus lucensibus: hæc enim corroborare, & alterare possunt. Quod etiam idem præstare posset, si balneis dulcis aquæ, & tepidæ tempore æstiuo vteretur. Nam totius ambitus humectaretur, & calor internus foras euacuaretur, & difflaretur: tametsi eam in pristinum statum salutis inducere aut possibile esse censeam, non solum in eum qui ante morbi causam quod nunquam fit, sed nec in eum qui ante morbum fuit. Quod si id fieri possit ægrè & longo temporis spasio fiet. Nam longi morbi longam etiam requirunt curationem. Agitur autem annus decimus nonus ex quo in omnia fere huiusmodi symptomata incidit, atque vertigo grauiores morbos solet præcedere epilepsiam & apoplexiam: Syncope verò maius mihi negotium facessit, Nam qui sæpe absque manfiesta causa animi deliquium patiuntur repente moriuntur, quod Deus auertat in hac illustri muliere.

Consiluim pro plurimum Ill. Comitissa Donna Ysabella de Luna.

CONSILIVM III.

De Incipiente melanc bolia hypochondriaca.

LAnguens noster Sacræ Theologiæ Professor Christianæ Religionis defensor, ætatis suæ annum trigesimum secundum agens, temperamenti calidi, & humidi, elapsis mensibus variis animi passionibus conflictatus, à variis affectibus præter naturam breui

breui temporis interuallo fuit laceſſitus cum manifeſto vitæ diſcrimine. Octo menſium ſpatio tùm alibi cùm in Vrbe ſingulo ferè menſe à tertiana exquiſita, vt plurimum notha, ſubdominante puituitâ cum aliquali portione melancholiæ detinebatur, ipſumq; vnà cum febre citra pathognomonica ſupradictarum febrium ſigna vigiliæ inquietudo, ſitis, oris amaritudo, palati ariditas, linguæ ſiccitas, in appetentia, ſudor copioſus vniuerſalis, frequentiſſimus, vomitus moleſtiſſimus, copioſæ deiectiones ſuperuenerunt; Medici languentis ſaluti conſulentes febris ideam morem, motum, magnitudinem contemplantes, ſymptomatum cauſas, methodicè inueſtigantes ad Chirurgiam, pharmaciam, diætamque veluti ad ſacratiſſimas anchoras confugientes febres audacter ſuperarunt, cunctaque ſymptomata expugnarunt.

In præſentiarum miſerrimus patiens, immunis à febre, hypochondriaco affectu iam incipiente, flactulentáque melancholia contaminatur: de vtroque hypochondrio iuſtæ querelæ; ibi tentio percipitur, non negligenda durities apparet. Præſcriptus affectus præter naturam eſt morbus in mala compoſitione, dependens ab obſtructione meſenterij: generatur ventriculi ac iocineris læsâ facultate, & ab errore externo: ventriculi concoctrix in læſione labefactatur ab intemperie frigida: diminutus extat innatus calor eius, hinc vitioſa chylificatio, vt fluctuationes inſinuant: flatuum generatio vt ructus, & rugitus teſtimonium perhibent. Epatis quoque ſanguificatrix labefactatur, & impeditur: ab intemperie pluſquam deceat calidiori, vt vapores inde acres tetri vigilias timorem, ac mœſtitiam generantes, fidem faciunt. Impeditur verò à multis obſtructionibus ibi genitis viarum anguſtiâ, ac tranſeuntis craſſitie, vt tentio, & dolor facillimè nobis ſignificare poſſunt. Externus ventriculi error extat chylus craphus, tenax, & viſcidus, meſenterium petens genitus à deprauata prima concoctione, quam ſecunda corrigere nequit. Externus iocinoris error eſt ſanguis fœculentus, impurus, ater, per aduſtionem genitus in meſenterio detentus, imbibitus, ibique infardus. Hinc imminet manifeſtiſſima ſuſpicio ſi temporis iactura celebretur, ne vera hypochondriaca melancholia, aut hydropica paſſio ſuperueniat, languentémque aſſiduè cruciando ex hac vita ſummo Religionis Franceſcanæ honeſto clamore tollat: hac de cauſa noſtra extant conſilia iecur refrigerare ventriculum calefacere, obſtructiones, vapores diſcuteret caput corroborare, cunctaque viſcera corroborare & cor exhilarare.

Iubemus ſanguinem ex vena communi fore extrahendum. Plenitudo quoad vaſa, & vires nullo præſente prohibente iubet audacter venam fore pertundendam. Hyrudines venis hæmorrhoidalibus veniunt affigendæ, & applicandæ, vt antiqua, ſibique conſueta ſanguinis fœculenti euacuatio in præſentiarum ſuppreſſa, reuocetur, & ab imminenti melancholia vindicetur.

Frictiones ieiunæ ſingulo mane deſuper infra vergendo exerceantur, ac geminata cauteria adimpleantur, vnum brachio dextro; reliquum ſiniſtro cruri vt epatis feruor compeſcatur, ac vapores deorſum vnà cum humoribus retrahantur.

Exonerata natura à congerie excrementorum primarum viarum cum præſentia mellis roſacei ſolutiui, ſyrupi roſacei ſolutiui, & mannæ electæ cum decocto cichorei, & borraginis iuſſimus humores fore præparandos cum iure paruæ pullæ ſine ſale, & pinguedine, alterato à cichoreo, borragine, lupulis, endiuia, meliſſa, capillo veneris, & conſimilibus, ſub hac lege, vt ante præſcriptum brodium deuoret duo coclearia ſyrupi de pomis cichorei ſimplici, & mellis roſati Zuccarini.

Viribus conſentientibus ſignis concoctionis apparentibus, ſubſequens pharmacum deguſtabit ſyrupum de polypodio, mel roſaceum ſolutiuum, ſyrupum roſaceum ſolutiuum, reobarbarum, & conſimilia cum decocto cordiali.

Purgato corpore iubemus vltra alia generoſa auxilia, electuarium ſcilicet de chalybe, ius antiqui galli, potiſſimum aquas thermales Lucenſes, ſiue de Villa nuncupatas fore deguſtandas, cum hac inuiolabili conditione, vt mutet cœlum, ad patriam regrediatur, ibique diligenter, hilariter facillimè ordinatè ſupradictas aquas bibere ſibi liceat, alioquin vani erunt labores, inutiles conatus, poterítque aqua ſupradicta magis ſibi nocere, quàm prodeſſe.

Mandamus vt ſi fortè fortuna cuncta ex ſententia non cadant, morbique reliquiæ ſuperſint, eadem viſcera adhuc langueant, conficiantur ex ſpeciebus eleſcof præparatis, aut diarrhodonis Abbatis, vel aromatici roſati tabellæ, ſiue communiter rotulæ nuncupatæ, earúmque duas deguſtet in aurora cum duabus vnciis vini abſintei.

Poteritque ingredi in balneum aquæ dulcis antea ventriculo cum oleo maſticino inuncto, tegumentóque conſueto contecto idem de iocinore venit promulgandum.

Non negligimus epithemata epatis & cordis more conſueto, ac ordinario fomento fore ventriculum fouendum commendamus.

In regimine victus vtatur horis conſuetis præſcribendis à medico aſſiſtente alimento facilis concoctionis, leuis diſtributionis, optimi ſucci, laudabilem, hilarémque ſanguinem generante, veluti in genere carnium hædina vitulina vtriuſque pipionis, auium, & conſimilium comprobantur, Vinum album dulcedine deſtitutum, tenue, ſibique familiare. Ac de hoc viuendi genere ſapienti languenti ſatis eſt inſinuaſſe. Hæcque omnia per modum epilogi in Collegio noſtro pronuntiata deſeruire videntur inſtitutæ prouinciæ fraternæ, in memoriam Platonis dictum reuocando, Corporis ægritudines ab animi morbis dependere, & cum ſapiente triſtem ſpiritum oſſa exſiccare, & vt in foro conſcientiæ liberè fateamur, nihil boni ℣. Patri contingere poterit, ni animus componatur, timor, ac mœſtitia ab eo recedant, animique paſſiones penitus repudientur, cœlumque mutando, locum natiuitatis quàm primum videat.

CON

CONSILIVM IV.

De Melancholia affectu.

NObiliss. & Illustriss. Vir. Dominus Stipulleus Catenas, prudentissimis parentibus natus, annum ætatis trigesimum septimum agens melancholia affectu laborat à quo non continuè, sed periodicè per lata, & dilucida affligitur interualla, qui affectus, cum versetur circa intellectus principes operationes lædens, imaginationem sibi & nobilissimis eius affinibus valdè molestus est, & eo magis, cum suæ sanitatis tempore iucundus satis, amicorum amator, & in suis gerendis negotiis prudentissimus sit: cum autem huius affectus, sicuti omnium qui ab humore melancholica pendent, tarda, & rebellis sit curatio, fit interim, vt ipse omnes sibi vel amicitia vel affinitate coniuncti ardentissimo eius recuperandæ sanitatis flagrent desiderio: vnde ad præclarissimos medicos animum applicant, sperantes eorum Doctrinâ, & longo experimento aliquod proponi remedium, cuius ope cito, & perfectè sanetur; vt hos autem absentes commodius consulere valeant, ea omnia quæ affectus Historiam, corporis temperiem, & huiusque applicata remedia concurrunt, breuiter à me in ordinem redigentur.

Exordiens autem à primo; affectum esse melancholiam, à medicis vocatam penes me vnquam ambigi non potuit nam vltra ea omnia signa quæ à Galeno Paulo Apostolo, & reliquis enumerantur, adsunt illa duo, quæ ab Hip. tanquam duo caracteres hunc affectum designantes proponuntur metus videlicet & mœstitia sine manifesta causa exacerbationis enim tempore multa timet, quæ timida non sunt, & maximo afficitur mærore: vnde quâcunque leui causa cogitur in lachrymas, interrogatus sæpè non alloquitur, vel insigni cum difficultate; hominum consortia vt plurimum abhorret quæ omnia ex deprauatâ imaginatione originem trahunt (sola enim hæc inter principes animi functiones, læditur) memoriâ, & discursu manentibus illæsis; eâ verò detinetur semper deprauatæ imaginationis ratione, vt quæ facit, loquitur, cogitat, existimet esse grauissima peccata quæ tamen nulla ratione sunt, quapropter hac imaginatione falsa, deceptus rectè discurrens ex peccatis Deum optimum maximum offendi, & mortis æternæ periculum subiri, in insignem metum, & mœstitiam incurrit; Ex hac pariter deprauatæ imaginationis ratione continet innumeris circa peccata, quæ committere existimat, inuoluitur dubiis à quibus detentus ne vllo tempore animo quiesceret, non alloqueretur, non comederet, neque etiam (quod maximum est dictum) loco vbi tempore innatæ dubitationis inuenitur, moueretur nisi aliqua vel medici, vel astantium persuasione, nisi alicui confidenti, communicato dubio, huius solutio in scriptis ab aliquo Theologo habita, sibi referatur, ex qua declaratur illud non esse peccatum, cuius contrarium in mente ex deprauatâ imaginatione sequitur. Hâc habita dubitationis solutione, quasi è vinculis solutus gaudet, comedit, & loco mouetur applicantur remedia, & omnibus quæ à medico & astantibus præcipiuntur, redditur obediens sed paruo temporis spatio, nouæ suggeruntur dubitationes à quibus pariter eadem ratione subleuari necesse est & talis perdurat rerum deprauatio visarum circulatio, quousque multis remediis, & multo temporis interuallo applicatis euertitur. accessio, qua euersa, & ablata, iucundus statim, consortij amicorum amator, & prudentissimus iterum euadit.

Incepit autem affectus, vt de eius tempore, & moribus loquar circa annum eius ætatis vigesimum quartum, quo tempore satis longa, & rebellis fuit accessio, & ab ea multis euacuationibus sanguinis missiones & Balneo aquæ dulcis fuit subleuatus, & pariter subsequentibus quinque aut sex annis semper ineunte voce idem superuenit symptoma verum mite satis & placidum & quod ex solâ corporis diligenti tamen ex purgatione in fine verni tẽporis quiescebat: sed postquam nobilissimum hunc virum in facta vniuersali, & diligentissima corporis euacuatione per vomitum eo tempore curaui quinque annorum spatio ab hoc grauissimo & molestissimo accidente extitit immunis, & etiam eius sanitas vlterius fuisset conseruata nisi ei insignis superuenisset mœror ex morte Illustrissimæ & sibi dillectissimæ Nepotis, vnde & multis aliis animi angustiis, data occasione, anno superiori ineunte vere, in antiquum incidit affectum, qui grauis satis, & molestus fuit, perdurauit enim trium mensium spatio à quo reiterata sanguinis missione corporis euacuatione congruo victu, & balneo aquæ dulcis in principio æstatis fuit liberatus, adeo vt semper superioribus hyeme, & autumno Iucundissimè se gessit, & frequentibus comessationibus & largo potui fuit deditus, quare iterum in principio superioris veris in grauissimam incidit accessionem quæ etiam ad præsens nobilissimum virum infestat, nec adhuc consueta medicamenta, sanguinis missiones sectam venam, & hæmorrhoidas, & balnea potuere liberare quamuis accessionis vehementia aliquantisper appareat refracta: tali igitur affectu tanto tempore eâ deprauatæ imaginationis specie, hic nobilissimus & Illustrissimus Vir. maximo mœrore detinetur & affligitur.

Cum itaque expositis signis clarissimè pateat, affectum huius nobilissimi viri esse melancholiam quæ ex sententia Galeni non vnicum habet suæ generationis modum cunctationem melancholicis hoc commune est quod cerebrum eis afficitur sicut patet ex principis facultatis læsione quæ in cerebro tanquam in propriâ sede secundum medicorum placita perficitur. Cum autem hac affectione cerebrum secundum Galenum Paulum, & reliquos tribus modis lædatur primo quando est læsum per essentiam, & primario affectu: secũdo quando toto corpori

pori compatitur. Tertiò quando naturalibus membris, vt in eâ quæ in flatiua, & Hypochondriaca vocatur: illud à nobis ante omnia considerari oportet, quis nam sit in hoc ægrotante læsionis modus, & quæ melancholiæ species: huius enim quæsiti cognitio adeo curationi conducit, vt sine hac non nisi ex accidenti sequi possit.

Quòd ad hoc igitur pertinet quæsitum, apud me clarum est cerebrum per se, & primario affectu hucúsque non fuisse læsum, quamuis ex diuturnitate affectus hoc valdè timendum sit, perpetuus enim non est affectus, neque continua imaginationis læsio sed multo tempore conquiescit. Deinde à tali accessione quandoque subleuatur, nullo remedio capiti applicato, quod signum magnifacit Hip. quando dicit *morbum ostendit curatio*. Neque est etiam alia Cerebri læsio, quando naturalibus compatitur membris & fit melancholia Hypochondriaca, & hoc facillimè deducitur eo quòd omnia desint talis affectionis indicia, quæ verbis Dioclis à Gal. *in tertio de locis aff.* recitatur nam cruditates, acidi ructus, æstus in præcordiis, flatus, ventriculi vehementes dolores, ab assumpto cibo coctu difficili, spiritum humidum, & multum, præcordia sursum conuulsa, subleuari ex vomitu, alui deiectione, & ructibus in hoc viro nunquam fuere, nisi forsan ex insigni errore commissio in cibo vel potu apparuerit aliquod cruditatis signum. Concludendum igitur alium esse læsionis cerebri modum, quando toto corpori compatitur repleto sanguine melancholico; quod imprimis diuisiuo syllogismo ostenditur. Cum enim vti dictum est, affectus non sit factus per læsionem primariam cerebri, non per consensum cum membris naturalibus, quæ est altera melancholiæ species, sequitur ex necessitate quod ex vniuersi corporis repletione habeat suæ generationis causam: Hoc deinde firmius & clarius ex temperie iecinoris, & vniuersi corporis ostenditur: Iecur enim quantum pertinet ad qualitates actiuas, ex naturæ initiis, & semper fuit calidum: Primo enim hoc declaratur quoniam Bilem flaccam satis copiosè generat, ob quam febribus tertianis pluries fuit obnoxius: præterea venas habet latissimas quod præcipuum est Hepatis calidioris signum: In passiuis autem qualitatibus à primordiis naturæ nullus apparuit excessus, priusquam enim tali esset obnoxius symptomati, copioso, & optimo abundabat sanguine, vnde corpus optimè enuntiatum carnosum, crassioribus, & solidioribus musculis semper extitit, & ad præsens etiam adeo carne præteritum, vt solum à posito chirurgo vena sub carne sepulta aperiri possit, qua apertâ impetuosè & latissimè sanguinem nigrum, & crassum effundit, qui forsan in adolescentia floridus & benignior esse debebat, sed modo aucta Hepatis caliditate & ratione ætatis & malæ victus rationis in qualitate ciborum & in larga generosi vini potione (quo hæc nostra ciuitas abundat illud iecinoris temperamentum in passiuis qualitatibus ad siccum declinauit, & sic aptissimum redditum fuit ad generationem talis sanguinis melancholici ex quo facilè vniuersum corpus repletur, cui compatieus cerebrum talem melancholicum affectum producit: est autem cerebro hæc passio facilior quia per eius naturalem temperaturam cum hoc humore symbolum habet: est enim sicci temperamenti quod immatura caluities, & excrementorum carentia clarissimè ostendunt: in actiuis autem qualitatibus aliquam inclinat caliditatem, circa faciem, & oculos rubeo prædictus est colore & oculorum venas apparentes habet & denique facilius ambientis aëris tolerat frigiditatem Corpus deinde vniuersum, (vt de hoc loquar) calidum est, & ad siccitatem inclinat: quamuis enim carnosum sit tamen multo non est repletum adipe, pilosum autem & ad tactum aliquam præsefert duritiem: nondum sequitur exquisitè Hepatis temperamẽtum cum ei cordis benignitas aliquantisper resistat tali igitur iecinoris, & totius corporis temperamento, vnusquisque etiam non eruditus medicus facilè deducere potest, hoc corpus humore melancholico repleri, & præsentem affectionem producere posse. Hoc etiam sensatè ex sententia Galeni *tertio de locis aff.* vlterius declaratur cum ex secta vena accessionis tempore (uti dictum est) pateret, & crassus exeat sanguis; Quod si addamus Nobilem hunc vinum à tali accessione subleuari per remedia, quæ humorem melancholicum euacuant ab vniuerso corpore perfecta erit signorum syndromes, ex qua concludere necesse est læsionem cerebri in nobilissimo viro esse causatam per consensum ab vniuerso corpore. Et hæc de affectus Historia, & totius corporis temperie dicta sufficiant.

Reliquum est vt postremo loco ea recenseantur remedia quæ pro salute huius nobilissimi viri fuere administrata: & sunt in duplici serie: alia enim respiciunt morbum factum & præsentem accessionem tollunt; alia vero futuram & imminentem propulsant accessionem. Quantum igitur ad priora attinet congrua semper ordinatur ratio victus in omnib. reb. non naturalib. præsertim autẽ in cibo, & potu: hic enim boni succi mediocriter humidus, concocta facilis, ac flatus expers præcipitur: Pharmaca humorem melancholicum disponunt, & illum euacuant, vena secatur bis, & ter, hæmorrhoides aperiuntur, aquæ sæpius reiterantur balnea, fouentur viscera iecur præsertim & cor, & quandoque cerebrum quod in prima accessione amouenda fuit factum, & ad præsens & faciendum curo: per interna pariter medicamenta, intemperiei viscerum & spirituum. Omnium habetur ratio de his autem particulatim non loquor, cum hæc doctissimo viro proponantur cui plus satis erit capita monstrasse. Ideo ad aliud remediorum genus me conuerto quod prohibendi gratia futuras accessiones illi est ordinatum. Consistit autem potissimũ in victus ratione quæ reliqua remedia in morbis diuturnis longè excellit hæc tamen nulla modo obseruantur, sed multi committuntur errores in cibo, & potu & circa animi affectus: Huic additur anniuersaria corporis euacuatio & viscerum alteratio, vt humoris melancholici generatio impediatur, &

& eiusdem in corpore collectio, propter quam intentionem à primo morbi insultu vtrumque crus fuit sibi vstum, vt paratis emissariis humor paulatim euacuat,posset & à capite reuelli.

Hic ergo fuit medendi modus, & applicata remedia procuratione,& præseruatione administrata quæ tamen hunc nobilissimum virum præseruare non potuerunt. Quapropter maiora satis, & grauiora petenda sunt remedia cum præsertim affectio,& maior,& grauior in futurum immineat:in consistente enim ætate quam attingit, & indeclinante proxima humor melancholicus in corporibus humanis copiosius gignitur,& abundantius colligitur, ideo oportet magnum adhibere remedium quod veluti sacrum Hepar contemperando huius humoris generationem impediat:vnde forsan non esset præter rationem deuenire ad potum alicuius aquæ thormalis quæ refrigerandi haberet vim; ventriculus enim commode eam sustineret. Et quamuis earum exsiccatio aliqua ratione timenda foret,attamen maius commodum ex refrigeratione subsequi potest quàm incommodum ex exsiccatione, & eo magis quia remisso calore naturalis humiditas dici, & voluit in viscere conseruarent,neq; etiam inualidum mihi videtur remedium quod ab Aetio præponitur serum nempe equinum vel bubulum largè, & copiosè assumptum: hoc enim & refrigerando, & leuiter humectando desideratum scopum obtinere posset, multa etiam alia pro hac obtinenda intentione remedia proponi possent à quibus desistere operæ pretium iudicaui cum hæc & multa alia ab excellentissimo & clarissimo Viro desiderentur cui omnia hæc, quæ dicta sunt tanquam informis & rudis materia proponuntur vt ab eo perfectionem, & nobilissimam suscipiant formam.

CONSILIVM V.

De Paraplexia.

SVpposita dispositione quæ est paraplexia & principium eius quam palam est habere originem à cerebro,& quibusdam carnibus circa lumbos:statu vero naturali toto calido & humido, qui etiam dignoscitur ex pulsu, & ex habitu carnoso valdè, & vitâ satis otiosâ: ventriculi autem dispositione frigida non naturali ob magnos lapsus in ratione victus:supposito etiam calore in modico ipsius pulmonis ac totius, dico primò quod custodia potest haberi tribus modis simplicibus & quatuor compositis ex his. Et primus est per rationem victus exactam, quam non seruabit & ideò de hac verba non facio: Secundò per purgationem vere & Autumno,& de hoc dicit Galenus *in libro quos & quando purgare oporteat* quòd melius est non purgari, his qui bonam rationem victus seruare nolunt, & proptera consulerem vt nec hoc præsidio simpliciter vti vellet.Tertium est vt permutaretur tota temperatura cum validis auxiliis, velut cum aqua ligni, balneis primò purgando totum corpus: & istud esset satis bonum, nihilominus oporteret moderari medicamentum propter nimiam caliditatem,neque huiusmodi videtur sufficere, quia statim ex inanitione rediret ad repletionem maiorem. Tandem consulo omnibus consideratis vt vtatur quarto modo composito ex omnibus quoniam est validior & commodior; incipiendo ergo à moderatâ ratione victus.

Abstineat ab omnibus acribus & maximè humidis vt sunt allia,cœpæ, porri, ab omnibus leguminibus, à carne suilla, à carne castrati, & agni. Vtatur auibus rostri non lati, & carnibus animalium agrestium,leporinis, capreoli,& cerui. Abstineat ab elixis: vtatur assis & his quæ in patinâ condiuntur (vocant pasteria) abstineat ab omni genere radicum: vtatur omnibus fermè oleribus præterquam caulibus,& lactucis. Vtatur petrosilio, fœniculo menta, ozimo, melissa, rore marino, saluia, betis, spinachiis. Rarissimè vtatur ouis, & nunquam albo eorum, caseo nunquam si potest vino albo semper, & leui, nigro nunquam, neque à prandio neque à cœnâ neque bibat varia genera vinorum. De fructibus omnes sunt mali possunt tamen edi qui leniunt ventrem vt pruna,cerasa, malæ sunt vuæ & pepones:bona sunt mala granata cuiuscunque generis,similiter arantia,limunia,sed in parua quantitate, citria, ficus tam aridæ quam recentes possunt edi,sed & pira,poma,cotonea cocta non tamen valde bona sunt: sunt etiam bona pistachia,pineæ non sunt bonæ, neque nuces, neque dactili,neque auellanæ multo minus, neque casteneæ, neque oliuæ, vuæ passæ sunt bonæ & cætera pro ratione.

Quoad somnum attinet. Prolixitas somni est melior quàm breuitas & moderatio est melior vtroque, & melior est somnus naturalis longior,quàm moderatus cum quis expergiscitur ab alio & non sponte. Exercitatio & longa deambulatio in loco spatioso, læto,libero, & tempore sereno & lenitas alui plurimum confert: & coïtus moderatus est etiam vtilis, sed si sit superfluus nihil deterius, & lætitia animi est vtilis omnibus & hæc de primo. Caueat tamen à potu aquarum glacialium & niuis & refrigerato per salnitrum,& à nimio vento tempore æstatis, & minuere potum ad minuendam carnē, & pinguedinem & pro hac vtatur istis tribus præsidiis.Primum toleret famem dicit enim Hippoc. *carnes habentibus humidas famem adhibere conuenit, fames enim corpora siccat.* Secundò vt vtatur herba illa cuius radix vocatur dictamus albus cum floribus suis capiendo drachmam mediam singulo mane per septem dies & vtatur pane bis cocto, & sunt qui vocant fraxinellam,sunt qui vocant ornicellum,seu ornum,sed non est ornus vergilij.

Pro secundâ intentione tempore veris & Autumni non malum est mittere sanguinem, atque inde purgare corpus hoc modo præparando.

℞.Mellis rosacei syrup. de Betonica an ʒ I.

aquæ

aquæ decoctionis saluiæ, rorismarini betonicæ, lupulorum fremiterræ ℥. misce. Capiat per quinque dies: inde purgatur cum catapotiis aureis aut cochiis prout videbitur medico, sed ad melius meo iudicio indis.

Tertia intentio est vt in fine aprilis, & sub initio Maij accipiat decoctum guaiaci, addendo tamen pro qualibet libra ligni vnciam medicam ligni santali citrini optimi & manipulum vnum endiuiæ: & procurare sudorem diligenter, cum his quæ adiuuant sicut esset destillare libram mediam theriacæ electæ per balneum mariæ, & in aqua ligni quæ accipitur loco sirupi addere medicam drachmam pro vice illius aquæ destillatæ ex Theriaca & continuare per triginta dies cum diæta solita.

CONSILIVM VI.

De Epileptico Insultu.

ACcepi literas tuas, & cum his quatuor Vngaricos aureos nummos, vt in rem consulerem Theologi illius de quo scribis: id verò per occupationes difficile fuisset, nisi quibusdam adiutus fuissem laboribus meis, quibus in compendium quæque redegi optima, diligentiâ tamen summâ annorum octo. Videtur morbus hic ex cerebro omnino pendere primò: an autem per se, ita vt non vitio inferiorum, dubium est: assentior autem de iecore: an verò ventriculi functio vitiata: fieri potest vt non sit vitiata, sed impedita, velut distillatione cerebri: postquam enim difficultatem spirandi efficit delata per asperam arteriam, vix fieri potest, postquam illa tot præsidiis munita est atque contracta, vt per gulam maximè hora somni non irruat portio. Sed & id fecibus poterit dignosci. Considerandum etiam quibus interuallis, & si videantur non æqualia, rediguntur ad causas cœlestes, quas considerare oportebit, aut ad errores aut circuitus: de quibus secundo de Differentiis febrium Galenus luculenter agit: hi euariant tamen ratione temporum ac victus. Vnde illud Hippocratis, causæ quidem ex se notæ, nobis autem ignotæ. Dicebat etiam Celsus, studiosi debilem habent ventriculum. Quapropter cum eruditus sit & iuuenis, laboriosum fuisse necesse est, qui si plurimo vsus est cibo quomodo ventriculum non debilitauit? Si pauco, quomodo non reliqua quorum calore adiutus ventriculus concoquit, Illud etiam præstitisset scire quanam victus ratione vtatur, & circa potum & venerea, exercitationem, quæ mediocriter tamen se habere verisimile est. At postquam destillationibus, & spirandi difficultate, & vertigine, tum raucedinibus tentatur, difficultas spirandi grauior est ac vertigo, nisi destillatio falsa esset, quòd esse prætermissum iusta ratione existimo, quia non adsit, neque salsedo, neque acris aut fœtidus sapor, at velle adiicere quæ non sunt, operosum esset, superfluum, atque inane: infinitum enim est quod non est. Ratio igitur curationis breuiter ab Hippocrate præscripta est generali ratione. Cum dixit morbi comitiales mutatione maximè curantur temporum, & ætatis, & locorum, & victus. Sed ætatis mutationem expectare hic & longum esset & forsan inutile: vt etiam in quinta innuit: quare nec locorum spem quærere debemus, sed quid simile, velut aëris. Tum verò rationis victus ac medicamentorum, eorumque magnorum ac præcipuorum. Manifestum est autem quòd, quicquid superfluum est, oporteret euitare, velut crapulam, potum copiosum, exercitationem, & studium, & scribendi operam, & somnum à cibo assumpto, eoque minus à cœna. Præterea venerem, cibos lentos, crassos, varios, intempestiuos, odoratos quoscunque, & omnes acres. Sed vt breuiter dicam, ordine recensebo.

Primùm vt à lecto surgit beneficium ventris procuret, si non sponte cedat, capiat butyri recentis libram vnam, salis tenuiter triti sextantem, seu vncias binas, misce bene, inde canalis à plumbo albo impleatur, Inde surgat & se exerceat, longa, sed leuiter maximè ab initio, exercitatione. Hora tertia diei sumat prandium, ante prandium paululum studiis incumbere potuit, hora quoque decima diei, vel vsque ad primam noctis, reliquis quiescat: si potest abstineat à vino prorsus, vtaturque aqua ex saccharo & cinamomo cum modico melissæ, aut radicis dulcis: ab hoc enim solo præsidio, quòd tutissimum est, longo vsu posset ab omnibus simul affectibus sanari. Si plus est assuetus sumere in cœna, cœnet sub occasum solis, si in prandio, hora noctis tertia. Eo quo vtitur cibo, vt leuiore, contentus sit pane leuissimo, & hoc semper aqua sua, vua Cretica passa, amygdalis contusis cum saccharo in torta coctis, vocant Itali marciapanum, tum verò & pineas ex saccharo, sed recentes & coriandrum & cinamomum: si hoc non fert, iure panis intingatur. Si nec hoc, sumat iecur gallinæ, oua dimittat, sed & tum à reliquis quæ dicta sunt abstineat. Si nec hoc sufficit, alam gallinæ in veru assatæ sumat cum pane, tum verò prope consuetudinem in quantitate, reliqua omittat. Ea autem vice qua plus sumere solet cibi, contentus sit ferculo, carne auium sed assata, & tragematibus huiusmodi quæ dicta sunt Nil omnino præter vuas aut ficus passas crudum edat. post cibum omnino quiescat. Si siti vrgetur, sumat mala punica, dulcia, aut arancia: aut cerasa acida condita, acetario nullo vtatur, sapa tamen licet vti, si modo vti velit capparibus sale iam olim conditis, & cum vuis passis, vtatur sæpe sphondylij radice sub cineribus cocta, aut demum, sed radius, multi cichorij. Si vinum relinquere non potest, longè difficilius negocium reddetur. Piscibus vti poterit, ex iure nostro, constat aqua, oleo, roremarino, vuis passis, cinnamomo, aceto, sed in fine. A lacte, & quæ ex his, abstineat omnino, & itriis omnibus & piscibus omnibus, iam diu captis, aut fœminis, aut squamma carentibus, aut qui corpore non sunt te-

nuiore ac latiore, vel non ex fluminibus claris. Stultum est cum peccauerit in generalibus, sperare salutem ex vsu alicuius herbæ. sed vel ex medicamentis. Somni tempus horarum lx.decubitus in lecto xi.caueat tamen à meridiano, quod si breuiori sit assuetus sensim efficiat longiorem, à prandio horis septem nulli incumbat rei, neque difficili neque studiosæ.

Pro medicamentis etiam quæ non profuere conuenient & etiam leuiora. Ergo sumat per plures dies syrupum hunc, ℞. saluiæ, rorismarini, melissæ, betonicæ, singulorum ℥. vi si non potest haberi succus, summatur siccarum herbarum m. ij. aquæ ℔ iiij. bulliant per xij. horas in duplici vase, inde exprimantur, & cum pari pondere sacchari ex medera, fiat syrupus,& in fine addantur santalorum alborum odoratorum,cinnamomi optimi sing. optimè contritorum pro libra ʒ. 15. Et de hoc capiat ℥. ij. absque aquis in mane per hor. iiij. ante cibum, vesperi autem ℥. j. ante cibum per horas iij. & post octo dies purgetur cum catapotiis ex lapide lazuli, sed orientalis, pondere ʒ. j. cum aqua vitæ, seu ardenti formatis. Hocque ter aut quater repetatur, dum victus ratio non sinit amplius quicquã morbo adiici. Dicebat Galenus. Vis videre quod ratio victus mala, sit causa omnium rediuiuorum morborum, quia interim non laborant. Et hoc innuit etiam in Arte medica. Post deueniat ad decoctum ligni guaiaci, mense Maij, & per xl. dies integros cum victu exquisitissimo. Et post per annum caueat à vino, & moderatè viuat: tum enim perfectè sanari poterit: poterit & secus sed imperfectè. Suffitibus interim vtatur ex santalis, rosis & myrti, & sicculis, tum addito thure aut ladano aut belzoi modico. Vtatur & floribus boraginis, nigra enim bilis multam gignit pituitam. Ad tempus autem myrobolani chebuli & emblici conditi proderunt. Decoctum radicis dulcis calidum potatum per se ira vt efficax tamen sit, siccata vidiri radice in furno, tum primum inde potatis ʒ. vj singulo mane ad dies quadraginta, & deambulando donec mingatur, multum proderit. Et si ventriculus offenditur, adde cinnamomum. Eclegma vtile ad hos morbos ℞. mellis despumuti ℔. j. resinæ piceæ quæ est candida & mollis ℥. ij. misce: & in accessione vtilis est. Hæc si non sufficiant rescribas. Vale XVIII. Calend. Ioan. M. D. LXIX.

CONSILIVM VII.

Pro Epileptico.

MAgnificus Dominus Simon Palauicinus, vt scribitur, temperaturæ à naturâ biliosæ, ad sanguinem nergentis, anno suæ ætatis duodecimo, post diuturnam tertianam dolores colicos intestinalesque. Trimestres habuit ex lenta pituita redundante, licet interdum biliosa vomeret, nec non cum febre minuta, totiusque corporis ingenti ex tenuatione, vt ab omnibus hecticus indicaretur, subinde materia ad cerebrum permutata morbo comitiali valido longoque correptus est, à quo aquæ sublimationis vini, aquam vitæ nominant, beneficio conualuit, & vsque ad annum suæ ætatis trigesimum primum sanus fuit, in quo in æstate valida, peste sæuiente, febri vehement acuta laborauit, cum capitis dolore, vigiliis multis, biliosoque Vomitu, necnon cum infectionibus sanguinis in tibiis, in modum lentis ad nigredinem vergentis, factoque à natura copioso sanguinis narium fluxu, febris & casus omnes sunt remissi, relicta parte materiæ crassiore, qua educta & ope medicorum adiutus conualuit. Paulo tamen post ex inordinatâ ratione victus dolor in imo stomachi cæpit aluo adeo compressâ, vt neque artis auxilio excrementa deiici possent, eo Ventris dolore cessante, intestinorum, dolore diutius affectus est. A quibus ex materiæ permutatione doloribus secundum omnes articulos laborauit, & ab iis ferè in membrorum incidit resolutionem, & cum medicorum auxiliis curatus fuerit, ac vsque ad annum suæ ætatis 28. vixerit, eo ipso anno nullo alio præcedẽti, morbo comitiali discruciatur: tum ex immodico venereorum vsu tum verò malâ in aliis rebus victus ratione. Accedit ad hæc quod mater post longam febrem ab colicis ad Articulorum dolores, & ad comitialem morbum deducta est, fraterque post febrem diuturnam in colicos & articulorum dolores incidit.

Quòd vapores eleuat à toto ex pituita dulci putrida sint huius magni morbi causa proxima, ea ratione scribitur quod cito absque artis auxilio ab accessione liberetur æger: tum quod spuma ex ore raro videatur: tum quia in accessionis aduentu non tristetur, nec doleat, sed potius lætetur, Vapores autem ipsos ex toto eleuari, ideo dicitur quod nullum particulare membrum læsum sit: Non esse vero morbum hunc ex primaria cerebri passione quia sentit æger ante accessionem vaporũ eleuationem, intellectus perturbationem, de quibus accessione finita recordatus, nulla ipsius accessionis remanente memoria, tum quia sæpenumero sentire videtur initium accessionis, quæ postea non succedit, etsi facies ad citrinum & aliqualem rubedinem mutetur, Vrina in substantia & contentis laudabilis est. Hæc sunt quæ mihi de hoc casu scribuntur, cui, vt quantum fieri poterit, occurramus, in primis intensiones curatiuas eliciam: subinde num possibile sit ipsis satisfacere examinabo postremò medicamenta & præsidia atque eorum commodum vsum, & rationem temporis & rationem quantitatis subiiciam, hoc enim faciendum esse in omni morbo auferendo docet *Gal. in lib. de constitutione artis medicatiuæ cap.* 13. *&* 14. intensiones curatiuæ omnes vel à morbo, & eius causa, vel à naturali temperie. vel ab aëre nos continente curari debere voluit *Gal.* 9. *de morbis curandis cap.* 14.

Suppositâ igitur naturali temperie, pro vt

vt ſcribitur, & aëris nos continentis qualitate quid ſit morbus comitialis & in quas cauſas ſit referendus.

Scire oportet quòd morbus comitialis auctore Gal. *tertiò de locis affectis, 5. de differentiis ſymptomatum cap. 3. & in 2. particula aphor.* 45. eſt affectus principes cerebri functiones, & ſenſus lædens cum totius corporis concluſione non perpetua, ſed temporis interualla facta. Ipſa cõuulſio caſu dicitur eò quod mot⁹ ſit, morb⁹ verò eſt cerebri obſtructio, vel ex eius contractione, vel ex craſſis humoribus, vel ex vtraque cauſa. Plures modos comitialis morbi poſuit Gal. 3. *de locis affectis* ſiue differentias ſiue genera dixeris nihil refert. Quibus commune eſt cerebrum pati vel primogenio affectu, vel per alterius partis conſenſum. Et quemadmodum melancholia fit vel ipſomet affecto, vel aliis conſentiente cerebro, & ipſummet affici bifariam ſit, vel ſimili humore melancholico redundante, qualis in cerebro continetur, vel eo tantum in cerebro contento eadem ratione morbus comitialis bifariam fit vel ipſomet affecto, vel aliis conſentiente cerebro, craſſo in totó redundante qualis in cerebro continetur vel eo tantummodo in cerebro contento.

Affectus autem cerebri per conſenſum in melancholia vnum duntaxat modum poſuit Gal. qui eſt per conſenſum ſtomachi nonnulli Hypochõdriacum, flatuoſúmque morbum nominant. In morbo comitiali duos poſuit modos alterum per conſenſum ſtomachi; alterum per conſenſum alterius partis, in qua paſſio incipit: deinde in ea parte vel propinqua ægro talem ſentiente aſſenſum vſque aſcendit: & hunc modum raro fieri, illum verò qui fit ipſomet affecto cerebro plurimis epilepſicis accidere dixit. De morbo comitiali per conſenſum alterius partis quam ſtomachi, Gal. dixit ſe vidiſſe per conſenſum, ab omnibus: Vidi ego, à digito pedis maiori, dixit Paulus à manu & digitis manus ac ab vtero eo tempore quo mulier vterum gerebat: dixit Auicennam ex liene & mirach, etiam ex toto corpore quod intelligendum eſt de muſculis toti adiacentibus quemadmodum loquitur Gal. 2. *artis medicinalis text.* 50. cum dicit totius corporis habitudo, &c. id quod Auicenna declarat dicens, illud autem quod nocet cum vapore malæ ſubſtantiæ & qualitatis eſt in toto corpore etiam ita vt ſit in digitis pedis & manus oſtendens non tantum à ventriculo & viſceribus aut internis membris aſcendere vapores malos ad caput, ſed etiam ex partibus externis, in quibus totius habitudo deprehenditur.

Cum itaque in caſu noſtro cerebrum nulli particulari membro conſentiat, vt ſcribitur, manifeſtum eſt, quod ipſemet affecto, cerebro, morbus hic comitialis ſuperueniat id quod etiam Auic. *in cap. de ſignis*, voluit dicens, *amplius ſi non in venis in membris neruoſis, & iu ſplene & epate, inquam, in aliqua extremitatum, in iuncturis nocumentum neque æger ſentit aliquid eleuari ad caput ex loco determinato, certificatur apud te, quod impedimentum eſt ex cerebro.*

Accedit ad hæc quòd ex medicamentis & præſidiis hactenus adhibitis morbus non eſt ablatus. An remiſſus ſit, & in aliquâ noxâ ſit in capite perſeuerans ex his quæ ſcripta ſunt agnoſcere valeo, neque quod æger in capite læſionem ſentiat priuſquam concidat, cuius finita acceſſione recordatur, indicat morbum eſſe per conſenſum, nihil etiam prohibet ex humore in cerebro contento vel ex vapore ab ipſo eleuato noxam inferri cerebro, priuſquam homo concidat, ſimilitérque lædi cerebrum, licet acceſſio ſubinde non adueniat, quod cito ab acceſſione æger conualeſcat, non morbum eſſe per conſenſum ſed facultatem, non paruam materiam acceſſionis ſuperare oſtendit, ſiue id ex facultatis robore ſiue ex paruitate ac materiæ benignitate contingat, & proinde raro ex ore ſpuma videtur, nec in aduentu acceſſionis æger triſtatur, faciem etiam ad citrinum aut rubedinem mutari humores vnde colores fiunt, indicat eſſe in capite, licet non ſemper in ea quantitate & qualitate, quæ acceſſionem morbi comitialis facere valent.

Huius morbi duæ potiſſimum cauſæ proximæ ſunt altera humores pituitoſi vel melancholici, quando cerebrum primaria affectione laborat; Altera vapores mali ad ipſum aſcendentes, quando per alterius conſenſum afficitur vt habet Gal. *in* 45. 2. in 16. 30. *in* 70. 5. *in* 50. *octaua particulæ aphor. in 3. de locis affectis cap.* 5. *&* 6. *in* 4. *eiuſdem cap.* 2. Et proinde Pueris, ſenibus & frigidis plus accidit, curaturque craſſorum humorum eductione, victu calido ſiccoque, ætate & regione ſimilibus Auer. 7. *colliget cap.* 21. ex eo quod morbi à craſſis humoribus facti ſunt diuturni, acceſſio verò comitialis morbi cito accedat & cito recedat, putat vapores ſemper malos, eſſe cauſam proximam morbi comitialis. Quod ſi ab humoribus craſſis in capite contentis fiat cerebrum primaria affectione laborare; ſi verò ab humoribus in omnibus, aut alia parte contentis ad cerebrum aſcendunt, ipſum per conſenſum affici dicendum eſt.

Neque tamen ratio conuincit, ſiquidem humores craſſi pituoſi vel melancholici cito cerebri ventriculos obſtruere, citóque ex motu cerebri contractiuo & concuſſiuo ex ipſis dimoueri & excerni valeant, quare non ſemper ex craſſis humoribus acceſſio morbi vel receſſio fiet diuturna, quinimò quod cito ex eo fiat & cito decedat, iudicatur apud Gal. neque à mala temperie, neque ab humore ſubtili comitialem morbum fieri poſſe 2. quandoquidem mala temperies cito decedere & humor ſubtilis cito obſtruere non valeant, & id præcipuè quando ex humorum fit obſtructione, id quod cognoſcit quando finito motu totius conuulſiuo remaneat ægri per tempus abſque ſenſu & motu, quod non niſi ex obſtructione contingere videt: Quando verò cerebrum per conſenſum afficitur ex malis vaporibus aſcendentibus finita conuulſione totius non remanent ægri diu ſine ſenſu & motu, cum non adſint tunc cerebri contractio, nec obſtructio. Verum quia ex comitiali morbo ex primigenia cerebri affectione facta, eadem ſemper

curatio erit adhibenda, siue humores crassi in cerebro contenti, siue mali vapores ab ipsis eleuati, causa morbi proximo ponantur, nihil ad rem facit controuersiæ determinatio, Medicus tamen quum sit artifex sensitiuus, quia nullum iudicium habet in comitiali morbo ex primaria cerebri affectione; quod mali humores sint in causa dicere debet eum ipsum morbum fieri ab humoribus crassis tanquam à causa proxima sicut & Gal dixit. Dubitatioñe facere videtur Auic. auctoritas in cap. proprio de epilepsia cum dicit & hæc quidem materia aut est sanguis dominans & plurimus aut phlegma, aut melancholia, aut cholera, & est parum, verùm intelligendus est Auic. quod à sanguine & cholera vapores eleuari possunt, qui morbum comitialem faciant id quod à Gal. non discordat, & quando Gal. dicit morbum comitialem fieri ex humoribus crassis pituitosis, aut melancholicis, non inficiatur eis aliquid sanguinis aut bilis admisceri posse, quemadmodum scirrhum ex humoribus crassis fieri dicimus interdum tamen scirrhum phlegmonodem aut erisipelatodem nominamus per bilis aut sanguinis admixtionem.

Ex his clarum esse puto in casu nostro si morbus comitialis sit ipsomet affecto cerebro, causam esse statuendum vel humorem pituitosum vel melancholicum: & quoniam alij omnes præteriti morbi ex humoribus pituitosis, vt scribitur procreati sunt, identidem in casu nostro iudicandum censeo, quibus forte nonnihil bilis aut sanguinis admiscetur, quemadmodum alij omnes sui morbi ex his humoribus diuersis dependebant. Idem persuadetur quoniam morbo comitiali ex humore melancholico laborantes magna ex parte melancholici efficiuntur, vt habet Gal. 3. *de locis affectis cap. 9.* & Hipp. 6. *de morbis vulgaribus propè finem.* Nullum autem indicium melancholiæ scribitur in præsenti casu. Quod autem in principio accessionis delectari videatur, sanguinem commisceri indicat.

Ambigunt multi an omnes ventriculi cerebri in morbo comitiali lædantur, Gal. 3. *de locis affectis cap.* 5. dicit lædi memoriam & mentem ægrumque nec audire nec videre, nec alio sensu sentire, & 4. *de locis aff. cap.* 2. dixit in sopore anteriorem in congelatione posteriorem; in epilepsia & apoplexia vtramque partem lædi neque fieri potest, quin omnes lædantur, quandoquidem in eo morbo totum cerebrum contrahitur.

Dubitarent multi, num morbus comitialis curabilis sit? Hipp. & Gal. *in* 45. *secundæ & in secundo sextæ particulæ aphor.* habent, quod morbi comitiales qui ante pubertatem fiunt, in eius ætatis tempore finiunt, qui vltra procedunt, commoriuntur magna ex parte. Pubertas autem anno 14. & ad 20. extenditur, & licet Gal. dicat duplicem litteram inueniri, duo tamen textus græcè impressi habent eas dictiones magna ex parte: vnde colligi potest nullum morbum comitialem esse prorsus incurabilem. Nam qui vltra 20. annum extendetur, licet magna ex parte curationem non admittat. Aliquando tamen curari poterit, præsertim si contingat accessiones fieri leniores.

Hæc sententia de comitiali morbo ex primaria cerebri passione intelligenda est, quoniam eum qui per consensum ex malis vaporibus euenit curari posse, inficiabitur nemo, & si forte integram perfectamque sanitatem in hoc casu consequi non valebimus, morbum tamen ex rectâ victus ratione ac opportuna curatione magna ex parte decessurum, & longe minus læsurum planè confitendum est.

His ita se habentibus eliciendæ sunt intentiones curatiuæ & quum morbus sit obstructio meatuum à crassa materia genita vel à ventriculorum parietibus inuicem cōcidentibus ex cerebri conuulsione, intentio curatiua erit obstructionis remotio, quæ fiet per expulsionem crassæ illius materiæ obstruentis, vel resolutis malis vaporibus cerebrum affligentibus, & quia non solum accessionis præsentis remotionem quam natura absque medici auxilio sæpenumero perficere solet, sed longe magis prouisione, ne accessio recedat desideram⁹. Intentio præseruatiua erit, prouidere ne postquam materia illa crassa remota fuerit, alia itidem generetur. Aëris dispositio quæ nunc hyemalis est, indicat adhibenda esse medicamenta vehementer calida. Naturalisque temperies cholera cum calidis esse procedendum indicat, quia victu ex medicamentis calidioribus vtendum erit, quam si naturalis temperies frigida & aëris dispositio calida forent. Quod verò non sit impossibile intentionibus his curatiuis & præseruatiuis satisfacere, ex eo ostenditur quod morbus comitialis etiam qui post annum 20. fit, non omnino est incurabilis vt supra declarauimus. Præterea nihil obstare videtur quominus crassi humores subtilientur, educantur ac eorum generatio ex victu subtiliante deuitetur. Et quia in præseruatione non modo causas internas, quas antecedentes vocant, mouere, sed etiam alias omnes cauere oportet, inquirendæ sunt morbi huius causæ externæ, quas euidentes & procatartica siue principientes nominant, primúmque ab aëre ordiamur sub quo anni tempore regiones, loca habitabilia, aliáque id genus comprehendimus.

Vernum tempus in causa esse in 3. *aphor.* 20. legitur quo tempore à calore aëris diffunduntur humores, quemadmodum plena corpora si exercitentur interdum morbum incidunt comitialem fusis humoribus ab exercitio quia vernum tempus obseruandum est, imò *Gal. in consilio pueri epileptici* iubet ineunte vere purgationem fieri. Autummus quoque ad hunc morbum præparat in iis qui præsertim naturam habent ad hanc passionem proclinem propter repentinam ad contraria mutationem, calor enim media die frigus verò in prima & vltima parte. Nihil autem esse dicebat Gal. adeo huius morbi accessiones, sicut talis varietas aptum generare, diligenter itaque curandum erit vt æger tali repentinæ mutationi non occurrat. Hyems sui frigiditate & humiditate pituitam generat, vertigines & apoplexias 23.

tertiæ

tertiæ aphor. Item pluuiosa constitutio epilepsiam & apoplexiam facit 16. *tertiæ*. Australis quoque constitutio replet caput vapore humido vnde vertigines accidunt 13. *tertiæ aphor*. vbi Gal. dicit de vertiginibus quid oportet dicere quæ proximæ sint comitialibus & apoplexiis, idem facit & humi degere ac propè fluuios & paludes, potissimum vbi crassus, humidúsque aër est. Adde regiones frigidas & humidas. Hæc omnia quantum fieri, oportet fugere, vel ipsis contrariis occurrere præsidiis, venti omnes validi, vehemens calor, & frigus, & quicquid maxime nostrum corpus commouet & concutit, morbum excitat. Mora plurima in sole, infusio aquæ calidæ super caput idem facit, materias enim in capite cumulatas commouet, & alias attrahit, præsertim in corpore pleno, odores etiam ad aërem reducuntur, qui etiam boni, quandoque commouent epilepsiam, & caput vaporibus replendo, & materias in eo commouendo, hæc igitur omnia vitanda sunt.

Fit iterdum morbus ex deliciis, quiete, & exercitij paruitate, quia non excitato calore naturali pituita superabundat. Generaliter Gal. *in consilio pueri epileptici* ferè summam curationis in conuenienti exercitatione, & euacuatione statuit. Plurimus tamen motus, & labor esse potest morbi causa, sicut omne aliud vehementer corpus commouens & concutiens, exercitationes prosunt & frictiones sed capiti post reliquos corporis partes adhibere, somnus & vigilia vtraque, si modum excesserint: pituitam generant, ille caput grauando, & corpus dissoluendo, hæc concoctionem impediendo vt habent Hipp. & Gal. 2. *de ratione victus in acutis textu vltimo*. sint igitur ambo moderata, sitque somnus nocturnus, nullomodo diurnus, ira, tristitia, ex alto res profundas inspicere, fulgura, aut quæ in gyrum vertuntur videre, audire tonitrua inter causas ponuntur, à Gal. *in consilio* agitantur enim humores subitis his motibus & ab omni excedente sensus obiecto.

Quod ad repletionem & inanitionem attinet, superfluitates omnes sunt expurgandæ, verùm coitus superfluus noxam facit & cerebrum debilitat, licet in homine qui diu abstinuisset, remedio esse possit, ex fame quoque & superflua repletione accidit interdum accessio morbi, quare fugienda sunt.

Ad cibum & potum accedendo, cauere oportet teste Gal. *in consilio* non modo in hoc, sed in omni morbo quæ mali succi sunt, Græci cacochyma dicunt ventrem stringentia, vaporosa, & quæ difficilis sunt concoctionis: in hac verò passione fugere oportet alimenta ex quibus pituosi, crassi ac lenti humores fiunt, qui potissimi morbi causa sunt, & eadem ratione deuitanda sunt omnia difficilis concoctionis; flatuosa deuitentur, quia morbus plurimum à vapore prouenit, quæ verò mali succi sunt & in morbis omnibus, & in sanis efficiunt tum & magis in hoc morbo cum ex humorum malitia, aut ventositate, plerumque oboriatur, iis vtendum est quæ attenuare & incidere valent, modo non sint insigniter mali succi, & caput odore malo suo non impetant. Particulares cibi & potus, quibus vtendum & à quibus abstinendum sit inferius in curatione describentur, deuitanda ea sunt, quæ à proprietate hunc morbum committunt, vt Apium suffites ex cornu caprino, & mirrha & Galbano, ex vngulis capræ iecur hircinum, & caprinum in cibo sumptum & odoratum. Ad curationem accedendo, quoniam diuersimodi huius morbi diuersam habent curationem: ab ea auspicabor, quæ & in iuuentute constituto & cerebro primo affecto conuenit, & vbi cerebrum per consensum à toto, vt scribitur, afficeretur, non minus accommodata foret post habita curandi ratione, quæ pueris & vbi per consensum stomachi, aut alicuius partis determinatæ cerebrum affligeretur, apta foret, cum ij modi in casu nostro non contingant, ordiarque à præsidiis, cum accessio viget opportunis. Partes tunc conuulsæ inungi, & in directum dirigi debent, oleum sit vel camomillium vel irinum, vel oleum anethimum, vel aliquid simile quod leniter molliat ac modicè calefaciat. Et tamen in rectum directio non sit admodum violenta, ne cerebro, vel neruis noxam inferat. Deinde os aperiendum, lignumque vel quid simile dentibus interponendum quoad facilitatem anhelitus, spumæ ex ore exitum, & vomitus prouocationem auxilio erit. Post cum penna & oleo irino illata vomitus prouocetur pituitæ extrahendæ gratia, licet enim frequens vomitus obsit materias ad caput dirigendo, tunc tamen vt æger ab accessione resurgat, auxiliabitur. Id tamen faciendum, vt dicit Auic. cum accessio pertransit præsertim & motus ille conuulsiuus, quo stante, vomitus haud facilè prouocari possit, odoramentis etiam & rebus acutis sensus est excitandus, Ruta videlicet castoreo, Galbano, Helleboro, Euphorbio, pipere, cucumere agresti, collochintida & id genus aliis: Hæc enim tam potentia licet in sacris interdum accessionem moneant fortem, commotionem faciendo, quando tamen vis sensilis sopita est non nisi à validissimis obiectis excitatur.

Clyster etiam acutus in accessione iuuat tum reuellendo à capite, tum etiam excitando sensum qui tamen longe citius cum iis quam iniiciuntur solet excitari, frictiones etiam ad reuellendum iuuant.

Paulus quoque concurbitulos praxordiis applicat & sinapismum pedibus ad sensus excitandos. Alexander testatur quod in accessione ipsa siquis de pollicibus pedum ægri detractum, labiis & fronti illinit, statim surget. De ratione victus multa iam dicta sunt. Hic particulares cibos & potus enarrabimus.

Qui namque sunt dicti, subtiliantis, boni succi, facilis concoctionis, non flatuosi prosunt. Contrarij noxij sunt, idcirco fugere oportet legumina, alimenta ex fœmina cum aqua subacta, azima necnon fermentata, quæ sunt elixa, risum, milium, Panicum, carnes omnes præter hædum & auese non palustres. Item fugere capos oportet & reliqua volatilia in caulis saginata, lac, caseũ, testacea omnia, ostracorderma Græci dicunt, pisces omnes & quæ ex lacte fiunt, oua plusquam

ad

ad mediocrem consistentiam cocta in cineribus assata, vel frixa, fungos, tubera, radices omnes. Panis fit ex electo frumento non iam diu mollito, plurimum fermentatus, modicè salitus, probè elaboratus in clibano moderato, perfectè coctus, recens secundum diem non excedens, inter carnes, laudatissima est perdicis, fasianæ columbæ gregalilis, capi, gallorum gallinaceorum & gallinarum: proxima turdorum & paruarum auium, subinde caro hædi, oua sint gallinarum recentia corbilij vel tremula, non assata nec frixa vitalis vtendum albumine reiecto: butiri, olei & cardi vsus pro condimento ciborum admittitur inter olera, beta, Brassica, asparagi, cinam, seu cardui altiles vulgo vocantur *ardichiochi* conceduntur, lactuca & endiuia magni duntaxat caloris tempore.

Piper, Zinziber cinamomum Garyophilli, temporè frigido & in exigua quantitate admittuntur: à croco autem & sinapi omnino abstinendum mellis & sachari vsus non parum proderit fercula fiunt ex herbis ad missis, vel ex ouis non duris, vel ex carnibus concessis. Aceto & acetosis modicè vtendum est, sitque acetum passulatum, salsis vti proderit ante cibum pro pituitæ à stomacho expurgatione: & præcipue salsis, substantiam mollem obtinentibus ad eandem intentionem assiduè caparibus salitis vtendum est cum aceto, olto, & saccharo vel cum oxymellisi conditis in eundem vsum. Oliuæ salsæ ante cibum admonendæ sunt, quo vero ad potum, abstineudum est à vino dulci, crasso, nouo, & turbido. Vtendum autem flauo vel coloris mediocris, potentiæ verò debilis, probe diluto atque substantiæ subtilis, est fructibus abstinendum esset, si tamen quandoque manducare affectaret, ficus & vuas bene maturas recentes, & ficca amigdala, pistachia non tamen parum concedi possunt, triacitonites cum modico pipere,& zimziborè constitutum similiter admittitur,cœna sit prandio plenior diuiso pane quottidiano, qui minor est sua saturitate, in tres partes, tertia pars in prandio detur cum rebus ventrem mollentibus reliquę duæ partes in cæna cum fortioribus obsoniis, neque in hoc dissentiunt Gall: & Auic.si rectè intelligat Auic. Circa quartam itaque diei horam detur tertia pars panis cum oleribus aut oliuis salsis aut caparibus salitis, oxymelliti conditis, aut sardellis salsis oleo aut aceto conditis, aut caricis, aut aliquo alio cibo Ventrem molliente; in cænam propinentur reliquæ duæ partes cum carnibus concessis, si tamen accessio quæ per temporum interualla redit, consueuisset accedere & noctu affligere & sciremus aut coniecturam artificialem habeamus de nocte afflictionis tunc conferret cænam esse tenuiorem, in dubio verò cæna sit plenior, vbi sit nausea vel aliqua nota redundantiæ in stomacho, prouocetur Vomitus, præcipuè si æger sit asuetus aut facile vomat, postea præmisso clystere aut lenitione Ventris per superius in præseruatione mittatur sanguis ex poplite vel malleolis. Si verò accessio paulo ante fuisset, materia iam in capite redundante ex vena humenti & id postquam æger ab accessione conualuit, ac viribus prius recreatis omnis namque morbus de missione sanguinis indicat viribus ac ætate consentientibus: deinde materia est concoquenda, excretioni aptanda viæque recludendæ, quo postea facilius pharmacis eduntur in hunc vsum cum decocto Hyssopi, bætonicæ pœoniæ monsiæ, siccæ paribus portionibus & melle quantum satis est, fiat syrupus, qui nominetur syrupus ex decocto betonicæ.

℞. Oxymellitis simplicis ℥. ij. prædicti decocti ℥. iij. misce, quique vel septem diebus bibatur mane. Sequenti die purgatio fiat cum catapociis cochij Rasis,in quantitate quæ ab excellentissimis medicis præsentibus indicabitur, darem ego nec plus ʒ. 1.5.necminus ℈.iij. mane seruus stomacho, mox conceditur somnus per hortũ,vel paulo plus abstinendumque à cibo, vel potu sex horis vel amplius, sequentibus quinque diebus detur mane sympus talis.

℞. Syro ex decocto Bertonicæ oximellisis, vel compositi, vel scyllitici, an. ʒ. vj. Decocti decoiti, ℥. ij. misec.

Deinde iterum purgetur cum hiera diacolochentidos quæ recipit Stechados,Mambij, Camædiros,an ℈. ij. 5. Agarici, Coloquintidæ, Opponacis, Serapini, Petroselini, Aristolochiæ rotundæ, an. ℈. 1.g.vj. Piperis albi, Cinamomi, Spriæ Nardi, an. ℈. 1. 5. Myrrhæ an. ℈. 1. Croci, Mellis despu mali, ℥. ij. huius Syeræ ℥. 5. vel ʒ. v. vt medicis videbitur præsentibus Diacataliconis ʒ. vj. cum aqua mellis suffocati, fiat potus,& propinetur eadem ratione victus, in alia purgatione, seruata. Post hæc præbere iuuabit Hyssopi decoctum in hunc modum.

℞. Hyssopi sicci siui,Passularum nucleatarum,an.lib.1.Aquæ pluuialis lib.3.Coquuntur dona dimidium ab sumatur.

Facta expressione detur colatura, vel sola vel cum oxyemellite. Sint ℥. iiij. vel v. colaturæ vna oxymellitis vel simplicis scyllitici eo solo decocto dicto, Alexander Trallianus multos hoc morbo laborantes pristinæ sanitati restitutos fuisse affuit siquidè, crassos ac lentos humores attenuãdi,ac euacuãdi tam per lotium quam per aluum, facultatem obtinet. Mirificè proderit, eiusdem Alexandri Odegma, alij electuarium dicunt ex vna parti piretri subtilissimè tritæ & quatuor mellis despumati: detur ʒ.4. vel ℈.iiij. mane & à cænâ cum instat horæ decubitus Præclarè quoque iuuabit medicamentum ex scylla si ex modo quo Gall: docet *in concilio pueri Epilep.* conficiatur, etiam adhibeatur in eundem vsum Theriaca antiqua, magnificè proderit in eodem tempore ac dosi exhibita. His per aliquot dies adhibitis interpurgare oportebit cum pastillis ex agarico & oximellitæ confectis, ex vna tria fiant catapotia: tria vel quinque dentur vel à cœna cum instat hora decubitus, vel mane ieiuno stomacho,& quia dicta medicamenta vehementer calorem obtinent,eorum vsus hyemi conuenit, & in re non vehementis caloris: cum vero magni calores adsunt, vel medicamentis ipsis non vtendum, vel eorum

calor

calor temperandus. Si verò cùm pituita cum hoc morbo redundante aliquid atræ bilis commiſceri ex aliquo ſigno videretur, ſicut ex naturali temperie biliosa, ſanguinis participe, quis fortè iudicaret in hiera diacoloquintodos & catapociis cochiis cortex radicis hellebori nigri addendus eſſet in ea proportione vt quatuor ſint partes ſpecierum hieræ diacoloquintidos iam dictæ; & vna pars corticis hellebori nigri quibus adiecto melle fiat hiera, & eadem ſit portio in catapociis cochiis. Vtilius quoque erit his medicamentis vti poſt menſem à die conſtitutionis, in eundem vocum epithimium polypodium, folliculi ſenæ, ſtrechas in decocto hyſſopi vel Bethonicæ, vel pæoniæ conferent, præcipuè cū præſidiis minorib. vtendum erit, cæterum quemadmodum ex pyrethro & melle factum eſt eligma, ita ex Bethonica & pæonia cum melle vel ſaccharo diſſoluto in earum decocto eclegma, vel cōfectionem in rotulis facere conueniet, quibus vtendum erit æſtate & temporibus calidioribus, oxymellite aſſiduè vtendum, ita vt etiam cum cibo & potu quemadmodum capparibus cum oxymellite conditis perpetuò vtendum. Poſt ad capitis particularem euacuationem accedendum in quem vſum apophlegmatiſmis (maſticatoria vocant) errhinis catapargi dicunt, & gargariſmis vtendum. Caput purgia variis modis conficiuntur. Adhiberem id quod recipit ſucci radicis arthamitæ, ſucci radicis ireos, ſucci radicis Bliti, ſucci hyſſopi verizati, electorij an. ʒ.ſ. cum modico ceræ fiat vnguentum molle quo nares quanto altius fieri poterit, ſunt illinendæ.

℞. Staphiſagnæ ʒ.iiij.
Pyrethri ʒ.ij.
Salis ammoniaci ʒ.j.

Cum maſtiche fiant paſtilli vel ex hyſſopo, Pirethro, pipere, & maſtiche, vel melli ad craſſitiem decocto quibus manè ieiuno ſtomacho vtendum eſt.

Gargariſmum quoque ex Pæoniæ, hyſſopi Pyrethri, & aliorum id generis decocto cum oxymellite vel ſimplici vel ſcyllitrio corrhei poterunt.

Poſt totius corporis & capitis euacuationem tuto ad localia accedemus, quæ vim diſcutiendi attenuandi, & cerebrum roborandi obtineant, & in primis in lixiuio verbena temperato viridis quantum manu capi poteſt. Vbi non adſit viridis, ſicca cum radicibus vtendum tantundemque mentæ ſiccæ decoquantur, & facta colatura ex eo lauetur detergatúrque caput, mox cum linteis moderatè calidis exſiccetur, ſubinde inunctiones capiti admoueantur vbi ſunt futuræ præcipuè coronalis quæ non ſolum diſcutere & attenuare, ſed cerebrum roborare valeant, ſintque ſubſtantiæ ſubtilis, vim digerendi & attenuandi quam multum obtinent, in quibus nihil eſt adſtrictionis, ſicut Rutaceum, Irinum, & de ſerpylo decocto, & de euphorbio olea, in menta, verbena, lauro, non nihil adſtrictionis, quæ robur membris præſtare valeat, quia ex verbena & menta fieri poteſt oleum quod ſæpe in hunc modum admouere oportet. Pari modo oleum laurinum, oleum de caſtoreo compoſitum nonnulla continent quæ vim habent adſtringentem & proinde præſidium erit accommodatiſſimum, ſi tamen eius valida admodum vis cum alio refrigeretur oleo aut cum cera ſufficienti adiecta. Reliquis autem memoratis oleis vti interdum licebit non ſolis ſed addita in adſtringenti, qualem verbena, menta, laurus ſpica, caſſia lignea & permulta alia obtinent. Remittenda tamen erit nimis valida vis olei de euphorbio, quemadmodum de oleo ex Caſtore conſtituto dicebatur.

Si verò his operibus adhibitis curatio non reſpondeat & morbus non decedat ad ea quæ veteres tradiderunt, & quæ à tota ſubſtantia ſeu proprietate operantur, tranſeūdum eſt. Ordiar tamen à Pœonia quæ licet à manifeſta qualitate non exſiccando iuuet, à tota etiam ſubſtantia mirificè confert teſte Gal. *in 6. de ſimpl. medicamentis cap. proprio.* Accipienda eſt magna pars radicis recentis ex collo pueri ſuſpendenda.

Alex. Trallianus vult alterius auctoritate eam eſſe collectam luna decreſcente, & quamuis in pueris plus fortè operetur, iuuenibus tamen conferre non eſt ambigendum. Pæonia, lignum crucis nominatur ab Auic. *in tractatu de viribus cordis cap. proprio & ſecundo can. de corallo*, dicit Gal. expertum fuiſſe corallum in dolore ſtomachi auferendo ſicut lignum crucis in epilepſia de quo dixit *in tractatu de viribus cordis* quod ex forti ſiccitate & ſtipſicitate cum ſubtilitate iunctis confortantur ſpiritus animales, & cerebrum in expulſione ſuarum ſuperfluitatum, & hoc modo iuuatur facultas ſeu proprietas ſua in ducendo pituitam & atram bilem ex cerebri ſubſtantia, & in faciendo cerebrum plus reſiſtens eorum receptioni, & in hunc modum qualitates euidentes proprietatem vel facultatem adiuuant occultam. Ruta duplex altera ſylueſtris, altera domeſtica; ſylueſtris contrita & naribus admota ab acceſſione liberat teſte Alex. Trall. id quod ſæpius non à ſe ſolo ipſo ſed ab aliis quoque comprobatum aſſerit, vehementer calefacit, exſiccat, incidit, & diſcutit, quare humores craſſos incidendi attenuandi, eoſque ac vapores diſcutiendi facultatem obtinet, ac proinde non certè ſcitur num ab euidenti qualitate vel proprietate morbum comitialem curet. Non habita ſylueſtri, domeſtica vtendum.

Pyrethrum aliqui ſuſpendunt collo, quamuis euidenti qualitate quam cauſticam & vrentem obtinet non parum prodeſſe poſſit, nam ſtupidos & reſolutos teſte Gal. adiuuat, Penes damnum putant alij à tota ſubſtantia conferre, Gal. tamen cap. proprio morbis omnibus à craſſis & viſcidis humoribus genitis magnificè prodeſſe noluit ex euidentibus facultatibus & intus ad motum & odoratum.

De Anno puro refert Alex. Tralli. aliorum tamen auctoritate quod alligatum brachio morbum comitialem abigit, ſmaragdus ſuſpenſus collo multum prodeſſe creditur, Auenzoar, Raſi, Rabi, Moyſi, & Scrapioni.

De lapide Aquilæ dicit Dioſcorides quòd

tritus & cerato aliquo calefaciente exceptus comitiales magnificè iuuat admoueri cæraluæ capiti.

Anisum habentes in manu comitiali morbo non corripi & esse comitialibus illiniendus testatur *lib.2.cap.7*.

Post hæc ad ea quæ similiter agunt, & per os admouentur transeundum est, cerebrum cameli arefactum potúmque ex aceto comitialibus morbis medetur auct. *Gal. Inde Theriaca ad Pisonem*.

Cerebrum mustellæ eandem obtinet facultatem eodem auctore eius caro arefacta salita & post inueterata & siccata in vmbra comitiales iuuat, teste Bias: & Gal. 2 *de simpl. med. cap. 1. & 270.* ossa combusta digerentem admodum siccantémque vim obtinent &, vt quidam ferunt præcipuè humana 2. *de simpl. medici*, testatur Gal. se vidisse multorum Epilepsiam ex ossibus testis potui exhibitis curatam fuisse, quare humano cranio non nisi combusto vtendum censeo.

Lapidem Armenum vim atram bilem educendi obtinentem summopere laudat Alex. Trall. inquiens lapidem armenum exhibuimus, erat autem nobis eius lapidis solemnis datio denarius vnus & reddidit me semper voti compotem, vno verbo non reperies præsentius diutini comitialis amuletum lapide armeno. Nouimus enimuero complures, qui nihil aliud facientes quamquod armeno cathartico vtebantur salui euaserunt neque ipse solus sed alij quoque permulti eius rei periculum fecere, vbi sit aliqua nota atræ bilis infestantis maxima cum vtilitate admouebitur, sit tamen præparatus & lotus vt Mesue docet *in cap. proprio*.

Oxymellite scyllitico vna cum debita ratione victus & conuenienti exercitatione quam plures pueros se curasse dicit Gal. *in consil. pueri epilep.* vbi etiam mel scylliticum docet constituere; si his verò præsidiis morbus non cesserit quamplures arbitrantur ad cauterium ex ferro vel auro candente in coronali sutura deueniendum esse, quoniam cerebrum roboratur, & calefit materia, discussa per ampliorem viam excernitur, ac in spiritum exhalat. Paulus tamen *sexto cap. 2.* adustionem capitis modo vtebatur in lippitudine, in difficili spiratione & elephantia. Alexander quoque Trallianus in cura comitialis morbi de Caluariæ perforatione, & de ipsius inustione dicebat quòd plus supplicij quàm auxilij patientibus afferunt. Quod si cauterium admouendum esset, nullo modo in suturis fieri deberet, sed vt docet Paulus loco prædicto prope suturam paulo superius vel paulo inferius, ex adustione namque suturarum ingens periculum, sicut ex earum vulnere contingit. Omnino igitur aliis omnibus præsidiis & medicamentis prius vtendum est, & totis, vt aiunt, neruis enitendum vt morbus vel auferatur, vel insigniter minuatur. Quòd si finis intentus non sequatur, ne aliquid intentatum relinquatur, poterit tunc exactius de cauterio iudicari.

Quoniam verò occasio præceps est, & certa rei quantitas nec verbo dici, nec calamo scribi potest, omnia præsentibus medicis moderanda subiicimus qui & morbi successum in dies videbunt, & ægri naturam ac vires exactissimè perspectas habent.

CONSILIVM VIII.

Pro curatione quorumdam symptomatum & maxime dispositionis melancholicæ, pro Illustriss. D. Romulo Cæsio.

SVpposità dispositione præternaturali, quæ aduocat curationem, & est facilitas lapsus in febres è tertianarum genere, & timor nimij fluxus sanguinis hæmorrhoidalis, cum aliqua duritie alui: inde frigiditas ventriculi, & debilitas in concoquendo, & quod magis mirum est, maior in aëre natiuo, quam externo: atque hæc tria nouit. Quartum est lenta pituita, descendens ex cerebro, quæ adeò contumax est, vt ad ignem posita matula cum vrina esset conturbata, non dissoluta sit spuma. Ex quibus concludo, quòd vix fieri potest, vt ex omnibus signis conieci, ne cadat in melancholiam, ex eo genere, quæ flatuosa appellatur. Ratio concursus, quam vocant syndromem, satis meo iudicio clara est. Sed priùs dicamus de habitu corporis. Iecur calidum est, non multùm secundum naturam, quoniam facilè incidit in febres, sed habet constrictionem arctarum venarum, defluente multâ pituitâ ex cerebro, & ex propria imbecillitate ventriculi, vt sit factus iam habitus frigidus, & duæ causæ frigidæ impedientes coctionem, etiam si non adesset tertia frigiditas, scilicet secundum naturam, de qua scripsit. Signa, quæ medicus familiaris poterit concludere. Necesse est, vt fiant multæ cruditates, ex quibus, tum etiam ex vsu vinorum potentium, seu credentinus medicis, illa esse vtilia cruditati ex frigore, seu quia habitudo præter naturam contrariis gaudere soleat, velut similibus naturalis: seu luxu, vt solent optimates. Exuritur iecur trifariam, labore, obstructione, auxiliis calidis: ergo melancholia generatur, & maior etiam post ætatem constantem, in qua nunc scilicet est agens trigesimũ secundum annum: gignitur & multa bilis, eadẽ ratione. Cor autem nõn valde calidum est ex pulsibus, esśetque nimis impatiens iræ, sed siccum, vnde etiam cerebrum affligitur, & color vultus, & oculi, & pili, & reliqua supra atram bilem attestantur, ex quibus secundum rationem, quamuis de hoc non interrogauerim, scilicet timores, & tristitiæ, non satis ex euidenti causa per interualla, non semper. Circa autem audaciam, & prudentiam manifesta inæqualitas sine affectibus, quidem fortis, & prudens: extat enim problema Aristotelis, verùm superuenientibus perturbationibus non potest consistere æquali in gradu, sed in suspiciones, & cogitationes non perfectas, tales deuenire consueuerunt. Hic habitus, nisi occurratur, semper fit deterior, vt à Galeno in Arte medica: etsi ad superiora tendat, melancholiam facere solet, & of-

fensiones

fenſiones ſenſuum: ſi ad medium febres longas, & inæquales, regiumque morbum: ſi accedat mala victus ratio, hydropem: ſi ad inferiora, renum dolores, hæmorrhoidas, varices: & ſi laxæ ſint iuncturæ, podagras malas facit, & eryſipelata. Hæc ſũma morbor cauſarũ, rerum naturaliũ, habituũ, præ dictionis..

Curatio perdifficilis erit ob tres cauſas Prima, ob circuitum dupliciem. Frigus ventriculi eſt cauſa obſtructionis, & laboris iecoris: & iecur calidum refrigerat vẽtriculum, diſſoluendo illius calorem naturalẽ, ſicut ſol diſſoluit ignem, & quia generat atram bilem quæ tranſmiſſa ad lienem ob latam applicationem lienis cum ventriculo, & effuſionem, extinguit illius vim igneam. Alter circuitus eſt cerebri tranſmittentis pituitam ad ventriculum, impedientem coctionem: vnde cruda genita exhalant ad cerebrum, & ipſũ onerant & Eſt tertia repugnantia, nã vigiliæ ex ſiccãt humores, & cerebrum, & cruda augent, ſomnus deſtiliationem multam facit, & ventriculi calorem, præcipuè ſuper latus ſiniſtrum obequitante iecore exhaurit Secunda cauſa ex natura humoris, qui per ſe improbus eſt, vt in *illo Aphoriſmo ſextæ particulæ* : Ad hæc melãcholici decubitus cæcitates faciunt, & leuiſſimi morbi ex his ſunt, quartanæ: quarum terminus naturalis eſt vnius anni. Et ſi ſuperueniret bene, recta poſſet eſſe cauſa liberationis: fæculentum enim illud omne extruditur in cinerem verſum, & putredo ipſa, cum ſit à calido, & humido per ſe emẽdat intemperiem ab humore impreſſam, ſicut præcedẽs generat humorem atrum. Hæc à Principe prima *quarti, dũ agit de ſignis quartanæ:* ab Hippocrate *in principio ſexti Epidemiorum* à Galeno *tertio Prognoſticorum.* Et ſimiliter ex repugnantia in cura: nam hæmorrhoides, & varices declarant neceſſitatẽ ſectionis venæ, quæ illi neceſſaria eſt. Qui fieri poteſt ergo, cum quod neceſſarium eſt, obeſt, vt morbus facilè curetur. Tertia cuſa eſt vita delicijs dedita, quæ nec vult carere præsẽtibus malis, nec poteſt ferre bona: idque in hoc peſſimũ eſt, quòd, dũ commodè curari poſſũt, morbus negligitur, dũ non negligitur, nõ niſi difficulter curari poteſt, aut omnino non poteſt. Hoc totum ergo eſt, velle: nam ex conſtanti animo admittũtur auxilia, & admiſſa libenter feruntur, & ſpes animum confirmat, lætificat ſpiritus, calorem accendit, difficultatemque omnẽ mollit. Ea ergo curatio eſt vt in ſex rebus nõ naturalibus nihil peccet, ſomno vtẽs longiore, & vltra ſeptem horas ſenſim extendatur, id fiet edẽdo panem martium ex amygdalis, & papauere, factũ cum aqua violacea, ſemina quoque melonum ſaccharo condita ſomnũ conciliant, vel meliùs immiſceantur amygdalis in marcipano: item vua paſſa, vinum etiam aliqualiter ſubdulce, ſed nouũ, & clarum, non valde craſſum: nam tenue dulce eſſe non poteſt, album Maximum aunt præſidium eſt in vnguento populeonis, eiuſdẽ anni optimè facto: redolet enim mirũ in modum, vt cum eo inungantur loca pulſuum, capitis, pedum, bracchiorũ, cordis, & iecoris: abſtineat ab omnibus radicibus, exceptis, quæ infra dicentur: ab omni cibo ex farina, & à caſeo: & ab omni piſce non ſquamoſo: & ab omnibus leguminibus, & ab omnibus cibis crudis: caueat inſuper, comedat nouum cibum, niſi priore concocto, & etiam, dum comedit, non ſe repleat: & quia plerunque ſentiet famem quandam non veram, vtatur pinguibus, & bibat parum, & vinum ſatis potens & vtatur croco in omnibus cibis, in principio menſis, & hoc, ſi rectè vtatur, minuit appetitum cibi, & adiuuat coctionem, auxiliaturque ventriculo: in fine autem cibi nocet plurimũ, deuitet etiam omnia fercula multiplicis miſtionis, vt ſũt artocreæ, farcimina, embammata: item iurulenta multa: & cum vigilat, non multum comedat, ſed valde parum, & cum eſt valde triſtis, & poſt multam venerem, & cum eſt equitandũ, in his quatuor caſibus, etiã quod eſuriat multum, tamen parum debet comedere, & edendo mandat diligẽter cibum: ex hoc enim duo maxima commoda conſequetur, primum, vt cibus facilè concoquatur: ſecũdò, quia terendo tempus perueniet ad finem prandij, vel cœnæ cum pauco cibo quo nihil poteſt eſſe vtilius illi. Quantitas autem cibi, ſi non adſit ferculum, debet eſſe æqualis potui, & omnibus cõputatis, ſcilicet pane, & carne, vel ouis, nunquam debet excedere vncias decem octo Bononiẽſes, ſed plerunqne ſubſiſtere in duodecim, vel circa, & tantũdẽ potius. Sed ſi adſit frculũ hominum, computetur in illis decem octo vncijs pro medietate, & reliqua medietas aſcribatur potui: veluti ſi comedat duodecim vncias cibi, & ferculum humidum, quod ſit vt communiter eſt, ſex vnciarum, bibet tantummodo duodecim vncias potus: & eſt perinde, ac ſi comediſſet quindecim vncias cibi, & tantundẽ potus bibiſſe, & ſi potus ſit paucior cibo, hoc erit lõgè melius, & eo magis, ſi fuerit ſecundum conſuetudinẽ. Diuerſitas quoque ciborũ omnis mala eſt: admittũtur autẽ vno plus, imo pari ratione, vt in mixtis quatuor, vt cum potu ſint quinque nã & in miſtis ſũt partes quinq; vt docui in ſecũdo de Subtilitate, terrea cruda panis vice, aquea cruda ferculi inſtar, licet ferculũ coctum ſit aqua excocta, vitellus oui terrea excocta caro vis cœleſtis, vinũ: ſi ergo voluerit vti fructibus, dimittat vel carnes, vel ferculũ, vel oua, etſi ſint fructus horarij id eſt molles vt prũna, perſica, ceraſa vtriuſque generis, pepones, cucumeres, ficus, vuæ, poma, pyra, maſca, vel cucurbitina, quę mãdũtur cruda, chroſomela, fraga, ribes, ſpinoſa & non ſpinoſa: in omnibus huiuſmodi oportet minuere cibũ & bibere vinũ leue valde ſine aqũa, aut cũ pauca aqua. Quia dicebat Galenus, quòd celeriter deiiciãtur, generãt humorẽ veneno ſimilem: omniũ peſſimi aut ſũt cucumeres, deinde pepones, inde chryſomela, pòſt ceraſa vtriusq; generis, ſed magis acida, imò ſũt maximè inimica ventriculo frigido imbecilli: adeò autẽ cucumeres mali ſunt, vt etiã cocti valde noceant cũ reliqui fructus boni ſunt, vt perſica maxime & cotonea in furno cocta, nõ in vino Et ex nõ horariis omniũ peſſimũ eſt limoniũ & arancia acida, & mala medica, & quæ ſunt eius generis, ſũt enim alia multa dulcia, & tamen arancia poſſunt edi ſicut & mala punica, dulcia, acida non ita. Ex fructibus autẽ ſiccis, quæ ſũt ex nucũ genere, iuglans, auellana

auellana, pontica, pistacea, pineæ, & eiusmodi, scilicet amygdalæ, nuclei persicorum, & chrysomelorum qui sunt suaues gustu. Quatuor sunt præstantissima, aut quinque scilicet, amygdala, auellana, pistacea, & nuclei chrysomelorum, pineæ verò nocent ventriculo propter resinam, & cum extra corticem sunt celerrimè rancescunt, & transeunt tunc in veneni naturam auellana est potius medicamentum, quàm cibus, & est medicamentum præstans, sed cibus valde malus: omnia enim genera nucum terrea sunt, & melancholiam generant eam ob causam: reliquis autem ob pinguedinem (sunt enim oleosa) bonum præstant alimentum. Ex omnibus igitur malis omnium meliora sunt pistacea, & pro medicamēto nuclei persicorum: nam recentes non aliter, vel ita seruati, aut humidi remaneāt, resoluunt flatum, occidunt vermes, conferunt ventriculo, aperiunt obstructiones iecoris, attenuant humores crassos, dissecant lentos, resistunt omnibus venenis, maximè frigidis, expurgant pulmonem, & renes, valde educunt arenas, & lapillos vtiliores etiam sunt præparati, & debent edi ante cibum. Et communis præparatio est, hæc, vt in amygdalis etiam, & auellanis præcipuè, & nucleis chrysomelorum (quibus & si multò sint inferiores cerasorum) est, vt mundentur, madefacta priùs in aqua feruenti, deinde terantur cum aqua violacea, adeò diligenter, vt fugiant omnem sensum tactus quod ad duritiem attinet, & colentur per cribrum arctum, quod vocant setarium quia ex pilis caudæ equinæ strictis textis constat, & ita, vt euadat candore niuis, in quo vsu præstant virgines sacræ: deinde addantur sacchari candidissimi, quantum fuit pondus nucum, & formentur coni, aut chylindri, aut hemisferia, seu prismata, aut quouis modo etiam informia, & ponantur in furno contecta in vase terreo, vel argenteo, vel ligneo, postquam panis detractus fuerit, & permittatur tandiu donec refrigeratus fuerit furnus: & huiusmodi cibus est valde bonus, & est etiam medicamentum, tamen, vt cibus, etiam generat humorem melancholicum. Mala insana, fungi cuiuscunque generis, & anguillæ, fugienda sunt vt venena, cochlearum etiam caro, & cancri, & ranæ, & testudines omnium iura, vt sunt optima, ita caro pessima est, nisi quòd testudinum iecora, atque ranarū in viuariis, seu in olla cum pura aqua & farina nutritarum, vt sunt iucundissima gustu (sunt enim principum deliciæ, & crescunt ad magnitudinem vnciæ aliquando) ita sunt vtilissima: de cætero non est tutum, ne quis rubetam loco ranæ comedatur: ericij quoque & si multis prodesse soleant, & ventriculo, & iecori, & renibus, tamen mali sunt in hoc casu, si quid tamen boni est, est iecur sed est exiguum: oliuæ quoque valde malæ sunt qualescumque tametsi confirment ventriculum colymbades: castaneæ etiam malæ flatum gignunt, & melancholicum humorem. Ex omnibus ergo huiusmodi fructibus, non horatiis, optimi sunt ficus pingues, decorticati, sicci: sed tamen generant prauum sanguinem: recentes ante cibum sunt meliores. Verùm vuæ passæ solùm sunt vtiles, & quibus debet vti, & præstantissimæ (sunt enim plurium generum) celebrioresq; Cretenses ex Xantho Hispanæ apulæ, & placentinæ, asiaticæque quædam albæ, quædam nigræ, paruæ sine arillis, magnæ cum arillis conditæ, non conditæ, apulæ nigræ, & asiaticæ nigræ, paruæ, & Cretenses: namque ex Xantho aduehuntur, inutiles sunt ex succæ exiles, solum cortex cernitur, conditæ, & ipsæ sicciores sunt, & præter id saccharum iecur obstruit, est enim dulce biliosum, & non adstringens: mel verò est etiam biliosius saccharo, & magis offendit ventriculum: non solum enim non astringit, sed radit: & ideò non conuenit, nisi cum pituita multa adest adiunctum astringentibus vuæ, ergo passæ sine arillis sunt valde vtiles, quia astringunt ob arillorum substantiam, contra creticæ ob arillos, quos habent, non adeò astringunt, & puriores, cum sint meliùs, nutriunt, eligendæ sunt ergo ex vtroque genere recentes, maximè pingues, & plenæ, splendidæ, tenuissimæ cortice, suauissimæ gustu, vtque mediocri dulcedine cum modica astrictione linguam delectent, sintque præterea pro rotunditate leuissimæ, atque purissimæ, scilicet mundatæ à pediculis, lapillis, arena, sordibus, granis vitiosis, atque corruptis, vel siccis, vel ex succis inde ablutæ primò cum aqua toties, vt aqua clara remaneat, deinde abluantur cum vino albo, semel aut bis, in cretica verè iuuat eiicere grana in ea contenta. Olerum agrestium, nullum bonum hortensium, quatuor sunt optima, menta, cerefolium, & ista sunt suauia gustu: ex insuauibus, ruta, & absynthium, sunt mirabilia. Debent autem eligi germina rutæ valde viridia, & pinguia, & decerpta nuper à planta ad pondus quindecim granorum, sine vlla parte rami, seu ramusculorum, & cum sale, & vua passa edi, ante omnia alia: & spero, quòd sentiet magnam vtilitatem. Idem dico de absynthio, sed non tantum: sed non debent edi ista à medio mensis Maij vsque ad medium mensis Augusti, non solùm, quia tempus sit calidum, sed quia plantæ hæ corrumpuntur omnino, & generant vermes, & muscas: & cum non habent colorem perfectè viridem, oportet vitare illas, sicut venenum, & magis rutam. Quinto loco est buglossum vtrumque, domesticum, quod vocant boraginem, & agreste: post has est cichorium, & endiuia, & cichorium valdè vtile, debet præparari hoc modo: Accipe radices cichorij crassas, & inuoluantur in papyro madefacta, & ipsæ madefactæ, & ponantur in loco, vbi ignis fuit, scilicet super solio valde calido foci, & integatur cineribus valde calidis, & super cineres altitudine vnius digiti, aut maioris, ponantur carbones magni, & ardentes, & in magna quantitate, & post quartam partem horæ extrahantur, & inde ponantur cum eadem charta (& si fuerit exiccata madefaciendo eam) denuo super solio calido, non tamen vrente, vt priùs, & integatur multis cinerib. calidis absque igne ad altitudinem quatuor digitorum, & in supremo ponatur cinis frigidus, & per horam mollescent illæ radices, vt prorsus per se dissoluentur, & remanent cum suo sapore, scilicet amaræ. Idem potest fieri

de radicibus fœniculi, & petroſilij, & ſanguinolentis, quas vocant carotas: ſed indigent maiore igne, & tempore quia ſunt craſſiores, duriores, denſiores: poſtmodum debent lauari leuiter, ne diſſoluantur: inde diuidi, & extrahi pars lignoſa, poſtmodum condiri cum ſale, oleo, aceto, medico gingiberis, aut piperis non bene contriti, & vua paſſa. Nam acetum, etſi acidum ſit, non tamen nocet ventriculo, tùm quia acre, tum ob conſuetudinem: capares etiam ſaliti cum oleo aceto, vt vuis paſſis, ac menta, aliquando etiam lactuca pro acetario cum pipere, vel gingibere, vel cinamomo parum contrito demum borago quarto loco pro acetarijs vtilis eſt, vltimo poteſt adijci meliſſa eodem modo. Ex condimentis ergo gingiber, piper, cinamomum, crocus: ſed omnia parum trita eſſe debent, & vinum tantum ex illis, non plura, admittitur ſal modicum, oleum omphacinum eſt bonum, ita acetum & ſapa, vuæ paſſæ vbique admiſceri debent: ſinapis, ſaccharum, mala ſunt, & fugienda: beta quoque ex iure cum vua paſſa, & malua, & illius caules vtiles ſunt: ſicut caules valde mali ſunt omnium, tamen optimi ſunt caules illi longi, albi, guſtu ſuauiſſimi, qui ex Genua deferuntur à paucis annis citra inuenti, cardui quoque aſparagi mali ſunt, ſed aſparagi detteriores ſunt per ſe carduis, ſed cum menta, vel croco, vel pipere, vel vuis paſſis ſunt meliores: ſemina quoque melonum mundata, in cæna prouocant ſomnum, & non ſunt mala,

De cibis autē bonis. Alæ omnium auium, quæ non degant in aquis, ſeu quæ non habent roſtrum latum: inde iecora anſerum, gallinarum, & anatum: ex alis verò præſtantiſſimæ gallinarum indarum, ſunt enim candidiſſimæ, leniſſimæ, friabiles, admodum ſuaues, atque leuiſſimæ, ideo etiam gallinis noſtris præferendæ. Quadrupedum carnes bonæ nullæ: hœdinæ enim quæ ſolent alijs eſſe optimæ, non conueniunt: meliores omnibus ſunt apri, pòſt caſtrati iuuenis: peſſimæ ſuis educati in domo, leporis capreoli, vitellinæ, iuuenci, bouinæ malæ, deteriores cerui, cuniculi parum ſalubres omnibus, non tamen in hoc caſu ſunt deteriores alijs: piſces fluuiorum meliores marinis, minùs enim generant melancholiæ, minùs tamen nutriunt: & longè difficiliùs concoquuntur, reſiſtunt magis bili: omnes boni ſunt, qui ſquamoſi ſunt: optima pars eorum eſt, iecur, quod ſi amplum eſt melius eſt: inde pars, quæ eſt circa caudam, oportet autem vt ſint recentes valde pingues, bene cocti, molles, & friabiles atque hic eſt tertius cibus bonus, ex quo nullum ſentiet detrimentum, & magnum iuuamentum, niſi proprietate quadam illos auerſetur: optimi ſunt percæ, inde trottæ & quæ ſunt ex earum genere, ſcilicet carpiones, temali, & omnes, qui habent dentes in lingua: pòſt iecur capitonum fluuialium: quos vocant botas Mediolanenſes, licet non ſint ſquamoſi: pòſt ſunt lupi, ſed hi rarò boni ſunt, ſed & rariùs mali ſunt medij, poſt quos ſunt ciprini. Cum aunt ſint ſex genera condiendi aſſata ſuper prunas, in veris frixa, in ſartagine elixa, iurulentia, ſeu cocta in patina humida, & in patina ſicca, vocanturque paſtelli: piſces maximè gaudent patina ſicca, ſi ſint magni: aues patina humida, ſi ſint paruæ: oues magnæ in veru: piſces non magni alijs quidem in patella frixi conueniunt, tibi autē nihil frixum conuenit. Quamuis enim aqua immixta oleo prohibeat, ne vratur oleum, tamen inæqualiter coquitur, etſi diu coquatur in extincto oleo cum aqua, & ſine aqua, nihilominùs oleum exuratur: etſi, antequam exuratur oleum, remoueantur ab igne, incocti reponuntur in menſam: & ideo tria ſunt experimenta coci, ſcire frigere, coquere iecur gallinæ, & tortam facere: nihilominus vidi aliquos caupones, qui ſciunt coquere piſces in ſartagine, hoc contingit, quia oleum eſt multum, & valde feruēs, & aqua purgatum, antequam piſcis immittatur, & piſcis ipſe recēs valde, & mediocris. Ideo iuuenis, ac pinguis, vt ex fontibus nitidis haberi ſolent, & flamma ingens perpetuo adhibetur, & ipſi norunt perfectè coctiônis modum: & ego affui multis menſis principum, & cognoui, quòd non ſciunt frigere piſces, neque enim vnquam guſtaui piſcem candiſſima carne, friabili, molliſſima, atque odorata, velut apud quoſdam cauponas, præſertim apud eos, qui habitāt iuxta flumina, & fontes piſcoſos. Cibi autem optimi duo ſunt; vitella ouorum, & lac, ſed lac ei non conuenit, quia patitur flatuoſam, iuxta illud: Et quibus ilia murmurāt: ideo vitella ouorū ſunt valde bona. Pro condimentis autē in pinguibus, cum ſint tria, oleū, butyrum, adeps, manifeſtū eſt, quòd butyrū eſt melius, eſt enim ſecūdo loco poſt omphacinū, vt dixi, & ex adipibus vitulina eſt melior, ſi ſit candida, & recens, pòſt gallinacea, tertio loco habetur anſerina media eſt peſſima ſuilla.

Exercitatione ante cibum poſt conuenientem ſōnum perfecta coctione ventriculi, aluo deiecta, in aere libro, neque magna, ne febres accendat neque longa, ne corpus exſiccet, neque moleſta, ne debilitet vires, quotidie vtendum eſt, non ad ſudorem vſque coitus iuxta naturalem incitationem, non amorem, aut illecebras vtiliſſimus inter primum & ſecundum ſomnum quibus verò plenum eſt corpus, & robuſtum, omnibus celebratis coctionibus in manè, ſcilicet tempore aliarum excretionum, neque enim quæcunque optima ſunt per ſe omnibus optima ſunt, aut etiam bona, vt *in libro de Cibis boni, & mali ſucci*. Aliàs ſuperfluus, cum omnibus noxius ſit, tum maximè vobis ventriculum debilitando, & melancholiā augendo. In affectibus autē animi manifeſtū eſt, quòd effugere oportet iram, non quidē comprimendo ipſam, vt quidam malè conſulunſic enim non ſolum non iuuat, ſed morbos affert, & aliquando etiam accidit, vt in Herculano Buzachareno Patauino patritio vidi & ſimiliter de triſtitiā vt in Ludouico Belzoioſio, ſeu Barbiano, præclaro duce, nam cum ob amorem matris mortem fratris celare vellet, ſimulato vultu lætitiæ, perijt, atque ita fœ-

nus fuit æquale forte, ille alter, quòd iratus esset filio, de quo pœnas sumere nolebat. Ergo ratione dissoluenda est vtraque sicut & odium, & inuidia, scientes hanc Vallem esse plenam miseriarum, nihil nostrum esse: & his, propter quæ alijs irascimur, nos quotidie longe facere deteriora, ita sicut de igne facere solemus, non concludere, aut cohibere affectus animi, & acerbitates oportet, sed dissoluere. Verùm quia plurimis & maxime principibus, persuasum est, non esse curam, nisi quæ fit per medicamenta, & eam malunt, quanquam asperiorem, quia breuis sit, quàm permanere in recta ratione viuendi, quæ tamen, si quis rectè inspiciat, est modus viuendi secundum naturam, cum omnes istæ cupediæ, & deliciæ non sint nisi potentum virorum supplicium, ex quibus amittimus virtutem in anima, sanitatem in corpore, libertatem nostram, opem, & fidem in domesticis, qui ex crapula inertes, & vecordes facti mulctant dominos suos varijs modis: & ideo deliciæ non sunt aliud, quàm voluptas similis ei, quæ habetur à scabioso, qui optaret pruritum illum, vt scabendi titillatione frueretur. Dicebat ergo Galenus *in principio libri de Attenuante victus ratione*, quòd morbi longè maximè sanantur recta victus ratione, etsi id verum est, quantò magis de dispositionibus, quæ neutræ vocantur, qualis est hæc, verum erit, vt satisfaciamus, & communi stultitiæ, & ne videar in aliquo defecisse, apponam quæ medicamenta conferent. Electo igitur salubri aere, & cubiculo respiciente orientem: tempore autem Februarij tepidi, aut Martij tranquilli, aut Aprilis: si Februarius fuerit frigidus, & Martius mensis ventosus, leniatur aluus hoc modo. Rec succi cassiæ nouiter extractæ orientalis, & optimæ, & extractæ cum syrupo de cichorea simplici ℥. 1. pulueris maceris, seu macis subtilissimi, & odorati ℈. 1. misce, & cum saccharo fiat bolus, capiat ante cœnam per horam, vel minùs manè sequenti, & peracto dies sumat infra scriptum. Rec syrupū syrupi de lupulis, & de pomis simplicis an. ʒ. 6. syrupi de cichorea simplicis ʒ. 4. succi boraginis, vel buglossæ ʒ. 3. misce, & ponantur ad ignem, donec ferueant, & addatur aceti albi ℈. 1. coletur, & ita clarificetur, & vt dixi, capiat per octo dies continuando, & interim vtatur melioribus cibis, & in pauciori quantitate, & abstineat à coitu, & bibat paulò minùs, & vtatur cibis magis coctis, & ostendat vrinam medico in fine octo dierum: & si non fuerit, qualis esse deberet, accipiat syrupos quatuor diebus: & si adhuc vrina non erit, qualis esse debet, adhuc perseueret, ita vt medicus videat eam singulo die, donec apparuerit concocta, & bona in colore, & substantia, & contentis: etsi interim aluus non deijceret, accipiat denuò cassiam nigram dictam, vel ferculum huiusmodi nostrum. Coquatur pullus in multa aqua, donec dissoluatur, & in fine addantur caulium rubrorum amarorum, leuiter ablutorum m. 2. & coquantur, donec fuerint quasi cocti: & de hoc iure capiantur libræ tres, & in eo addantur foliorum maluæ, vel surculorum, foliorum betæ, foliorum mercurialis, viridium & minutim incisorum, & coquantur ad perfectam coctionem herbarum, & comedat vncias duas, vuæ passæ cum ferculo ex illis herbis in cœna, aut bibat ius in manè, & deijciet aluum, sicut ex medicamento, & hoc, quotiescunque voluerit faciat, & etiam aliàs. Vrina autem concocta purgetur hoc modo. Rec. succi cassiæ nouiter extractæ orientalis, & electæ ℥. 1. aut manna electæ frondis calabrensis ʒ. 2 electuarij de Psylio ʒ. 5. sed priùs experiatur cum decoctione fructuum factæ cum additione pugilli foliorum rosarum: fiat potio: post hæc iterum deueniet ad syrupos eosdem, & purgetur hoc modo. Rec, succi cassiæ nouiter extractæ ʒ. 5. diacatholiconis optimè facti ʒ. 5. aquæ decoctionis fructuum factæ cum additione ʒ. 1. origani orientalis quantum sufficit, misce, capiat in aurora. Demum purgatus, vtatur mirabolanis conditis emblicis, aut chebulis, quandoque etiam nigris. Confectio multi vsus. Rec. vuæ passæ ablutæ ℔. 1. succi mercurialis, & maluæ, & endiuiæ, & lupulorum ann. ℔. 1. coquantur, donec vua passa sit tota dissoluta, & coletur optimè: deinde pro pondere succi addantur sacchari Medercæ purgati, tantundem coquantur, donec consumatur succus, & redigatur in formam syrupi, & in fine cum vult remouere ab igne, addatur quarta pars manæ frondis Calabrensis, si potest haberi, & misceatur, donec refrigeretur: & cum erit quasi tepidum, addantur croci (vellem autem, vt esset orientalis) minutim incisi, sed non puluerati ʒ. 2. foliorum apij hortensis, non dico petrosilij, sed habentis latum folium, viridium, & siccatorum in furno, postquam extractus fuerit panis, ita tamen, vt nullo modo comburantur, ʒ. 3. maceris, seu macis electi non puluerati, sed incisi minutim ℥. 1. misce & de hoc capiat à ʒ. 2. ad ʒ. pro vice in tribus casibus In tempore veris, & autumni, singulis quindecim diebus: item quocunque tempore, cum habuerit aluum astrictam, seu duram: item cum senserit ventriculum cruditatibus plenam, nec abstinentia profuerit. Conferent præterea diaboragi nacum benefactum quocunque tempore (est autem valde suaue) si sit bene factum: item confectio alchermes: & rursus cōfectio, quæ vocatur, lætificans Almansoris. Omnibus autē melior, quæ confirmat vētriculū, & aperit obstructiones, & est æquipollens cōfectioni Regum, Principis. Sed melior Rec margaritarū perfectè pulueratarum ℥. 1. limaturæ auri puri, & abluti cū vino bis, aut ter ʒ. 2. ligni aloes electi, & orietalis ℈. 2. sacchari rosacei parthenopei, & fit cum foliis integris ℔. 5. misce, capiat à ʒ. 2. ad ℥. 5. & nullam habet exceptionem, & potest capi quolibet tempore, loco, occasione, nisi quòd si sentit tristitiam, capiat cum vino albo: si sentit febrem, capiat cum ℥. 1. aquæ pimpinellæ: si sentit hæmorrhoidas, vel erysipelas, capiat ʒ. 10. aquæ endiuiæ: si sentit cruditatem, capiat sine liquore, & tardet cibum per quinque horas, & lenit aluum.

Et

Et quia possset moueri difficultas de aquis thermalibus Lucensibus, an conuenirent vel ne? & respondeo breuiter, quòd omnes eiusmodi aquæ tria mala magna faciunt per se, imo quatuor: debilitant ventriculum propter extensionem, & naturam aquæ: nocent renibus, & vesicæ, vt etiam dicit Princeps, quia cogunt fieri operationem vltra naturam propriam: & deducunt multa excrementa mala, & permutant corpus à naturali dispositione: sicut si quis migraret in regionem longinquam, vt nullum membrum remaneat in suo statu: demum augent melancholiam valde, & non inuenitur aliqua species aquæ calidæ, quæ vtilis sit alicui morbo, ex eiusmodi humore genito. Et ideo etiam omnes abbreuiant vitam, & verè possunt appellari mali moris. Nihilominus in tribus casibus iuuant manifeste. Primus est in magna multitudine materierum, quæ sint in via, & non sint lentæ cum latitudine venarum, & robore membrorum naturalium, maximè iecoris. Secundus casus est in materia, quæ est omnino præter naturam in eisdem locis: & in hoc sufficit robur caloris naturalis, nec indigemus robore membri, neque latitudine viarum: sed oportet exhibere multam: & confertim, sicut in lapide, arenis, capillis, & similibus: & non sumus in casu vllo. Ex his duobus tertius est, de quo est dubitatio, si sumus in eo casu, & erit prudentissimi iudicij medici sui: & est cum fuerit mala intemperies, fixa, calida, & humida in iecore: & si est æqualis, generantur febres: si magis calida, erysipelata: etsi sit calidior, quam sicca, hæmorrhoides, cancrenæ, lepræ, impetigines, & similia, ad quæ omnia paratus est, & quas dispositiones incurrit iam iuxta varietatem rationis victus, & temporis, & in posterum etiam ætatis, & occasionum, & in hoc requiruntur robur membri, cum latitudine viarum, vel robore caloris naturalis, vt meliùs quiescere possit.

Quod ad symptomata attinet, primum est imbecillitas ventriculi: & ad hoc iuuat plurimum deferre ceratum huiusmodi. Recipe masticis in aceto dissoluti ʒ. 2. pulueris corallorum rubrorum, valde rubentium subtilissimi, & per petiam cribati ʒ. 1. cum oleo de gariophiicis, fiat ceratum scutale pro ventriculo. Item iuuat deferre Iaspidem orientalem è regione ventriculi: & est Galeni. Aliud amuletum est, corallus valde rubens gestatus è regione ventriculi. Quod ad hæmorrhoidas attinet, fiat vnguentum ex oleo de chrisomilis, & vitello oui æqualibus portionibus, & dimidio butyri recentis, croci ʒ. 1. & si non sufficit, addatur opium. Aliud magis singulare, sed operosius. Rec. setarum porcinarum minutim incisarum ʒ. 5. scarabeos magnos numero viginti quatuor, aut saltem viginti, olei de semine lini ℔. 1. coquantur lento igne per nouem horas, inde contundantur omnia simul optimè, postmodum exprimatur valde, & seruetur. Quantò enim magis antiquatur, tantò est melius. Et ego scio secretum, quod qui secum detulerit, nunquam vexatur dolore, neque fluxu hæmorrhoidarum: sed quia ille, qui detulit, postmodum mortuus est breui, propterea nolo facere mentionem de illo.

Pro mutanda autem temperatura, vtatur huiusmodi decocto, & regimine victus per quadraginta dies, corpore prius optimè expurgato. Recip. duos pullos, & imple eos endiuia, & hordeo, & coque in vase terreo, cum triginta libris aquæ, perpetuò despumando, donec redeant ad quindecim: inde facta expressione diligenti, coletur bis, aut ter, apud ignem: ponatur in loco calido infundendo sarze pariliæ minutim incisæ ʒ. 2. nucis Indicæ mundatæ, & bene albæ, & contusæ optimè, ʒ. 6. maceris, seu macis puluerati subtiliter, ℈. 4. agrimoniæ, comæ, absynthij, & mentæ viridium, quantum potest contineri in ouo, infundantur per sex horas, inde bulliant ad consumptionem medietatis, & plus exprimatur, & coletur bis, aut ter, & nunquam permittatur refrigerari, & de hoc bibat manè ʒ. 6. post superdormiat: & si non potest, quiescat per tres horas bene contectus pannis, postmodum surgat, & comedat post duas horas, facto leui exercitio, & prandium sint duo vitelli ouorum, vua passa, vel vua Cretica, cum pane, & modico vini albi leuis, post septem horas. Cœnet edendo ventriculum, & iecur, & alas pulli elixati, sed non comedat cartilaginem ventriculi, & panem coctum in iure illo, sed non comedat de iure pulli facto cum aqua, neque ponat aquam in vinum, & comedat vuas passas, vt suprà, & marcipanum ex amygdalis, pistaceis, & sacchato, & manè & serò vtatur croco orientali, & maximè vesperi in ferculo, & nihil aliud omnino gustet, & repetat decoctum illud cum duobus pullis iuuenibus, tredecim vicibus, vt sufficiat in quadraginta dies, & non vtatur illo iure plusquam tribus diebus vllo modo & abstineat à crapula, coitu, vigilia, frigore, labore, tristitia, & ira.

CONSILIVM IX.

DE Melanchelia hypochondriaca.

I. DVrities quædam in sinistro latere sub costis mendosis transuersim iacet, ea palpando, & tactu magis, quàm visu deprehenditur: hanc ex reliquijs febris, qua ante quinquennium laboraui, coagulatam, & induratam in musculis consedisse, quidam dixere: nonnulli splenem ipsum à viscosis, & lentis humoribus constipatum: indéque scirrhum causatum aiunt. Tumorem locus non alit, nec dolorem gignit: præcordia potius tumorem alere, & diaphragma ab illo constringi, tensionemque illam ad pectus vsque pertingere mihi videtur. II. Sentio enim pectoris constrictionem, anhelitus magnam difficultatem, labiorum siccitatem, incisam quasi respirationem, interque respirandum sæpe internum quen-

dam

dam phlegmatis screatum, sermonem interruptum ob impeditos spiritus, & compressionem asperæ arteriæ, eundémque magno conatu reddo, saliuam eiicio glutinosam, & tenacem. Quidam catarrhum in pulmones destillare, indeque liberiorem spirandi facultatem impediri opinantur. III. Sentio item cordis insignem palpitionem, quæ excitat arteriarum vehemētem pulsum, cum acri capitis dolore. Ea autem omnia in motu vehementi magis manifestè experior, ita, vt credam, in magna iracundia, vel alio affectu vehementi facilè suffocatum me iri. IV. Imbecillitatem capitis magnam, & omnium sensuum interiorum, præcipuè memoriæ, & intellectus obtusionem, & obscuritatem, & ingenij stuporem deprehendo, quod cum studiorum gratia intendo, obstupefieri sentio. V. Oriuntur inter studendum crebri aurium tinnitus, & capitis vertigo. Id num hiante orificio ventriculi, vel ex qua alia causa contingat, ignoro. VI. Postremò digitorum articuli priores sæpenumero sanguine recedente, albescunt, & per aliquot tempus torpēt, nec sanguinem fricando, vel alia ratione reuocare possum. VII. Tristior sum, quàm velim sæpius. Et affectus, præsertim iracundia, vehementiores iusto sunt, ita vt à tractu mihi valde metuam. VIII. Cum etiam à natura sim debilior, & imbecillis, & per totam vitam multa sumpserim pharmaca, quibus magis magisque vires totius corporis languefactas esse facilè crediderim, quæso à vestra dominatione summopere, vt ad confortandam naturam, & producendam vitam, quædam ordinare simul velit, & significare, quomodo, & quando, & quali tempore iis vti debeam. IX. Sanguinem etiam credo infiiccatum & corruptum: argumento sunt maculæ, quæ nuper in malis mihi natæ sunt. Quod reliquum est, oro quam vehementissimè possum, vt de his, quibus conflictor, morbis, exactum vestrum iudicium interponere, causas scrutari, inque remediis perquirendis diligentem adhibere operam haud grauemini. Si video hanc, quam offero mercedem, non sufficere, laboremque vestrum plus exigere, & munificenter, & liberaliter superaddam. Nec vllo modo sinam, vt ingratitudinis insimulari à vestra excellentia possim. Cui promissioni, vt habeatis fidem, & aliquantulum plus & temporis, & laboris, quàm ferunt vestræ occupationes tribuatis, maiorem in modum peto.

Hac supposita dispositione, dubium non est, quin principalis causa nō sit mala coctio in ventriculo, atque iecore cum pituitā descendente ex cerebro plurimā: quæ quidem etiam descendit ad pulmones, inde ob calorem temperaturæ iecoris: tum verò ætatis, & forsitan cordis, transeunt materiæ in melancholiam, vnde splen augetur, & falsæ cogitationes illum opprimunt. Neque est tam stupidus, vt sibi videtur, sed est potius cogitatio melācholica: cuius indicium est sermonis elegantia in sua petitione cum argumentis, & figuris oratorijs, tum calida persuasione, & supplicatione non absurdā, nec ineptā, imò prudenti: quæ omnia testantur super ingenium vegetum, & memoriam, nec ignauam mentem, sed, vt dixi, laborat melancholiā flatuosā, & etiam á sanguine crasso: & hoc est fundamentum totius suæ dispositionis: quamuis postmodum imaginetur multa alia, sed vt cautus, & solers, quantum fieri potest, nisi quod est coniuncta sua dispositio cum timore magno, & assiduo, qui non solum impedit omnem eius felicitatem, sed etiam cogitationem, & imaginatur magna sibi ventura, & quamuis non sit sine aliqua dispositione præter naturam, tamen non est tanta: neque quarta pars eius, quod imaginatur, & fieri posset, quod ego nescio: quòd habuerit aliquam tristitiam magnam, quamuis breuem, aut longam, quamuis exiguam, & ideo prima ratio curæ est remotio causæ: & est, vt viuat lætus, saltem illud cogitans Democtis, quòd vita nostra breuis est, adeò vt nihil magnum in ea esse potest: & videbit, experimentóque deprehendet nihil ei esse vtilius lætā vitā. Hanc autem faciunt ratio, vt dixi, philosophica, iter longum, cura aliqua grauis (cura enim curam pellit) tum ludi, & voluptates. Præterea medicamenta, tum cibi, adiuuant, & ad hoc lectiones iucundæ, vt quemque singula delectant & difficile quidem est mentem sine mente curare. Ergo primùm sciat, nihil melius esse moderatione vitæ. ea enim est verum aurum potabile, de quo Aloæsius Cornarus optimè dixit: nam nisi quis abstineat à cibo, potuque coneturque humores, aut depellere, aut mutare temperiem, in vtroque falsus erit, mutabitque non depellet morbum. Quid enim cum corpus mundum fuerit, indiget medicamentis, quæ illud excrutient? quin potius moderata exercitatione corporis, & animi, conuenientibúsque cibis restituere sanitatem præstat, maximè studioso: tum id confirmat experimentum, cum videamus, sapientissimos viros huic tantum præsidio innitentes, seruasse integram sanitatem ad extremam vsque senectutem, id si patiens quisque æger cogita verit, facilè euadet à quocunque diro morbo: neque enim ad medicamenta recurrant, nisi quatuor hominum genera. Primum, quod auaritia medicorum decipitur suadentium, id esse necessarium, facile, atque compendiosum. Secundum est illorum, qui impatientes inertiæ, voluptatibus, intempestiuis laboribus student, adeò vt vtilia relinquant, aduersa sectentur. Tertium eorum, qui per supinam vitam iam præcedentem tantum contraxere morbi, vt velut in tinea capitis seu potius serpigine cogantur vi extirpare iam impressam luem, pestiferumque sahafati. Demum cum à violentā aliquā causā morbus duxit originem vulnere, contusione, vinculis, peste, veneno: stultum enim esset in his, quæ violenter instant: longum expectare auxilium moderatæ vitæ. Ergo sola custodia vitæ vtendum est, vel sine illa sanari non speres. At quantum vtilitatis affert moderata vitam? veram prudentiam, quæ

quæ ſolum ineſt abſtemijs, & parcis victu, ingenium, memoriam, lætitiam, tranquillitatē vitamque longæuam. Primùm itaque eam obſeruare decet quam ſi obſeruaueris, præſidio & medicinarum (poſtquam id expedire videtur, vel morbi longitudine, vel timoris ſui cauſâ, vel vt breuiùs rem peragâmus) non dubito, qui intra annum perfectam non ſis ſanationem conſequuturus: ſed ſi neglecta vitæ ratione ſolis medicamentis innitaris, dubia erit ſalus, neque polliceri audeo, quod præſtare poſſe, certus non ſum.

Ergo vt ab initio rem deducam, bis edere tantum in die præſtat, atque ex his ſemel panem tantum iure carnis madefactum cum vua paſſa creticâ, vel amygdalis, vel torrâ ex amygdalis ſaccharo conditis: vel ſi non feras, auiculam vnam ede: vinum album paucum multa aqua, ſed optima dilutum, quæ ſi deſit, deſtillatam, vel ſaltem coctam bibas: quandoque edas boraginem coctam in iure carnis, & vuam creticam: reliqui cibi modus ſit ex capparibus, aut cichorio, cocto in acetario, carnibusque caſtrati, aut agni, aut apri, aut ſuis iuuenis in agro, non in ſtabulo educati, aut auium magnarum, quæ tamen roſtrum non habeant latum, atque inter has nihil melius, gallina indica, poſt quam phaſiamus: gallinæ & capi partes optimæ ſunt alæ tantùm, & iecur: panis leuiſſimus, purus, recens, coctus bene, bene fermentatus, vinum album, dilutius veſperi, quàm manè: reliqua omnia reiiciantur, præter piſces ſquammoſos, latos, leues, recentes, vt percæ, auratæ arbores, gobij etiam, etſi non plani: & paſſeres, rhombique, etſi non ſquammoſi: nullæ radices, nulli cibi ex lacte, vel ex farina, vel piſces alterius generis, vel fructus non horæi, non olera, præter boraginem conueniunt: ita viuas: vt putes cibum, & potum, non niſi propter vitam tibi eſſe conceſſam, in reliquis illa deſpicias. Horæis fructibus vti potes, ceraſis primùm, prunis, ficubus, perſicis, peponibus, vuis: ſed vno tantum genere, & ante cibum, & vbi bene valeas, nec vigilaueris, nec ſtudijs, nec veneri, nec exercitationi incumbere opus ſit. Porrò cocta omnia, & bene edere præſtat, & varietatem fugere ciborum, vt vno duntaxat contentus ſis, aut ad ſummum, duobus. At de quantitate quod ſummum eſt, ac difficillimum, & ab omnibus quæſitum, à nullis inuentum, cum parcitatem ſinguli laudent, nemo ſciat præfinire. Neque enim placet allata tenuis menſura Cornarijs, nec etiam omnibus conuenire poteſt ætatibus, ſexui, temperaturis, corporum magnitudinibus, tam diuerſis: præterea exercitationibus, conſuetudinibus, atque proprietatibus, & ambienti: nec illud etiam Principis ſufficit, vt ſurgant cum reliquiis famis: nec etiam neceſſe eſt, vt id obſeruemus, quòd perſæpe inutile eſt. Ergo meta ſit, vt homo à cibo ambulare, ſcribereque ſine incommodo, ac lætus poſſit: quodque poſt ſeptem horas ſentiat inanem ventriculum. Quòd neque eructationes, neque odorem, neque grauitatem, nec aliquid prorſus in ventriculo percipiat. Quòd ſomnos non videat tumultuoſos, nec vigilet, nec cum ſol ortus eſt, graue caput habere videatur: quod decumbere non deſideret, ſed ad negocia peragenda promptus ſurgat, neque ſaporem in ore, neque pandiculationes ſentiat. Quodque lætus ſit, viuax, promptus in venerem. Vrina fluat non multa ſine detrimento, aut fermè nullo: aluus nec aſtricta, nec fluida, ſputum penè nullum impigeret alacris, & quòd vires in dies augeantur, ingenium, ſolertia, memoria. Hæc menſura cibi, & potus ea eſt, quæ illi conuenit. Rutâ fermè quotidie vteris ante prandium cum modico ſalis, olei, & aceti, attenuat atram bilem, diſſecat lentos humores, flatum reſoluit, cruda vt concoquantur, adiuuat, obſtructiones aperit, venenis reſiſtit, vermes occidit, veneris pruriginem extinguit, caput roborat, mentem acuit, oculos ſeruat: hanc, quanti uſus eſſet, non niſi ex parte Galenus agnouit.

Reliqua, quæ attinent ad aërem, & exercitationem, ita diſponi debent, vt ſciat, nihil illi eſſe melius aere bono, ſcilicet puro, tenui, perflato, orienti expoſito, ſiccoque idemque dico de cubiculis & poſt ipſum eſt aer patrius, & vbi exeundum ſit á patria, vtilior eſt tenuis craſſo, & calidior frigidiore: & ſiccior humidiore. De exercitatione. Sit cum voluptate, & ante cibum, & potius longa, quàm valida, & deiecta potius aluo, & in aere liberiore, aut omnino in cubiculo concluſo, nam medicis aer bonus non eſt temporibus pluuioſis, melior eſt in cubiculo: ſerenis autem, & in loco ſicco, & maximè Vere, & æſtate ſub diuo, veſtitus mundus, leuis, ſed ita, vt arceat flatum, integat ſe nocte bene: ſed aer frigidior, non humidus conuenit. Cubiculum ſit vndequaque concluſum, maxime hyemis tempore, & matutino, puroque tempore ſinatur apertum, viuat lætus, & ſine curis, quantum fieri poteſt: matutino tamdiu, ſe exerceat, vt è naribus, & ore pituita expurgetur: nauigatio quoque in mari ſolet corrigere malas intemperies: fugiat propinquitatem lacuum, fluuiorum, & ſuper omnia ſtaginorum, & paludum, ſuffumigia quoque in domo tempore hyemis: ex thure, ſtyrace, & belezoi, ſeu aſſa odorata, vtilia ſunt, & ignis ex lignis iuniperi ſiccis.

Quod ad medicamenta autem attinet: quædam ſunt blanda ſeu inualida: quædam valida ſed aſpera: quædam media. Rurſus quædam debilia valida, quædam valida debilia, & quædam valida vtroque modo. Dico igitur quod debent adhiberi medicamenta valida debilia, & ratio eſt, quia ipſe abundat copia humorum craſſorum: ergo neceſſaria ſunt medicamenta valida. Et quia materia ndn recipit præparationem, niſi paulatim, cum ſit craſſa, lenta, frigida ideo neceſſarium eſt, vt

vt paulatim euacuetur. Et quia sunt quædam medicaméta validissima in hoc genere, quibus solent vti Germani, quæ constant ex stibio, ego non nego, quin posset sanari cum huiusmodi: nihilominus ad me non pertinet huiusmodi tractare medicamenta, quæ sunt inimica naturæ, & periculosa: & propterea ego abstinebo ab illis, & vtar solum medicamentis licitis, cuiusmodi sunt, quæ ex elleboro præparantur. Et ideo puto, quod tale genus medicationis sit necessarium: quia cum habeamus elleborum medicinam adeò tutam, cuius causa debemus tentare medicamentum adeò periculosum, & ita naturæ inimicum? & hæc fuit egregia illa vtilitas medicamentorum simplicium, quorum notitiam adeò iactant, & nunc, vt viderentur aliquid facere: cum non possent ostendere aliquid egregij ex tantis laboribus, eò deuenerunt, vt nefandissimum medicamentum præponerent, cum nulla ex parte sit melius elleboro nigro, & sit longè periculosius, & non sit collaudatum ab Hippocrate, sicut est elleborus, vt videmus, quod efficit symptomata pessima in omnibus, nemine excepto, & propter hoc non debet esse vsui cuiquam: sed omnes debent ipsum vitare, vt pestem maximam, quæ imprimit magna detrimenta. Dico ergo, quòd fundamentum purgationis debet esse in elleboro nigro cū flore rubro. Incipiamus ergo à præparantibus: & præparatio est duplex, exterior, & interior. Interior fit cum syrupis: exterior autem cum vnguentis, & vnctionibus. Recipe ergo oximelitis simplicis ℥. 1. syrupi de stecado ℥. 6. decoctionis infra scriptæ ℥. 3. Recipe rutæ recētis & paruæ contusæ parum viridisque ℈. 4. germinum cichorij ʒ. 3. foliorum boraginis ℥. 5. foliorum teucri, & est simile trisagini, foliorum melissæ an. m. 1. Coquatur in libris duabus aquæ pimpinellæ ad consumptionem medietatis: inde coletur, &, vt suprà, misceatur, & de hoc assumat, donec vrina fuerit optima. Exterior autem præparatio fit cum oleis, & vnguentis huiusmodi. Recipe olei de croco antiqui, vel facti secundum balneum Mariæ ℥. 2. olei anetini facti similiter per balneum Mariæ ℥. 3. olei de nuce myristica ℥. 2. olei de nuce indica expressi cum torculari ℥. 1. axungiæ porci masculi recentis ℥. 2. camomillæ, sertulæ, campanæ, absynthij an. ℥. 3 1. masticis albi recenti ʒ. 6. vini cretici ℥. 3. coquantur ad consumptionem vini omnia: inde facta expressione, addantur belzoi, ligni aloes electi, medullæ ceruinæ, singulorum ʒ. 2. gariophylorum ʒ. 1. 5 iridis illiricæ pulueris de cypro, quam vendunt Profumarij an. ʒ. 5. medullæ cerui ʒ. 1 misce, & fiat linimentū pro ventre: de quo etiam ungantur pulsus manum, & pedum semel in die. Purgatio ergo duplex esse debet: vna facilis, & cum compositis hoc modo. Recipe confectionis hamec optimæ, & recentis ʒ. 5. aquæ decoctionis fumiterræ, lupulorum, hyssopi, chrypthini, id est, quam vocant basigiam, rutæ q. 5. misce, fiat potio, capiat per sex horas ante cibum: & bonum est, vt super dormiat. Et cum cœperit operari, non dormiat amplius: & in prandio comedat solum panem coctum in iure pulli, & nihil bibat.

Sequenti die capiat hoc. Recipe theriacæ optimæ ʒ. 1. cum modico aquæ destillationis rutæ, sed factæ cum balneo Mariæ. Inde redeat ad præparantia eadem, & eodem modo. Et concocta vrina, capiat elleborum hoc modo. Recipe ellebori nigri nati in montibus, & facientis florem rubrorum ʒ. 1. 5. Incidantur dictæ radices, quæ sint eiusdem anni, & imponantur in rapsani radice magnâ diuisâ in tot locis, vt elleborus totus in eo contineri possit, & postmodum circundetur ab ℥. 3. mellis optimi paululum cocti, & despumati, & maneat per horas 12. in loco calido, velut in stuphâ vocatâ: & postmodum liquescat mel, & abiiciatur rapsanus cum elleboro, sed priùs bene colligatur mel, & etiam rapsanus comprimatur, & in eo melle addantur iuris infra scripi ℥. 6. vel bibat, si placet, ius ipsum postquam mel cum cochleari assumpserit, & tardet cibum omnem sex horis, & accipiat, vt suprà. Recipe gallum veterem, & imponantur hæc. Recipe polypodij senæ orientalis an. ℥. 1. buglossæ, boraginis folia, & radices, lupulorum caules, & flores maturos fumariæ viridis, aut siccæ, si non potest haberi viridis, foliorum melisse viridium, hypericonis, origani an. ʒ. 2. folia violatum communium, scilicet purpurearum, quæ vocantur violæ claudæ ℥. 2. radicis roris marini inferioris ℥. 2. Myrobalanorum nigrorum ℥. 1. 5. Coquantur in gallo addendo piperi integri ʒ. 5 & coquatur ita vt ex libris 20. aquæ reducatur ad ℔. 2. vsque ad 3 & de hoc sumat ℥. 6. calidum valde, vt dixi, & optime colatum. Reliquum capiet diebus sequentibus: sed non in prima die sequenti. Postmodum reuertatur ad prædicta concoquentia, vel etiam ad ius huiusmodi. Rec, foliorum violarum viridium, vt suprà p. magnum, florum nenufaris albi ℥. 1. myrobal. lanorum nigrorum ℥. 5. boraginis melissæ, lupulorū an. ʒ. 5. passæ vuæ bene pinguis ℥. 1. betonicæ ʒ. 2. 5. thimi florum ℥. 5. fumiterræ 5. & folia. m. coquantur in pullo iuuene, & de hoc capiat colato cum ℥. 1. oximelitis simplicis vnam pateram vnciarum octo singulo mane. Post octo dies purget secunda hac purgatione: deinde capiat hoc per 20. dies.

Rec, limaturæ chalybis optimi, & tenuis ʒ: 6. lauetur cum aceto albo acri viginti quinque vicibus, & totidem vicibus cum aqua pura, adeò vt fiat velut argentum nitidum: & pòst capiat ipsum diuidendo æqualiter in viginti diebus, & singulo die lauetur, quod residuum est cum aqua fontis, capiat ipsum semper cum ʒ. 5. sacchari rosacei, & tardet cibum per horas quinque, comedendo in mane solum panem ex iure carnis, & parum bibat. Pòst per quadraginta dies vtatur hoc electuario. Rex, florum roris marini, foliorum betonicæ singulorum ℥. 1. 5. sacchari optimi libram. 1. contundantur simul, & ponantur in

in ſole per 40.dies,inde addantur Cardamomi maioris tenuiſſimè puluerati ʒ.2. Capiat ſingulo manè ʒ.ſ,ferme,& ſingulis octo diebus capiat decoctum ſoliorum violarum, & fumiterræ , & lupulorum in iure pulli. Præterea eſt puluis noſter mirabilis, confirmans mentem , aperiens obſtructiones , & purgans humores melancholicos , & corruptos, maximè vtile cordi : cuius hæc eſt deſcriptio.

Recipe auri puri ʒ. 2.ſmaragdorum orientalium ℈. iiij. margaritarum orientalium paruarum ʒ. 1.ſ.ſaphirorum ℈.iij. lapidis lazuli valde puri,& electi,reddat in puluerem, & abluti tredecies ʒ. iij. debet autem ablui cum aqua frigida lapidis , qui vocatur agemaris piradotus,& eſt viridis,& mollis, quẽ aliqui vocant chryſolitum , hyacinthorum orientalium,calaidis orientalis,quem vocant aquam marinam,ſingulorum ʒ. 1.argenti,de cupela vocant , id eſt puriſſimi , ℥. ſ. lapidis Magnetis trahentis ferrum , & ſplendidi ʒ. iij. & fiat puluis ſubtiliſſimus , & cribratus ſæpiùs per petiam ſtrictam , adeò vt tangi non poſſit : & ei addantur ſacchari puri, & pondus omnium, & de hoc capiat ʒ. 1. pro vice , & tardet cibum per horas ſeptem , & ambulet , donec ſoluatur aluus , & videbit magnum effectum.

Solum reſtat difficultas , non leuis de ſectione venæ,vtrùm conueniat, & an ſit neceſſaria ? quædam enim conueniunt, non tamen ſunt neceſſaria , velut ſectio venæ in podagra : quædam ſunt neceſſaria , & non conueniunt,ſicut purgatio,& ſectio venæ,in ſyncopali humoroſa, quædam neque conueniunt, neque ſunt neceſſaria, vt ſectio venæ in febre peſtilenti : quædam conueniunt, & ſunt neceſſaria,vt ſectio venæ in febre ſanguinea.Dico ergo,quòd ſectio venæ non eſt neceſſaria, quia morbus eſt frigidus, & diuturnus,& cum multa melancholia. Sed ſunt quidam medici , qui neſciunt curare ægros, niſi detrahant magnam quantitatem ſanguinis:& hoc contingit eis propter ſex cauſas. Prima eſt , vt videantur aliquid facere magni. Secunda eſt , quia non intelligunt morbum : & putant hoc auxilium , quia eſt potens , debere conferre omnibus morbis. Tertia,quia Galenus(tertia Aphor com.23.) dixit , quòd ſectio venæ conuenit in omni morbo. Quarta,quia ſunt aſſueti vti hoc auxilio ſine diſcrimine. Quinta , quia videtur morbus eſſe in ſanguine , & habitus patientis ſanguineus, & ætas florens. Sexta , quia ipſi gaudent tali auxilio:& maximè,quia ſic poſſunt vti liberiore viuendi ratione : quam optant iuuenes præcipuè.Quod verò conueniat,duæ videntur præcipuæ rationes.Prima, quia morbus eſt ſanguineus,vt dictum eſt,& in ſanguine,& ætas,& temperatura ſanguinea. Secunda,quia ſectio venæ attenuat ſanguinem, vt ait Princeps *quarta Primi capite vigeſimo* hic autem abundat ſanguis craſſus, ſine dubio. Sed contrarium multa indicant. Primum eſt experimentum , quia cum ſæpe miſerit ſanguinem,nunquam leuatus eſt manifeſto iuuamento , quin imo ſuccedente tempore lapſus eſt in deterius , quod non contigiſſet, ſi remedium fuiſſet valde ſalutiferum,& adeò vtile:nam videmus in remediis valde vtilibus tantam ſequi vtilitatem, vt æger longo tempore ſentiat iuuamentum.Præterea non video,quod in vllo morbo ex materia craſſa conueniat ſectio venæ, nec laudetur ab authoribus, vt neque in catarrho craſſo , neque in melancholia , neque in hepialis febribus,nec in colica.imò eſt caſus exceptus , velut in podagra à materia craſſa. Et ratio etiam huic aſtipulatur : quia omnis morbus à materia craſſa , eſt etiam à materia frigida : ſed ſectio venæ refrigerat: ergo ſectio venæ , non conuenit in morbo à materia frigida.Videmus etiam,quod hi,qui frequenter vtuntur ſectione venæ, perueniunt ad debilitatem viſus,ad ſurditatem,ad habitum ſenilem , & ad morbos ex craſſo ſanguine , & calor in eis denigratur : igitur ſectio venæ incraſſat ſanguinem.Illud etiam eſt veriſimile , quia effluit ſemper quod tenuius eſt : ergo quod relinquitur, incraſſatur. Ex ſectione etiam venæ prohibetur exercitatio,& inedia:Galen. ſuper *Aphoriſ.illo ſecundæ particulæ,16.* Vbi fames, laborandum non eſt. Quæ duo præſidia non ſolum ſunt vtilia, ſed etiam maximè neceſſaria : & ideò videant iſti,qui tam inconſideratè conſulunt ſectionem venæ in ægris, cum non ſit ex re illorum fermè vnquam,niſi cum ſanguis ferueſcit propter febrem,aut abſceſſum,aut vehementem exercitationem. Concludo ergo, quòd ſectio venæ nullo modo ei conuenit per ſe,licet per accidens, quia ipſe nolet abſtinere à cibis,neque vti eo parco victu,quo deberet,neque exerceri:ideo melius erit malum auxilium,ſeu non admodum probatum, quàm nullum.

CONSILIVM X.

De Melancholia.

SCribitur Nobilem Equitem Honorium annos 25. natum , temperaturæ bilioſæ cum ſanguinis admixtione melancholici, ſubinde iam triennio melancholia exerceri vt putet ſe Deum eſſe, eúmque tantum in virtute lædi imaginatiua , quoniam in reliquis omnibus probe diſcurrit,quia tamen cogitatiuæ functionis non tantum eſt diſcurrere, componere, diuidere, ſed iudicare, plurimaque ſint in quibus eques Honorius male iudicat componendo & diuidendo, omnéſque melancholici timeant quod timendum non eſt , ponitque Auicenna in definitione melancholiæ læſionem cogitatiuæ coniicimus nos non tantum in virtute lædi imaginatiua ſed etiam cogitatiua. Ideo quod tamen parum ad rem attinet curatio eadem fieri debet ſiue ſola imaginatiua, ſiue etiam cogitatiua ſit affecta , an verò primaria affectione cerebrum patiatur,an per alterius partis conſenſum. Puto cerebrum primario affectu laborare,perpetuo enim,vt ſcribitur, adeſt læſio quæ nullius alterius partis læſionem conſequitur, longitudo quoque affectionis indicat ipſummet cerebrum malè habere neque

enim fieri potest vt membrum diu per consensum fatigatum propriam non suscipiat affectionem. An verò in cerebro duntaxat, an in vniuerso corpore bilis atra vel humor melancholicus contineatur, licet clarè non scribatur arbitror tamen non modo in cerebro, sed in vniuerso corpore contineri cum crassiore sanguine factus, vt scribitur, totius corporis similitudo in præsentiorum sit melancholica. De hypochondriaca vel in flatiua passione non dicendum puto cum de ipsa nulla sint indicia, erit igitur melancholia tam in vniuerso corpore quam in cerebro. Huius morbi causa, quia melancholici humores plures sint, fit enim bilis atra ex adustione bilis, humoris melancholici naturalis, sanguinis ac etiam apud aliquos pituitæ, & præter ea est naturalis humor melancholicus. Videndum est à qua melancholia morbus iste dependeat, quod ex pituitæ adustione non possit talis morbus causari, ex eo clare deducitur, quod in prima melancholia sunt timor & tristitia propter aërem calorem humoris peccantis, quicquid dicat Auic. pituita verò assata non atra sed alba semper existit, perinde ac pituita gipsea. Nam sputum ex pituita adusta, dixit Gal. esse album 2. *prognosticorum* 46. neque loquutus est Gal. de atra bile ex assata pituita facta. Et licet pituita assata, quia non atra est melancholiam facere non possit, nihil tamen prohibet quin ex ea quartana fieri valeat, & quin possit inter species humoris frigidi ac sicci numerari. Ex atra bili facta per assationem flauæ bilis vel humoris melancholici naturalis, morbum hunc causari haud verisimile est, quum ferina deliramenta non adsint. Relinquitur ergo morbum hunc fieri vel ex adusto sanguine quoniam sæpe ridere videtur, vel ex humore melancholico naturali. Quòd si adustio quædam aliorum humorum sit, ea modica est, cum nulla vt dixi, ferina deliramenta coniungantur, & quia melancholicus humor in ventriculis cerebri facit epilepsiam & in corpore cerebri contentus melancholiam vt vult Gal. 3. *de locis aff. cap.* 5. Concludendum est morbum Equitis Honorij esse malam cerebri temperaturam frigidam & siccam ab humore nigro non modo in cerebro, sed in vniuerso corpore contento Gal. vbicumque loquitur de melancholia statuit quod sit passio cerebri vel primario affectu vel per consensum, quando humores melancholici aliunde ad cerebrum veniunt, fit melancholia per consensum; quando verò melancholicus humor in cerebro continetur fit ipso cerebro affecto. Auicenna *in cap. de melancholia* dicit quòd magna ex parte principium melancholiæ est ex corde, licet non confirmetur nisi in cerebro, ita vt cerebrum & cor se inuicem iuuent huius morbi productione: Vnde nonnulli arbitrantur, Auic. sententiam Galeno aduersari; quum tamen potius Auic. mentem Galeni declaret non dicente Gal. melancholiam fieri quandoque per consensum totius, totum autem disponatur vel ex corde, vel ex iecore, ostendit Auic. consensum illum potius esse ratione cordis quam Iecoris ob plurimos spiritus ad rete mirabile transmissos ac in Cerebro elaboratos. Et quando cor cerebrum mutat ad temperaturam melancholicam, eodem modo totum corpus afficit, quod si fortè cor cerebri temperaturam duntaxat variet & non totius disponetur cerebrum ad attrahendum sanguinem melancholicum temperaturæ suæ conuenientem & tunc melancholia facta passio erit cerebri, quamuis initiatiuè sit ex corde; quare debet Medicus in cura melancholiæ non modo de cerebro sed etiam de corde sollicitus esse, & quando etiam non fieret melancholia initiatiui ex corde quia quum semper in ea sunt timor & tristitia cordis passiones, necesse est præsidia cordi admouere; Dubitatur an ex mala complexione sicca vel frigida; & sicca sine materia fieri possit melancholia Gal. 18. 3. *parte aphor.* ponit ex vigiliis ratione immodicæ siccitatis fieri delirium, Auic. *cap. proprio* ex mala complexione frigida & sicca fieri voluit melancholia id quoque oratione probauit, nam omnis immoderata dyscrasia lædit actum propriæ virtutis, dicendum est quod Galen. semper cum de melancholia loquitur de morbo qui fit ab humore atro vnde timor & tristitia consequuntur intelligit: 18. *verò* 7. *particulæ aphor.* desipientiam melancholicam non intelligit. Auic. verò vult malam temperaturam frigidam & siccam esse causam melancholiæ remotam & mediante humore melancholico in cerebro sui ratione redundante; quod clarè ex dictis suis colligitur quum dicit. Et quibusdam medicorum visum est quod melancholia contingat à dæmone, sed nos non curamus cum physicam doceamus, si illud contingat à Dæmone, aut non contingat. Postea quoque dicimus, si contingat à Dæmone sic fit vt conuertat complexionem ad choleram nigram, & causa eius propinqua cholera nigra. Ad rationem concedimus omnem immoderatam dyscrasiam lædere actum propriæ virtutis non tamen sequitur quod faciat melancholiam cum qua timor & tristitia coniunguntur, quam ab humore atro fieri sæpe diximus.

Dubitatur secundò an sine melancholico humore & absque mala temperatura fieri possit melancholia & videtur quod sic dicente Auenzoar *lib. primo tractatu* 9. *cap.* 16. perturbationem intellectus fieri posse ex diminutione substantiæ cerebri, vel ex immoderata sanguinis missione vel aliter facta vt in valde senibus. Dicendum est quod si ex diminutione substantiæ cerebri fiat intellectus perturbatio vel alienatio non tamen fit melancholia quam nonnisi ab humore atro fieri dicimus. Cum igitur morbus sit mala temperatura frigida & sicca ab humore adiuncta melancholico inprimis euacuandus est humor melancholicus in corpore redundans: subinde rursus ne abundet præcauere. Tamen si qua remansit temperatura mala, eam remanere, ac cerebrum roborare. Sed priusquam curam ponamus duo sunt dubia diluenda. Primum an melancholia curabilis sit præsertim inueterata: secundum an in melancholiæ cura semper cum calidis procedendum sit, quemadmodum cum humidis perpetuò procedimus,

Quod

Quod ad primum attinet cum omnis melancholia, vt diximus, ab humore dependeat atro tumorem præter naturam non faciente constat quod cum humorem concoquere ac educere virtute constante non est impossibile, dixi *tumorem præter naturam non facientem* propter cancrum. Si verò causa humoris talis aliqua mala sit intemperies modo non sit siccitas in membris intrinseca ipsam curare haud est impossibile, veruntamen quando mala temperatura radicata est & æqualis facta, difficillimè curatur.

Pro secunda dubitatione videndum est an omnis atra bilis per adustionem facta, frigida sit vt videtur velle Gal. *in 2. de diff. febrium cap. 5. in volumine de cauſ.* morborum *cap. 6. & in 3. de cauſſ. ſymp. cap.* vbi dicit atram bilem per adustionem factam frigidam esse habere quid caloris vt cinis & acetum. Idem vult Auerr. 5 *colleg. cap. 3.* Aristot. quoque 3. *partic. problem. dicit enim* atram bilem esse natura frigidam, & accidentaliter calidam, sicut ferrum & lapis calefieri & igniri possunt.

Tamen opponi videtur sententia Galeni 3. virtut. natural. in fine dicentis pari modo & nigri succi quod nondum illam veluti ebullitionem fermentationémque terræ efficit, naturale est, quod autem in eandem mutatum est vim ac speciem, id iam præternaturam est, ceu quod vstione non naturalis caloris acrimoniam adsciuerit, ac veluti cinis quidam sit redditum, sic quodammodo & fex vsta à non vsta dissidet, illa namque admodum calida est vt carnem vrat, liquet, ac corrumpat altera quæ nondum est vsta siccandi ac refrigerandi facultatem habet, vult igitur quemadmodum fex vsta differt à non vsta, sic atra bilis per adustionem ab ea quæ sine adustione, quum fex vsta calida sit, non vsta frigida iudicabitur. Item 3. *de cauſſ. ſympt.* vltim. Maniam fieri dicit ab humore calido, cum tamen fiat ab atra bile. Item Auic. 1. 3. *cap. de cura melan.* dicit nos tenemus in hoc morbo malitiam accendi, nisi facta sit à colera adusta quando calida est. Item *prima* 4. *de cura* 4. dicit & si fuerit melancholia colerica tunc tibi inest vt administres infrigidationem ac humectationem ex medicinis & cibis. Similiter *prima 3. de cura Maniæ* dicit cum autem malitiam complexionis calidæ times, abscinde eam, & post purgationem perueni ad infrigidationem & humectationem cum embucis & aliis, subinde parum infra dicit sitque intentio tua in humectando maior intentione tua in infrigidando. Dicendum est atram bilem per adustionem factam tam ex flaua bile quàm ex naturali melancholia in natura sua frigidam esse & siccam aliter in genere humoris melancholici non esset; habere tamen aliquid caloris, sicuti acetum, posseque faciliter à causa calida inflammari ob calorem qui ex adustione participat, & tunc erit accidentaliter calida, sicut ferrum ignitum, aut lapis: à bile namque flaua cum ad atram deducta est partes calidæ subtiles resolutæ sunt & terrestres frigidæ remanserunt quæ tam magnam cum putrescunt, caliditatem acquirunt, vt forte magis calefaciant quam bilis atra putrescens, quoniam caliditas est in densiore natura, sicuti ferrum ignitum fortius calefacit quam flamma ex palea.

Ad Gal. 2. virtutum natural. dicitur quod sicut fex vsta calidior est non vsta, sic atra bilis ex vstione facta calidior est humore melancholico naturali non tamen est omnimodo similitudo, quia fex vsta respectu corporis humani calida & atra bilis ex vstione facta frigida est.

Ad id quod adducitur de causis sympt. dicitur mania fieri apud Gal. ex humore bilioso calido; quæ verò fit ab atra bile, alienatio non mania, sed alienatio melancholica dicitur à Gal. Ad primam auctoritatem Auic. concedimus vstam bilem absolutè calidam esse cum est in genere bilis cum verò melancholia facta est, non absolutè calida dicenda est sed respectu melancholiæ non adustæ: Ad id quod in cap. 4. dicitur, concedimus quod cum materia melancholica per adustionem facta putrescit, magnam vim calefaciendi obtinet, & multa indiget infrigidatione vt diximus.

Ad id quod dicit Auic. de cura maniæ verum est quod interdum ab atra bile per adustionem facta pendentis, indicatione sumpta ab eius frigiditate & crassitie subtiliantibus & leniter calefacientibus vti debemus: indicatione verò sumpta à causa adustionem faciente cum perseuerat ac etiam & caliditate per putredinem acquisita in frigidentibus indigemus. Cum igitur iudicationes curatiuæ contrariæ sint, vel contraria simul, miscebimus vel nutu vno nunc altero secundum necessitatis exigentiam vtemur: Indicatione verò sumpta à siccitate materiæ, cum ibi nulla sit iudicatio contraria perpetuo humectantibus vtendum est, & cum in casu nostro vt diximus parua vel nulla sit adustio parua quoque in frigidatione vtemur, & raro, sæpius cum temperatis aut moderatè calefacientibus procedendum.

His habitis ad regimen in sex rebus non naturalibus accedamus. Aër nihil obscuri habeat, dum æger vigilat. Quod si etiam in somno non obscurus esset conueniret, sit autem humidus non siccus; odoramenta & calida & frigida secundum necessitatis exigentiam conueniant, & præsertim humida sicuti Apiapoma. Ad aërem quoque balnea veniunt, quare cum aqua tepida frequenter balneandus est, non tamen diu in balneo morandum, ne corpus ex immoderata resolutione siccetur. Capiti quoque aqua calida infundenda est, laudamus autem illam in qua pedes & caput veruecis concocta sint, quando plurimum humectat, poteſtque aliquid odoriferi imponi, vt mixta in exigua qualitate, capiti balnea sub maiori caliditate sunt admouenda ne tepidam cerebri substantiam relaxet, & si balnei caliditas suspecta esset frigida incoquenda forent, vt violæ nemiphar & huiuscemodi. Hora balnei à Mesue ponitur ante cibum Auic. secundum nonam Bellundisis correctionem post cibum cuius ratio est quoniam 2. *fen.* 1. *decret.* 2. *cap.* 19. Balneum in ieiuno siccat, post cibum verò impinguat. Verùm si balneum fiat immediatè post cibum facit obstructiones, cibum

bum priusquam sit è stomacho concoctus attrahendo. Si verò fiat in fine primæ secundæque concoctionis priusquam vacuitas sit & conferat, & moderatè impinguat nec cibum trahet incoctum, olea quoque ad hoc genus veniunt; vnde Auenzoar 2. *&* 1. *ex* 9. *cap.* 8. in curatione melancholiæ oleum amygdalinum dulce capiti admouet. Admirantur nonnulli quòd idem *cap.* 15. de perturbatione intellectus ex intemperie frigida & sicca in cerebri substantia fixa oleo rosato in abundanti quantitate super caput vtatur cum rosatum oleum sit frigidum: Verùm mirari non deberent, neque oleum rosatum ad mentem Galeni cum temperamento propinquum sit, calefacta infrigidat & frigida calefacit, quemadmodum aqua tepida calefactam infrigidat, & frigidam calefacit. Quantum ad animi accidentia, quæ magnam vim habent in casu nostro cum timeant tristentùrque melancholici omnes. Si gaudeant & erigantur in spem magno præsidio erit. Vnde sunt sonis & cantilenis recreandi & eis adhibendi præsentes quibus lætentur & quorum præsentia alienare vereantur, sermones habendi delectabiles; ludis & iocis, si eis oblectantur, detinendi sunt, & quibuscunque eos delectari videris in eis commorari. Quod si aspectu rerum patiens oblectetur, afferantur ea quibus oblectatur vt sculpturæ, figuræ, gemmæ, equi, canes.

Quiescant, ne siccentur, excitandus tamen est innatus calor suaui motione sicuti leui equitatione aut in ambulatione, laudantur fricationes....impinguantes, sunt autem eæ qualitates quæ & manibus mollibus fiunt præsertim cum oleis puta amygdalarum dulcium & quæ sunt mediocres, fortes autem motiones & frictiones, similiter cum rebus asperis & duris noxiæ sunt, quoniam exsiccant, somnus omnino optandus, etenim ex conuenientibus præsidiis habetur & est tum quia per somnum prauæ illæ imaginationes & cogitationes sedari solent, tum quia humectant, virésque instaurant, est autem prouocandus odoramentis, cibis, sympis, embrosis, quæ tamen in frigiditate non multum excedant, stupefacientia vero quam maximè euitanda cum materia frigida sit; famem non toleret; cæna sit vberior prandio; Excrementa omnia quotidie natura vel arte purgentur. Et quia ad inanitionem & repletionem coitus attinet, quæritur an conueniat in eo genere melancholia, quam Arabes illisci vocant; amorem latini, ex omnium sententia vbi frui re amata melancholicus possit, maximum præsidium est: in aliis autem melancholicis distinguendum est de naturali temperatura, ætate consuetudine, anni tempore, & vbi iuuenis fortis est venereque vti consuetus facileque coitus abstinentia mali vapores cerebrum lædunt, vt habetur 6. *de locis aff. cap.* 5. & mala solent incidere symptomata scilicet grauitas, fastidium cerebri imbecillitas, dyspersia, pigritia, torpor & melancholicorum symptomata timor scilicet & tristitia & proinde Auic. 2. 3. *de vtilitatibus* dicit, confert morbis melancholicis quando lætificat, & expedit fumum spermatis aggregatum ex parte cordis & cerebri. Quòd ad cibos attinet euitandi sunt omnes melancholici Gal. 3. *de locis aff. cap.* 6. enumerat carnes varias melancholicas quibus nunc homines non vtuntur & carnem bubulam dicit esset melancholicam propterea dubitatur an sub carne bubula, vituli comprehenduntur, Gal. 3. de alimentis in principio inter carnes suillas intelligit tam sues qui sunt in vigore quam qui sunt in incremento, pari modo in genere carnis bubulæ, numerari debent illæ quæ sunt in vigore. De prima nullus dubitat, verum est quod longè minus vituli generant humorem melancholicum quam boues; in morbo tamen melancholico puto vitulos esse dimittendos, vel raro admodum illis vtendum. Auic. similiter 2. *can. cap. de carne* dicit, caro vaccina plurimi est nutrimenti, crassa melancholica generans morbos melancholicos, & quod melior est eius, est caro vitulorum, clarè constat quod vitulos inter carnes vaccinas enumerat & in ea specie est melior. Similiter Paulus *libro* 4. *cap.* 84. postquam de omni specie carnis loquutus est, dixit de bubula quod atram bilem auget, subdit in vniuersum verò recentiora, Iunioraque omnia veteribus humidiora, meliora & coctu faciliora deprehenduntur manifestè innuens quod sub bubula vitulos Iuniores comprehendit, quemadmodum sub suilla, caprina, ouilla, leporina, singula indiuidua cuiuslibet speciei comprehendit, fugiendi itaque sunt cibi omnes melancholici quos Gal. enumerat 3. *de locis affect. cap.* 6. Præterea verò quæ Gal. dicit omnia fortiter calefacientia, sicuti allium, cepæ, porrum, synapi, & huiusmodi, ac fortes exercitationes & alia ex sex rebus non naturalibus potenter calefacientia & exsiccantia ad huius humoris faciunt generationem. Cibi conuenientes sunt qui nutriunt impinguant cum humectatione sine obstructione. Laudat Auic. pingue & dulce quod scilicet non sit obstructiuum. Inter sapores, euitandi sunt acerbi, austeri, acetosi valde, quia nutrimentum præbent melancholicum pari ratione amara, salsa, & acuta fugienda tum quia siccant, & adurunt; tantum igitur pingue ac dulce conueniet, in quibus carnes, panis, oua, pisces, & omnia quæ illis extremis saporibus carent, continentur. Carnes igitur sunt non melancholicæ sicuti Hædi, veruecis, pullorum & pullarum, capi, auium omnium quæ sunt in communi vsu, & non degunt in aquis, nec in caueis sint saginatæ. Panis sit ex bono frumento de proximo molito, probè fermentatus, ac elaboratus, modicè salitus, non plurium quam duorum vel trium dierum in clibano coctus, & ab exteriori cortice adusto mundatus, oua sint sorbilia, vel mollia, recentia, pisces sint boni non duri, non viscosi, marini, vel de flumine currente. Borrago si eius folia infundantur in vino, faciunt lætitiam. Oleribus frigidis tempore calido, calidis tempore frigido vtendum est. His semper exceptis quæ valde calefaciunt ac siccant, idem de fructibus dicendum. Auenzoar *in cura perturbationis intellectus ex cerebri diminutione lib.* 1 *tra.* 9. *c.* 16. dat amygdalas dulces

ces cum Zucharo,& bono pane, atque quod augere cerebri substantiam id ipsum videtur esse quod nos marzapanum vocamus, vinum bonum inter ea quæ maximè lætitiam faciunt commemoratur ab Auic. *in 1. tract. de viribus cordis cap.* 5. & Gal. *in tract.* de viribus animalibus *cap.* 3. dicit quod remouet omnem tristitiam sicuti aqua tollit amaritudinem à lupinis: album magis commendatur eo quod à tenebrositate magis remouetur: debet esse subtile mediocriter ne sui subtilitate nimium prouocet vrinam, aut crassitiem melancholiam procreet, non sit nimis antiquum ne siccet, neque nimis nouum, ne caput repleat,& vt facilius concoquatur.

Ordinato victu, de sanguinis missione inprimis dicendum: postea de diuersione: postremo de symptomatum correctione. De sanguinis missione, quoniam vniuersum corpus melancholico sanguine redundare videmus, præmissa ventris lenitione secunda est apud Gal. vena cubiti mediana quam communem vocamus, etenim cum materia in capite & aliis partibus æqualiter continetur, incidenda vena est quæ partes superiores ac inferiores æqualiter respiciat. Auic. eo modo fecit, parum tamen post dicit considera quod casus capitis grauatiuum est, & incide cephalicam illius lateris quia tunc materia videtur esse in capite, vbi verò materia esset in toto & non in capite, satius foret venam quæ intus est, incidere quam basilicam dicunt, Paulus non dicit de qua vena sanguis mitti debeat, Alex. dicit per loca competentia. Dicendum est, si materia æqualiter est in capite & toto, media vena secanda est, si plus in capite redundet, vena humeralis quam cephalicam vocant si plus abundet in toto, vena quæ intus. Quantitas sanguinis educendi præsertim si niger exeat, sit prout virtus, habitus corporis, anni exigit tempus, & prout præsens medicus iudicabit: cum certa rei quantitas nec verbo dici, nec calamo scribi possit, Ambiget fortè quispiam vnde melius sit ex venis hæmorrhoidalibus aut ex vena cubiti sanguinem mittere. Respondetur quod his quibus hæmorrhoides assuetæ sunt, & quibus licet non sint assuetæ videmus tamen per eam viam naturam euacuationem tentare, quod ex dolore & illarum venarum tumore deprehendimus venas illas aperire vel cum hirudinibus, satius est ex ipsis quam ex vena cubiti sanguinem detrahere nam quò maximè natura vergit eo ducere per loca conferentia; In his vero quibus assuetæ non sint, nec natura per eam viam tentat euacuationem, ex vena cubiti sanguis mitti debet, quoniam venis istis hirudines admouebis, non attrahent sanguinem melancholicum quod ibi à natura transmissus non est. Dices 2. *aphor. 4. part.* & alia educere a corpore qualia sponte venientia sunt vtilia, confert & cum sponte fluunt hemoroides iuuant: igitur medici debent per eas sanguinem mittere. Dicendum est in eo casu, quod hirudines talem sanguinem non educunt à corpore quamuis sponte veniens iuuaret, quoniam non educerent sanguinem melancholicum, sicuti esse solet. Veniens, & proinde Hipp. in aphor. non de missione sanguinis sed de pharmaciis loquitur.

Pro materiæ concoctione & ipsius ad euacuationem præparatione intentiones erant curatiuæ humectare subtiliare sine vehementi calefactione, vias aperire, inter humectantia sunt liquiritia, passulæ, buglossa, borrago, viola, Nenuphar, poma, pruna, lactuca, cucurbita, portulaca, inter quæ multa frigida sunt & quoniam non indigemus infrigidatione, vtimur aliis aut frigidis cum calidis temperatis, & sic varias facimus decoctiones ex quibus cum melle & saccharo varios syrupos paramus & variis etiam succis varij fiunt syrupi vt de succo pomorum dulcium de succo borraginis & huiusmodi. Syrupus quoque de succo betonicæ, præsidio est melancholicis sicuti epilepticis, vt habet Dioscorides *cap. proprio.* In his quoque decoctionibus scolopendria quam ceterach dicimus, thamaritio corticeque radicis caparum vti conueniet; si verò maiori subtiliatione ac incisione opus sit, hyssopo, origano, pulegio, cum alis vti conueniet, ita tamen vt adurens caliditas deuitetur, facta ex dictis rebus decoctione humectanti, in actiuis temperata vel moderatè calefaciente, addemus tantumdem vel tertiam partem succi pomorum dulcium odoratorum & cum saccharo vel melle decoquimus, sed syrupi constantiam cum melle, quando plus, cum Zuccharo quando minus calefacere conuenit. Cum tali verò syrupo admiscebimus interdum oxymel simplex ad vias parandas vel mel rosatum, prout medico præsenti melius videbitur. Alteromodo solent fieri syrupi cum his scilicet quæ melancholiam ducunt, sicuti est syrup. de pomis compositus descriptus à Mesue cap. de curatione sodæ frigidæ ab humore melancholico, syrup. de pomis descriptus à Mesue in cap. de curatione maniæ vt melancholiæ sanguineæ sub nomine sabor Regis indorum. Alius quoque fit syrup. de Epithimo descriptus à Mesue in distinctione de syrupis melancholicæ eductiuis. Dubitatur an tales syrupi conueniant, videtur quod non quoniam potius euacuant quam concoquant, & euacuationem concoctio præcedere debet.

Dicendum est euacuationem fortem magnum motum in materia facientem non conuenire priusquam concoctio facta sit, quia fortis motus concoctionem prohibet, quæ quietè perficitur, euacuatio tamen lenis ventris lenitio sudoris aut vrinæ prouocatio in principio priusquam materia concoquatur non prohibetur, & proinde in syrupis ante materiæ decoctionem poterunt admisceri qui humectant, subtiliant ac leuiter educunt, & licet veratrum nigrum potenter educat, poterit tamen in tam exigua quantitate misceri, quòd leuiter admodum educet.

Animaduertendum tamen est ne in his syrupis valde stiptica recipiantur quæ vias austeritate restringant & euacuationem impediant vt est syrup. de Epithimo & syrup. de fumo terræ qui multam nigro balanorum quantitatem recipiunt; poterit itaque syrup. sic confici.

℞. Paſſularum enucleatar. ℥.1. liquiritiæ mundæ ʒ.6.Boraginis. Violar.an.m.1. Ceterach. Corticum radicis caparis. Tamaticis an.℥.5.Hyſſopi.Origani,an.m.5.Decoquantur in libris ij aquæ & libra vna ſucci pomorum ad conſumptionem partis, ſubinde coletur & cum Zuccharo q. 5. eſt forma ſyrupum cuius ℞. ℥. 1. Oxymellitis ſimpl. Mellis roſ. col. an. ℥. 5. Aquæ decoctionis paſſular.liquiritiæ & ceterach an.℥.iiij. miſce, & fiat ſyrup. quem pro prima purgatione capiat ſingula die vſque ad ſeptimam: Demum purgetur vt infra dicetur & quia non tantum ſemel purgari debet, in aliis purgationibus variare licebit ſyrupos iuxta regulam datam prout adſtanti medico videbitur, poterúntque ſyrupi exhiberi ſupra commemorati qui & concoquant & ſoluant.

Pro euacuatione Meſuë cap. de ſoda frigida ab humore melancholico monet ſeruari debere primum quod non multam ſemel faciamus euacuationem ſed pluries euacuandum eſſe. Secundum eſt quod medicina non excedat gradum incolumitatis, intelligas ſi fieri poteſt, quia ſæpenumero melancholicus humor imbellis eſt eductioni nec niſi forti pharmaco poteſt educi iuxta ſententiam aphoriſ.9.4. particulæ & Gal.in cura quartanæ veratro vtitur albo. Tertium eſt quod lenientia cum ſolutiuis miſceantur, id quod ferè in omnibus conuenit ſolutionibus præcipuè in melancholiæ curatione, in qua principalis ſcopus eſt humectare. Melancholiam educunt, Epithimum Polypodium folliculi ſenæ, lapis lazuli, pilulæ de lapide Armeno, Diaſenæ, hieræ quoque magnæ ſi cum elleboro nigro fiant, melancholiam reſpiciunt. In primis à facilioribus auſpicando fieri poterit decoctio talis. ℞. Polypodij Epithimi Folliculor.ſenæ, Paſſular.an ℥.5. Decoquantur in libra vna aquæ donec medietas abſumatur, fiat collatura & diſſoluantur in ea floris caſſiæ ℥.1. Capiat ſummo mane, ſeruatis his quæ ſolent in medicinarum aſſumptione ſeruari. Poterimus in decoctione addere ſi fortiorem voluerimus purgationem corticis radicis veratri nigri, ʒ.ij. poterítque infuſio veratri nigri in hunc modum fieri videlicet ℞. corticum radicis ellebori nigri ʒ.ij.ß. Aniſorum fœniculi an. ℈.1. Cinamomi ℈.5. Flor. Nenuphar. ʒ.5. Minutim incidantur ac infundantur in vino maluatico & aqua Borraginis an.q.5. Et poſt horas decem fortis fiat expreſſio cui addatur Mannæ electæ ʒ.1.5. Et fiat potio. Vel pro manna, ℥ 1. floris Caſſiæ in illa infuſione diluatur, lapide quoque lazuli interdum vtendum eſt de quo quadrageſies loto, vt docet Meſuë, ſumatur ʒ.1. floris caſſiæ ʒ.vj. vel mannæ electæ, ℥.1. & cum decoctione polypodij Epithimi, folliculor.ſenæ & paſſular. fiat potio. Vomitus confert, ſi paſſio ſtomachi vitio fiat, ſi humor in ſtomacho morbum foueat, vel ſi cibus in ſtomacho ſit corruptus Auicenna dicit in principio curæ quando melancholia eſt confirmata Theſaurus curæ tres res ſunt. Prima eſt euacuatio manens, & fortaſſe erit per clyſterem & vomitum niſi in illo cuius ſtomachus eſt debilis, illum numquam in hac ægritudine vomere facias, neque in mirachia, parum poſt dicit, adminiſtra etiam vomitum propriè ſi vides in ſtomacho aliquid quod in ægritudine faciat augmentum & non ſit ſtomachus vehementis debilitatis & parum infra dicit, cúmque antiquata ægritudo eſt, adminiſtra vomitum cum elleboro, & poſt inquit & multoties indiget mirachia antiqua, vomitum cum elleboro albo & parum infra dicit quotieſcunque corrumpitur cibus in ventribus habentibus melancholiam, duc eos ad hoc, vt ipſam euomant & propriè quando ſentiunt aceto ſitatem in ore, clarè vult Auic. cum aliquid eſt in ſtomacho quod morbum foueat, & cum cibus corruptus eſt in ſtomacho, quod fiat vomitus.

Verum quia vomitus ſtomachum debilitat 4. 1 *cap.* 14. fieri non debet quando ſtomachus debilis eſt, quare cum in melancholia magna ex parte lædatur ſtomachus propter humorem melancholicam quem lien ad ipſum tranſmiſit. Niſi igitur ſtomachi debilitas impediat, vomitus in caſu noſtro interdum prouocandus erit cum leuibus tum vomitibus, ſicuti cum oxymelle & aqua, aut oxymelle & raphani decoctione.

Sed dubitatur quia videtur quod vomitus non conueniat ex ſententia Hipp. in aphor. 9. 2. particul. vbi vult & ſimiliter Gal. in quarto melancholicos per inferius eſſe purgandos & bilioſos per ſuperius propter grauitatem humoris melancholici iuxta illud, vndecunque natura repetit, &c. Reſpondetur quod quæcunque materia in ſtomachi concauitate contenta facilè vomitu educitur: de alia verò materia, quæ in ſtomacho & venis continetur clyſteribus educi poteſt quæ à liene ad ſtomachum & poſtea ad Inferiora deſcendit, fieri autem poſſunt cum decoctione galli Antiqui & Polypodij aut decoctione Epithimi folliculorum, Senæ, ſtæchados, & parum corticis radicum ellebori nigri cum Vitellis ouorum & oleo amygdalarum recentium cum modico ſalis, addendo ſi placet vel diacatholicomum vel caſſiam nouiter. Diuerſiones cum frictionibus balneis, clyſteribus, & ſuppoſitoriis fieri debent. De cauteriis aliqui dicunt quod conueniunt. Auenzoar vero *tractatu nono cap.* 13. duntaxat in caſu fœtidæ humiditatis concedit: in aliis verò cauſis dicit non conuenire quia nimis exſiccant & calefaciunt neque videtur obſtricatorium factum in commiſtura coronali poſſe melancholiam educere quæ grauis eſt & ſui natura deſcendit. Membrorum confortatio præcipuè cordis & cerebri fieri poteſt variis pharmacis, animaduertendo ne nimis intentè calefaciant, quod ſi aliqua medicina nimis calida ſit habita ratione temporis, anni, & propriæ temperaturæ cum frigidis temperetur, ſicuti cum violarum aut Nempharis conſerua multa vero in hunc vſum prodeſſe poſſunt vt theriaca Mithridatium, Diamoſcus, electuarium lætificans Raſis, lætificans Conciliatoris, electuarium de gemmis, confectio Alchermes.

Accidentia ſi quæ ſunt præter timorem & triſtitiam de quibus dictum eſt corrigi debent.

bent, ſed quia de his nihil ſcribitur relinquitur ea correctio medico præſenti qui etiam omnia alia ſecundum varia occurrentias addere, minuere, & variare poterit.

Si æger medicamenta non admittat, omnino ratione victus, miſſione ſanguinis, & balnei aquæ dulcis vtendum eſſe cenſeo, & priuſquam æger bahicum ingrediatur, oleo amigdalino dulci, vel oleo communi inungatur, & inrſus cum balneum exierit ſimiliter inungatur vt humiditas aquea diutius retineatur & agat.

CONSILIVM XI.

De Suffuſione Incipiente.

PRauæ imagines, quæ obuerſantur oculis, euidentiſſimum ſignum ſunt incipientis ſuffuſionis, quæ à materia non admodum craſſà, & mobili, humores oculi, ac ſpiritus viſiuos adulterante originem trahunt, quæ cum in Perilluſtri viro ante nonnullos menſes reperiantur, iure incipiente ſuffuſione laborare non eſt dubitandum, hæc autem vt Galenus, & Celſus teſtati ſunt digeri, ac diſſolui poteſt citra manus operam: quapropter cum vir egregius auxilium petat, illi omni ingenio, ac diligentia ſuccurrendum eſt.

Imprimis itaque vniuerſum corpus à vitioſis ſuccis expietur: demum caput quantum fieri poteſt expurgetur: & quia caput purgia plura ſunt, inter quæ errhina, & maſticatoria reperiuntur: errhina quia per nares purgant quæ oculis vicinæ ſunt, non poſſum laudare; plures etenim forſan ad oculos humores traherent, quam ab ipſis diuerterent, Maſticatoria verò ex vſu ſunt, inter quæ, prius eligerem mitiora, vt maſtix, vel maſtix cum Pyretro, & caſicis vel ſimilia. Procurarem præterea diuertere ab oculis humores, qui in confluxu ſunt: confluxos digererem, & partem affectam roborarem, pro diuerſione ab oculis approbo veſicatoria occipiti per vices appoſita: vel ſetaceum, ſiue fonticulum in ceruice: his enim fiderem remediis, vt ad poſticam capitis partem vitioſi humores traherentur, vel in altero brachio cauterium excitarem. Confluxos præterea generoſo remedio vniuerſum corpus, atque caput exiccante diſſiparem quale erit decoctum chynæ, vel ſalſæ cum ligno Guaiaco caſtigatum cum ſimplicibus partem affectam & affectum reſpicientibus, qualia ſunt Betonicæ, helidonium, eufragia, ſemen coriandrorum, &c. Topicis deinde paulatim digerentibus vterer, inter quæ laudo illud Pauli, quod ex melle oleo veteri, & fœniculo conſtat, vel alterum aribatij, quod ex caucalidis ſucco, camedrios, & coronopi ſingularum æquis portionibus conficitur: adiuuat inſuper ipſius fœniculi, & eufragiæ decoctum per initia ſuperfuſum. Trallianus ex baccis lauri ex corticatis, vrina pueri venerem non experti læuigatis, & pauco gummi ſuffuſis vtiliter inungi aſſerit. Fiet ex fellibus ex vſu eſt, præſertim quod ex felle Perdicis, vel Galli, vel lucij conſtat ſed cautè propter acrimoniam talibus vti oportet, præſertim cum incipiens adhuc ſit ſuffuſio, & nondum humores viſcidi parti affectæ firmiter hæreant, vitarem pariter vſum mulſæ deſtillatæ: & ſaccharum deſtillatum cum aqua roſar. vel fæniculi commixtum apponerem ſuccus etiam rutæ, & verbenæ ex vſu eſt, & quam plurium aliorum quorum omnium electionem committo prudenti, & docto viro qui præſto erit. Habeatur deinde ratio partis affectæ, idcirco à cibo vtatur electuario quod caput petat, & ipſum modicè exſiccet ac nonnihil calefaciat, quale eſt illud, quod conſeruas Adianthos, ſaluiæ, betonicæ, & eufragiæ continet, cui addetur portio aliqua ſacchari roſacei vel violacei ad remittendam horum omnium caliditatem. His omnibus adderem victus rationem, quam cenſeo debere ad calidum, & ſic cum aliquantiſper inclinare, cum vt plurimum, à frigidis, & humidis cauſis ſoleat generari ſuffuſio, vir igitur excellens, qui præſens erit in ſex rebus non naturalibus illi, deſtinatam victus rationem, quam erit obſeruaturus, præſcribet. Duo tamen in illius adminiſtratione mihi ſuccurrunt: vnum eſt, quod bonum eſſet, ſi ferè per integrum annum vteretur vino cum eufragia medicato, quod tempore quo vuæ colliguntur, poſſet preparari: aliud eſt, quod ſemper ſupra cibaria inſpergeret ſpeciem aliquam præparatam in qua ineſſet vis roborandi caput, & oculos, qualis erit, quæ ex coriandris præparatis, ſem. fœniculorum eufragia, ruta, verbena, cælidouia, cinamomo, & ſacch. albiſſ. conficitur. Et hæc currenti calamo ſcripta pro nunc ſufficiant in gratiam perilluſtris ægrotantis, cui Deus omnipotens faueat.

CONSILIVM XII.

De Surditate.

QVoniam altius repetere rem oportet, ob illius difficultatem, ſciendum, quod impedimenta quibus homines videntur ab aliqua operatione, prohiberi, ſunt ſeptem. Primum eſt à natura velut quando equus non vtatur ratione, vel homo intellectu, nam homo non vere intelligit, ſed perfectio rationis, quæ in illo ſumma eſt, hoc non eſt in caſu. Secundus modus eſt vt inſtrumentum ſit corruptum ſecundum compoſitionen, vt in oculis effoſſis, vbi facultas in inſtrumento abolita eſt, nam facultatem eſſe abolitam non corrupto inſtrumento eſt abſurdum ſiquidem, nunquã videmus quanquam deſtitutum facultate, imo ne functione quidem plene, niſi inſtrumento corrupto: anima enim cum omnes facultates in ea vna ſint & videre, & audire, & cogitare, per ſe priuari non poteſt aliqua illorum, ſed vt in inſtrumento: ſed neque hic ſecundus modus

modus est in proposito, nam priuatio facultatis est, cum omni plenaque priuatione functionis, sed hic non est priuatio totius functionis, igitur neque facultatis. Tertius modus est cum facultas aboletur sine corruptione instrumenti, sed sola manet intemperies, sed neque sumus in casu quoniam operatio non est abolita. Quartus modus est, cum operatio est ex toto abolita, sed ex causa mobili, velut in aphorismo illo: quibus in febrib. aures obsurduerint, hic desunt duę conditiones, materiæ mobilitas & abolita functio. Quintus modus est vt sit impedimentum in functione stabile, per quod tota habeatur functio & hoc non est in casu. Relinquuntur duo modi in casu, vnus est quod ex obstructione lapidea istud contigerit, sicut vidi in quodam Hispano, sed hoc non credo, quia iam in tot annis fuisset factus iam perfecte surdus, tum quia talis durities semper augetur, tum quia frigiditas ex illa duritie in cerebo magis crescit, & etiam illa durities perciperetur per auriscalpia, & cum digito, quod non credo, credo, bonum fuisset tamen vt scripsisset de hoc, præterea raro tales obsurdescunt, ex hac causa in ambabus auribus simul, & clara est ratio. Concludo ergo quod hæc non sit surditas sed imbecillitas magna auditus, facta ex dissolutione substantiæ cerebri, propter adhibitam stillam anno 1529. Corsenę & 1530. in sancto Philippo, quod etiam cōcordat cum experimento quod ei succedit, & similiter ex hoc patet causa quo omnia auxilia adhibita velut pinguedo anguillę & similia non iuuerunt, imò, audacter dico quod nocuerunt. Est enim vna regula nostra in primo libro de dentibus: Omne auxilium quod est proprium & non est propriuū illi affectui, necessario nocet & nouum morbum generare aptum est. Quod ad prognosticum attinet, imbecillitas vehemens quę prouenit à dissolutione substantiæ membri principalis, seu fuerit in sene seu diuturna, est prorsus insanabilis. In iuuentute autem fuisset sanabilis, licet etiam maxima difficultate.

Quantum ad curationem, tota consistit si quid omnino supersit auxilij quod valde perexiguum esse existimo, in confirmatione ipsius cerebri quæ sic habetur ex primo libro nostro de dentibus. Quæ confirmant caput & cerebrum in regione temperata subtilis aëris & boni aprica & eleuata & non iuxta aquas sed terram arenosam. Cubiculum eligere oportet in quod solis radij ab illius ortu hyemali vsque ad tertiā horā solstitialem nec vltra ingrediantur. Æstate verò per primam horam diei solum quod ratione mathematica constat. Manifestum verò ex iisdem quod boreali venter exponetur. Cum vero sol abfuerit, & tempus serenum fuerit, fenestræ oppositæ semper pateant, vt locus perfletur, & non sub crepusculis neque nocte sed die tantum: & sit cubiculum, vt dicit solet, inter duo solaria, deferat etiam collo appensum smaragdum magnum orientalem, & cum lauerit caput lixiuio lauet post statim manibus madidis aqua frigida deinde superfundat confertim ℥. vj. aquæ frigidæ alia vice duodecim, alia decemocto, & ita ascendendo vsque ad ℥. sexaginta, & hoc faciat non duobus conditionibus. Prima quod sit assuetus lauare caput cum lixiuio, Secunda quod ferat facile hoc auxilium, & vbi potuerit ferre, liceet caput postea cum linteis frigidis & non calidis & siccetur perfecte, impendendo saltem horam. Comedat autem carnes columborum ex turri qui nondum perfecerint plumas, sint teneri, & cerebra gallinarum & cerebra leporum, condita cum ligno aloes, & cardamomo maiore, & auiculas assatas in veru cum rore marino plenas fructibus iuniperi recentibus, & amigdalas in pollinem redactas & decoctas in iure pulli cum sacharo, & singulo manepurget nares quantum potest, etiam cum aqua tepida si est necesse, & odoret rosas & ambram & quod expertus fuerit conferre, & prandea mane tempestiuè post exercitationem & satis bene: post quiescat saltim per quinque horas & inde non exerceatur nisi lento passu, vsque ad horam cenæ. In autem si quid est quod possit prodesse, quod etiam tentandum suadeo, est elysirnite, atque hæc satis, nam & si multa alia sint quæ prodesse possunt, si tamen hæc non profuerint neque illa, si autem profecerint scribetis & rescribam.

Et quia requiris vltra hoc, an ex astris hoc decernatur, & an ab illis passio petat auxilium? Respondeo quod astrologia nostræ ætatis non est vera, quia non est cognita. Principia enim illa Ptolomei euariant ab eo quod videtur & contingit. Sunt præterea errores in motibus ac locis astrorum, vt apparet ex tabulis Prutenicis, quæ solæ cōsentiunt cum experimēto. Præterea oporteret scire modum motuū illorum. Declaratū est enim à nobis in Quinrodecimo Paralipomenon quod neque per excentrices neque paruos circulos neque per vtrosq; possunt seruari quæ apparent in astris, & nisi sciamus cur, gratia exempli luna sit dimidia, non possumus scire quid decernat. Quod tamen est perspicuum, est quod Sol & cæteri Planetæ cum sint in piscibus decernunt surditates & mutitates. Pisces enim parum audiunt & voce carent. Et Sol in opposito Saturni infelicis tale incommodum significabat. Et effectus apparuerunt annis. MDXXII. XXIII. & XXX. cum Saturnus premebat Iouem ac Mercurium & ideo cum ars sit imperfecta licet adumbret aliquid, potest tamen magis esse causa erroris quam iuuare nos. Et etiam hæc contemplatio est extra medicinam. Nec video auxilium ex directione Iouis ad Venerem, quæ enim apud nos sunt tametsi illis subiiciuntur tamen sunt certiora. Et si spes etiam aliqua in hoc diligentius etiam considerassem.

Consilij pro Surditate Finis.

CONSI

CONSILIVM XIII.

Consilium generale, pro fluxu sanguinis coercendo.

TRia esse constat consideranda circa sanguinem fluentem immodicè coercendum: locus, causa, auxilium: circa locum duo, vel ex qua parte, vt ex similibus instrumentis. Ex similibus, quia vel fluit è carne, quod raro contingit: vel venis, qui maior est: vel ab arteriis,& est difficillimus, & tunc succedit ratione compositionis in arteriis & venis, vt sint paruæ vel magnæ, & ita sunt iam quinque modi.

Sed ex instrumentis etiam est, quod locus vel subiicitur oculis, vel tactui, & non oculis, id est, quod manus potest attingere, vel non potest: vel est valde profundus locus: exemplum eius qui videtur loci, dum è vulnere fluit: exemplum dum pertingimus manu, vt in hæmorroidibus & fluxu sanguinis narium: exemplum cum non pertingit, vt si ex ventriculo, iecore: exemplum valde profundi, vt in pulmone & renibus, vt Galeni vtar exemplis, sunt igitur ductis quatuor in quinque iam XX.modi.

Circa causam illa est vel apertio oris venæ, vel erosio, vt in vlceribus: vel diuisio venæ. Hæc verò duplex, aut tota diuisa, & est incisio: vel pars, vt plerumque est,& vocatur sectio. Sed vterque horum modorum, & etiam erosio fit à causa exteriore vel interna, vt iam sint septem modi, erosio scilicet violenta, & à causa interna & ita de incisione & diuisione, vt sint sex modi: deinde apertio, & erunt septem modi: duo qui sunt à causa interna diuiduntur in tria, vel à multitudine, vel à malitia humoris, vel à motu seu caliditate.

Sed cum erosio contineat malitiam, erunt duplicati modi à sectione & incisione tantum: qui cum essent quatuor, fiunt octo, additis igitur tribus fiunt 11. hos igitur si duxeris in 20. fient modi omnes quibus profluere potest sanguis à corpore 220. Ex his sunt in carne seu ex venulis 44. hi sunt faciliores. Inter hos tamen difficiliores suut 11. qui fiunt in profundo loco, & ex his insanabiles, propemodum vnus qui ab erosione interna: ex 33. reliquis difficiles omnes, qui ab erosione, & sunt sex: igitur in carne difficillimus, vnus profundus cum erosione, inde alij sex erosione non in profundo loco, & decem in profundo loco, non ex erosione. His proportione respondent, sed deteriores 44. in uenis paruis: adeo vt vnus sit propemodum insanabilis, sex alij difficiles, sed non cum tanto periculo: reliqui decem cum magno etiam periculo, reliqui 27.faciles.

Succedunt his 44.ab arteriis paruis longe deteriores, & respondent primis, adeo vt primus sit penè insanabilis, sex alij non cum paruo periculo difficiles etiam, alij decem cum maximo periculo difficiles, post qui sunt ex venis magnis 44. Vnus est absque cura, item, 2. qui fit in membro non subiecto tactui, item alius omnes: is cum imminenti morte, reliqui 27. cum maximo periculo, & vix sanari possunt. Modi tamen 44. oculis subiiciuntur, facile sanantur in comparatione ad reliquos, post 44. alij quibus saltem specillo auxilia admouere licet. Modi verò 44. arteriæ diuisæ magnæ 33.sunt mortales, id est, quæ non sunt extra: ex 33. letaliores, & præsentem magis afferunt mortem, qui in locis iuxta cor vel spinam dorsi,& ita patet ratio procedendi, item curandi, quâ difficiliores morbi auxiliis validioribus curari debent.

Intentiones duæ curatiuæ sunt generales, auertere influentem sanguinem, & prohibere fluentem: & in omnibus his præsupponitur, vt tollatur causa antecedens. Diuertimus secundum directum inter iecur & locum læsum si remotus sit vel si locus læsus sit propinquus iecori vltra iecur: ita quod semper vel iecur vel locus vnde diuertimus, sint in medio nunquam locus ex quo fluit sanguis: nam tunc plus attraheret, ex duobus verò modis in loco remoto, vbi sanguis fluat diuersio fiat iuxta iecur: si autem propinquo, vltra iecur: & hæc etiam conuenit, si à remotis fluat, ita quod si fluat à remotis primo debemus incipere vltra iecur, deinde inter iecur & locum læsum in propinquo cum loco iecoris: si autem fluat ex loco propinquo iecori, fiat retractio ex loco vltra iecur.

Quod si sanguis ex arteria fluat, idem in corde obseruetur quod in venis de iecore diximus,& semper ex latere patientis loci. Sed prohibitio fit tribus modis, vel cum his quæ à proprietate agunt, vel locum implendo, vel partes diuulsas iungendo. Quæ implent vel aliena materia implent, vel sanguine ipso, vel carne vel eschara. Ergo in vniuersum sunt sex modi, horum quatuor trifariam adhiberi possunt: nam escharotica solum super locum adhibentur, vel igitur intus, vel extra, supra locum vel à directo loci fiunt 14.modi auxiliorum, quædam autem habent intentiones plures simul, agam tamen de singulis seorsum.

Primus modus est sistentiam à proprietate sanguinem applicando extra è directo, & est iaspis orientalis valde viridis cum sanguineis guttis magnus: & si nesciatur locus, applicetur super iecur in sanguine venarum super dextrum hyppocondrium, in arteriali super cordis apicem inter quintam & sextam costam, ascendendo, ab vltima spuria.

Super locum ex proprietate agit stercus asininum, ego tamen addo acetum: & sit siccum illud: & melius, quod Maio colligitur. Item herba sicula, quæ in XXIV.horis consolidat: & est quasi similis anetho.

III. Est sistens à proprietate intus, & est lachryma cerasij, item cortex oui tritus.

IV. Modus est cum eschara, & est vt super venam candenti forro eschara excitetur, & est potens valde, sed oportet vt vena vel arteria non sit multum profunda.

V. Modus est vt extra venæ partes iungantur: hoc autem fit duobus modis, subito,

& cum tempore: subito fit tribus modis, cum digito comprimendo, & vocatur bucelatio, donec sanguis cogatur: secundo ligando arteriam vel venam iam à carne liberatam: tertio fit incidendo venam per transuersum: dicebat Galen. Concidit caro, & comprimit os venæ, & ita sistitur: dico etiam quod in bucelatione fit compressio loco eius cum pulumis paruis constringendo. Sed consolidatio, quæ fit cum tempore, fit cum auxiliis, quæ infra dicam.

VI. Modus est, vt istud fiat intus accipiendo: & hoc fit cum conglutinationibus: & in hoc genere sunt lachrymæ omnes ferme, & thus & gariophylli incogniti, pro his viribus & symphitum & mucilagines omnes, & gelatina & cibi glutinosi, vt caseus recens, pedes porcellorum, itria.

VII. Modus est eorum, quæ exterius applicata, interiora vlcera consolidant, & hæc parum faciunt: si tamen aliquid iuuat, est exemplum ex symphito & luto armeno.

VIII. Modus ex implendo aliena materia: & ita facimus exemplum ex gipso & glutine piscium, & non est melius.

IX. Fit implendo sanguine ipso omnia quæ refrigerant actu potestateue, vel cogũt. Igitur primo aqua frigida assiduè superimposita bolus armenus orientalis, lemnia terra, aqua plantaginis: apud Galenum hæmatites non ille vulgaris, sed optimus, & herba camecissos vocata vinca prouinca materno sermone, acatia, hypocistis, citini, portulaca polygonium. Eadem vero inseruiunt intus exhibita, vel è directo loci apposita, sed cum modico aceto, vt virtus in profundum possit penetrare, & ita patet decimus & vndecimus modus.

XII. Fit cum his quæ carnem generant, & est auxilium Galeni, primo cum thure, aloë, & pilis leporis: consolidant & sarcocolla, vnde illi nomen inditum: strenuè quoque lachryma abietis, item mastix: eadem vt dixi, etiam consolidant venas in pueris, & arterias quandoque, aut generant aneurysma Omnium præsentaneum auxilium afferens ad hoc. ℞. lachrymæ abietis, ℔. i. masticis, sarcocole, thuris an. ℔.s. aloës epatici ℥.viij. destillentur per cineres calidos, oleum ita vt non vratur. Aliud s. hypericonis cum herba ℥.vi. fructuum balsaminæ ℥.iiij. terebentinæ claræ, id est, lachrymæ laricis (nam fermè idem potest cum abietina) ℔.i. croci ℥.i. gariophyllorum ℥.i.s. misce cum ℔. vi. olei veteris: & maneat in sole per xl. dies caniculares, vase bene concluso: & vt fit antiquius, oleum eo redditur melius. Eadem hæc sumpta intus sanant, & apposita extra in directo aliquid faciunt: vnde patet decimus tertius & decimus quartus modus. Ex his licet complicare has intentiones: nam singularia ipsa sunt infinita.

CONSILIVM XIV.

De descensu pituitæ salsæ ad os: de tumore præcordiorum flatuoso, & de extenuatione corporis.

IN præsenti dispositione sananda, primum quidem omissa temperie naturali illa exquisita, quam difficile est inuenire. Primum cum iam sit euersa tot modis. Signa autem à Galeno proposita præsupponunt corpus exquisitè sanum: & quomodo cognoscam ego temperiem, gratia exempli, iecoris naturalem, si nunc habeat signa calidæ & siccæ qualitatis externæ superabundantis atque dominantis? Et si quis dicat (ad id enim refugiunt medici) quod per signa præterita: dico quod illa signa fuerunt percepta, vel ab ipso laborante qui non potuit habere perfectum iudicium, cum non fuerit medicus: & si ab alio medico, ille non potuit habere, eosdem sensus quos ego habeo: imò videmus in re clarissima quòd aliquando præsentes, & in eadem hora tres medici aut quatuor egregij erant (& ô quoties id accidit) quod vnus dicebat non febricitare prorsus, alius quod febricitabat manifestè, alius dicebat quod febricitabat sed parum, & alius dicebat se esse ambiguum, & non audere proferre iudicium. Et hoc sentit Hippocrates *in libro de Arte*, cum dixit, quod morbi interiores sunt occulti, exteriores autem manifesti. Cum enim tria sint quæ medico subiiciuntur: quædam omnino sensui, vt morbi exteriores, & hi sunt manifesti: & quædam soli rationi, vt regulæ generales, puta quòd abundantia caloris naturalis facit ad bonam coctionem, paucitas ad imperfectam: abundantia caloris præternaturalis ad vitiosam & corruptam. Et ista sunt semper certa, saltem medicis eruditis & expertis. Tertium genus est in quo etiam præclari medici certant & hallucinantur, & est mistum ex sensu & ratione imperfectis vtrisque, ratione quidem, quia ratio cum sit de generalibus, hic est de hoc ipso vno & fit vitiosa: sensus, cum fit de manifestis, hic cogitur iudicare de occultis, & ideò talis cognitio dicitur coniecturalis, & si est adeò incerta de his qui comprehenduntur in eodem tempore, & in eadem hora. Quid ego potero iudicare super dictis alterius medici, qui vidit corpus non solum in alio anni tempore, vtpote cum sit nunc ver, in æstate, vel hyeme, imò in alia ætate, scilicet adolescentiæ, cum nunc sit iuuenis. Certum est enim quod aliæ sunt operationes, & alia temperatura veris, & æstatis, & autumni, in ipsis corporibus & iuuentutis & adolescentiæ, & eius qui tunc viuebat temperatiùs, & nunc intemperatè, aut contrario modo, & qui erat Coregij, & nunc est Bononiæ. Sed fac vt medicus in sensu concordet mecum, & habeamus exquisitissimam æqualitatem in iudicando ambo, quod vix fieri potest, quin ego

ego habeam vel meliorem vel deteriorem illo. Fac vt omnia essent paria, locus, ætas, tempus anni, ratio vitæ: quis mihi persuadebit, quod medicus aliquis possit recordari, de magnitudine signorum, & ordine, seu gradu caliditatis, frigiditatis, siccitatis, duritiei, mollitiei, asperitatis, lenitatis, plenitudinis, vacuitatis, præcordiorum, & partium circa caput post duos menses, nedum post sex; aut duos annos? Deinde illa signa non sunt nisi de calido, frigido, sicco & humido, & tamen illud est minimum in comparatione ad reliqua, vtpote densitatis substantiæ, & raritatis, subtilitatis eius, aut crassitiei, magnitudinis & paruitatis, bonæ mistionis & ad minimæ, vt dici solet, aut malæ refractorum elementorum, ac, vt ita dicam, bene subactorum, aut rudium & inelaboratorum: præterea cauitatum & meatuum in debita quantitate, & forma, & figura, & multitudine, deinde qualitatis & quantitatis, sanguinis delegati, tam à corde quam ab ipso iecore. Quæ omnia sunt longè maioris momenti quam sint primæ qualitates, cum illa pertineant ad principale agens, & primæ qualitates solum sint instrumenta actionis. Et quod sit verum istud, licet cernere in igne accenso in palea, & in lignis salicis, & in quercu, & in lapidibus bituminosis. Ignis enim paleæ non dissoluit plumbum, etiamsi adhibeatis currum paleæ, ignis salicis liquefacit plumbum sed non ferrum: ignis quercus liquefacit ferrum, sed difficulter & tarde, & in magna quantitate. Ignis autem lapidis bituminis liquefacit ferrum in parua quantitate, facile, perfecte & breui: & propter hoc fabri Lugdunenses curant, vt habeantur lapides bituminosi ex Scotia, quamuis non minore itinere quam D.C.M. passuum. Ideò cum illud plurimum referat ad curationem, vt videbimus, magnæ amentiæ esset, illa adeò diligenter perscrutari, quæ tum incerta sunt, tum parum faciunt ad sanationem, hæc adeò vtilia & necessaria relinquere. Nam si peccet in calido, frigido, sicco & humido, oportebit contrariis qualitatibus succurrere. Si exilitate membri, oportebit implere, magnifacere, carnem restaurare, & si non licet saltem pinguedinem: si raritate substantiæ, oportebit condensare, quomodo autem, infra dicetur. Si sanguis malus ex iecore delegetur, aut paucus ex corde. In primo casu oportebit mittere sanguinem & non semel: in secundo, alimentis vti generantibus, plurimum sanguinis tenuis: & similiter in primo casu oportebit vti bonis alimentis, plurimo somno, aqua potius quam vino, in secundo, vino potius quam aqua. Præterea illa signa posita à Galeno, seu sint ob prædictam causam, seu ob aliam, aut alias inuenta sunt omnino non vera: & maximè illud de pectore, id est, hispido & amplo, quod debet significare audaces & fortes, cum aliqui inueniantur valdè timidi: & contra vidi angusto pectore & glabro fortes & audaces: & aliquos, imò multos, habentes respirationes mediocres, & pulsus tardos & raros, animosos, alij magnos & frequentes, non magis animo præstare quam mulieres, & talia multa. Et si quis dicat quod Galen. *Primo ad Glauc. capite* 1. vtitur hac ratione, sanatio est traductio ad proprium temperamentum, seu corporis partis, aut membri, & hæc debet fieri per contraria, ergo oportet vt sciam quale medicamentum, aut qualis cibus conueniat qui tantumdem declinet ad partem contrariam, sicut expressè dixit *in lib. Artis medicæ c.*86. Ergo quo potero scire quid sit detrahendũ, & quantitatẽ seu gradum qualitatis medicamentorum, nisi nouero quantum distet status membri à sua naturali dispositione? sed quomodo potero scire hoc, nisi sciam naturam propriam & qualitatem illius membri in eo homine? Dico quod illa verba sũt similia verbis cauponum: scilicet speciosa & verisimilia, sed postmodum nihil respondet ex his præter verba: nam neque vina sunt bona, neque cibi, lectus cimicibus plenus, sordida culcitra, fenestræ cum rimis, fœnum malum pro equis: ita dico me posse sanctè iurare, nunquam curasse aliquem ægrum, neque vidisse alium medicum qui curauerit ea ratione, ita vt sani euaserint, imò si qui eam viam tentauerint malè eis cẽssit. Quare curam hanc sic imbibimus, vt docet Hip. *in sexto Epid.* Par. 2. Tex. 27. quærentes primum duo principalia, vt habent *primo de locis.* cap. 5. quibus adiiciemus & tertiam. Considerabimus ergo primum excrementa alui, si fluant debita quantitate, substantia colore, & numero, nam ista significant super primam coctionem, & super ventriculum: & si sint pura: nam si fuerint plura, quam oporteat, & regimen fuerit bonum, signum est corpus non nutriri, & ideò tabescere, si numerosiora quam oportet, tunc vel minus colorata, & signant imbecillitatem ventriculi, coniunctam cum humido superfluo. Si colorata nimium, bilis generationem, & ideò supercalefactum iecur, vnde etiam sitim, paruam appetentiam cibi. Si autem astricta sit aluus & sicca, & fæces pallidæ, obstructus est meatus qui deuenit ad intestina: & ideò venæ replebuntur bile, & fiet morbus regius, & corpus tabescet. Et ita dico de aliis, & de operatione & loco.

Proponuntur ergo tres affectus præter naturam, de quibus non indigemus, vt sciamus, an sint calidi vel frigidi, ad hoc vt cognoscamus illos esse præter naturam. Et primus est descensus pituitæ plurimæ ad os, & alienæ qualitatis, scilicet salsæ, circa quem primùm immorabimur, nam tum præcipuè est magis salsa, cum est pauca quàm cum est multa: cuius ostendemus rationem. Dico ergo quod iste affectus per se non est morbus, neque signum morbi, sed prauæ dispositionis tantum. Primum ratione qualitatis cum sit salsa vel subsalsa, cum deberet esse subdulcis vel insipida. Secundo, ratione quantitatis vnde dicebat Auerroes. 2. de Anima. Com. 102. quod saliua est facta ad hoc, vt cibi dissoluantur, percipiatur gustus illorum. Et Xenophon recitat. In 1. Pædia Cyri. quod Persæ nunquam spuebant. Verum dicebat Hippocrates *in libro de Flatibus,* quod cum pituita descendit ad os copiosa, & acris, quòd erodit fauces, & inde descendit ad pulmonem, aut ad ventriculum, & ita infert

graues morbos. Cum ergo ipse iam tabescat manifeste, demacerato corpore, iuxta comparationem habitus prioris, & hoc est quod oportebat scire, vt dixi, de naturali statu, vtpote, si erat boni habitus aut gracilis, pinguis aut macilentus, boni coloris aut mali, & qualis, quia bonus color multiplex est, malus etiam multiplicior. Præterea si benè dormiebat aut non? & non solum de quantitate, sed an quietus an interruptus cum somniis & visis, aut sine, quomodo appeteret, quantum esset assuetus bibere, & an sitiret, & an fame magna solitus esset affici, an parum famesceret, an pateretur eructationes aut non, & ita de strepitibus ventris inferioris, an esset robustus an imbecillis, an lætus an tristis, an iracundus, an patiens, an libenter exerceretur aut non, an sentiret se leuem in ambulando an grauem, an assuetus multæ veneri aut paucæ: an eam facilè ferret, aut læderetur multum aut parum? an esset assuetus alicui dolori ventris, ventriculi, capitis, articulorum, an esset assuetus pati febres frequenter an non, an excretionibus aliquibus per circuitum aut continuis velut fistulis, hæmorrhoidibus, sanguini narium, vomitui, fluxui ventris, scabiei, grauedinibus, raucedinibus: & quantum est mutatus in singulis horum. Hæc faciunt ad medicinam, & ad sanationem ægrorum. Et si quis non est iniquus iudex, cum consideret quantum intersit inter hæc scire & nugari in calido, frigido, sicco & humido semper circumuoluendo se velut anguillæ in canistris quæ multum volutantur: & nullum faciunt iter. Ratio ergo salsuginis, vt à nobis declaratum est *in Commentariis de Aëre & Aquis*, est quoties terreum aduritur in aqueo, vt colligitur à Galeno, nam si terreum solum aduritur fit amarum, aqueum solum non potest aduri, quoniam euanescit solum. Cum ergo terreum ita aduritur in aqueo, vt tenue fiat, & benè misceatur, & remaneat in ea pars aërea: tunc fit salsum, adeò vt ad salsuginem requirantur hæc quinque, calor adurens partem terream & in aqueo & attenuans ipsum, & benè permiscens, & pars aërea in ipso terreo relicta. Ex quo patet quod hæc contemplatio non est inanis studij causa, neque ad ostentationem, sed ad opus ipsum, & ad curationem pertinens, & quantum vtilitatis habeat ad curationem, quia si vtatur cibis terreis, vt sunt animalia quadrupedia magna, aut senilia, aut piscibus magnis, aut auibus senilibus, confestim incurret salsuginem, & magis cum vigilia quam cum somno, & post multam venerem, & à potu vini potentis & aromatibus, quàm cum contrariis horum, & à cibis solidis deterius se habebit quàm à ferculis, adeò vt si velit vti ferculis tantum, illud sufficiat solum ad tollendum sputum salsum absque alio auxilio. Et ex hac patet ratio problematis propositi, scilicet, cur cum sputum copiosum, non sit adeò salsum, sicut quando est paucum, quia materia illa terrea exusta, quantò est minor, comparatione humidi, tantò minus salsum efficit: sicut vncia vna sacchari, si dissoluatur in quatuor vnciis aquæ, efficiet multo illam dulciorem quam si in vna libra. Ex quo patet quod data paritate sputum quanto copiosius fuerit, necesse est, vt tanto minus sit salsum. Ex quo sequitur aliud maioris momenti, & est, quod cum fuerit sputum plurimum & salsum, tunc debet multum timere & cauere, non solum quia significat plurimam esse materiam exustam, sed etiam quia descendens multa materia salsa plus nocebit quam pauca. Duo præterea circa hoc relicta sunt necessaria, scitu primum quod tale sputum salsum non tam erodit pulmonem, aut pectus, propter materiam quæ descendit, quamuis & in hoc noceat erodendo, quantum nocet & periculum affert ruptura venæ, primum irritando tussim validam, & maximè si sit valdè tenue, & valde salsum, si verò sit crassum plus erodit quia terreum, vt Portio de Simplicibus medicamentis habetur, & etiam quia magis hæret: & in auellendo periculum est, tum propter impetum, tum quia trahit substantiam pulmonis, cui infixum est ne frangat vas, sicut funis dum distrahitur pluſquàm ferat natura eius, & maximè repente, & ideò maius periculum est in tussi celeri, & repentina quamuis parua quam in maiore, sed lenta & continua. Nihilominus continua nimis longa, est etiam periculosa. Tertia causa est potentior longè aliis duabus, quam alij medici parum animaduertunt, vt etiam reliqua valdè vtilia, cum non sunt adeò trita & manifesta sensibus, & est quod tale sputum salsum fit ex ichore in venis salso, & hic ichor fit ex sanguine salso, Et si dicas quod sputum aduritur extra venas, dico quod si aduritur, aduritur ex calore membri: ergo pari ratione & tantundem; aut paulo plus aduritur aut minus quod est in venis, non solum ichor sed etiam sanguis, & ideò erodit ipsam venam: & etiã quia propter partem aëream, quæ, vt dictum est, continetur in sale, seu salsuginosa materia crepat: sicut videmus de sale posito in ignem qui exilit & dirumpitur, & strepitum facit ita etiam in venis. Aliud quod erat propositum, & consideratione dignum est, quoniam illud sputum, dubium est an veniat à capite, an à ventriculo, an à pulmone: & licet dicant: quod à pectoris partibus nihil venit: nisi cum tussi, neque à ventriculo nisi cum vomitu: istæ sunt nugæ meræ, nisi addamus confertim. Et hoc fateor. Sed de sputo copioso dico, quod persæpè potest venire à ventriculo, quia videmus quod saliua quæ continetur in glandulis, quæ sunt sub lingua, venit à ventriculo: ergo non est verum, quod omnia quæ veniunt à ventriculo, veniant per vomitum. Aliud argumentum est maius, quia in his in quibus abundat sputum, si procumbant super lectum, comprimendo ventriculi regionem, & exerto capite atque ore emittunt multam aquam: ergo illa materia venit ex ventriculo & non ex capite. Aliud est indicium, quod huiusmodi patientes neque famescunt neque sitiunt, & ideò istud est indicium quòd materta sit in ventriculo. Plurimum autem refert scire quo in loco sit eiusmodi materia, tum quia sciemus quo in loco generetur, & quomodo membrum sit affectum: & similiter quòd periculum immineat, & quomodo occurrendum

dum sit: demum qua victus ratione debeat vti, nam si ex capite proueniat, nutriri poterit tutò, sin à ventriculo, certum est quod non debet nutriri nisi prius educatur illa materia, & quòd à ventriculo debet educi per vomitum, aut per leuem euacuationem, velut per mel rosaceum, & si à capite per errhina vel apophlegmatismata. Dico ergo, quod etiam quod flueret à capite, quod pars eius continetur in ventriculo: quia hora somni cum defluat perpetuò, necesse est vt aliqua pars, imò magna defluat ad ventriculum, non tamen idem est necesse de pulmone, quia aspera arteria habet operculum, id est, epiglotim, gula autem non habet.

Secunda dispositio præter naturam, est tumor flatuosus in partibus præcordiorum, qui fit necessario à calore naturali diminuto, & præternaturali aucto, nam ab vno horum solum fieri non potest, quia si fieret à sola paucitate caloris, esset semper in senibus, sed non est, imò in decrepitis vix aduenit, si verò a calore præter naturali solo, omnes febricitantes, & maxime hectici paterentur flatum. Id autem manifestè est falsum, ideò dico quod calor naturalis est diminutus, & præter naturam est auctus, & ad hoc facit copia materiæ aquosæ, & præsertim salsæ, quæ, vt dictum est, per se plurimum continet aeris seu flatus & locus, qui est sub tertio indicio ostendit regionem ventriculi maximi & mesaræi & coli. Vrinæ etiam declarant (& sunt in primo signo scilicet in excrementis) cum sint liuidæ: fæces, vt audiui ab ipso, & vt vidi aliàs, neque erant multum alienæ a communi vsu, neque à sua propria natura, quæ duo sunt propriè consideranda in quibuslibet propositis. Dico ergo antequam egrediar hoc, primum, quòd ex tribus excrementis vnum est mutatum in quantitate & qualitate: & est sputum salsum, multum, intempestiuum: aliud in qualitate, sed non in quantitate, & est vrina. Tertium non est mutatum, neque in quantitate neque in qualitate, & sunt fæces, & cum dico mutatum intelligo valdè mutatum: quia de parua mutatione fieri potest, vt etiam fæces sint aliqualiter mutatæ: sed parum & nihil apud medicum æquiparantur. Dico etiam esse manifestum, quod ego inueni intemperiem calidam auctam absque cognitione temperiei naturalis, vtpote ex flatu: Ergo non est necessarium, vt sciam temperiem naturalem ad cognoscendum intemperiem præternaturalé acquisitam. Et si dicas quod nõ cognoscam illum: quia si aderit multus flatus, aderit etiam magna intemperies, & si dicas quòd non sciam ad vnguem gradum intemperiei acquisitæ? ego respondebo quòd multo minus tu scies cum illis longis dissertationibus Galenicis de calido, frigido, sicco & humido, adeo minutatim diuisis, & per membra, & per gradus, & per consensum, vt videantur grana tritici numeranda. Homo autem debet docere in his quæ sensu percipienda sunt duntaxat eousque quo sensus humanus potest commodè pertingere. Non vitupero Galenum, sed malos Galeni interpretes. Dico ergo quod & ex excrementis & ex operatione læsa & symptomatibus per qualitatem habemus qualitatem acquisitam & aduentitiam: & per quantitatem, qua recedũt à communi vsu, vel propria natura quantitatem superauctæ qualitatis, absque consideratione vlla proprij temperamenti totius partis, quæ tamen si poterit haberi, non est negligenda, his tamen obseruatis ne primum proponamus illam tanquam prinpalem causam morborum, nisi raró velut in hectica: secundo vt non quæramus eam nisi quando se offert: tertio vt non adeò subtiliter trituremus illam quasi velimus componere farcimen Scienda duo necessaria valde: primum quod morbi & causæ eorum qui sunt magni aut periculosi maxima ex parte constant ex mala compositione, velut flatu, materiâ contentá in cauitate, vel venis, obstructione, scirrho, raritate substantiæ, paucitate aut prauitate sanguinis ad membrum aduenientis, vlcere, tuberculo, ædemate, contortione. Sicut narrat Hippocrates de iecore, verrucâ, erysipelate, asperitate, luxatione, attenuatione, calculo, arenâ, vermibus & vermiculis qui sunt quasi ex alio genere, corrugatione, atque similibus. De temperie non scio fermè aliud præter hecticam, & etiam quæ processerit multum, & intemperiem humidam in humoribus, quæ periculũ magnum adducant. Sed hæc nil pertinent ad naturalem temperiem. Aliud quod præter alias causas omnes superius adductas pro difficultate cognitionis temperiei naturalis est temperies acquisita seu ex habitu, in qua plurima sunt consideratione digna, primùm quia impedit coctionem naturalis, cum non lædat operationes saltem manifestè licet eas quoquo modo variet & permutet, quidam enim ex habitu præter naturam melius concoquunt quam ex naturali. Secundum est, an talis habitus sit immutandus, de quo dubium non est, quod si bonus sit nõ debet mutari, si malus, debet mutari, solum si tuto facere liceat: vtpote ab initio, & in iuuenta, & validis viribus & tempore veris.

Pro tertio symptomate, & est extenuatio corporis, dico quòd oportet inuenire propriam causam & illa semper est iecur, quia fieri non potest vt totum corpus sit affectum, adeò vt tabescant omnia membra nisi iecur sit affectum. Et si dicas de hectica vel phtisi, dico quod in vtrisque iecur etiam est affectum: & ideò esset simile miraculo inuenire corpus, quod totum tabesceret iecore prorsus incolumi: si verò iecur malè afficiatur, aut parum generet sanguinis aut malum, necesse est vt totum corpus contabescat. Et si dicas quod poterit istud accidere vitio ventriculi, vt in scyrrho eius? dico quod non est verum: quia si iecur posset generare sanguinem in debita quantitate & qualitate homo non tabesceret: & ideò concludo quod omnis tabes fit vitiata functione iecoris & semper: plerumque etiam; & rarissime secus, vitio ipsius iecoris, hoc tamen non semper, vt in his qui tabescunt propter esum leguminum crudorum & herbarum agrestium. Sed quia in hoc casu videmus vrinam cum colore subliuidio & hypostasi pulverulenta, ideò sumus extra has difficultates, quia nemini dubium esse potest, quin iecur sit

sit læsum & manifeste, scilicet imbecillum ratione caloris naturalis: de præternaturali dubium non est quin sit exsiccatum plus iusto, quia hoc signat puluerulentum sedimen: de calida autem & frigida intemperie præter naturam, dico, verisimilius esse quod sit calida, tum quia siccitas non fit à frigore nisi vehementi, & hic non est adeò frigus vehemens vt possit efficere siccitatem. Præterea quia omnes causæ faciunt ad caliditatem & nulla ad frigiditatem. Venus plus iusto exercita, vigilia, vina potentia, obstructiones, iuuentus, habitus naturalis calidus, ruber, carnosus, labor superfluus iecoris in supplẽdo, quod est diminutũ in cognitione prima & eiusmodi. Et hæc sunt impedimenta operationum principalia, iecoris primum, deinde ventriculi, deinde cerebri. Deuenio modo ad causas.

Et suppono quod morbus habuit initium ex duobus, à febre diuturna, vt audiui, & à malo regimine, præcipuè circa venerea & vigilias, & arma quæ gestauit, thoracem & cassidem, demum ex conuiuijs in quibus plus editur quam natura ferat, & cibarijs multi alimenti & varij generis, & calidioribus, vtpote conditis aromatibus & vinis potentioribus. Hæc autem maximè affligunt potius iecur quam ventriculum, & præcipuè calidum, ventriculus autem maximè affligittur ex plurimo potu & ex venere, vt vult Princeps. cerebrum vero ex aere nocturno, & galea, ergo verisimile est quòd simul laborare cœperint hæc tria membra, & non sit solus consensus, & ideò etiam indigebit triplici curatione seorsum: non negauerim imò necesse est, vt vnum alteri per consensum noceat, velut destillatio à capite ipsi ventriculo ad concoctioné, vt habetur à *Galeno sexto de Tuenda sanitate, c.10.* & ita ventriculus debilitatus facessit negociũ ipsi iecori: ventriculus autem per vapores, & iecur per alimentum prauum nocent manifestè ipsi cerebro. Clarum est autem, quod omnes tales intemperies, ratione primitiuæ originis, concordant in hoc, quod sint frigidæ & siccæ, in comparatione ad calorem naturalem: quia si calor naturalis est fundatus in humido naturali, vt colligitur à Galeno *prima Aphorif.com, 19.* & hæ affectiones cũ causis suis externis diminuunt calorem naturalem, ideò refrigerant & exsiccant. Verùm quia ventriculus, vt ostensum est, ab immodica aquea substantia perpetuò affligitur, & similiter cerebrum, & ambo etiam sunt membra exanguia. Ideò cum frigidum, vt dixi, non exsiccet nisi sit immoderatum, & iam non possit esse tantum ob ætatem & naturalem temperiem: ideò intemperies acquisita præter naturam, ab initio fuit calida & sicca, ob causas externas dictas, quæ omnes eò tendunt. Sed postmodum ex materia genita in ventriculo & cerebro facta est intemperies frigida & humida, prior calida & sicca extincta est magna ex parte, & forsan est aliquid residui, quia dantur intemperies mistæ ex contrarijs, vt habetur à Galeno *tertio de Simplicibus medicamentis. c.16.* De iecore autẽ remansit calida & sicca, quia est membrum calidum & sanguineum, & manent adhuc causæ calefacientes, vtpote obstructiones, alimentum non elaboratum in prima coctione, & etiam vtitur vino potenti, quod maximè calefacit iecur, quia cito transit ad illud. Credendum est etiam quod venæ quæ sunt inter ventriculum & iecur sint astrictæ propter siccitatem.

Circa prognosticum tria necessarium est scire, an possit curari, est enim præceptum Galeni, *3meth.c.1.* nam si quis cœtur curare insanabilem morbũ, tria mala facit, primum incurrit infamiam, quia si dicis quòd existimabas sanabilem, dicunt ergo deceptus es: si dicis, erat insanabilis ab initio: Dicunt quare curasti ergo & pollicitus es multa. Secundo, quia infamantur remedia. Tertio, quòd magis refert, quia mors acceleratur, quæcunque enim non possunt proficere adhibita, magis irritant morbum, & excitant symptomata, & debilitant vires. Dico ergo quod morbus est sanabilis, & ratio est supra dicta, id est, quia morbi insanabiles si sunt ex intemperie, oportet vt sint valde magni, hic non est eiusmodi, aut vt sint ex mala compositione, & hoc non apparet nisi in tribus in extenuatione corporis, hypochondriis flatuosis, & coarctatione venarum, de qua adhuc non possumus esse certi, adeo vt nulla sit aut admodum exigua. Secundum dubium est, an facile curari possit? & ad hoc respondeo, quod non, imo exigetur multùm temporis, primum quia laborant plura membra, & difficilius est curare plura quam pauca. Secundo, quia laborant intemperiebus contrariis, quæ semper sunt difficilis curationis, vt docet Galenus *sexto de Tuenda sanitate. cap.2.& 9.* Tertio, quia iecur transiit ad oppositam temperiem, quoniam videtur naturaliter fuisse calidum & humidum; nam vt refert egregius suus medicus Dominus Ioannes Peregrinus, & ipse etiam testatur, fuit pinguis à pueritia, & à prima adolescentia, & etiam boni habitus, qui status non potest esse nisi cum humido iecore, ex authoritate Galeni *in lib. Artis mediæ.cap.41.* Nam dicit quod corpus non potest esse humidum propter cor, vbi iecur sit siccum, ergo ipse fuit humidi iecoris: cum ergo transierit ad oppositam intemperiem & prauam, quia liuidus ille color tam substantiæ vrinæ, quam etiam contentorum & splendor hebes, declarant omnino imbecillitatem caloris in toto genere venoso. Sed hypostasis puluerulenta ostendit secundum Hippocratem, si fuerit cum difficultate spirandi, hydropem vel si sine ea, exemplo Nicolai, lienosum: cum spirandi difficultate, tale excrementum enim terreum est & exustum. Et similiter morbus confirmatus diu auget difficultatem. Siccitas præterea omnis, vt habetur *in septimo Artis curandi, cap. 5.* difficilis est sanationis, Demum destillatio fermè à toto genere materiæ crudæ est insanabilis, & experimentum illud docet, nam qui sanantur, sanantur à destillatione crassa aut lenta aut pituitæ: sed ab humore crudo aquoso vix vllus sanatur, & hoc est quia in tali distillatione coniunguntur duo,

locus

locus decliuis, & imbecillitas caloris naturalis. At ex aduerso adest iuuentus quæ est plena spei, vt dicebat Hippocrates. Et tempus anni vernum, & commoda omnia ob nobilitatem & prudentia propria, & bona temperies naturalis, & dispositio satis benè intellecta, vt reor, & ideò concludo, quod sanabitur in longo tempore, si voluerit sanari perfectè, sin autem solum vt restituatur habitus bonus & pinguedo, & tollatur salsus sapor ac tuto, tunc hoc poterit fieri plenè Deo dante per totum mensem Maij, vbi ipse in nulla parte deliquerit. Tertium quæsitum de prognostico est, vbi non curaretur, in quam dispositionem esset maximè pronus? & respondeo quod in hydropem siccam seu tympanitem: atque hic magis vbi superueniret febris acuta, & vbi incideret in illam omnino moreretur iuxta præceptum Hippocratis in *secundo Prognosticorum*, & ideò oportet vt quàm diligentissimè caueat, & vt medicus sit valde oculatus: & causa huius est, quia adest flatus contentus in percordijs, qui perpetuò impedit coctiones, & ventriculi imbecillitas & iecur calidum & siccum, & aucta ista radice perueniret in hydropem siccam, absque vllo auxilio: & maxime quia medici solent vti medicamentis purgantibus vt rhebarbaro, agarico, aloe, quæ nocent: alia quoque sunt deteriora, postmodum solent vti aquis destillatis in febribus, & contusis, tam in febribus quàm in hyprope, quibus nihil potest esse deterius. Secundus morbus in quem pronus est, sed per accidens est phthisis, non quidem per se sed per rupturam venæ, & est morbus ætati congruens, vt etiam Hippocrates in Aphorismo, *Tabes maximè fiunt ætatibus à decimo octauo vsque ad trigesimumquintum annum. 5. Aphor. 9.* De uera autem tabe scilicet quæ fit per erosionem, multi dicerēt quod sit valde obnoxius, tū quia habet spatulas alatas, & est angusti pectoris & coloris ex albo & rubro, & macilentus & biliosi habitus, & tenuis colli, licet nō admodum longi, & quia adest destillatio perpetuo humoris salsi, nihilominus huic dispositioni potest melius resistere quam rupturæ inopinatæ venæ, inquam faccillime incideret ex potu multi vini, aut potentis & maximè crassi vel nigri, aut ex violenta venere, vel intempestiua aut refrigeratione post magnum calorem & exercitationem, & similibus, sed hæc sunt præcipua.

Ex quibus colligo vnum corolarium, & est, quod ipse debet cauere diligenter vsque ad annum trigesimum-quintum: quia si potuerit euadere vsque ad illam ætatem, etiam quod non curaret se, postmodum impinguabitur & fiet melioris habitus, & reddetur tutus fermè ab omni periculo. Tertius morbus cui est obnoxius, causis tamen accedentibus præter naturam, est melancholia ex consensu inferiorum membrorum: imò mirum est, quòd vsque nunc non sit passus tristitiam & timorem & cogitationes melancholicas. Et ideò oportet etiam adhibere mentem diligenter huic negocio, si sunt tres morbi quibus specialiter est obnoxius, nam de communibus non est hic sermo vtpote febribus, & maximè quartanis & hæmorrhoides: sed de his, vt dixi, non est propositum considerare.

Circa curationem, illa est duplex, vna quidem quæ dirigitur ad morbum, causas, symptomata, naturalem statum: alia quæ dirigitur ad hominis conditionem. Cum enim sit illustris vir, non debemus vti remediis potentibus, iuxta præceptum Galeni *in lib. de Prædictione ad Posthumum, c.* 11. & similiter quia est delicatæ naturæ & educatus in delitiis, non oportet vti medicamentis asperis, neque horribilibus, velut amaris aut mali odoris: neque cibos corrumpere aut reddere iniucundos. Tertiò, quia est iuuenis oportet etiam aliquid indulgere, & non rem (vt dici solet) ad viuum referare, neque inchoare curationem, quæ si postmodum remaneret imperfecta plus afferret detrimenti quam vtilitatis: in quo genere multi aberrant in curandis nobilibus, & maximè iuuenibus, nam persæpè desistunt inchoata cura, vel quia res in deterius labant, vel quoniam valdè sint alleuiati. Cum enim benè se habent statim desistunt, vel ob aliqua ingruentia negocia. Et hæc est etiam vna ex causis quare cura redditur difficilis. Quantò enim cauemus magis tantò minus etiam proficimus. Et ideò laruati isti medici sub hoc titulo rectè curandi, neminem curant: vna actione prospicientes simul & ignorantiæ suæ, & fauori ægrorum, cum iucunda solum offerāt, & vt habeant ipsos ægros perpetuò sibi obnoxios, dum eos detinent semper in manibus. Propterea in omnibus opus est fide, moderatione & iudicio, ne in periculum agatur æger, sed tamen curetur: & vt blandiamur illis & iucunda exhibemus, sed hac lege tamen ne quicquid noceamus, aut in periculum ipsos deducamus, vel vt morbum efficiamus longiorem.

Quæ autem relinquuntur consideranda sunt maxime in ventriculo, de concoctione imbecilli, cum possit contingere, aut propter malam temperiem, aut propter raritatem substantiæ eius, aut propter calorem qui ei prouenit à corde, aut propter sanguinem venientem à iecore, aut propter circumiacentia membra, velut omentum & lienem, aut propter materiam quæ fluit ibi à cerebro: fient igitur modi simplices sex, geminati quindecim ex tribus XXI. quadruplices XV. quintuplices rursus sex ex omnibus vnus, vt sint LXIV. Secunda dubitatio est, an substantia ventriculi sit imminuta aut rarefacta (& continetur in præcedente, sed est alterius modi) an verò ventriculus patiatur solùm malam intemperiem. Hæc enim dubitatio est de morbo ventriculi: præcedens de functione.

Pro curatione ergo illa duplex est vna quidem quę docet pręseruare ab omnibus noxijs, & extenditur vsque ad XXXV. annum, etiam quod perfectè sanaretur, quoniam corpora restituta ex prauā dispositione, facilè decidunt in eundem statum, vel alium difficilem, & in hoc oportet ampliorem relinquere libertatem viuendi, & plura concedere quàm in alio, et oportet procedere tam prohibendo quàm concedendo. Sed in curatione sufficit meminisse

nisse de his quæ vtilia sunt, labor enim esset superfluus velle adiicere ea quibus vti minimè expedit: loquemur ergo solum de curatione, relinquendo custodiam ad aliud tempus. Dico ergo primùm, quod curatio, vt reliquæ, diuiditur in tres partes, in rationem victus, medicamenta, & manuum operationem, dicam autem de operatione manuum primùm, tum quia vna sola vertitur in dubium, sectio venæ scilicet, tum quia ipsa deberet præcedere, vbi esset necessaria. Dico ergo quod ipsa non est vtilis ratione habitus, quia sectio venæ refrigerat & exsiccat, ipse autem peccat per vtramque qualitatem. Si ergo esset necessaria, esset ob vnum è tribus, vel ob magnitudinem morbi, vel magnam plenitudinem sanguinis, vel ob periculum fracturæ venæ, cum non adsit vllum istorum per se non est necessaria: per accidens posset, quia est tempus vernum, in quo maximè conuenit, & est tuta, & hoc vbi nollet parere mandatis. Qui enim nolunt abstinere à carnibus & ouis & vino, & sunt in periculo fracturæ venæ talibus hominibus conuenit sectio venæ ad vitandum maius malum.

Pro ratione victus, aër neque nimis frigidus, neque sub alterutro crepusculorum, neque cum sæuit calor, nec cum venti flant, maximè auster, qui omnibus est inimicus, & nocet capiti, neque Boreas qui facit rupturam venarum, neque pluuiosus, neque nebulosus est bonus, neque sub sole, sed in tribus horis inæqualibus matutinis à media hora post ortum Solis, vel sub diuo si sit nubilosus, vel in vmbra si sit serenus conuenit. Et similiter vestes sint leues, & tamen corpus tueantur à frigore. Et lauentur pedes sæpe & diu contineat crura in aqua tepida ventriculo vacuo, & quod longè melius est balneũ aquæ tepidæ totius corporis, & maximè ante lactis assumptionem. Somnus sit quam prolixus in loco frigido & obscuro ac sicco, in cubiculo exposito orienti, & non iuxta terram, sec loco altiore & contegatur multis pannis, & sit super stuppa serica in æstate, in hyeme verò super gossipio, nunquam super lana. Teneat etiam contectum caput cum dormit in hyeme & æstate, & si bene dormit, melius est quiescere paulisper antequam à cœna se conferat ad lectum. Motus eductis fęcibus, manè fricetur corpus benè, & oleo amygdalino dulci recenti inungatur spina dorsi & pectus & articuli, postmodum surgat & inambulet leuiter, & vt dixi, in aere libero, & frictio sit lenis cum linteis candidis & mollibus & molliter fricando & diu, id est, per vnam horam donec erubescat corpus & intumescat, & fricentur primo crura deinde brachia inde lumbi, & iterum redeat ad crura, ita repetendo, vt sciat in hoc consistere maximam salutis suæ spem, & fermè totam, quoniam ex frictione commodè administrata primum impinguabitur corpus, deinde calor internus extinguetur, aluus emollietur, anima exhilarabitur, membra fient robusta & agilia, ventriculus melius concoquet, materia deriuabitur à capite. Motus autem de loco fit ambulando. Et est nostrum exercitium polire chartam cum vitro, ita & agitetur totum corpus, lusus & sphærularum in tabula longa, vel in humo per circulos ferreos & tubos ligneos, alius autem paruæ sphæræ, & cæteri grauiores sunt, è regione contrarij eius temperaturæ ac morbo. Quod ad ea quæ leniant ventrem, vt manè possit habere semper beneficium ventris, oportet multa tentare, & in eo quiescere quod inueniet opportunum. Primum est vt comedat ante cœnam duo magna cochlearia vuæ passæ infusæ in aqua, donec intumescat, & sit prius bene mundata & abluta. Secundum est, vt comedat betas vel maluam, vel matrem violarum coctas in iure pulli, addito oleo amygdalino recenti dulci & hoc in initio cœnæ. Tertium est, vt assumat ante cœnam dimidium vnius vnciæ mannæ electæ Calabrensis. Quartum est, vt accipiat drachmas decem mellis rosacei ante cœnam, quod etiam iuuabit ad purgandum ventriculum. Quintum est vt imponat loco suppositorij granum vnum coriandri magni cum sacharo conditi. Sextum est quod expertus est ipse vua passa in sapa cocta, quod est optimum, vt fiat canalis è plumbo albo, & nigro mixto, qui possit imponi ano, deinde impleatur butyro cum sale, & ita paucis in diebus ars transibit in consuetudinem. Circa venerea quia iuuenibus quasi necessarium est vti, vt fiat quam commodissimè, non sit nimis, sit impellente natura, sit sumpto pauco cibo & pauciore potu, & subsequatur somnus. Circa animi qualitates, caueat omnino ab ira, quia ex illa sola posset incidere in fracturam venæ, vel in febrem, & omnino mala est: lætitia, delitiæ, musica, ioci, spectacula, omnia bona: tristitia mala, post, odium, timor etiam est malus, & quia ista sunt per se nota, ideò non loquar de eis. Cibus sit ptisana hordeacea cum saccharo & cinamomo & iure pulli, & si placeret sapa esset melior cum supradictis: vtatur igitur ea assiduè manè & vesperi: panis contritus, lotus prius cum aqua calida, & infusus atque expressus in iure. Reliqua fercula non sunt istis comparanda. Ex carnibus optima est castrati agni, prouectioris ætate, post sunt pulli & phasiani & galli, paui. Et ex partibus caro glandosa quadrupedium & iecora auiũ & piscium, reliquæ carnes sunt malæ, suilla, vitulina, auicularum & bouina, & agrestium animalium; ex piscibus gobij, passeres, auratæ arbores ex aqua dulci, perdices & sturiones minores: alij sunt inutiles. Iura etiam cochlearum & iecur testudinis sunt bona, si habeatur modus in coctione. Caro tamen limatiarum est mala, ranæ & astaci inutiles. Ex oleribus buglosa, borrago, beta & lactuca coctæ. Sed lactucæ addatur cinamomum non ligneum sed odoratum, tametsi non sit cinamomum antiquorum. Non oua, non cibi ex lacte, non radices vllæ, neque legumina probantur. Ex potibus vinum mediocre imò leue, album, clarum, oderatum, subdulce optimum est, & quod proximum est ei.

Curatio per medicamenta fit, primo, præparando materiam & educendo eam cum lenientibus ab initio hoc modo. ℞. Mellis rosacei solutiui optimi ℥.ij. capiat cum vnciis duabus

duabus iecoris pulli in mane, & tardet cibum per quatuor horas, deinde fiat præparatio cum infra scripis syrupis.

℞. Syrupi de cichorea simplicis ℥. j. mellis rosati & syrupi de menta ann. ℥. ß. cum ℥. iij. iuris infrascripti, fiat syrupus. ℞. Endiuiæ, cichoreæ, lupulorum, buglosæ, vuæ passę mundatæ ano. ℥. ß. Coquantur in. ℥. xij iuris pulli ad consumptionem medietatis coletur pro duobus syrupis, vt supra. Deinde purgetur cum his catapotijs.

℞. Rhebarbari electi bene mundati & maturi ℥. ß. infundatur in syrupo violaceo, donec fiat vt pasta, & siccetur in sole, vel in caldario, id est, in stupha, deinde iterum teratur & infundatur in succo endiuiæ, ita vt fiat vt pasta, & iterum siccetur eodem modo, & teratur, deinde infundatur in syrupo de pomis simplici eodem modo, & siccetur vt supra, & teratur. Vltimo infundatur denuo in syrupo de pomis simplici, & siccetur & teratur, & de hoc capiat ℥. j. redactam in formam boli cum syrupo de fumo terræ solutiuo, aut cum syrupo de cichorea completo, aut cum melle rosaceo solutiuo, & tardet cibum quatuor horis. Iunctio pro ventriculo.

℞. Olei de cinamomo ℥. ij. olei de nuce miristica ʒ. j. & ß. olei masticini facti secundum artem ʒ. iij. olei de garyophilis ℈. iv. ceræ nouæ & laudani liquefacti & purgati ann. ℥. iij. misce & fiat linimentum pro ventriculo a furcula vsque ad vmbilicum & in casa aliquando sufficeret oleum de nuce miristica solùm, aliquando de cinnamomo, aliquando de garyophilis, quod esset valdè odoratum.

Post purgationem repetitam bis aut ter, dubium non est, quin tota sanitas consistat in exhibitione lactis asinini, & de hoc quando erit tempus dabo modum & regulam. Restat solum dubitatio, an ante exhibitionem lactis conueniret decoctum cinæ, hoc mense Maij, & certè est mirabile in hoc casu & modus exhibendi habetur impressus in libris meis, seu opusculis, ideò non me diffundam, solùm quæro illud, an conueniat vel non? & dico quod ratione phtisis & periculi rupturæ venæ nihil posset esse melius, & ad corrigendam intemperiem iecoris, & etiam cerebri, ad exiccandam illius substantiam madefactam & refrigerandum calorem, quo trahit serosum humidum, quod postmodum demittit ad ventriculum, in hoc etiam est optimum: sed quia debilitat ventriculum, dico quòd oporteret ehxibere aromaticum nardinum, aut diarhodon Abbatis, & maximè quia potus talis decocti conuenit huiusmodi conditis ex saccharo. Concludo tandem quod oporteret tentare, & si sudor copiosus emanauerit, erit optimum auxilium, & etiam tutum, si autem non emanaret, tunc relinqueretur dubitatio, quia & si esset optimum, non tamen tutum. Similiter de aqua thermarum villæ, illæ sanè refrigerant iecur, & exiccant ventriculum, & forsan non essent inutiles: credo tamen quod semel acceperit, nec scio quid obstiterit.

Reliquum est vt dicamus de intemperie cerebri & materia deriuanda per alium locum: & manifestum est quòd pluribus de causis apophlegmatismata non conueniunt, sed errhina quæ debent fieri cum aquis conuenientibus, velut rosacea & plantaginis, addendo mannam, vel cum aqua lactis, & grano vno, aut duobus elacterij: vel loco aquæ lactis, lac asininum quod mihi multum placeret. Pro corrigenda autem intemperie sufficeret stilla aquæ caldarinæ Veronensis aut Lucensis de villa. Et forsan esset melius vt fieret cũ oleo ompsacino rosaceo. Et in omnibus præsuppono, vt dixi, illud vnicum præsidium potus lactis asinini.

Relinquebantur post hæc quædam non animaduersa à me, velut illud de quo mirabar, & est quòd iam decem mensibus vtitur præscripta, & quasi nimis exquisita ratione victus & maximè ptisana: quam non laudo multum in hoc casu: primùm quòd parum nimis nutriat, & si exhibeatur magna quantitas, adhuc non restauratur corpus & ventriculus debilitabitur. Secundo, quia nimis refrigerat ventriculum. Tertium, quia nutrimentum est minus solidum, dicebat Galenus, ptisana vtimur cum 1. *Aph. com.* 4, volumus seruare vires in suo statu, aut aliquã do imbecilliores efficere, & etiam solum est vtilis per paucos dies, vt in acutis: & non bene sociatur aliis cibis: ideò melior longè est panis lotus & coctus, & etiam non lotus sed admodum leuis, & bene præparatus.

Et quia detinetur nimia voluntare rerum venereañ, de qua dicebat Galen. 6. *de tuend. san. c.* 14. quod periclitantur vtroque modo tales, seu excernunt seu non, est auxilium Galeni ibi. Aliud nostrum: ℞ olei de nymphea, de menta myrini an. ℥. ß. camphoræ ℥. ß. vnguenti populeonis ℥. iij. m. & fiat vnguentum in mortario plumbeo cum ℥. 15. seminis lactucæ, vngantur renes & virga à radice ad summitatem ex frigido.

CONSILIVM XV.

Consilium pro catarrho frigido descendente ad neruos ac faciente contractionem neruorum.

QVi iam diu catarrho potius frigido quàm calido ad neruos descendente laborat, capiat in præsentiarum infra scriptam purgationem & fiat syrupus de stæchade simplex ex decoctione stæchados & oxymelle despumato de quo ℞. ℥. j. oxymel. scillit. ℥. ß. aquæ beton. ℥. ij. borrag. ℥. j. Misce & capiat: deinde capiat infra scriptam medicinam.

℞. Mucchari rosati ℥. ij. s. Arosch. de violis sine scauinio ʒ. 1. 5. Diacataliconis ℥. s. Dissoluuntur in aqua endiuiæ q. s. & fiat potus, Mense septembri proximo circa finem mentis vtatur infra scripta purgatione.

℞ Symp. de stæchade simplici ℥. j. Mell. rosf. ℥. s. Aquæ betonicæ ℥. ij. Lupulorum ℥. j. Misce & accipiat. Deinde capiat pilulas infra scriptas.

℞. Pilular. cochiarum ʒ. j. Agarici trochiscati ℈. 1. Cum vino formentur pilulæ numero quinque, & dormiat per horam post & tardet prandium horis sex: die sequenti capiat brodij ℥. 6. vel 8. cum Zucharo & quia vtile erit post purgationes mense septembri faciendas trahere materiam ad nares, poterit vti infra scripto caput purgio.

℞. Succi radicis ireos succi radic. arthanitæ an. ℥. ſ. succi radicis bliti olei de ireos felleri ci ℈. 5. an. ℥. 5. Et cũ modico ceræ fiat vnguẽtum molle quo nares vngantur quanto altius fieri poterit. Vtendum quoque erit masticatoriis ex mastice & modico zinzibere minutis incisis & simul mixtis, facienda autem sunt stomacho ieiuno caput purgia & masticatoria.

Poterit etiam sæpe in ore tenere ad cerebri confortationem vel gariophyllos vel parum nucis muscatæ aut parum galliæ moscatæ vel parum spicæ Nardi.

Caueat à vento boreali & maximè post austrum: deambulatione qua poterit, vtendum erit, perfricandæ multum sunt partes inferiores multis frictionibus, leuius pectus, adhuc leuius caput, vt materiæ à capite diuertantur. Lauet caput: somnus sit leuis, sex horas vel saltem septem horas non excedat: euitet somnum diurnum, procuret habere singulis diebus beneficium ventris. Quòd si sponte non respondeat, vtatur pilulis infra scriptis interdum etiam purgatione vniuersali ℞. Pilularum masticinarum ℈. ij. & cum vino fiant pilulæ tres. Capiat post cænam in introitu lecti. Cibis vtendum est qui facilis sint digestionis, & boni nutrimenti, panis factus sit ex bono frumento de proximo mollito, bene fermentatus & bene decoctus in clibano, mediocriter salitus, non plurium quàm trium aut quatuor dierum. Ex carnibus vtendum est pullis, capis, columbis gregatilibus hædis, & omnibus auibus non degentibus in aquis quæ sunt in communi vsu. His deficientibus, vtendum erit carnibus castrati. Oua sint tenera, recentia, non frixa, abstinendum est à piscibus in toto. Ex fructibus vti poterit ficubus & vuis bene maturis, tamen recentibus potius quam exsiccatis, pineis, auellanis pistachiis, amygdalis, à lacte censeo & omnibus quæ ex lacte fiunt abstinendum esse, & ab omnibus euaporantibus ad caput, sicuti synapi, alliis, porro, cepis pipere cinamomo zinzibere, croco, tempore frigido, & non in magna quantitate vti poterit. Ex herbis conceduntur betas borrago, petrosilium, fœniculus, & tempore excessiui caloris conceduntur interdum endiuia, Asparagi, artichiochi, vsus sacchari vel mellis despumati non damnatur, vtatur vino albo mediocri vel debili; teneat sæpe in ore sub lingua parum pastæ infra scriptæ.

℞. Succi liquiritiæ ʒ. ij. Et cum mucilagine chagaganti facta ex sapa q. 5. fiat pasta pro pilulis tenendis sub lingua. Et quia videtur quod aliqualis fit contractio in neruis sub genu, facienda sæpè erit inunctio vel cum oleo spicæ vel cum oleo masticino, vel cum oleo vulpino, vel cum oleo decocto, ex vno eorum vel pluribus simul vel etiam si volumus, vt magis cohæreat facere linimentum molle, addendo parum ceræ, poterit etiam fieri inunctio cum medulla cerui, vituli, vel accipi pinguedo bouis & anseris partibus æqualibus inuicem miscere & innuere, loca prædicta. Quod si maior fieret contractio quam nunc sit, post inunctionem aliquibus diebus factam, poterit infra scripto ceroto vti. ℞. Delii≀cui vituli ammoniaci, radicem ireos, an. ℥. ij. opoponacis, galbani, baccar. lauri, stracis, thuris an. ℥. j. piperis numero ℥. 60. ceræ terbenthinæ an. ℥. vj. crini q. 5. gummi dissoluantur & fiat cerotum. Diminuat quantitatem prandij, seruata cæna, inungatur nucha cum oleo spinæ vel masticis.

CONSILIVM XVI.

Pro Catharro singula hebdomada descendente ad gingiuas & ibi faciente absessum, qui duobus diebus vel tribus terminatur.

EXpediret facere purgationem vniuersalem totius corporis & præcipuè capitis quæ omnino fugienda erit mente septembri proximo impræsentiarum autem instantibus maximis caloribus poterit leuius purgari vt infra.

℞. Oxymell. simp. syrup. de succo end. an. ℥. 5. de lupulis. Assumat quinquies, subinde purgetur cum infra scripta medicina.

℞. Muas. rof. ℥. iij. Arossis. de violis siue Scammonio ʒ. 1. 5. Dia pruni non solut. ℥. 5. Dissoluatur in decoctione tamarindorum prunorum sebesten anna. q. 5. & fiat potio, quam capiat summo mane dormiat per horam cum dimidio: post tardet prandium horas sex ad minus & leue prandium assumat. Die sequenti in mane capiat vncias octo brodij pulli cum ℥. 5. sacchari in eo dissoluti, per duos dies post assumptam medicinam: lauet caput ieiuno stomacho cum lixiuio facto, per sex dies vel octo an. in quo decoquantur folior. Verbenæ viridis m. ij. & ita singulis decem diebus perseueret lauando caput, hyeme vero quando Verbena viridis haberi non poterit, vtatur Verbena sicca; capienda tota planta simul cum radicibus: poterit etiam in hyeme simul cum Verbena decoquere in lixiuio mentæ siccæ m. j. cum Verbena pro qualibet vice. Vtatur postmodum infra scripta decoctione quam in ore teneat, donec os plenum aqua existat, bis in mane ante prandium & semel in sero ante cænam.

℞. Radicis ireos siccæ cortic. rad. capp. an. ℥. j Hyssopi sicci m. j. radices minutim incidantur & ombria decoquantur in libris tribus aceti ad medietatis consumptionem, & facta collatura vtatur vt supra scriptum est ponendo cochleare vnum, pro singula vice. Et si in decoquendo nimis aëre redderetur, ita vt linguam vel labia nimis mordicaret, temperetur decoctio cum vino austero tantum vt non amplius lædat.

Transacta

Transacta die vigesima septembr. futuræ, vtatur infrascripta purgatione.

℞. oxymell. simp. mell. ros. ann. ℥. 5. syrup. de succo endiuiæ. Aquæ betonicæ Borraginis, cichorei. Misce & capiat quinquies subinde capiat pillulos infra scriptas.

℞. Pilularum cochiarum ℥. 1. 5. & cum vino formentur pilulæ numero quinque quas capiat summo mane : dormiat per horam cum dimidio; post tardet prandiū per hora s sex ad minus : die sequenti capiat brodium pullæ cum sacchar : sicut in alia purgatione dictum est. Abstinendum est, à vinis valde potentibus, sed vtatur vino albo mediocri vel debili , & quia consueuit bis in die æqualiter comedere , sibi plurimum consuleret si seruata cœna solita prandium minueretur , vel ad dimidium , vel numerum tertiæ partis minueretur.

CONSILIVM XVII.

Pro iuuene Catharrho laborante.

ET si nō inspectis nec eius naturalibus, nec præter naturam affectionibus admodum cognitis à medico absenti præsidia vix tradi possint , vt Gal : testatur de puero epileptico , Nobili tamen gratificari cupiens suppono eum anno XXX. natum, cerebri & totius habitus frigidi & humidi , iecoris humidi,ventriculi frigidi , renū ac testium calidorum anno iam labente capitis destillatione contineri interdum cum tussi , ac lateris dolore dextris sæpius, cum sputo aliquando insipido vel dulci quandoque salso , vel graue olenti.

Oritur hæc destillatio (Gall. authore 2. de different : febrium) vniuerso capite à se pellente superfluitates ad partes imbecilliores , fluitates verò , vt ibi dicit , in capite tripliciter colliguntur , aut ob vitiatum nutrimentum aut ob caput male affectum , vel vtroque modo ; capitis potius culpâ id euenire arbitramur, ex ea enim frigida & humida , vt ascribitur , intemperie alteratricem facultatem lædente , excrementa pituitosa plura proueniunt , ex quibus insipidum & dulce sæpe apparet sputum. Sed cum salsa pituita fiat vel propter multam capitis caliditatem , vt lib. 3. Aphor. 12. aut propter putredinem aut propter salsæ serosæ humiditatis mixtionem,vt 2. de different febrium, nisi valde instaret illa capitis caliditas aduentitia , cui adscribitur , sputum illud salsum propter pituitæ in regione thoracis putredinem euenire non est ambigendum , sicut nec graue eius olentia : ex eo namque catarrho vel sui acredine , vel multitudine grauante lateris dolores excitantur , & iussis. His sic se habentibus quia vt docet Gal. in lib. de constitutione artis Medi : perscrutatio fit ex contrariis sicut & curatio & 4. detuenda sanitate inquit eandem esse rationem instātis lassitudinis cauendæ & eius quæ iam occupauit remouendæ , idem à nobis asserendum erit, eandem rationem esse instantis suppurationis in pectore cauendæ , & eius quæ iam facta est remouendæ.

Indicationes igitur curatiuæ erunt capitis fluxionem prohibere, & quod ad pectus iam fluxum est remouere: prohibetur autem futurum eluere , totum corpus euacuando; deinde caput , & ab eo diuertendo , Remouebitur quod iam fluxum est in pectore abstergendo, & sputum prouocando licet pro his indicationibus exequendis à medicis præsentibus præsidia commoda parari poterunt:ego tamen patienti morem gerens transactis his magnis caloribus , nisi morbus valde instaret , post autumnalem æquinoctium per hebdomadam præmissa ventris lenitione , secanda est vena interna dextri cubiti , quam Arabes basilicam vocant , in ea sanguinis quantitate , quæ considerata virtute , plenitudine , anni tempore conueniens videbitur , subinde paranda est matemia ex cretioni , cum oxymellite , melle rosaico , vel aliqua potione syrupi de stæcados cum aqua Betonicæ borraginis hyssopi , vel eorum decocto. Vbi verò satis attenuati atque incisi humores fuerint , in eorum purgatione vsui erunt Pillulæ cochiæ , ex Gal. 5. *de compo. medi.* 5 1. *loca* , vel Rases , *nono ad Alman.* Sed non dentur in maiori quantitate quam ℥. 1. ß. nec in minori quam ℈. Vj. vel hyrra diacholochintidis à ʒ. ij. vsque ad ʒ iv. vel hyrra cum præparato agarico , qua sæpe vti poterit , sine multa custodia , in catapotiis post cœnam hora somni ac euacuatione facta, diuersiones non negligimus , cum cucurbitulis , ligaturis, frictionibus , & extremorum lotione, caput particulariter euacuatur apophlegmatismis, masticatoria vocant , & his quæ caput purgia appellantur Masticatoria, fiunt zizibere, pipere pyrethro , & naribus immittatur succus radicis blitti , vel foliorum succus maioranæ. His stantibus facta alteratione capitis ad contraria , caput oportet lauare singulis octo diebus , nisi obstaret consuetudo, ex lixiuio dulci , quandoque vel sex dierum , aquâ in qua verbena bullierit temporato per mediam horam ante cœnam, non egrediens domum vsque ad diem sequentem lotis prius pedibus mane præcedenti , quibus peractis si non cessaret catarrhus, admonendum erit cauterium prope suturā coronalem vel saltem vessicatorium & amota cute applicarem vnguentum constās pice nauali,aceto,& oppoponaco.Quantum verò ad medicamenta attinet , pro regione thoracis & pulmonis sputum educentia , cum arteriaca vocata medicamenta triplicia sint , vt tradit Gal. 2. *de compositione medi.* 3. *loca* lenientia , acria , & medio modo se habentia , lenia constant ex passis croco diadraganto , & gliciriza : acria constant ex pipere, cassia , cinnamomo,Galbano & resina Terbentina : amborum verò media ex ptisanæ cremore , amygdalis & fabarum decocto. Ex his tribus si lemia solum non iuuarent , si media quæ simul leniunt , & abstergunt, non sufficiunt : si acria ex asperantia non conuenirent, poteris ex prædictis extremis mediis vti commixtis pari vel impari portione , reddi potest medicamentum

æqualiter leniens, & abstergens, vel plus vel minus leniens, 13. *curat. Method. docet Gal.* in empicis eligenda esse medicamenta quæ tenuent & desiccent glutinosos humores & crassos in pectore contentos, ad quam intentionem cum nec mera acria idonea sint, nec lenientia solum sufficiant, eam autem intentionem cum impleant quæ plus abstergunt, quàm leniunt, propinabitur in mulsa vrticæ semen, vel origanum, vel hysopum, calamentum pulegium ireos radix, aut oxymel ex marrubio, & his similibus varia poterunt elegmata præparari.

Quantum ad sex genus causarum salubrium quas sex res non naturales appellant Abstineat ab his quæ caput implent quæ 4. generibus continentur, vt habet Gal. in consilio pueri epileptici, quia vel sunt flatuosa, vel difficilis coctionis, vel aluũ astringentia, vel calefacientia, vt Aromata. Panis sit leuis, albus secundum vel tertium diem non excedens. Euitet legumina, Alimenta ex farina subacta in aqua, vel Azima, vel fermentata, caro sit pullorum Gallinaceorum, collumborum in turribus nidificantium, turturum, turdorum, & paruarum auiũ, dimittat omnes carnes præter hædum & aues Palustres: vituli, & veruecis rarior sit vsus caueat lac, & omnia quæ lacte constant comedere oua sint Gallinarum recentia sorbilia vel tremula, non assa, nec frixa, butiri, & lardi vsum pro condimento concedimus: pisces non sint valde magni, marini sint vel de flumine aquæ currentis fugiat Anguillam, tincham, lampidas, ranas, Gambaros, testata omnia.

CONSILIVM XVIII.

De Tumore duro & glanduloso in collo existente.

ILlustriss. Dominus Antonius Albergatus annum suæ ætatis trigesimum septimum agens, temperamenti in actiuis qualitatibus calidi, passiuis verò temperati, & potius ad aliquam siccitatem vergentis, vt ex habitu ad gracilitatem inclinante facilè colligitur. Nec ab hoc dissentiunt partes principes (ventriculo excepto quem frigidum & humidum esse constat) & præcipuè hepar, quod calidum esse attestantur cum latitudo vasorum, cum copia sanguinis biliosi, imò potius expulsi: Maeri enim (dicebat Galenus 11. *Methodi*) & nigri & hirsuti, & quibus latæ sunt venæ, aptissimi sunt, vt in ipsis humor melancholicus cumuletur. Nec mirum si vigente hepatis intemperie calida, & ventriculi frigida redditus fit continuis destillationibus obnoxius, summa iuncta capitis imbecillitate, iuxta illud Gal. 3. *de loc. aff. cap.* 7. Quæ cum in subiectas partes irruant varia producunt symptomata quibus iam adhuc pro viribus, & aliqua cum vtilitate occursum fuit.

Sed quamuis plures sint affectus præter naturam qui Reuerendum hunc virum molestiâ afficiunt præcipuus tamen qui maius illi negotium facessit, & de quo nunc potissimum conqueritur est tumor durus in partibus colli glandulosis obortus, propriaque quasi cysti exercitus doloris non expers, ab humore viscido crasso & pituitoso fuctus, admixta portione humoris melancholiæ, qui non tam profundiori, radice subnititur velut struma, ideo tumor glandulosus in parte sinistra colli potius nuncupandus. Hic autem bis terue eum inuasit, & multis mensibus prima vice ipsum detinuit antequam ad suppurationem tenderet à quo tandem liberatus post exactam suppurationem. Paucis ab hinc annis reuersus eumdem occupauit locum eundémque seruauit ordinem, qui & si variis præsidiorum ingeniis fuerit impugnatus, nondum tamen potuit expugnari tum ob naturam affectus eiúsque causarum tum fortè ob contractum habitum, necnon & ratione sedis affectæ quæ tum modò facilè excrementa suscipi, verùm proprium alimentum non probè conficit, & partem in naturam peccantis humoris conuertit. Maiorem autem copiam horum excrementorum à quibus & tumor fouetur & capitis destillatio, ac ventriculi imbecillitas, obstructionésque fiunt, suppeditat inæqualis viscerum naturalium intemperies iecoris scilicet ac ventriculi quisuam etiam adeptus est imbecillitatem ac dyscratiam frigidam & humidam ex erratis acquisitam in victu commistis nec non & ex continua defluxione à capite siquidem cuius portio in ventriculum delabitur ipsumque labefactat vt coctionem vitiat. Nam à viscerum naturalium & ventriculi vt diximus intemperie copia congeritur excrementorum, vnde vapores elati non parum cerebrum intemperatum & imbecillum reddiderunt: quam intemperiem ac imbecillitatem iam impressam esse manifestè declarat eadem perennis destillatio à qua omnia mala producta sunt. Iecoris caliditas licet naturalis sit incrementum tamen accepit ex continuis studiis, laboribus, ac molestiis forsitan ob morbi diuturnitatem conceptis. Iusto igitur calidius redditum & ventriculus frigidior, nec admodum in concoquendo ob diminutum calorem promptus, vapores continuo capiti suggerunt, quæ dum in cerebro concrescunt, in excrementa conuertuntur. Constituta ergo morbosa hac in cerebro intemperie à principio per consuetum acquisita, nunc verò per essentiam confirmata non prætermisso priori consensu, non mirum si crassi ac viscidi producantur humores qui ad subiectas partes nempe ad colli glandulas ab expultrice facultate detrusi dederunt exordia & incrementa tumori duro & fere scirrhoso, qui cum ægrotantis animum maximopere agitet venit prorsus demoliendus & præcauendus me iterum remeet. Quo fine poterit etsi difficillimum sit, spem tamen salutis non adimit iuuenilis ætas & inuictus animus seruandi optimam viuendi rationem in qua maior spes salutis reposita est. Aggredienda est igitur curatio quæ cum duobus innitatur præcipuis scopis, tumori nempe & fluxioni. vtrique incumbendum: & primò fluxioni causam

causam sistendo, vt quæ radix summa mali cum sit, ea non euulsa, irritus ac inanis euadet omnis noster labor: sisti autem nequit fluxio nisi causis illam producentibus ac confouentibus occurramus: causis inquam tam immediatis quam primitiuis, igitur statim prospiciendum, membrorum intemperies corrigendo, alterandóque, debilibus robur addendo, natiuum calorem restituendo, & excrementorum colluuiem reuellendo, deriuando, ac per conuenientes regiones educendo. Qui Scopi ac curatoriæ intentiones pro inhibenda fluxione pluribus præsidiorum materiebus arte & methodo inuentis indigent, vt chinarum, vel sarsæ pariliæ decoctis, nec non & aquis naturalibus, capitis lotionibus, errhinis & aliis huiusmodi; quæ cum totum requirant hominem & ab omnibus negotiis seiunctum, ideo vsque adhuc non potuerunt administrari, velut & topica præsidia validiora à natura affectus ac sedis affectæ deprompta pro tumore demoliendo: quamquam mitiora & mediocria non parum profuerint, vt videre licet. Reliquum igitur erit ea nunc experiri præsidia quæ licet non sint apta nata eum ab his liberare, illum tamen præseruent ne in grauiora mala incidat. Et in primis seruet optimam viuendi rationem quæ in hoc casu locum habet causæ sine qua non. Tenui igitur victu vti poterit quo calor natiuus per alimenti penuriam in tumoris materialem causam conuersus ipsam absumat. Euitare debet omnia cibaria frigidiora & humidiora quæ sunt difficilis concoctionis, & multi excrementi, quæque pituitosum ac melancholicum succum generant vt sunt pisces, & præcipuè non saxatiles, legumina, olera cruda, radices, cibi ex farina, ex lacte, carnes crassæ, & solitæ, aromata, acria omnia, frixu, & alia huiusmodi quæ crassum & viscidũ generant humorem: vina etiam potentia, ac vinosa & nigra. Laudantur igitur cibi qui sint facilis concoctionis, optimi succi, & nullius fere excrementi: fructus horæi primâ mensâ possunt degustari, seruato tamen modo: reliqui verò potius cocti comedantur: moderato etiam vtatur exercitio, & crepuscula deuitet, atque ventos australes, aluum lubricam procuret, & animi accidentia deuitet, atque hilare viuat. Vt verò excrementitiæ humiditates tam in toto quàm in capite existentes absumantur: vel pro nunc à parte fluxione tentata eædem fluentes vel fluere paratæ aliò traducantur, reuellantúrque, sumendæ sunt pilulæ aliquæ, vt puta mastichinæ, vel de tribus cum Rhabarbaro, vel de agarico & similes de quibus vnam aut alteram pro vice capiat hora somni determinatis quibusdam temporibus. Reuellunt etiam fontanellæ tam cruribus quam brachiis inustæ. Ideo quòd vnam gestet in brachio mihi quam maximè probatur. Pro corroborandis verò partibus infirmis ac imbecillis vtatur æstiuis temporibus conserua rosarum, è floribus borraginis: aliis verò temporibus conseruâ florum rorismarini, saluiæ, betonicæ, tabellis etiam ex diarrhodone, Aromatico rosato, diamargaritone frigido, ex Acoro, & aliis consimilibus quorum magna est sylua. Topica præsidia committenda sunt omnia peritissimis chirurgis. Et hæc breuiter pro nunc dicta sufficiant, donec aptiora assenserint tempora quibus longè præstantiora poterit experiri præsidia. Faxit Deus vt sicuti proposita & proponenda vsui futura sunt, sint quoque illustri viro futura vtilitati.

CONSILIVM. XIX.

Difficultas spirandi.

CVm in quatuor consiliis agitatis per clarissimos collegas nostros multa ac varia disertissimè adducta essent, visum est mihi, ne quicquam memoriæ vitio dilabatur, vt quæ recitata essent in vnum colligerem, atque in ordinem redigerem, simul etiam addens quæcunque in rem facere viderentur. Multiplicem autem ordinem seruare necesse est, primùm quidem tractandorum generalem: secundum vt primò ea proponamus, quibus omnes conuenimus: deinde si quid est, quod tamen exiguum est, in quo dissentiamus, subiiciatur. Post hæc & in cura tertius ordo seruandus est inter ea quæ conueniunt ciborum, potuum, medicamentorum ac talium: atque in eo intermiscetur quartus ordo, qui duo habet capita, vnum, scilicet à quo primum incipere debet: alterum, cui magis insistere oporteat. Hinc quintus ordo exoritur, scilicet vt doceamus quæ cuique tempori conueniant: vtpote initio curationis, processui atque declinationi. Superest & sextus, in quo doceamus quæ pluribus morbis conueniunt, nam pluribus morbis eum laborare certum est, non vnico tantùm omnium consensu: & quæ vni tantùm adhibita prosint, & quæ validiora, quæque imbecilliora. Vltimus ordo erit in auxiliis necessariis adhibendis, vt sciamus, si hæc non profuerint, ad quænam alia sit transeundum: atque deinceps ex his in alia: vt demum sciremus, si priora non proficerent, quæ vltimo loco essent adhibenda.

Constat autem, absque his ordinibus vix posse tantam rerum congeriem vtiliter tradi. Atque hos ordines difficillimum fuisset in ipsa consultatione proponere, imò etiam vanum: quandoquidem adhuc difficilius fuisset propositos memoriæ commendare.

Primum igitur suppono dispositiones, quæ in illo sunt manifestæ: nam vt Philosophus ait, Omnis nostra doctrina à notioribus nobis originem ducere debet. Sunt autem notiora hæc, difficultas spirandi, de qua ipse maximè conqueritur, & cuius causâ nos omnes aduocauit: deinde flatus erumpens è ventriculo, atque vitiata concoctio prima, quam ipse dispositionem manifestè percipit, tametsi ab illa non adeò se impediri existimet. Est tertia dispositio, inflatio ventris non leuis, similisque hydropi, quæ incipit ab ensiformi furculâ, & continuè augetur vsque ad vmbilicum, permanétque etiam infra illum per duos digitos: deinde declinat præceps, non more asciticorum versus pectinem. Ab hac

hac dispositione, quamuis lædatur non parum, ipse tamen se non lædi putat. Quarta dispositio, est turbulentia vrinæ cum paucitate etiam, neque vrina claratur, tametsi subsidant multa modò rubra, modò alba, modò ruffa. atque hæc sunt in quibus omnes conueniunt, quæque sensus ipse ostendit Adest & quintum, quod præter naturam est, durities scilicet splenis, quam neque ipse curat, neque medici grauioribus intenti magnifaciunt: tametsi & ipsa difficilis sit curationis. Conuenimus etiam intemperie membrorum principalium, cordis, cerebri & iecoris, quòd calida sit.

De passiuis autem qualitatibus aliquod discrimen fuit. Erat vnus qui existimauit, esse siccæ temperiei, sed vsu factam esse humidam ob otium, quod non videtur verum: quia ex permutatione ætatis, vt habetur *sexto de Tuendâ sanitate*, humida temperies potest fieri sicca, non autem sicca fieri humida in principalibus: secus est de habitu totius *tertio de Causis pulsuum, cap. secundo.* Sed postquàm conuenimus, quòd nunc etiam ex illius sententia est humida, ideo velle verba producere in hoc, esset potius insectatio, quàm res vtilis. Concluditur ergò, quòd temperatura cordis & iecoris omnium consensu est calida & humida, loquendo de naturali.

De cerebro autem, cùm consentiant quòd sit calida in passiuis, est aliqua difficultas. Sed postquam etiam conuenimus, quòd præsens sit sicca, curiosi esset verba plura de hoc facere, maximè quòd nullus nostrûm ponit cerebrum esse in causa alicuius horum morborum, aut symptomatum, vel destillationis. Solùm apparet paucitas somni tanta, vt sit mirum, plerunque enim subsistit intra tertiam horam, nunquam quartam complet.

Conuenit etiam inter omnes, quòd color faciei sit bonus, & præterea habitus totius satis carnosus: & quòd crura iam diu tument cum pedibus, vsque ad genu fermè, tumore molli, sub forma anasarcæ vel œdematis. Conuenimus etiam præterea, quòd ipse passus sit magnos mœrores ac diuturnos: & diu vixerit in otio, & quòd plurimo vteretur cibo & potu, cùm tamen antea assuetus esset exercitationi. Rursus quoque, quòd natiuam habeat quandam difficultatem spirandi, quódque esset aqualiculus more matris suæ, & quòd iam tredecim vel quatuordecim annis elapsis magnam effuderit sanguinis quantitatem ex ore: quódque verisimile est eum sanguinem profluxisse potius è capite, quàm è pectore, postquàm tam perfectè sanatus est, remansítque omnino sine tussi. Constat etiam, quòd hæc difficultas spirandi incœpit circiter viginti ab hinc mensibus augeri vehementer, & quòd licet melius se habeat excusso flatu per eructationes, & dum ieiunus est, tamen nunquam adeò liber est, vt possit facilè supinus decumbere: vel quòd redeat ad priorem statum, in quo erat iam duobus annis elapsis. Omnes etiam fatentur, pulmonem, ventriculum, & splenem, & iecur magis esse imbecillia. Hæc sunt, in quibus conuenimus omnes.

Vt verò singula diligentius exquiramus, sciendum est, quòd omnes respirationis difficultates ad tres differentias reducuntur, aut instrumenti, & sic fit magna & parua: aut motus, & sic velox & tarda: aut quietis, & sic densa & rara. Manifestum est autem, quòd velox & tarda dupliciter dicuntur, & de inspiratione & de expiratione: sicut & rara & densa de duplici quiete, scilicet ea quæ sequitur inspirationem & expirationem.

Magnitudo quoque & paruitas etiam dupliciter dici possunt, & dupliciter esse: velut si nimis extendatur, aut nimis maneat extensum membrum respirationis, atque ita de contractione. Fient ergo simplices & duplices & multiplices, maximéque compositæ octo modis: velut si quis dicat magnam inspirationem, bifariámque & velocem & raram: expirationem autem magnam, & bifariam densam & tardam, exempli gratia.

Hoc igitur genus respirationis haud magnum est, neque densum, atque magis in inspiratione quàm expiratione laborat, velut eleganter animaduersum est ab vno ex collegis nostris, cùm tamen diu non possit subsistere supinus, videtur quòd sit densior quàm oporteat. Impedimentum ergò est magis in quiete quàm in motu: quanquam & in motu adsit, & in motu magis quàm in instrumento. Vnde constat, hoc impedimentum contingere ex parua attractione aëris, propter angustiam meatus, quæ multipliciter potest contingere: aut per impedimentum, quod sit in ipso primo instrumento, quod est pulmo: aut per consensum, qui quidem non potest esse nisi in functione ipsius septi transuersi, & hoc duplici modo: aut propter facultatem, in ipso vitiatam, quod non credo, quia nulla est causa præcedens, quæ istud decernat. Omnes autem concordant, quòd ex grauitate iecoris & lienis & flatu. Sed ista non sufficiunt, cum vitium non sit neque in instrumento principali, neque in primo per essentiam: ergo non esset continuus hic morbus.

Cum verò concludatur, quòd sit continuus etiam, quoad magnitudinem excessus, sequitur quòd sit per essentiam etiam in altero illorũ. Sed non est in principali, ergò in primo instrumento, id est, pulmone: & hinc vel est mala qualitas, vel compositio, nam de solutione continui non creditur. Et si compositio est in figura, & ea quæ impedit transitum aëris: quare in arteria venali, quia in aspera arteria faceret tussim: & in vena arteriali, cùm sit plena sanguine, non posset esse per essentiam. Neque potest esse materia, quia tam longo tempore vel induruisset, vel fuisset expulsa: neque potest esse grando, quia grando non generatur, nisi in aspera arteria: non in vena arteriali, cùm sit plena sanguine tenui & spiritu. Relinquitur igitur tandem, vt vel sint tubercula iuxta arteriam venalem, vel crassities in substantia pulmonis, propter quam comprimatur arteria venalis, vel siccitas in pulmone.

Ex his tribus verisimilius est, quòd sit crassities & durities, quoniam non videntur præcessisse causæ tuberculorum, neque tantæ siccitatis: quia senes etiam decrepiti, quamuis habeant siccissimum pulmonem, tamen non

non laborant difficultate spirandi. Est etiam alia ratio, quia videmus duritiem in splene, & suspicio est etiam de iecore: & certum est, quòd iecur generat sanguinem inæqualem, scilicet atrum & serosum, sicut apparet in vrina. Et ideo concludo, quòd causa huius difficultatis spirandi est durities in pulmone, cuius indicio est etiam, quòd ipse non potest decumbere supinus: quia partes pulmonis cum sint graues, non possunt facilè leuari in illo situ. Et ideo licet hoc signum sit generale in omnibus difficultatibus spirandi, tamen in hac maximè viget.

Quoad secundam dispositionem, quæ est flatus, omnes cócordant adesse flatum: & illum esse causam difficultatis spirãdi. Sed quidam volunt esse in ventriculo, & in intestinis tantùm: plures concedunt, quòd si inter peritoneum & omentum, & etiam in ventriculo & intestinis: & hæc fuit communis opinio. Ego verò censebam, etiam esse spiritum inter capsulam cordis, & septum transuersum ac pleuram, & quòd ille esset causa difficultatis spirandi in ipso pulmone, cóprimendo illum.

Quòd autem sit iste spiritus inter omentum & peritoneũ, potest declarari ex his quę dicemus in tertio symptomate. Sed quòd nó sit causa difficultatis spirandi, neque hic neq; ille qui est in ventriculo, apparet luce clarius. nam multi laborantes dolore ventriculi ex flatu, & etiam alij ex tympanite perfecta, nó tamen laborant difficultate spirandi, de qua curandum sit: ergo multo minus hic qui neque laborat tympanite exactâ, neque tanto flatu, vt ventriculus doleat. Et quia dicunt, quòd ab eructatione iuuatur: ideo accipiunt concausam pro causa. Nam flatus ille est causa augmenti difficultatis spirandi. Et est, ac si quis diceret, quòd phlegmon in digito est causa pulsationis, cùm sit arteria, & phlegmon sit solùm causa sensus pulsationis.

Quoad tertium, dico quòd est tympaniticus, non tamen confirmatus. Et hoc declaro, quia est tumor ventris: ergo vel ab aqua, vel à flatu, vel à pinguedine: sed cùm crescat ac decrescat celeriter, necessariò est à flatu. Quòd autem iste flatus sit inter omentum & peritoneum, apparet, quia si esset conclusus in intestinis aut ventriculo, faceret dolorem: & si non esset conclusus, faceret murmur. Sed neutrum facit, igitur continetur inter omentum & peritoneum.

Quidam opposuerunt dictum Auicennæ, quum dixit: *Et quum venter percutitur manu, auditur ex eo sonitus vtris inflati, non autem aqua pleni.* Dico quòd distinguit inter genera hydropis, non autem ponit tanquam signum proprium: imò dicit in eodem capite, loquens de eâ: Sed quandoque est tensio, ergo non vult quòd adsit semper. Et Ætius *libro decimo, capite vigesimo: In principio inflatio sola esse videtur, postea tamen flatus inspissatur*, ideo cùm non fuerit tensio, nec erit sonus, vt isti credunt.

Adducuntur tria alia in oppositum, scilicet bonitas coloris, carentia sitis, & diuturnitas morbi, cùm etiam sensu percipiatur cute correpta crassities illius, & pinguedo. Responsum fuit per vnum ex collegis optimè, quòd mirum videtur, quòd inter curas & summos mœrores ex macilento, vt fatentur, factus sit adeò obœsus. Et quòd tumor crurum cùm sit morbosus manifestè, non declarat bonum habitum in ventre. Ad reliqua diximus omnes, quòd sunt signa intercutis confirmatæ.

Qantum ad quartum, & est vrinæ turbulentia supra dicta, de qua omnes vno ore censent, quòd sit ex imbecillitate iecoris, & illam significet. Ego fateor, quòd adsit imbecillitas iecoris omninò, & reliqua, scilicet vitium in compositione, obstructio & durities: non tamen concedam vnquam, quòd ista turbulentia proueniat ex imbecillitate. Tum primò, quòd imbecillitas iecoris facit vrinas aquosas, & non turbulentas: tum etiam, quia videmus multos cum summa imbecillitate iecoris, & cum hydrope confirmatâ, qui tamen non habent vrinam turbulentam.

Alij dixerunt, quòd sit turbulenta propter excrementa vndequaque, & ex toto corpore aduenientia: sed & hoc suspectum est, quoniam illa excrementa separarentur & residerent in fundo tota, quod falsum est. Quidam dixerunt, quòd est vlcus & sanies, è iecore profluens, sed & hoc dubium est, cùm non appareant signa reliqua vlcerum, & maximè dolor. Dico autem compendiosè, quòd turbulentia vrinæ fit propter materiam, quæ est pinguedo, sicut aliàs declaraui: & quia illa pinguedo non potest separari, vel propter imbecillitatem caloris, vt in hyeme: quæ tamen non adest, vt dixi, vel propter vehementem permixtionem, sicut videmus in decoctis, quæ fiunt turbulenta, quæ si parum sint cocta, citò clarescunt: sin autem diu, tardè: & si adhuc diutius, nunquam. Dico ergo, quòd hæc vrina turbulenta significat multum liquamen, diu concoctum cum ipsa vrina propter impedimentum obstructionum, & imbecillitatem caloris naturalis cum magnitudine præternaturalis caloris: & propter hoc sequitur, quòd splen fit durum, quia si vrina non potest separari, quæ est res aquea, multo minus fiet separatio in sanguine. Ex quo sequitur, quòd ipse sit paratus ad scirrhos, & in pulmone, & in iecore, & in omnibus membris, & causæ difficultatis spirandi inde proueniant & notæ sint. Hinc etiam coniectari licet, vndénam proueniat tumor ille in cruribus, qui quidem est ex genere anasarcæ, dicebat enim Hippocrates *in secundo Prognosticorum: Quibuscunque ab epate aqua inter cutem oriuntur, his tusses tussiendique promptitudo accedit, & nihil memorabile expuunt, & pedes tument, & venter non egerit, nisi dura & coactus: & circa aluum fiunt tumores, aliqui in dextra, aliqui in sinistra parte tum consistentes tum considentes.* Manifestum est igitur, pedum tumorem tum etiam crurum, esse ex genere anasarcæ, & non veri ædematis. Sed quia curatio illius pendet ex curatione tympanitidis, ideo non longius proferam sermonem.

Vtrum verò dicatur Asciticus? dico quòd sub vno sensu non dicitur verè Ascitic° id est, quòd plurima aqua collecta sit in vẽtre. Duobus autem aliis modis Asciticus dici potest, scilicet

scilicet quòd aquæ pars est in ventre:alio modo etiam dicitur Asciticus in sensu aquæ intercutis,quia aqua continetur inter cutim & peritoneum. Principalior tamen morbus est tympanites.

His diligenter consideratis, deuenio ad Prognosticum:& dico quòd hic morbus non potest breui sanari, quoniam est compositus ex pluribus. Secundò,quia sunt morbi longi in ætate senili.Tertiò,quia est quasi connatus illi. Addo quartum, quòd ipse patiens non conatur morbum propellere exercitationibus aliísque rationibus, quibus tales morbi diminuuntur. Nam quod ad primum attinet, multi atque varij difficilius propelluntur quàm simplices: atque etiam eo magis,quòd contrarij sint temperaturæ,iuxta illud Hippocratis: *In morbis minus periclitantur ægrotantes, quorum naturæ aut consuetudini(& cætera.* Quod ad secundum spectat, dicebat Hippocrates: *Morbi longi in senibus plerunque illos comitantur ad mortem.* Quod ad tertium attinet, manifestum est quod rarò hi qui sunt læsi, magno affectu in membro principali,vel necessariò possunt diu viuere,& à difficillimis morbis euadere. Maius autem periculum imminet ex suppressione vrinæ:nam statim vt ad illam perueniret,venter intumesceret,spiritúsque deficeret,atque ita breui periret. Est autem parat⁹ ad hãc suppressionem multis de causis:prima, quoniam vrina est crassa & turbulenta, quæ facilè intercipi potest. Secunda, quia adsunt obstructiones magnæ,& durities in viscerib.quæq; calorem naturalem obtundendo, tum cõprimendo mole sua vrinam facilè supprimere possunt.Tertia est flatus,qui similiter & cõprimendo & refrigerando impedimentũ vrinæ afferre potest.Omne enim elementum,vt aliàs dixi, frigidum est,quãuis id Aristoteles & Galenus negent.Quod si demonstrationibus à nobis allatis quisquã pertinacius repugnet, discat saltem experimento ita esse:atq; hoc periculum ex ordine morbi atque naturæ,etiam si omnia ritè peragantur,contingee.

Secundum periculum est, defluxio materiæ à capite, ex qua posset facilè suffocari. Sed ad hoc vt minus procliuis, eo magis tamen in illud facilis lapsus, & nulla redemptio. Propterea caueat pro hoc Veneris vsum immodicum, coniunctum eum nimio potu, aut iter in Sole ardenti, ex quo possent colliquari contenta in cerebro violenter, atque ita suffocari. Tertium periculum est, ne incidat in febrem aliquam malignam ex magnis curis, ad quas procliuis est, ex metu vitæ filiarum. Ab omnibus tamen his spero tutus erit diligenti obseruatione.

Dico secundò, quòd cura ista perficietur satis bene, propter quatuor gradus, qui sunt in ea,cum quibus tanquam per scalam ascẽdendo perueniet ad speratam sanitatem. Ex quo manifestum est,quòd oportet ipsum diligenter,quæcunque pertinent ad sex res non naturales,obseruare:quia illæ sunt magis necessariæ. Tertiò dico,quòd hæc cura necessariò erit prolixa, & hoc propter quatuor causas, prima est, morborum magnitudo & prolixitas:secunda est,multitudo eorũ:tertia, est nobilitas subiecti, quæ facit vt debeamus abstinere ab omnibus medicamentis validis atque potentib.iuxta illud quod dicebat Galenus *in libro de prædictione ad Posthumum: In principibus non debemus vti medicamentis potentibus, neque vllo modo suspectis.* Quarta causa est, ascensus per gradus,de quo dicam suo loco.Posset & addi quinta, scilicet quòd ipse non obseruabit cuncta, quæ ei præcipientur,ita ad vnguem, vt deberet. Ex quibus concludo, quòd ista cura non perficietur hoc anno, sed in duobus annis tantùm, aut etiam tribus. Nam etsi curaret magnâ ex parte:ita quòd in æstate videretur sibi sanus, & eò magis etiam in autumno, & maximè in fine: tamen hyeme reuertet morbus,licet non adeò sæuus, sicut fuerat antea. Nihilominus maxima cura erit circa præseruationem, ne labatur in deterius,non, vt possit perfici sanatio.

Secunda pars prædictionis est, quòd diuersis temporibus valde diuersam subibit conditionem, primùm ex ratione partium anni:nam vere mediocriter se habebit, deinde melius iuxta finem veris, & per totam æstatem,& dimidium autumni:pòst deterius & maximè in profundâ hyeme & φυταλια. Item in temporibus pluuiosis ac ventosis, maximè borealibus:deinde austrinis deteriùs quàm sereno cœlo: aut Euris vel Zephyris spirantibus.

Et deteriùs etiã nocte quàm die,& in die: vesperi,quàm mane:& post cibũ,quàm ante cibum peius semper.Et hoc generaliter,quia aliquando regulæ hæ fallunt. Et hæc non solùm conferunt ad prædictionem,sed etiam ad curationem,quia periculosioribus temporibus oportebit cautius agere, & diligentius præcauere: sicut etiam in accessionibus, ac iquis.

Ad prognosticum etiam pertinet scire,quoniam quantum flatus discutietur, tamen etiã decedet ex difficultate spirandi:& quòd tumor ille ventris modò descendet in scrotum, modò etiam vsq; ad pedes & crura,& quòd propulsata materia tumorem ingentem in illis excitare possit. Quod si contingeret,periculosum esset.secus de tumore scroti.Est igitur periculum de incremento ipsius anasarcæ. Illud etiam est consideratione dignum, quòd genera hæc hydropum inuicem cõmutantur & augentur:& vna aliam fouet,& similiter,propter dictum Auicennæ.Et quandoque materia,quæ est in pulmone,transmutatur ad iecur,& facit hydropem.Hæc igitur omnia diligenter sunt animaduertenda: & quòd cùm corpus impurum sit, erit etiam paratum heryspelatibus, & perphagedenis, & vlceribus malis,& scabiei.Nam scabies & psora fiunt & humore seroso corrupto. Et si contingerent vlcera in cruribus, facilè euaderent in prauitatem magnam,& difficillimè sanarentur.

His expeditis deuenio ad curam,quę iuxta scopos triplex esse debet:præseruatiua, sanatiua, & symptomatis curatiua. Hic enim morbus expostulat hanc tertiam partem,sicut etiam docuit Auicenna *decima tertij*,& vnũquodque horum perficitur tribus auxiliis victus ratione,medicamento,& manuum operatione.

ratione. Rursus in his scopos scire oportet, cuiusnam ordinis sint primi, secundi, tertij, quarti, ac sic deinceps.

Primus ergo scopus est, dilatare vias anhelitus, & siccare atque extenuare ventrem. Atque hic est primus scopus in intentione. Secundus scopus est, vt materia impediens, quæ coniuncta est, & dicitur flatus, & crassior humor, tum caro in pulmone discutiatur. Vt verò hoc fiat, tertius scopus insurgit auferendæ malæ intemperiei, iecoris, pulmonis, ventriculi & lienis. Ex quo habetur quartus scopus, vt auferantur duritieS, quæ sunt in liene & iecore, atque obstructiones. Quintus scopus, vt materiæ antecedentes euacuentur, & vt non amplius generentur: sed vt euacuentur, insurgit. Sextus scopus, vt præparentur. Præparatio in quatuor consistit, vt crassa attenuentur, lenta diuidantur, aperiantur obstructiones, & vt aluus facile fluat. Intentio verò prohibendi generationem materiæ antecedentis, est duplex, scilicet vt dentur cibi excrementis carentes, & vt bene concoquantur. Ab ista igitur sexta intentione curatiuâ operando inchoare oportet, vt perueniamus ad primam. Et hoc seruatis tribus illis conditionibus, quas Galenus *in Arte curatiuâ* refert: vt citissimè scilicet salutem, quam fieri potest, adipiscatur; vt perfectissimè; & vt absque periculo vllo, vel noxa.

Et quia, vt dicebat Galenus *libro de Attenuante victu morbi diuturni, plus ratione victus, quàm à medicamentis iuuantur.* Est autē animaduertendum, vt consuetudines malæ sensim immutentur, aliter nimis læderetur. Vt ergo ab animi affectibus incipiamus: nam constat animi affectus non minus mutare corpus nostrum, quàm labores atque reliqua. Igitur lætitia & spes, saluti optima sunt: vitare autem tristitiam, iramque oportet. At id magis à cibo, & horâ somni, in qua omnes cogitationes, etiam si tristes non sint, multùm lædunt.

Quod ad somnum attinet, cum teste Hippocrate, somnus coctiones iuuet: manifestum est, quòd quantò plus indulserit somno, tantò illi melius erit. Et quòd debet esse iuxta Hippocratem in loco obscuro, in conclaui frigidiore, bene contecto corpore pannis, in cubiculo respiciente orientem, sicco, inter duo solaria: in hyeme ignis alatur, in vere & autumno sol ingrediēs locum illustret, in æstate sit perflatus à ventis: & si non potest dormire, decumbat saltem semper in lecto, vsque ad decimam horam ab initio decubitus. De situ nihil dicam, quia oportet vt decumbat vt potest: etsi nimiâ prematur vigiliâ, inūgantur pulsus ex oleo nenupharino: si non sufficit, vnguento populeon. Vngatur etiam regio cordis: tutiores etiam in hoc sunt pillulæ nostræ.

Recipe styracis calamitæ optimæ olentis ℥. i. fiant pillulæ quatuor cum vino mombasiō vel vinaciolā dulci: & de his capiat vnam singulo vespere post cœnam per vnam horam. Aliud nostrum expertum, & est vltimum, exhilarans animam, & est absque custodiâ.

℞. Sacchari nenuphari seu ex nympheæ floribus ℥. ij, syrupi de pomis ℥. ß. moschi electi grana v. Misce bene, capiat post cœnam. Possunt etiam fieri stillicidia & odores, somnum conciliantes, & otalgia, & errhina. Sed hæc minus probantur. Animaduertere etiam decet, quod iuxta somni longitudinem oportet metiri etiam ciborum quantitatem, vt si paucus sit somnus, modico etiam vtatur cibo: sin autem longus, vberiore & magis nutriente, velut carnibus & ouis. Super omnia autem caueat ne tempore somni de tristibus cogitet. Sed solùm iucunda sibi proponat: viridaria, prata, venationes. Motus etiam mensurare decet iuxta somni prolixitatem: nam vbi bene dormierit, optimè se exerceat: vbi malè, penitus non se exerceat, sed solis frictionib. & equitatione sit contentus: & dormiat capite elato, & pectore, ventre autem imo depresso, & crurib. Cum verò in motuū mentionem inciderimus, par est vt de illis nunc agamus. Motuum igitur ratio à quantitate, qualitate ac tempore sumenda est. Quod ad tempus attinet, dicebat Galenus *in libro primo de Cibis boni & mali succi: Exercitatio vt ante cibum optima est, ita à cibo pessima*: & ideo cauendum est diligentissime, vt à cibo assumpto omnino quiescat: quòd si deliquerit in hoc, maximo incommodo afficietur. Oportet autem quiescere à cibo septem horis. Animaduertat etiam, quòd licet ex exercitatione videatur cibus è ventriculo descendere, ipséque leuiùs se habere, atque faciliùs spirare: non tamen in hoc commodo confidat, quia successu temporis res in deterius labetur, sentiétque detrimenta falsæ speratæ vtilitatis: pœnitebitque ac conqueretur se deceptum. Ex hoc etiam patet ratio cuiusdam problematis, scilicet cur videatur cibum concoquere melius de die quàm in nocte, cùm hucúsque nox fuerit die longior, & somnus soleat coctiones adiuuare, & etiā tenebræ? Ratio est, quia in die propter situm cibus descendit è ventriculo: in nocte verò cùm decumbat, non potest descēdere: ex quo colligo aliud multum necessarium ad curam & prognosticum, scilicet quòd nunquā bene concoquit. Non de die, quia prius descendit cibus antequam sit concoctus: non de nocte, quia illum percipit in ventriculo mane, atq; ita nunquam. Ex quibus sequitur aliud, scilic. quòd morbus hic in deterius labitur in dies, licet videatur melius se habere. Patet, quia cōcoctio prima est vitiata, & ideo secūda, & tertia: ergo corpus quotidie magis grauatur cruditatib. ergo labitur in deterius nisi quantum ex euacuationib. adiuuatur, sed illæ debilitant vires: ergo vnica spes in virtute vitali. Quæ quomodo labentib. aliis eas possit restituere, non est pręsentis negotij vt ostendā, satis constat id fieri posse. Ex hoc sequitur vnum aliud, valde necessariū scitu, & est quòd tunc meliùs se habebit, quando vesperi sentiet se non concoxisse, & similiter mane, quia tunc virtus retentrix incipiet cōfirmari. Postmodum meliùs se habebit, cùm mane sentiet se concoxisse, vesperi autem non. Rursus optimè, cùm mane & vesperi sentiet se bene concoxisse. Scio quædam hic posse vellicari propter imperitiam quorūdam: sed qui rectè quæ scripsimus, percipiet, de hoc ordine in melius procedendi non dubitabit. Ex hoc

etiam aliud valde vtile sequitur,quod ad curã attinet:de quo inferius dicam.Quod ad qualitatem exercitationis attinet, dico quòd deambulatio non est exercitium ex Galeno tamen est res omnibus vtilis:ipsi verò non solùm vtilis,sed etiam necessaria,& ex hoc genere est frictio. Cùm ergo expergiscitur,decet surgere & deambulare parum ex quo aliuus mouebitur : deinde reuerti in lectum,& fricari atque inungi , & postmodum indui. Ex quo ordine duplex commodúm consequetur:vnum certum,& erit quòd frictio fiet post exonerationem alui, quod est iustum & vtile:secundum erit minus certum, sed si sequatur , erit vtilissimum , scilicet si denuò, postquàm surrexerit,aluus soluatur. Secundũ genus exercitationis est equitatio,quæ debet exerceri,postquam inambulauerit, quantum satis est in mane. Vesperi quoque vitando semper vtrunque crepusculum , vt inferius dicemus.Quantitas verò exercitij,vt ab Hippocrate decernitur, generaliter in vno quoque auxilio est conueniens tolerantia. Alia genera exercitiorum ab his tribus neque laudo , neque ipse ferre poterit. Laudari solet ascensus per accliuia,sed ipse neq; hoc feret. Illud non omittendum est omnino,pertinétque ad motus & quietis rationem,quòd non decumbat pronus , vt solet,sed sedeat. Cùm enim sedendo , non solùm stando vrgeatur difficultate spirãdi,pronus perpetuò maneat, tabulæ aut cathedræ incumbens:quo situ nihil est deterius dimoto ventriculo è sua sede,ita vt non quiescat super intestina,sed suspensus maneat. Hoc autem cùm pessimum semper fit,deterius tamen etiam à cibo:tunc enim soluitur ipsa ventriculi substantia,& fit laxitas texturæ in ventriculo,quæ parit summam imbecillitatem , & cui non est remedium iuxta sententiam Principis.

Crepusculi memoria me ad tractandum de aëre inuitauit. Vitare ergo debet aërem nocturnum, tanquam pestem, & ambo crepuscula:item pluuias omnes,solem & aërem nubilosum,& ventos validos. Poterit tamen aura flante leni se exercere, ac serenis temporibus : vbi verò prædictã obstant, in conclauibus longis se exerceat, tutus à vento & frigore.Et vbi periculum sit in vtroque,maius est in frigore quàm in calore:nam si lædatur à calore,vbi calor cessauerit,cessabit & noxa,non sic in frigore:quia vt rectè dicebat Auicenna, frigus est inimicissimum pulmõni.Cubiculum etiam debet esse purum,mũdum,expositum orienti, & debet verri quotidie:& quia quæsitum est,an aër natiuus sit illi salutaris,respondeo quod sit,cæteris paribus.Sed si sit aër in colle saluberrimus,minimè humidus:& vbi homines diutius viuant, & nascantur cornifer æ arbores, & mulieres sint absque gulæ tumore,& pueri floridi coloris,& victimæ candido adipe & rubicundâ carne & pulmone,& absque lapillis.Hic aër multum ei prodesset: nam in difficultatibus spirandi & cæteris morbis pulmonis nihil plus facit quam aëris qualitas, seu bona seu mala ad iuuandum nocendúmue.Hoc autem vnum scire expedit,quòd oportet diligentissimè caueat frigus post calorem : Est enim mortale. Item solem super caput:nam vt aër frigid⁹est inimicissim⁹pulmoni,ita sol capiti.

Quantum ad quintam intentionem, quæ est euacuatio & repletio,dictum est,quòd oportet habere beneficium ventris ; quòd si non habeatur,fiant clysteria.Et clysteria quidem mollia non operantur , & nimis acria exiccant corpus:& ideo impediunt in posterum beneficium ventris. Oportet etiã vt resoluant flatum:resoluentia flatum sunt sicca, & sicca astringunt aluum.Præterea clysteria repellunt flatum suprà,& maximè si sunt flatuosa , ergò vsus eorum non est multum ad propositum,nisi sint valde necessaria aut valde vtilia,aut valde bene præparata.Describã autem duas formas eorum , & similiter duo genera suppositoriorum. Prima descriptio.

Recipe chãmemeli m.ij.furfuris m.j.seminum cari & libistici an. ʒ. i. aquæ ℔. ij. coquantur ad consumptionem duarum tertiarũ: inde colentur , & in colatura addantur salis communis ʒ.i.salis nitri ʒ.ß.olei anethimi ℥. iij.hieræ pigræ de sexdeim ℥. ß. misce , fiat clyster. Aliud.℞.olei violati ℥.iij. saponis teneri ℥.ß oximelis simplicis ℥.ij.cassiæ fistulæ ʒ.vj. vrinæ infantis quantum sufficit, misce: fiat clyster.Suppositoria hoc modo.

♃.Cumini & ruthæ ãn.ʒ.i.mellis violati cocti & despumati ℥.ij. salis nitri ʒ.ß. fiunt suppositoria Aliud.

♃. Radices iridis, & coquantur in oleo violaceo:& post modum siccentur parum,& fiant suppositoria.Per os quoque difficile est purgare, quoniam quæ purgant, ventriculo plerunque nocent. Medicamentum tamen optimum est.

♃. Terebinthinæ orientalis lotæ cum vino albo species ʒ.ij.vini è passa vua, seu potius succi ℥. i. misce , capiat per tres horas ante cibum. Aliud.

♃.aloës ℥.iij. Lauentur ter in vino passulato , inde capiat ʒ. i. pro vice ante cibum. Non solùm autem sufficit ventrem soluere, sed etiam vrinas mouere necessarium est. Eiusmodi autem sunt quæ è fœniculo sunt,aut similibus, & bene olent, vt crithmon & sandix:sed crithmon est satis cognitum , sandix non ita. Crithmon autem prolicit vrinam. Arum quoque cum oleo optimum est in omnibus cibis aluum subducens,appetitum excitans , & ventriculum confirmans. A coitu abstinere debet,quantum fieri potest. Oportet etiam vt antequàm comedat , excernat flatum , mandendo thus clarum , aut Zaduram , aut antheram , aut anisum , vel libisticum, & eructando : sic vt singulo mane excernat feces & vrinam & flatum.

Cibus verò & potus duo sunt:trifariam autẽ distinguũtur singuli:simplices:& medicinales:& medicinæ cibis similes.Quæ vt minus nutriũt,ita sũt vtiliores.Huiusmodi gratiã exempli est cretanus marinus ad discutiẽdos flatus,& proliciendam vrinã,& excitandum appetitum cibi. Consideranda autem sunt sex in cibis,qualitas,quantitas,numerus, tẽpus,ordo & præparatio.Cibi maximè ventriculo conferentes,sunt cerefolium,quod simile est cicutæ : sed bene olet,sandix, absinthium & menta rubra angusto folio.Sed absinthiũ propter amaritudinem vix potest edi. Propterea tritum & decoctum cum passulis

&

& vitellis ouorum edi debet. Generaliter autem omnia quæ sunt boni odoris & saporis, sunt amica ventriculo. Et maxime si sint astringetia, velut est macer, quod vocant macim vulgares: & astringentia maxime conueniunt in fine cibi, sicut & calefacientia ante cibum. Vt ergo de singulis dicamus, sciendum est, quòd sex sunt differentiæ ciborum. Prima est, vt sint boni alimenti, aut mali. Circa hoc dicebat Galenus *tertio de Alimentis, Cibi mali succi sunt, qui nutrimentum dant nimis tenue, aut nimis crassum.* Verùm sic intelligendus est, vt non sufficiat quod sit nimis crassum aut tenue, sed oportet vt sit, quia non sit concoctum à Sole, & ideo multa sunt crassi aliméti admodum: tamen sunt boni alimenti, quoniam concocta, velut caro porcina. Quia tamen concordamus in re, dico quòd propter hoc excludunt omnia olera & omnes radices: quia olera omnia generant alimentum serosum, & omnes radices alimentum crassum? ergo nullum olus nullaque radix conuenit. Et si quis dicat, quòd nuper laudauimus cerefolium & mentam & sandicem, dico quod hoc fuit ratione medicinæ. Ex quo colligitur, quòd talibus non licet vti, nisi in modicâ quantitate: quia non iuuant vt nutrimentum, imò nocent, quia mali sunt alimenti. Omnia ergo olera & radices sunt mali alimenti: & est regula, quæ non patitur vllam exceptionem: quia serosum aut crassum & crudum præbent alimentum; ergo omnia talia sunt vitanda sub formâ alimenti. Secuuda differentia est, vt non facilè putrescant: per hanc excluduntur omnes fructus horarij, item lac. Excluduntur etiam ista aliis de causis. Lac quidem, quia flatuosum, iuxta illud Hippocratis: *Lac dare caput dolentibus, & his quibus illa murmurant, malum*: horarij autem fructus, quia serosum præbent alimentum. Tertia differentia est, vt plurimum exhibeant alimentum. Istud autem non est necessarium in omnibus hominibus, sicut priores duæ conditiones. Sed in hoc ægro est maximè necessarium, quod sic declaratur. In hoc ægro est maxima inbecillitas ventriculi, ergo minimus cibus dandus est: sed minimus cibus & parum nutrimentum non potest alere corpus, imò nec mediocriter nutriens, ergo necessarius est cibus maximi alimenti, vt quod detrahitur ex quantitate suppleat qualitas. Ex quo sequitur, quòd omnes fructus etiam non horarij sunt vitandi, quia omnes parum nutriunt. Sequitur etiam quod ptisana hordeacea, quæ mediocriter alit secundum Galenum, & cibus ex amygdalis, qui parum nutrit, in hoc casu non conueniunt: id est, in magnâ quantitate, neque frequẽter. Nam ad recreationem ventriculi, vel quia sunt cibi medicinales exhiberi possunt. Ista tria possunt admitti, passulæ, pistacia, & cibus ex amygdalis. Quarta differentia est, quòd sint facilis coctionis: patet, quia hic ventriculus est imbecillis valde, ergo indiget nutrimentis facillimæ coctionis. Ergo per hoc excluduntur omnia legumina. Nam omnia legumina non solùm sunt difficilis coctionis, sed difficillimæ. Pro dignoscendo autem cibos, qui sunt facilis aut difficilis coctionis, solent dari plures regulæ. Sed præcipua est illa Oribasij, & est, vt ponantur in aquâ: quæ celerrimè dissoluuntur aut molliunt, facilis sunt coctionis, vt panis: quæ tardè, difficilis vt caseus: quæ nunquam, difficillimæ vt legumina. Radices ergo rursus sunt explodendæ. Quinta differentia est, vt sint paucorum excrementorum. Hæc videtur coincidere cum cibis multi alimenti, sed non est ita: nam ptisana multùm nutrit, & non est excrementicia propter raritatem: sicut per contrarium caro iuuenci multùm nutrit, & tamen est excrementitia propter densitatem. Hac igitur ratione quicquid est rarum, & multùm nutrit, caret excrementis, vt lutea ouorum: & quicquid est densum, & parum nutrit, est excrementitium, velut radices & rubera & ostrea. Sexta differentia est alimenti, quòd superexcedentem habet qualitatem, velut nimis crassi vel lenti, vel frigidi, per quam excluduntur caseus & omnes pisces. Nam licet pisces petrosi, quorum etiam copia apud nos non est (cùm omnes sint marini) in promptu essent, non conuenirent, quia sunt nimis frigidi alimenti: posset tamen aliquis vti ea ratione, qua dictum est superius. Ex hoc sequitur quòd omnes pisces parui vitandi sunt, quia parum nutriunt ex superius dictis: & magni similiter, quia crassum & lentum exhibent alimentum: mediocres ergo & masculi & saxatiles possent aliquando admitti præparati, vt dicemus suo loco. Exclusis igitur radicibus omnibus, oleribus præter pauca condimenti gratia & medicinæ, quæ sunt crithmon, menta, sandix, cerefolium, absinthium & petro salinum: cichorea quoque, quòd ventriculo & iecori conueniat. Item reiectis omnibus fructibus præterquàm passis viuis, pistaciis, & pulmentarijs ex amygdalis: excluso quoque caseo, & lacte, & piscibus omnibus præter saxatiles, quorum vsus rarus esse debet: ostreis quoque, & his quæ crustâ teguntur: tum ranis, cochleis, relinquitur angusta rerum, quæ conueniunt, descriptio. Palàm autem est, quòd cibi omnes veri vno sunt sapore præditi, scilicet pingui, aut leuiter dulci, ex quo sequitur, quod mel & saccharum cibi causa non conueniant: quoniam neque sunt pinguis saporis, neque etiam parum dulcis: quare parum nutriunt secundum Galenum. Reliquum est igitur, vt cibi puri sint, carnes & vitelli ouorum & panis: & quia, vt dictum est, oportet vt cibi omnes habeant vim medicamenti, ideo incipiendo à pane, dico quòd panis (vt ad præparationem deueniam) ita faciendus est. Accipe farinæ tritici partes duas, farinæ zeæ seu speltæ partes tres: cribato, pinsito cum aquâ decoctionis cubebarum, & maceris, admixto modico vini albi, inde adde grana fœniculi, & confice panem bene fermentatum & spongiosum, & bene coctum. Ex carnibus optimæ sunt auium exercitatarum: & ideo nulla est melior carne perdicis, quia

quia phasianus parum se exercet. Reliquæ verò aues aut sunt aquaticæ, aut paruæ, quæ parum afferunt nutrimenti. Pulli tamen cortis sunt post perdices & phasianos, & ex pullis meliores partes sunt alæ sine cute: scilicet pulpa. Nec vltra has tres aues, sunt aues bonæ, exceptis columbis: sed tamen omnes non aquaticæ possunt comedi, & maximè iuuenes & pingues. Columbi è turribus sunt optimi, quando nondum possunt volare. Sed est genus palumborum, quo nihil melius vocant Arabes Altaiugi: & generaliter sunt optimi, qui sunt admodum iuuenes. Ex carnibus autem pedestrium melior est hœdina & suilla: & arietis qui excesserit vnum annum. Verùm circa suillam ista tria obseruanda sunt, primum, quod sit masculi suis: secundum, quod non excesserit annum, vel parum: aliter enim fit valde dura eius caro. Tertium, quod sit educatus in nemoribus & agris, vbi se exercuerit. Debet autem eligi caro clunium absque cute & pinguedine. Post has carnes est caro vituli lactantis: caro quoque ericij vtilis est, & maximè magni. Dicebat Dioscor. Ericij caro confert tenibus & cachexiæ & hydropicis & elephantici. Caro quoque apri iuuenis confert & vtilis est, vt suilla caro: cuniculi (de lumbis loquor) etiam edi potest. Reliquæ non sunt vtiles. Solùm restat dicere de gallinagine, quæ licet vescatur pisciculis, quia tamen vescitur etiam vermibus & habet rostrum subtile, ideo cùm sit etiam suauis gustu edi potest. Caro pauonis est nimis dura. Caro galli paui multùm nutrit, & suauis est: tantò melior carne pauonis, quantò deterior carne pulli. Ideo comedi potest, si sit iuuenculus. Præterea ius testudinis & cochlearum etiam multum conuenit, sed longè magis testudinis: caro autem est nimis dura, præcipuè cochlearum. Carnem accipitris multi laudant, ego tamen non sum expertus. Caro bubonis auis est optima pro difficultate spirandi, scilicet alæ: & similiter pulmones vulpium recentes, si ipse sustineat edere, nec abominetur, nam hæc duo multùm poterunt illi conferre in longo vsu, & sanare ipsum. Cibi quoque omnes, qui ex farinâ constant, pessimi sunt, vt itria & similia. Farcimina quoque & carnes salitæ, istia lucanicæ, botelli, nihil horum ei conuenit. Ex oleribus præter cretanum marinum & mentam & reliquas dictas, conueniunt & cardui: nam confirmant ventriculum & vrinam cient, & appetentiam excitant, & humores dissecant. Ab asparagis tamen cauere oportet. Apium & petroselinum & herbam, quam vocant Alexandrinam, quæ est species apij probo. Ex fructibus vuæ passæ possunt edi, quia multiplicem habent vtilitatem: conferunt enim ventriculo, pulmoni, iecori: & in his eligendæ sunt pingues, recentes, dulces & tenui cortice, & mundæ. Et si quis vtatur succo earum absque cortice, melius erit. Pistaciorum verò vsus non debet esse simplex, sed olei tantùm. Vel hoc modo Contundantur pistacia optimè, inde cum duplo sacchari, vel etiam cum tantundem solùm, & portione maceris fiant offæ, & coquantur in furno leuis caliditatis, & vnam ex his poterit comedere in fine prandij, & hoc erit ei vtile: vesperi autem poterit vti oleo amygdalarum recenti. Huius autem causam superius docuimus, quando diximus quòd in die nimis celeriter cibus à ventriculo descendit, & in nocte nimis tardè, & cur. A cæteris oleribus & fructibus, præterquam malis granatis dulcibus tempore magnæ sitis, & ab omnibus radicibus caueat: licebit tamen quandoque edere quatuor aut sex cappares sale conditos. Confirmant enim ventriculum, vt Oribasius refert, mouent aluum, & vrinas detergunt, dissecant, aperiunt obstructiones: appetentiam cibi excitant, & flatum potius discutiunt quàm generent, cum sint è genere calidorum in tertio ordine. Ex piscibus si quando vti velit, truta mediocris mascula & è flumine lapidoso eligi debet, inde perca & alosa: sed capita vitare oportet, atque hæc de genere ciborum. Fercula sint, chondrum, panis coctus, panis infusus in iure, panicum, pulmentum e carnibus, pulmentum ex ouis, oriza mala, & cibus albus. De potu non est aliqua difficultas, quia oportet vt sit vinum medium inter flauum & album: clarum suaue, maturum, aliqualiter astringens: & odoratum omnia enim sunt iucunda & amica ventriculo. Etsi quis per duas horas ante aliquando infundat corticem citri: nam & ipse ventriculo vtilis est, sed tenuissimum, & medium inter siccum & viridem, erit vtile. Vel eius loco mentam vel pimpinellam. Licebit & quandoque imponere aliquid maceris. Licet etiam in fine cibi, non superbibendo, edere vnam oliuam Hispanicam. Aqua nulla conuenit. sed si modò necessaria est, incoquatur macer & cinamomum tenue in aquam, auro candenti quater aut quinquies chalybeatam. ℞. igitur aquæ ℥. XXXX. quæ dum feruet, auri frusta quatuor aut quinque magna & accensa in ea extinguantur, inde addantur cinamomi electi incisi tenuissime, sed non contriti ʒ. ß. maceris similiter ℥. ß. coquantur paululum, sed vehementer, & permittatur refrigerari. De quantitate autem cibi sit iuxta somnum, vt dixi, & appetentiam, & iuxta qualitatem ipsorum ciborum: nam de cibis mediocribus, aut quæ multum nutriunt, aut quæ sunt duræ concoctionis, minus comedere oportet. De mediocriter autem nutrientibus & optimi alimenti, aliquando plus comedi licet. Si comedit, vitella ouorum potest assumere tria, comedat etiam plus in vesperi quàm in mane propter causas dictas superius. Quia quod videatur concoxisse cibum vesperi, docuimus esse falsum, & hoc nisi longa obtinet consuetudo. De tempore oportet vt inter prandium & cœnam sint nouem horæ saltem. Prandeat secundâ horâ diei in hyeme, æstate tertiâ horâ diei, & post cœnam tardet per vnam horam antequàm eat dormitum: nec comedat: nisi bis in die, & cibos magis nutrientes vesperi. De præparatione ciborum, videtur oleum, secundum Dioscor. multùm conuenire: nam & omphacinum confert ventriculo.

Auicenna

Auicenna tamen & Isaac dicunt, quòd omnia olea labefactant ventriculum. Soluitur hæc difficultas ex Galeni verbis, cùm dixit, quòd olea astringentia conferunt & confirmant membra, sed reliqua relaxant. Oleum ergo omphacinum cùm sit astringens, ventriculo confert aliis rationibus & longè magis oleum pistaciorum: quo perpetuò in edulijs debet vti. Garum quoque in cibis vtile est, & in vsu fuit antiquis. Detergit enim atque astringit: & multo magis sal, quod etiam digerit. Verùm garum gustu iucundius est. Itaque moderatus vsus confert. Inter reliqua quæ pro condimentis conueniunt, est macer: quod quidem initium caliditatis tertij gradus attingit, quamuis alibi Galenus aliter sentiat. Sed de hoc de contradictionibus scripsimus. Mattiolus credit aliud esse macim, aliud macerem: neque Galenum vidit in libris de compositione secundum locos. Neque est adeò siccum, vt Galenus refert. Confert autem ventriculo multum, quia duplici substantiâ est hic cortex: Altera quidem parum frigida, & vehementer sicca: altera fermè temperata in humido, & vehementer calida: quo fit vt vehementer excalefaciat & exiccet, nec tamen extenuet & confirmet ventriculum, ac flatum discutiat. At tenuet autem ac dissecet, quoniam tenuium est valde partium: quo fit etiam vt ipsum solum & nux myrepsica nutriant inter optimè odorata. Nam neque piper neque cinamomum, nec gingiber, nec cardamomum, aut aliquid eiusmodi nutrit. Acetum in exigua quantitate admodum astringit, dissecat, appetentiam excitat: copiosum autem maximè nocet. Cætera pinguia aut omnino labefactant ventriculum, aut astringentibus sunt commiscenda, interque nihil melius rhu: sed recenti, nam & boni odoris particeps est planta eius. Acida quoque omnia vitanda sunt: vehementer enim ventriculum lædunt. Crocus non vacat astringente vi. Piper etiam quandoque, sed parcè: & non contusum, verùm vix confractum. Vt verò de præparatione generalius loquar, quinque sunt modi coquendi edulia: elixatio, assatio, super prunas, & in veru, iurulentum atque frixum. Elixata parum nutriunt, refrigerant, ideo vitanda omnino. Frixa quoque anhelitum cohibent, quoniam pingue cùm sine aqua concoquitur, aduritur illius tenuior pars: quamobrem anhelitum maximè lædit. Qua ratione & summa cutis assatorum in veru vel etiam super prunas suspecta est. Si quid verò crassius est, in intima parte non coquitur, quamobrem quæ assantur in veru, vbi exhilauerit pars aquea, continuò atque perpetuò vitulina pinguedine, aut gallinæ sunt aspergenda: nec pinguedo ipsa pura sit, sed aquæ immixta: sit autem flamma vehemens, vt celeriter excocta caro non siccetur nec aduratur, neque summa pars nec intima sit vsui. Decet etiam roris marini ramulos circunduci dum coquitur, at intus fœniculum includi cum passulis atque petrosilio, vitulináque pinguedine aquæ immixta: iuuat etiam non parum dum torretur, aquam frigidam superfundere, vt calor in intima se condens, coquat carnes, & teneriores reddat. Sit autem omne quod sic torretur, succulentum: eadem quoque fermè ratio esse debet eorum, quæ super cratem aut prunas assantur. Iurulenta autem optima sunt, in quibus parui pulli atque teneriores tum aues minores coqui possunt. Quæ verò in pastillis coquuntur, non omnino mala sunt, sed tamen inferiora cæteris iurulentis, si ipsi pastilli iurulenti, tum grati, tum salubres. His ergo admiscenda sunt, pinguedines, acida cerasa: sed non pruna, passæ vuæ, maximè nigræ, macer, crocus, petrosilium, menta, fœniculus, piperis aliquid. Quæcunque enim grata sunt, iuxta Hip. sententiam, etiam si paulo deteriora sint, melioribus quidem ' sed minus suauibus sunt præferenda. Cruda vero omnino vitare oportet, & vbi laridum adsit. Est etiam animaduersione dignum, quod ipse tantâ imbecillitate ventriculi, & etiam quia non mandit cibos, sed deuorat, deberet omnino abstinere à cibis siccis, & omnia quę edit liquefacta edere, imò potius bibere. Quaproter ei melius conferrent carnes optimè contusæ & spissæ. Et ego scio me hoc vnico præsidio iuuasse multùm Archiepiscopum vrbis. S. Andreæ. Vbi enim est summa imbecillitas ventriculi, & homo non mandit diligenter, meliora sunt contusa ex carnibus, quàm carnes ipsæ. In ouis autem melior præparatio est, vt cum cortice coquantur in aqua, aut sub cineribus & non sint dura, sed apala, vt vocat Galenus: & cum modico sale & pane edantur. Ipsa etenim multum sunt necessaria in hoc casu. De ordine autem dici solet, quod omnia liquida in fundo ventriculi, ego autem potius dicerem omnia bene nutrientia, atque hæc est rei veritas. Dico ergo, quòd in initio debet accipere parum contusi, velut essent ℥. iij. & sic vt illa sit basis totius prandij vel cœnæ potius: quia in cœna debet accipere plus, veluti ℥. iij. contusi spissi, & in prandio ℥. ij. & nolo reddere rationẽ, ne sim prolixior. Vnum est, quod nisi ita fecerit, ignoscat mihi ipse æger, vix poterit diu perdurare. Tres enim sunt columnæ vitæ suæ, exercitatio, somnus, & contusa, quia non manditur, & hoc quoad rationem victus, non loquor nunc de medicamentis, alius ordo est, vt non bibat nisi iuxta finem ipsius cœnæ & prandij: & in prandio colluat bene os ter & quater, antequàm bibat. Deinde bibat parum, in vespere autem bibat vsque ad decem vel vndecim vncias, in mane autem nisi ℥. iij. & ita hoc modo minus bibet, & sitim sedabit magis. Si etiam comedere velit res confirmantes ventriculum, si sint res frigidæ, assumendæ sunt post cibum: veluti citonia condita, quæ non vitupero, modò sint facta cum saccharo. Si verò sint calida, debent assumi ante cibum. Est etiam sciendum, quod oportet vt conetur mandere panem & duriora edulia diu, & non deuorare sicut facit: & ad hæc promutandâ consuetudine ego apponerem horologium dimidiæ horæ, quod tempus vellem consumere in ipsa comestione. Oportet etiam scire, quòd diuersitas ciborum magnam difficultatem in concoquendo

do ventriculo exhibet. Ideo vnico cibo vel duobus ad summum intelligo, tamen exceptis bellariis, vtpote offa, pistachina aut citonio, vel saccharo vel oliua, vel cum similibus vellem esse contentus. Quandoque verò licet vti ferculis, quæ locum nutriendi habent, & multorum ferculorum, quale est hoc: Capiantur germina petrosilij, & modicum absinthij, si placet, & tria lutea ouorum, & modicum casei florentini, quem vocant marzolinum (solus enim ille vacat lentore) & optmè mixta cum malua aut beta, fiat ferculum vel solutum, vel in modum offarum cum macere & modico gingiberis, & coquantur in iure pingui, & bene. Hoc enim ferculum est gratum ventriculo: non admisceo saccharum iuxta dictum Auicennæ: & scias quòd res dulces ad faciendam oppilationem, sunt veloces. Et Paulus: Res dulces inflammant iecur, ideo caueat ab omnibus dulcibus præterquam vuis passis. De numero assumendi cibum, constat quòd non plus quàm bis oportet comedere in die: sed si fieret debilior, tunc oportet assumere ter, & in minori quantitate. Et si contingat quòd malè se habeat, nunquam tamen debet abstinere ex toto à cibo; in quo peccant multi, existimantes se optimè facere cùm eunt dormitum ieiuni: quia vt habetur à Galeno *tertio de Facultatibus naturalibus.* Ventriculi tunica interior nutritur ex cibo assumpto. Et ideo tantùm nutrimenti assumendum est ab habentibus ventriculum imbecillem, etiam stante cruditate aliqua, quantū potest nutriri ventriculus, vt pote ventriculus si non sentiatur cruditas, sed sit grauatus ab alia dispositione, assumat vitellum oui: etsi sentiat cruditatem, assumat ℥.j. panis madefacti in iure pulli, modò cruditas sit citra pondus & nauseam. Illud etiam obseruandum, quod cùm vitellus oui sit viscidus & lentus, debet admisceri aliud quod dissecet: sitque temperatum: quale est modicum oxymelitis, sed longè melius parum offæ ex pistaciis, aut modicum herbæ, quem draconem vocamus: aut cretani ex aceto. Et scias quòd superius in ferculo illo admisi betam, quia aperit vehementer obstructiones iecoris, authoritate Oribasij.

Circa intentiones quæ ad medicinam attinent, ipsæ sunt attenuatio cum dissecatione, purgatio materiæ, & confirmatio membrorum, remouendo malam qualitatem. Prima intentio debet coniungi cum tertia, ita quod omnia quæ dissecant, & aperiunt, & extenuant, confortent etiam membra. Eiusmodi etiam debent esse temperata, quoniam calida nimis calefacerent iecur, & frigida nimis nocerent ventriculo: ergo debent esse temperata, vel propè declinantia potius ad calidum quàm ad frigidum, & ad siccum quàm ad humidum. Et hæc possunt esse trifariam, vel talia simpliciter, velut chamemelon, & stechas, & acetum: vel quia sint composita ex contrariis, & fermentata, sicut sirupus acetosus de duabus radicibus, & oxymel compositum, & amygdalæ sunt inter simplicia eiusmodi: vel quia sint composita ex simplicibus contrariis non fermentatis, velut si quis succum limonij aut arantij misceat cum scilia. Deueniendo ergo ad ea quæ maximè conueniunt in hoc casu, dico quòd si quis admittat illud quod dicit Galenus & Auicenna, scilicet quòd membra trahunt medicamenta sibi contraria & opportuna, melius esset vti medicamentis simplicibus nuper inuicem mixtis, quàm quæ iam fermentescat, atque verè compositis: quamuis alibi de hoc disputauerimus. Dico etiam, quòd propter dictum Galeni *in libro de Prognostico ad Posthumum*, vbi negat esse danda medicamenta principibus quæ non sint tutissima, quod talia non sunt danda, quia prius imprimunt aliquid quàm trahantur à membro indigente, ideo nocent. Quamobrem oportet vt non sint vehementer talia: aut si sint, vt prius fermentescant. Oportet autem obseruare duo; primum, vt sint odorata: quia omnia odorata conferunt ventriculo, & omnibus membris principalibus. Secundum, quòd non sint diluta multùm, quia talia generant flatum, & augent materiam ascitis: etiam licet sint calida virtute & sicca, habent necessariò partem frigidam & hæc etiam causa quare Ascitici perpetuò & vehementer sitiant: & tamen morbus est frigidus & humidus: & fit à frigida intemperie iecoris vt plurimum. Nam cùm aqua illa præter naturam ibi contenta, tum quia ibi retinetur absque motu, tum ob calorem putrescat & corrumpatur, & ideo fit calida & sicca. Hoc enim declaratum est à nobis *in libris de Subtilitate*, quòd omne putridum, in quo non est facta separatio partium, necessariò est igneum, & ideo vapores ascendentes faciunt sitim adurendo humidum roridum, & exiccando quod est in ore ventriculi. Est etiam alia causa, quia humor est corruptus in venis, ex quo non potest generari humidum roridum. Reuertendo ad propositum, dico quòd præparantia erunt eiusmodi. R. oxymelis simplicis ℥. i. ß. succi arancij ʒ. iij. absinthij cuscutæ seu cassuthæ stechadis contritorum an. ℥. ß. maneant in balneo tepido mariæ per quatuor xoras, inde colentur diligenter, & exhibeantur. Aliud. Recipe oxymelis scilitici limonis ter colati ℥. ij. absinthij, nucis muscatæ, spicæ nardi an. ℥. ß. maneant in balneo, vt suprà, colentur & propinentur. Aliud. Recipe succi cichoreæ ℥. iij. absinthii, cuscutæ, spicæ nardi, asplenij an. ʒ. ß. ferueant, vt suprà, colentur bis aut ter, & propinentur. Aliud singulare. Recipe eupatorij, seminis altheæ, chamemeli, glycirizæ an. ʒ. i. coquantur in balneo matiæ leuissimo cum ℥. vj. iuris pulli, ita vt non bulliat: coletur & non comedat donec beneficium ventris aut copiosam vrinam habuerit: & deambulet quantum potest, antequam comedat. Aliud paratu facile. Recipe serapij de bisantiis vel de eupatorio vel de absinthio, si ventriculus multùm laboret. ℥. j. specierum diacucurmæ ℈. iiij. misce, & capiat in forma boli hoc modo: Addatur speciebus tantum ex illo sirupo, vt reducatur in formam boli, inde bibat reliquum sirupi cum modico iuris. Aliud vltimum in hoc casu. Recipe centaureæ, trissaginis, seminum petrosilij, radicum capparis an. ʒ. j. ponantur in balneo tepido in ℥. ij. succi fœniculi, coletur vt suprà.

Quòd

Quòd ſi velit præſentem vtilitatem , imponantur hæc quatuor dicta abſque ſucco fœniculi in ℥. ij. aquæ ardentis factæ , vt infrà cum ℥. ß. ſacchari roſacei neapolitani,& habebit medicamentum vltimum in ſecuritate, in iuuamento , celeritate operationis,& ſatis ſuaue , & maximè ſi ſubducatur centaurium. Ex compoſitis autem oxyacantha,paſtillus eſt vltimum : reſoluit flatum tympanitidis , confirmat ventriculum , aperit obſtructiones iecoris & lienis. R. ſucci liquiritiæ, oxyacanthæ roſarum , ſeminum cucumeris an. ʒ. iij. maſtiches ſpicæ,eupatorij an. ʒ j. rhapontici veri , vel rhabarbari , croci an. ʒ. j. ſeminis endiuiæ,caſſuræ an. ʒ. iij. ſpodij ℈. ß. terito ſubtiliſſimè , leuigato , & cum manna confice paſtillos. Laudantur & paſtilli ex abſinthio & dialacca. Paſtilli quoque berberis , Sopirium antidotum ac talia , & hæc de præparatione. Fuit etiam laudatus ſyrupus acetoſus diarrhodon,& ſpecies diarrhodon & aromatici roſati vtriuſque deſcriptionis. Sunt & ſpecies aromatici nardini optimæ.

Quod ad euacuationem autem attinet,antequam ad eam deueniamus , ſcire oportet an materia ſit præparata: quod quidem difficillimum eſt ob turbulentiam vrinæ , & ideò cùm oporteat,vt ſcimus in caſu Hippocratis, concocta medicari atque mouere, non cruda, modò non turgeant, ſequitur,vt non parum periculoſa ſit purgatio. Eſt etiam alia ratio, quia Princeps dicebat in *capite de cacheſia*: Oportet vt conſideres , ne ventriculus illorum lædatur à ſolutiuis , & ideo oportet vt ponas in medicamentis eorum quæ confirmant ventriculum , velut lignum aloes crudum. Item , quia *in capite de cura tympanitis inquit* , *Et non ſit multiplicatio ſolutiuorum , etſi cauſa hydropis fuerit , debilitas ventriculi confortetur ventriculus* : quaſi velit innuere, quòd in hoc genere hydropis raro vel nunquàm conueniat euacuatio. Maius eſt quod Ætius *libro decimo* , tractans curam , ne vnum quidem medicamentum in hoc genere morbi ſcripſit , ſed ſolis epithematibus contentus eſſe videtur. Quod etiam Alexander longo proceſſu curam exordiens , *in tertio libro* obſeruare videtur: nam nullius medicamenti purgantis meminit , ſed ſolis etiam contentus epitematibus, & ratione victus. Paulus tamen vult, vt aqua in tympanitide expurgetur , & eo magis in aſciti : ob id concludo , quòd ratione tympanitis cauere oporteat maximè medicamenta purgantia. Et ego verè obſeruaui plures tympaniticos , & vidi quòd ex aſſumptione medicamentorum lædebantur : nec vllum vſque nunc purgationibus conſuetis iuuari vidi , & multo minus ſanari , niſi ſemel ex medicamento valido , quod non deſcribo. Et ratio eſt etiam clara,quia ventriculum horum patientium , admodum extenuatus & tenuis vt charta : quòd ex diſſectione apparet. Eſt etiam aliud obſeruatione dignũ,ſcilicet quòd Auicenna *in capite de Aſcite* inquit : *Et aloes ſolum eſt malum valde epati*,quare oportet vt abſtineat ab illo,niſi propter neceſſitatem,aut cùm fuerit bene correctum & ideo propter tot difficultates non cautè,ſed cautiſſimè purgandus eſt , cùm damna purgationis ſint manifeſta & præſentia, vtilitates autem obſcuræ & incertæ , & ambiguum tempus atque occaſio. Quia tamen ipſe non vtitur exercitatione , quod optimum cenſetur ab Auicenna : dicit enim loco ſuprà adducto, *Illud quo melius curantur , eſt exercitium temperatum.* Et alij celebres authores dixerunt, quoſdam ſanatos ſola vectatione. Ideo neceſſarium eſt vt purgetur , non tanquam adepturus magnam vtilitatem ex hoc,ſed potius ob neceſſitatem. Oportet autem obſeruare canonem Auicennæ, vt purgatio ſit leuis & frequens potius , quàm valida & rara. Item oportet vt ſit triplex , per aluum & per vrinas & flatus , vt omnes autores concordant : & non oportet tamen vt vtamur vehementer prouocantibus vrinam. Rurſus clyſteria in hoc caſu multùm laudantur pluſquam medicamenta , propter propinquitatem & epithemata:in aſcite dico,& principio etiam tympanitis. Nam tympanites confirmata ſæpius prohibet clyſteria. Ex quo ſequitur , quòd cùm ipſe ſit priuatus vtilitate epithematũ,quia vix poteſt ea ferre propter ſpirandi difficultatem , ideo priuatus eſt magna parte commodi. Ego tamen deſcribam illa ſi vellet tolerare. Super omnia verò habeamus occaſionem purgandi , cùm ex vrinis neque excrementis alui non poſſimus illam deprehendere. Ideo dico , quòd tribus ſignis aliis concocta materia à cruda dignoſcitur , præparatáque à non præparatâ , primum eſt , quòd corpus non adeò læditur ſicut antea. Atque hoc colligitur ſecundâ Aphoriſmorum in comento illius Aphoriſmi , *Cùm morbi inchoant, ſi quid mouendum videtur , moue : cùm verò conſiſtunt ac vigent , melius eſt quietem habere.* dicebat ibi Galenus , *In ſtatus ſalubris morbi tempore , cùm materia concocta ſit , omnia ſyptomata remittuntur.* Contigit ergo ſi adſit febris , remiſſio illius : ſin autem non corpus ſentit quandam titillationem , quemadmodum patiuntur qui Veneris deſiderio abſque alio incommodo detinentur. Sentiunt enim grauitatem atque moleſtiam leuem cum caſu nonnunquam appetitus , viribus tamen valentibus & corpore vegeto. Atque inter cætera hoc maximum ſignum eſt coctionis & præparationis materiæ , ſomni tranquillitas atque prolixitas. Secundum ſignum colligitur à Galeno *tertio de Præſagio ex pulſibus* dum agit de temporibus febris : & eſt , quòd contractio redditur tarda in pulſu cum aliqua velocitate in diſtenſione.Oſtendo modò quod ita ſit, nam ſi materia eſt concocta & præparata , non eleuantur fumi praui : & ideo tardior redditur cōtractio, intellige in febribus, in aliis verò tarditatẽ quidem contractionis, imò & raritatem quandam , *vt ſecundo de Præſagio ex pulſibus.* Velocior quidem cùm ſit extenſio , ac longior quies,quæ antecedit contractionem tum etiam ob ipſius contractionis tarditatem rarior videtur : ſed & quæ ſequitur contractionem , mediocris erit. Cum verò rara ſit contractio,frequens autem ſit extenſio , fit vt pulſatio moderata

tota sit. Itaque vbi non adsit febris, contractio tamen atque distentio velociores iusto erunt, & præcipuè contractio, & frequentiores quàm in sanitate: tardiores verò, & maximè contractio, atque rariores quàm ante concoctionem & præparationem. Rursus cùm plenitudo ipsa inæquales soleat facere pulsus, & paruos, atque ob id crebriores: cùm materia ipsa melior facta fuerit, minus naturam prægrauabit: erunt igitur pulsus fermè æquales & maiores, & ob id etiam minus crebri. Tertium signum est mutatio ipsius vrinæ, quam probat Hipp. nisi ad mala mutatio fiat, & similiter in excrementis alui, & quædam voluntas euomendi, atque satietas. Licebit & vrinas diu permittere in vrceis: quanquam enim non rectè sedimentum secernant, tamen melius vna die quàm altera, & maximè post longam quietem. Pars enim grauior, vbi pinguedinis portio tenuior ob præparationem absumpta fuerit, aut saltem separata ab elemento terreo, facit vt quod terreum sit, descendat ad imum: quod & experimento succedit. Tametsi enim neque exacta concoctio nec præparatio ostendi possit, apparent tamen indicia mediocris atque melioris coctionis. Ea verò quamuis in vrinis solùm mediocris videatur, nihilominus etiam absoluta esse poterit. Quamobrem licebit tum vtiliter expurgare, & maximè cum leuibus atque innoxiis medicamentis, vt dictum est. Licebit etiam & coniectura id assequi, cùm post longas præparationes serapiorum nulla facta est excretio: & post frequentes mutationes vrinarum iam amplius nulla fit mutatio, sed in eodem statu manent. Licet enim ex his coniectari, materiam esse præparatam atque concoctam. Vt verò omnia vno verbo complectar, postquàm non licet exactè concoctionis signa ex vrinis deprehendere, eas obseruabimus cùm copiosius excernuntur, cum aliquo modo quod continetur, cùm post diem vnam pars crassior secedit ad fundum, idque crassius est quàm antea: vrina verò & clarior & minus colorata, cùm pulsus sunt meliores atque pacatiores, cùm somni sunt longiores atque tranquilliores, cùm ipse vegetior ac lætior fuerit: cùm quandam senserit leuem nauseam, veruntamen sine grauitate in ventriculo: cùm venter fuerit mollior. Obseruare etiam debemus, postquàm illud verum est quod dicebat Galenus *decimo Artis curatiuæ*, dum de tabificis agit in morbis maximis: Quælibet noxæ, quantumuis minimæ, exitiales sunt, quod in hoc casu maximè verum est: vt temporis constitutio sit mollis, temperata absque ventis, potius pluuiosa, quàm valde sicca. Sitque luna ab omnibus solis radiis noxiis immunis, scilicet quadratis & oppositis: libera quoque ab aspectu maleficarum, absit solstitium & æquinoctium: non fit etiam in coniunctione Iouis neque Veneris, sed in quadrato vel in opposito, vel trigono vel sextil. Signa autem optima sunt, atque in quibus Luna debet constitui, Cancer: deinde Libra, deinde Pisces. deinde Gemini. Pessima sunt Leo & Scorpio. Aries Taurus sunt bona signa, nisi quòd vomitum faciunt:. sicut & Capricornus. Aquarius quoque malum est signum, quia medicinæ parum operantur, licet sit tutum & minimè concitans vomitum. Virgo & Sagittarius non sunt valde mala, nec tamen bona. Atque hæc de occasione

His visis dico quòd per aluum purgationes duplices sunt: aliæ quidem, quæ parum trahunt à remotis: aliæ quæ multum. Quæ multum trahunt à remotis, non sunt idoneæ, quia trahunt ad locum debilem, & euacuant quod non est necessarium, & multùm debilitant, & multùm calefaciunt, vt Galenus *in primo Aphorismorum iuxta finem libri:* Medicamenta purgantia calida sunt, vt etiam declaratum est superius. Oportet ergo vt medicamenta trahant aquam, & non aliud, & hoc ratione materiæ coniunctæ: quia ratione materiæ aggregatæ propter superfluum ocium aliud est dicendum.

Sunt etiam multa medicaméta ex oleribus, quæ purgant iucundissimè, quorum vsus exoleuit propter pharmacopolas, velut asarum & cinocrambe, quæ soluit bilem, pituitã & aquã est autem mercuriali non absimilis, & marina brassica, quam vocamus soldanellam. Est etiã tripolium, cuius radix est in vsu pro turpeto: mutátque flos eius, vt dicunt, colorem ter in die. Centaurium quoque purgat bilem & crassos humores euacuat quoque vsque ad sanguinem. Deueniendum est ergo ad singularem illorum descriptionem.

℞. Soldanellæ recentis & viridis ℥. j. absinthij, asari añ. ʒ. ß. subtilissimè terantur, & cum sirupo de succo ebuli, & saccharo fiat bolus. Deinde si vult, mandat ℥. ij mannæ electæ calabrensis. Aliud medicamentum. Recipe soldanellæ, asari añ ℥. ſ. (electa semper intelliguntur) succi mercurialis ℥. iv. fermeant in balneo mariæ per horas quatuor: inde coletur, & ei addantur corticis cinamomi interioris ℈. j. dissoluantur in eo mannæ electæ calabrensis ℥. j. ſ. bibat & non edat post quinque horas. Libet etiam pro tertio medicameneo medicamentum Auicennæ ex Galeno, quo curauit senem amicum suum asciticum ex causa calida describere: & quamuis possit legi in ipso codice, quia tamen vix potest intelligi & est barbara satis elocutio, describam illud commodius. Inquit ergo: Curaui senem amicum meum Asciticum, ex causa calida cum viribus imbecillibus alui ipsum carnibus hœdi assati, & carnibus minutim incisis ex auibus, maximè perdicibus & pane, cui furfur permixtum erat, & lentibus cum aceto. Ita tamé vt abstineret omnino à iuribus, nisi quod in die in quo dabam medicamentum permittebam vt vteretur iure carnis elixatę in aqua cum aceto & melle cum cumino. Nam aceto maximè corrigitur noxa medicamentorum conuenientium asciti, & maximé calidæ: & permittebam etiam vt comederet carnes cum aceto mediocri. Purgabam autem hoc medicamento. ℞ mirabolanorum citrinorum ℥. vij. fumiteræ ʒ. iv. absinthii eupatorij seminis, endiuiæ rosarum speciæ nardi an ʒ. ij. endiuiæ viridis pugillum vnum; coquantur in ℔. iij. aquæ ad consumptionem tertiæ partis. Sed ego credo quòd dicere velit duarum tertiarum: & postquàm

excolaui

excolaui ipsum, addidi ʒ. x. sacchari, & dedi in potu. Dedi etiam catapotia ex lacte esulæ cum sacchato, vel cum carne ficuum Inde dabam serapium ex omphacio & ribes. Epithemata quoque ex luto armento cum aceto & aqua applicabam super ventrem, vel ex farina hordei & milij, & stercore vaccino atque caprino, & cineribus quercus & vitis & nitro atque sulphure. Quãdoque verò faciebam emplastrum ex condilr seu radicula vel herba lunaria, quæ struthion vocatur à Græcis & chimelia: super iecur verò imponebam infrigidantia epithemata, & maximè ex santalis. Quandoque etiam purgaui ipsum cum sirupo rosaceo, in quo thimeleam iam infuderam, & concessi ei vsum sacchari & ficuum siccarum & amygdalarum: & pręcepi ei ferre sitim: sed cùm non poterat, dabam acetum cum aqua commixtum, & quandoque exhibebam folia thimeleæ cum lacte ficuum, & dabam ante cibum & post cibũ & nunquam dimisi eũ aliquo die, quin ipsum purgauerim. Hoc autem quod dixerit se dedisse medicamentum tam validum post cibum, quibusdam videbitur absurdum, aliis admirabile, mihi verò non ita, qui sciam Augustinum Tornarium, virum nobilem aliquando curatum ab hydrope solo potu decoctionis radicum ginestæ, vel aqua destillata ex illa, sumebátque eam ante cibum cum cibo, & post cibum, & sanatus est perfectè. Morbi enim validi non curantur cassia nigra aut rhabarbari exigua sumptione in quindecim diebus semel. Vt enim timerarij medici est in morbis tutis validibus vti præsidiis, atque periculosis, ita imperitissimi est, quos alia via sanare posse non speramus, non audere quod præceptum Galeni est *decimo Artis curatiuæ*, dum de tabificis loquitur, & dictum Hippocratis: *Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt*, intelligitur non solùm de morbis extremis in magnitudine, sed in genere, cuiusmodi est hydrops. Qui enim vtroque modo sunt extremi, sunt prorsus insanabiles. Sed hæc non conueniunt, quia non sumus in vera ascite: adduximus tamen hoc exemplum Galeni, quia multa sunt quæ nostro proposito conueniunt, velut soluere ventrem quotidie, emplastrum ex santalis, & potio illa, vt ita dicam, benedicta: & ferre sitim, & non vti iuribus. Quartum medicamentum salutare, & periculo vacans.

Recipe lactis caprini nigrarum caprarum vncias centum, lactis ficulnei pondus aurei dimidij, misceantur & tepefiant, ita vt lac coaguletur celeriter: inde accepta aqua, bulliant perpetuò despumando, donec perueniat ad ℥. x. inde sumantur asari ʒ. ij. agarici optimi mundi ʒ. j. rhabarbari electi ʒ. ß. infundantur per noctem, inde ferueant cum ℈. ß. ainsi, & coletur ita, vt remaneant ℥. vj. vel parũ plus, & hoc est medicamentum optimũ non solùm ad hydropem, sed etiam ad difficultatem spirandi. Cui etiam conferunt reliqua supra scripta, etsi inueniretur lac camelarum, posset fieri medicamentum ex eo: imò ipsum lac solum sufficeret. Medicamentum aliud ex Auicenna, & est mirabile: Accipe capram, & eam nutrias abrotono & timelea & abstrahio odorato, & soldanella & cichorio & asaro, & cassutha & endiuia, & si homo vtatur hoc lacte tantùm, & pane absque alio medicamento, sanabitur, dico ab ascite, quæ est fundamentum tympanitis. Iuuat etiam distillare vrinam capiarum per balneum mariæ, & purgat maximè cum manna. Veruntamen quia lac est flatuosum, & non oportet diu persistere in illo, sicut neque in clysteribus, quoniam ista magis conueniunt asciti, sicut etiam ea quæ prouocant vrinam. Dicebat etiam Auicenna: Oportet vt in tympanitide euacuetur humor humidus, si pendet ex ea, & vtamur aspersione atque incisione, sicut in ascite. Vtemur autem prouocantibus vrinam, & refrigerantibus simul, quale est istud. ℞. succi cicoreæ purgati ℥ ij. spicæ nardi ʒ. ß. erithrodani ʒ. j. læuigata dentur in potu. Aliud melius. ℞. succi cassuthæ purgati ℥. j. ß. trochiscorum ad incipientem hydropisim Auicennæ in antidotario. ʒ. ß. summantur septem diebus continui. Descriptio alia medicamenti boni.

Recipe aquæ vitæ primò destillatæ ex vino albo odorato libras ij. asari, assuthæ, absinthij viridum an ℥ x. aloes epatici abluti cum succo rosarum ℥ ij. misce, & concluso vase optimè sepelies per septem dies in fimo equino, postmodum destillabis per balneum mariæ cum luto sapientiæ, donec remaneant feces siccissimæ: in hanc aquam immittantur sacchari rosacei solutiui, quantum est quarta pars aquæ, & concludatur vas optimè, & maneat per vigintiquatuor horas in balneo mariæ tepido, & capiat de hac ʒ. ij. singulo mane donec sanetur. Purgat enim quotidie, & restaurat ventriculum & iecur, & est suaue valde, & boni odoris: & aperit obstructiones omnium viscerum, sed oporteret facere saltem decem libras ex eiusmodi medicamento. Post hæc deueniendum ad ea quæ resoluunt flatum, & ex suppositoriis est illud Auicennæ, quod constat rutâ, nitro & cumino, melle excepto. Emplastrum Alexandri ad hoc: ℞. Aluminis, nitri, sulphuris viui, thuris arassioris, resinæ frixæ an. ℥. iij. picis aridæ naualis, ceræ nouæ an. ℥. vj. olei veteris ʒ. iiij. aceti quantum satis ad dissoluenda medicamenta. Hoc ceratum dissoluit flatum & omnes internas affectiones. Est etiam longè eo melius ceratum persarum de lapidibus descriptione Ætij, sed difficulter conficitur. Frictio quoque ventris cum succo allij dissoluit flatum: tamen nimis calefacit, & fœtida est, & caput petit. Subscribenda sunt autem medicamenta ex Ætio. Primum est ex cochleis cum cortice: quod quidem non separatur, nisi penitus absumptâ aquâ. Ex simplicibus sunt lathirys, tertium stercus caprinum, quartum est squamma æris. Hæc tria tamen velut & cucumer agninus non multũ in hoc casu conuenire existimo. Tum quia Asciticis magis conueniunt, tum quia validiora quàm pro morbi magnitudine & nobilitate personæ. Ad tympanitem autem magis, quod constat ex pane cumino & pyretro, amaraco & struthio. Sunt qui admodum laudent stercus aquilæ: ego scio efficax esse medicamentum: an

an tutum sit nescio, neque an ad vnguem conueniat tympaniti. Quæ verò ad tympanitidem magis faciunt, sunt thus, dragachātum & libanotis cum melle. Sunt etiam potiones quædam temperatæ, velut ex carne cancrorum exiccatorum, & iuncus odoratus, & lauer & phu, quòd est valeriana, & polium & amaracum & calamintha & myurus, & nitrum exterius, interius autem: exterius etiam alumen, & aquæ calidæ & smyrnium, & vmbilici Veneris radix & solanum hortense & granum cnidium. Compositio vrinam ciens.

℞. seminis fœniculi, cardamoni, radicis eryngij, corticis radicis capparis cuiusque ʒ.j. stercoris columbini cochlearia duo, contere & confice cum aqua catapotia ciceris magnitudine, & quinque ex eis quotidie præbe. Potus hydropicis commodus, experimento constans, qui tum per vrinas tum per ventrē euacuat: carui ℈.xxvij. fœniculi ℈.xiiiß. alias vncias pro scrupulis anisi ℈. xiii. ſ. cumini lati ℈.v. mei sexquiscrupulum, iridis siliquas tres, mellis sesquilibram, vini ℔. vj. exhibe mensuram mediocrē ieiunis in insessu solij balnei præcalefactam, est & suaue gustui. Alius potus ciens vrinam, ex cuius vsu insignem virum tympanite detentum seruatum vidimus, etiamsi à multis medicis iam esset detritus: Ammoniaci thymiamatis sextantem, radicis herbæ lonchitidis sextantem, petroselini sexquiunciam, calami indici, costi, cinamomi spicæ nardi, piperis longi, myrræ stactes singulorum ℥.j. seminis rutæ quadrantem, phu. ʒ.iv. styracis ʒ.iv. phylli quadrantem, mellis despumati quantum sufficit; excipe melle, fabæ Ægyptiæ magnitudine, præbe cum calidæ aquæ cyathis tribus. Emplastrum nostrum, quo ego plures seruaui.

Recipe foliorum rutæ, ebuli añ lib.iij. excipe succum, & cum corticibus aranciorum contritis fiat emplastrum. Sacculus noster, quo aurificem quendam sanaui.

℞. stercoris caprini ℥. iv. erithrodani ℥. j. cumini, iunci odorati singulorum enim j. salis nitri purgati ℥. j. ſ. spongiæ minutim incisæ ℥. ij. omnia præter spongiam terantur, & sacculo indita perpetuò super ventrem teneantur.

Vbi verò saſſatus fuerit ex humore, expedit fasciis puluere thuris & libanotidis inspersis vincire ventrem, atque rationem victus obseruare. Et per interualla accipere aromaticum nardinum autoxyacantham, pastillum superius descriptum, in quibus pro singula libra adsit ℥. j. ſ. pulueris germinum ebuli virentium, & in furno exiccatorum. Vbi tympanitidis cura successerit, ad difficultatem spirandi nos conuertere decet, atque ea constat tribus auxiliis peculiaribus, ecclegmate, medicamentis, inunctionibus. Ecclegma simplex, sed perpetuò continendum in ore, est oleum pistaciorum, quod tota nocte debet teneri in ore. Aliud facilè. Zulapium ex capillo veneris, commisceatur croco, ita vt in singulis vnciis zulapij ʒ.ſ. orientalis croci sic misceatur, vt discrimen nullum appareat. Sunt & alia notissima ex scilla, pini nucleis, de caulibus, ex pulmone vulpis, sanum & expertum. Aliud.

℞. Sanguinis suilli recentis, carnis limaciarum añ ℔. j. pulmones vulpium numero iij. carnium bubonis ℥. viij. destillentur per balneum mariæ in vase vitreo, inde commixta aqua saccharo teneatur in ore, vt sensim descendat. Vtilis est etiam hæc aqua, si ex ea bibantur ℥. iij. cum ℥. iij. sacchari & granis vij. croci. Ecclegma nostrum suauissimum.

℞. Mellis virginei repugnati ℥.iij. mannæ electæ pinguis ac recentis ℥.ij. zulapij de capillo veneris ℥. j. auri puri folia numero xij. misce in mortario optimè, & de hoc teneat in ore. Mel sic repurgatur. Cape mel virgineum, & pone in vase vitreo: quando est liquidum, & singulis tribus diebus partem spumosam & sordidam aufer⁊to. De medicamentis est aqua suprascripta hoc modo (post quadraginta dies, quibus vtetur medicamento infrascripto) capiet alternis diebus ℥.iij. cum ʒ. ij. sacchari: immisces & puluerem hunc.

℞. Sanguinis bubonis siccati, pulmonis vulpis sicci añ. ℈. j. croci grana v. terantur subtilissimè, capiat cum dicta aqua tardendo cibum quinque horis. Medicamentum quadraginta dierum, cuius suprà meminimus.

℞. Aquæ Padi fluminis ℔. XXX. coquantur donec redeant ad XV. in illis XV. ℔. aquæ imponantur cicerum rubeorum ℥. vj sinapis in linteolo ligatæ ʒ. ij. permittantur per horas xxiiij. in cubiculo calido, inde abiecta sinapi coquantur in eadem aqua, donec aqua redeat fermè ad lb. j. pòst coletur exprimendo ciceres per linteum tamen spissum, & de hoc capiat ab ℥.vj. vsque ad viii. cum ℈. i. croci, continendo per dies XXXX. & nunquam interim exponat se frigori, nec comedat vsque ad sex horas. Et manifestū, quòd hoc decoctum satisfaciet ei pro duabus vicibus Caueat etiam ne assumat illud, dum sentit cruditatem in ventriculo. Exterius applicanda sunt hæc. ℞. butyri recentis ℥ ij. olei amygdalini tantundem, succi corticum aranciorum, qui prouenit expresso cortice leuiter & sine contusione grana vij. misce, & inungatur dorsum & pectus, & maximè inter quintam & septimam costam, vbi pulmo tangit pectus. Aliud melius. Destilletur butyrum per balneum mariæ, & misceatur cum oleo amygdalarum, & succo illo & ℥.j. aquæ vitæ septem coctionum, & inungatur vt suprà. Quòd si per hæc auxilia non iuuaretur, deueniendum est ad exhibitionem aquæ thermarum, aut decocti ligni indici, in quo obseruare oporteret ne assumat corticem in hac causa, quia difficultatem spirandi facit: vnde sequitur, quod aquâ non vino vti oportet. Quidam tamen è collegis, vir clarissimus, dicit se obseruasse corticis vsum etiam innoxium patientibus difficultatem spirandi: quod si ita est (malo enim illi credere quam mihi) & cortex & vinum posset exhiberi. Dictum tamen est per alium collegam clarissimum, quòd bonum est ab initio subsistere ab exhibitione vini, & videre an superfluo calore afficiatur à potu aquæ. Mense ergo Maij, si alia non profecerint, sumat hoc decoctum ab initio mensis.

℞. Ligni

℞. Ligni Indi bene olentis & acris gustus,& tenuiter derasi ℔. i. cubebarum ʒ. vi. labruscæ viridis m. i. infundatur lignum in aquæ ℔.XV.per viginti quatuor horas,inde coquantur ad consumptionem quartæ partis; pòst addantur cubebæ confractæ & labrusca, & permittatur decoqui ad consumptionem alterius quartæ partis, deinde coletur,& de hoc bibat ℥.vi. mane: & si potest sudare,sudet.Primis quinque dieb. astbineat ab omni cibo, sed sit contentus pane leuissimo suprascripto & vuis passis:& si non potest ferre inediam per quinque dies, ferat saltem per tres.Bibat etiam cum cibo de hac aqua vsque ad triginta dies saltem, & nihil aliud, nisi quòd singulis tribus diebus aut quatuor bibat ℥. v. vini flaui subdulcis odorati, & hoc si ventriculus videatur illi debilis,vel vehementi desiderio vini teneatur:interdiu non bibat aquam, nec aliud: neque enim multum sitiet ob labruscam,nec se exponat aëri, nisi tranquillo,sereno, calido, & ante prandium, vel ante cœnam. Aqua deberet fieri singulo die: & ideo pro medietate tantum, vel ad summum alternis diebus. Post illos quinque dies, vel post tres, si non potuerit tolerare in mane hora duodecima comedat solùm panem & passulas,vt dictum est est:in vesperi autem hora XXII.edat per diem aut pullum, aut columbum syluestrem iuuenem, aut duas aues paruas, quales sunt turdi,merulæ,aut galinaginem: aut gauiam auem,quam nos vocamus pauonculum cum vuis passis etiam. Antequam verò assumat hoc decoctum, purgetur cum manna, & his quæ superius dicta sunt. Et hæc est opinio nostra de potu aquæ ligni. Clarissimi collegæ addiderunt super hæc in decocto absinthium,cichorium, asplenium, eupatorium, passulas:quæ omnia cum santalis, quæ à nobis commemorata sunt,maximè conueniunt, vt nihil melius: verùm adeò ingratam reddent potionem, vt vix eam perferre possit. Si tamen perferat, erit admodum vtilis: & ego eam maximè laudo. De aquis autem thermarum, quia tempus exhibendi longius abest,dicere supersedeo.

Quòd si nec ex his soluatur morbus, vtpote contumacissimus,fontes fiant sub genu in vtroque crure. Fontes enim hi trahunt materiam ex profundo, quamuis videantur ignoti fuisse antiquis: nec scio aliquem authorem Græcum aut Latinum,aut Arabem, qui de hoc tractauerint. Propter hoc existimo opportunum esse, vt hoc loco hanc Doctrinam breuissimè expediam. Omnis dolor fit circa mediocritatem,& non fit ex mediocritate, vt ex temperamento, id est, quod illud quòd debet facere dolorem, oportet vt generet intemperiem & generet in mediocri tempore: quia si nimis celeriter aut tardè, dolor non fit,aut valde exiguus, ergo si fiat escharoticum,quod celerrimè operetur: vel tardissimè nullum faciet dolorem, aut valde exiguum. Et ideo describam duo genera escharoticorum, quorum vnum operatur in vigintiquatuor horis, & nullum facit dolorem propter tarditatem.

℞. Calcis viuæ,saponis Gallici an.partes æquales:misce & supponatur. Appello saponem Gallicum, saponem nigrum, seu tenerum.Alterum propter celeritatem minimum affert dolorem, cuius descriptio est.

℞.Capitelli ℔.ij. calcis viuæ ℔.ß. cineris roboris ℥. iij. His contritis superfundatur aqua, & post horam educatur, & statim superponatur alteri calci viuæ & cineribus,& rursus excipiatur: pòst superponatur tertiò alteri calci viuæ & cineribus,quibus addantur chalcanthi contriti ℥.i.ß. & post horam tollatur:vltimò superponatur tantundem calcis viuæ cineris & chalcanthi, & addantur æruginis in puluerem redacti ℥. ß. & post horam excipe aquam, & eam coge lento igne, & proiiciatur super lapidem marmoreum, & ita cogetur & conseruetur in vase vitreo in loco sicco. Modus operandi talis est. Accipe ceratum diachilon simplex, & extende super corium rotundum, & in medio eius fac foramen rotundum quantitate grani milij Indici, seu melegæ & superpone ceratum loco: deinde madefacito è directo foraminis cum saliua:deinde superposito escharoticum,& super escharoticum superponatur ceratum aliud diachilon simplex,& ligetur locus, & nullo modo moueatur, nam in motu magnum est detrimentum,& maius periculum. Melius autem fit cum ferro: & ideo dicebat Rinaldus de Villanoua in parabolis:meticulosos tantummodo conuenit vti medicinis. Quoad locum dicebat idem ibid. quæ sunt educenda per escarotica medicamenta inter musculum & musculum prope locum,& prope venam magnam: quæ à loco ipso deriuetur, facto sinu,sunt educenda. Ex quo patet, quòd tres conditiones debet habere talis sinus, quod sit inter musculum & musculum,ne lædatur motus:& vt melius materia colligatur, quod sit è directo loci patientis,iuxta doctrinam Galeni [illegible], & hoc est melius quàm prope: quòd sit prope vas magnum,veniens è loco. Addo duas alias conditiones,quòd non sit nimis profundum, ne transeat in vlcus chironium, & ne sit in loco obnoxio motui, ne ex quacunque causa proriretur à motu. Fiat ergo sub genu per quatuor digitos in parte domesticâ, si nolit equitare: in syluestri, si velit. Vtrum verò propè an procul, dico(non in hoc casu tantùm,sed in omnibus aliis, quia de hoc auxilio nullibi tractauimus, nisi hic, vt faciamus perfectam doctrinam) quod statuendus est sinus prope locum affectum, si materia sit pauca: & procul,si sit multa, dummodo tamen in medio non sit membrum principale, super quod vas illud transeat quod deriuetur ad locum. De vtilitate dicebat Rinaldus loco supradicto, materia quæ non potest deduci per naturales locos vllis medicinæ instrumentis, prope locum per sinus est educenda. Et est sumptum ab Auicenna *quarta quarti*, vbi agit de vlcerib. Natura expellit (inquit) ad vlcera residuum superfluorũ, quæ in morbis generantur. Et ita patet quantũ inutilitatis in hoc casu fontes afferre possint. Custodia verò talis esse debet excidente eschara, quod fit plerunque iuxta septimam diem: imponatur cicer cum acie infrà, & ligetur ita quòd perforet sensim carnem sine dolore tamen, quod contingit propter corruptio-

M 3 nem

nem eius : vbi verò caro perforata fuerit, quod contingit post vnam diem, plerumque imponatur sphærula ex cæra alba, & ligetur sic, vt comprimat carnem sine dolore tamen, interponendo lanam aut cotum inter vinculum & sphærulam. Quòd si locus inflammetur, inungatur iugutca oleo rosaceo omphacino. Sin autem consolidetur nobis inuitis, fiat puluis ille descriptus in libris de Subtilitate, ad carnem narium, & in collo vesicæ exedendam, & imponatur sub pila: quia longè melius est præcipitato, à quo omnino cauendum est, quia offendit respirationem. Et hæc de tertia intentione & auxilio fontium generaliter dicta sint. Deueniendo modò ad proprium casum, periculum est ne ex fontibus vlcera praua euadant, non solùm iuxta dicta Auicennæ, sed etiam Hipp. & ne materia vniuersim ad locum confluat, & crura inflentur. Sed tamen si purgato & siccato bene corpore hæc fiant, nullum imminet periculum. Tandem si nec per ista curetur morbus facta missione sanguinis, & iam sublata tympanite, & præpurgato diligentissimè corpore cum medicamentis etiam validis, vtpote cum catapotiis aggregatiuis, vel melius cum hiera, quæ excipit colocynthidam: dico autem hieram Galeni factam cum additione colocynthidæ, vel melius cum frequenti expurgatione medicamentorum superius descriptorum in tempore autumni, vel alio vere sequenti, adhibeat quartum genus curationis, quod exustione constat. Cuius cum locuplex mentio fiat apud Ætium, & apud ipsum solum, placuit, ne, vt dici solet, bene dicta vertẽdo malè, vt rem faceret suam, ascribere ipsius authoris propria verba, quæ sunt: Iuxta medium commissuræ clauicularum vtrinque vna crusta inuratur, cum cautione tamen, admotis manibus: distenta cute, ne aspera arteria oblædatur. Deinde aliæ duæ paruæ iuxta carotidas colli arterias, infligendæ paululum sub mento vtrinque vna, incumbentis cutis tantum perustione facta. Infligendæ autem adhuc aliæ duæ sub mamillas inter tertiam ac quartam costam, rursumque aliæ duæ retrorsum versus inter quintam ac sextam costam. In medio etiam pectore vnam inurere oportet, & iuxta principium ossis pectoris, quod à capitis gladij similitudine Xiphoides Græcis appellatur: supra os ipsius ventris vnam simili modo, & adhuc alias duas inter octauam & nonam costam vtrinque vnam. Tres etiam retro inurendæ sunt crustæ: vna iuxta medium dorsi, reliquæ duæ ab vtraque vertebrarum parte, paululum infra mediam crustam. Omnes autem infra collum inustas, mediocriter latas esse conuenit, neque valde in superficie consistentes, neque rursus nimium profundas. Vlcera autem crustarum satis multo tempore fluida permittere oportet.

Hæc igitur de morbis principalioribus, quæ etiam aliis annexis magna ex parte conueniunt: quia tamen adest tumor in cruribus, qui, vt dictum est, posset vehementius augeri, & vbi ad superiora contraheretur, afferre periculum vitæ, ideo etiam de illo aliqua dicere conuenit. Et manifestum est, quod debet reponi in capitulo hyposarcæ, non ædematis: quia cura ei conuenit hyposarcæ principalius quam ædematis, igitur debet reponi in capite hyposarcæ. Nam cùm hyposarcæ cura sit ferme ea quæ ascitis, vt Auicenna refert, ædematis autem vt astringentibus & repellentibus vtamur, vt docet *in tertia quarti*, & cum vinculis & cum spongiis ex aceto vel lixiuio impositis, & cum aqua caulis & ciceribus & nostra ætate vtuntur caliga ex corio canis, & multum conferre solet: quæ nihilominus, vt dixi, hic non conueniunt. Conueniunt tamen confirmantia membrum, velut lotio ex vino nigro, in quo libanotis, saluia, betonica, sal & sulphur incocta sint. Sicut è diuerso non conueniunt quædam, quæ soli hyposarcæ sunt propria, vt cucurbitulæ, quæ aquam extrahere solent. Nam cùm membrum sit imbecille, plus trahitur materiæ ad locum, quàm possit euacuari ex tali sectione: ideo in talibus fit error peior priore. Ideo ergo cùm curarem Cauponem quendam ex hyposarca, abstinui ab hoc auxilio, quamuis Ætij. Ex auxilio autem Ætij licet ab initio videantur leuari omnes, tandem periisse vidi: & si tempus esset, declararem causam huius, ideo non conuenit nisi robusta adhuc parte. Est igitur medicamentum hoc. ℞ fructuum iuniperi maioris, quæ planta est cedro similis, & fructus æqualis fructui cupressi ℥.ij. quæ lib. iij. coquantur donec redeant ad lib. i. & fiet aqua illa rubens, de qua capiat ℥.iij. cum ʒ.iij. fructuum iuniperi minoris, & conuenit in aliis dispositionibus dictis. Prouocetur quoque sudor, & fontes & aqua ligni, etiam huic dispositioni valde auxiliabuntur, exterius autem applicetur hoc. Recipe foliorum lilij in clibano siccatorum, thuris, styracis siccæ, absinthij, calami aromatici, spicæ nardi, musci adnascentis corniferæ arbori, & est herba minuta odorata valde, singulorum ℥.i. fiat calida è spongia, & superfuso hoc puluere superalligetur, & iuuabit multùm. Hæc existimo satisfactura, & si rectè obseruentur: ac ad vnguem, Deo dante, spero sanitatem recuperaturum saltem magna ex parte. Sed si dereliquerit vel minima ex parte, sciat quid Galenus dicat dum de tabe agit: & si quæ clara minus videbuntur aut absoluta sunt, medicus cùm sit peritus & expertus supplebit. Talibus enim, vt inquit Galenus, multa eorum arbitrio sunt relinquenda. Atque hæc forma est consilij mediocris. Nam magnum construximus in causa Pontificis Amulthonis: parui autem hoc erit exemplum.

CONSILIVM XX.

Pro destillatione à Capite cum dispositione ad Tabem, & Impotentiâ ad Venerem.

SVpposita dispositione naturali, & eâ, quæ præter naturam est, citra morbum tamen, scilicet cerebri ad calidum, & humidum, sed humido magis dominante, tum vtriusque principij.

Sed in eis maior videtur eſſe caliditas humido: vnde defluxio illa, & grauedines fiunt propter cerebri potius intemperiem, quàm cordis, aut iecoris. Verùm cum duo ex ſuis proximioribus iam ex huiuſmodi deſtillatione, ſcilicet frater, atque, ni fallor, nepos tabifici obierint, neceſſe eſt, vt hoc contigerit, propter vnam e tribus cauſis, ſcilicet compoſitionem malam, & ad tabem pronam: aut propter prauitatem ſucci deſcendentis: aut propter caſum ſucco continentem malum regimen, triſtitiâ magnâ, importunâ exercitatione, & graue contagium contractum ruptura venæ, & ſimilia: Si ergo mala compoſitio non potuit eſſe in cauſâ (in eo enim non videtur, cum ſit pluſquàm lati pectoris, & ſatis boni habitus, ſi etiam caſus in cauſa non fuit) neceſſe eſt, vt contigerit propter prauitatem ſucci: præterea ventriculus creditur eſſe frigidus, & humidus ſaltem ob deſtillationem. Sed querela maxima eſt de hoc, quòd cum ipſe agat trigeſimum quartum annum, videtur impotens prorſus ad Venerem, adeò vt tametſi cum puer eſſet tenderetur ei virga, tamen pòſt nunquam arrigere potuit, atque ita concubitus poteſtate omnino priuatus eſt: & ſi quando, vel minimum tenditur, non dureſcit: ſed etiam emittit ſemen aqueum, & ante ingreſſum vuluæ, adeò vt poſſit vocari frigidus, vt in quarto decretalium (*Titulo 16.*) nec poſſit nubere ſecundum legem. Et etiam videtur confirmatus, quia vt ibi habetur, poſt triennium cenſetur confirmatus, vbi quis cohabitauerit cum muliere, & non potuerit habere rem cum ea. Sed hæc relinquamus Iuriſconſultis, non poteſt tamen dici morbus ſimpliciter, quia non eſt à natiuitate, quoniã, vt dixi, in pueritia potuit arrigere: & ideò non eſt abſolutè inſanabilis morbus. Non tamen omnis morbus, qui non eſt abſolutè inſanabilis, poteſt ſanari: quemadmodum, ſi cui ſit effoſſus oculus: nam non eſt à natiuitate morbus: & ideò non abſolutè inſanabilis eſt, tamen prorſus inſanabilis: vtcunque ſit morbus inueteratus, habens rationem priuationis, & non corruptionis, ſeu potius additionis, plerunque eſt inſanabilis. Cum ergo hic morbus ſit è genere priuationis, & iam tot annis perdurauerit, videtur è genere inſanabilium, aut ſaltem eorum, qui difficillimè ſanari poſſunt: Hoc volui dixiſſe, vt non miretur, ſi oporteat maximis auxiliis vti, & tempore longo differatur curatio.

Ratio morborum eſt, quòd deſtillationes fiunt, vel ob imbecillitatem cerebri, vel ob materiæ multitudinem. Et materiæ quidem multitudo fit ob vapores multos, aſcendentes ex inferioribus partibus: nam ſi generaretur ibi, neceſſarium eſſet, vt fierent ob imbecillitatem ipſius cerebri, & ideo reduceretur ad primam cauſam. Et aſcenſus vaporum fit vel ob cruditatem, vel ob nimium calorem præternaturalem: vnde plerunque frigiditas naturalis, ſeu innati caloris paucitas, & caliditas præter naturam, ſunt cauſæ repletionis capitis: & hæc imbecillitas ſeu caliditas fit vel in ventriculo, vel in iecore, quid non poteſt tranſmitti materia multa, & aſſidua, niſi ex iſtis duobus membris. Erunt ergo quatuor cauſæ principales per conſenſum: & vna per eſſentiam, ſcilicet ventriculi frigida, & humida intemperies naturalis, aut calida & humida præter naturam, aut in iecore idem, aut in cerebro imbecillitas. Diſtinguamus ergo primum, an ſit per conſenſum, an per eſſentiam? ſi ergo per conſenſum, ſunt malus habitus totius corporis, quia ſi membra naturalia malè concoquerent, impoſſibile eſſet, quòd corpus eſſet boni habitus: cum ergo iam ſit boni habitus, fieri non poteſt, vt morbus ſit per conſenſum. Secundum ſignum eſt, quòd oporteret, vt malè afficeretur magis ventriculus, & iecur propter regulam illam, Propter vnumquodque tale eſt: & ita vel ſentiret dolorem in ventriculo, vel nauſeam, vel caliditatem manuum, & pedum, vel faſtidium cibi. Tertium ſignum eſt, quòd aſcenſus vaporum, vbi ſit aſſiduus, & magnus, neceſſariò facit aliquam vertiginem, vel obtenebrationem viſus: & ita cum non videantur hæc, non eſt exiſtimandum, vt morbus ſit per conſenſum. Quartum ſignum eſt à continuitate: nam ſi morbus eſſet continuus, id eſt, impreſſio illa, oporteret, vt eſſet per eſſentiam. Vbi non ſit continuus habet interualla vera: hic autem non habet. Membra autem inferiora recipiunt deſtillationem: & ideo coadiuuant, & fit morbus per conſenſum, & poſt conſenſum, cum ſit recidiuus, erit difficillimæ curationis. Ergo concludendo, morbus eſt in cerebro per eſſentiam cum participatione mẽbrorum inferiorum. Videamus modò quis nam morbus ſit, & qualis? & dico, quòd in cerebro eſt per vnum modum ex intemperiebus trium generum, vel quia arteriæ ſunt paruæ, vel quia venæ, aut quia eſt paucitas caloris innati, aut propter raritatem ſanguinis arterialis, aut propter impuritatem humidi pinguis in vno ex tribus generibus, aut propter tarditatem motus ipſius caloris, aut propter remiſſionem qualitatis: & ſecundum hoc fiunt intemperies poſtmodum præter naturam, & erunt modi ſeptem in ſingulis generibus, & erunt quadraginta duo modi. Dicamus ergo, quòd hæc intemperies propter pallorem, & vim lentam cognoſcendi, & defluxionem ipſam tenuem, & inclinationem ad eroſionem, fit ex calore præter naturam, adiuncta ſiccitate cum intemperie frigida naturali, cum raritate ſubſtantiæ, & humida qualitate. Cuius demonſtratio hæc eſt: omne tenue contrarium eſt craſſo: & craſſum aut eſt terreum, aut aqueum, aut concretum: ergo tenue vel eſt aëreum, vel diſſolutum, vel igneum: verùm igneum non poteſt eſſe frigidum. Et hæc eſt cauſa, quòd Galenus ignorauit naturam, & cauſam acidi ſaporis, ſolus enim acidus ſapor cum frigiditate coniungit tenuitatem, & maximam. Galenus autem non ſolum ignorauit cauſam, ſed etiam affectum, ex quo dignoſcitur cauſa, ſiquidem neſciuit, quòd ſapor acidus ſit tenuium partium non ſolum omni ſapore alio frigido: hoc enim nouit, ſed etiam calido, quia non nouit hoc experimentum: exiſtimauit enim *in tertio de Simplicibus medicamentis*, quòd ſapores acres ſint omnium calidiſſimi, & quòd acetum ſit particeps acidi, &

& acris. Ego autem dico, quòd succus limonij fructus est frigidissimus, vt excedat tertium gradum, & tamen est longè tenuior aceto: & hoc patet pluribus experimentis, & maximè de corio. Ergo causa alia esse non potest, nisi quòd substantia illa sit attenuata per calorem via separationis, & non via impressionis: quod etiam est manifestum in cortice eius, qui est amarus, & crassæ substantiæ valde. Et quia non est per viam concoctionis: esset enim densus, & crassus: neque per viam impressionis: esset enim calidus. Ergo quoties fuerit in substantia calor igneus, & colliquans, & materia fuerit permista terreo, refrigerabitur ad summum, & per separationem fit tenuis: ergo talis humor erit inimicissimus naturæ, adeò vt ex ipso fiant erosiones, & ob id quotiescunque confertim defluxerit, aut sanguis corruptus fuerit, aut locus, in quem defluxerit, fuerit cum imbecillitate caloris naturalis, aut vehementi calore præter naturam, aut quod magis omnibus refert, quòd defluxio fiat per substantiam, & non per cauitatem, aut quòd locus fuerit morbidus, velut patientibus luem indicam, & maxime in hyeme, & tempore tristitiæ, ex quo omnes humores exuruntur, paratus est in tabem deuenire, & maximè ex vsu veneris, & potu vini potentis.

Secundus morbus, est imbecillitas potentiæ ad venerea, de qua diligentior est habenda consideratio. Huius enim causâ præcipuè petitum est consilium, & manifestum est, quòd, vt colligitur ab Hippocrate *in lib. de Aëre. Aquis, & locis*, quòd semen descendit ab ipso cerebro: deinde declaratum est in *libro de Subtilitate*, quòd vis impulsus est à corde: tertium est à renibus, & quartum est à testibus: & quintum à pene. Distinguenda autem sunt munera singulorum, scilicet quòd cerebrum per vim imaginandi transmittit spiritum sed à corde ad locum, & hoc, si statim: ergo non ex seipso: in eo verò inuenitur semen, sed aqueum: ergo non ex cerebro prouenit hic defectus, nisi male cogitando, vt in timoribus: sed neque ab ipsis renibus, quia membra seminis, si essent læsa in origine, essent læsæ reliquæ operationes, sed neque cor: esset enim timidus &, vt dictum est de priore morbo, eadem est ratio de consensu per eadem illa signa: fieri ergo posset, vt quemadmodum semen descendit à cerebro, ita & portio illius materiæ frigidissimæ descendat ad membra generationis, & corrumpat, & secundum actum, & secundum potentiam, id est, substantiam ipsam, euertendo operationem erectionis. Secunda causa ergo est ex testibus refrigeratis, vel ab initio, vel per defluxionem. Tertia ex ipsa substantia membri. Dicebat enim Galenus, quòd cessatio ab operatione corrumpit membrum propter quatuor causas. Prima est, quia desinit natura transmittere calorem, & vim ex tribus membris principalibus ad locum. Secundò, quia motus impeditur, aut tollitur: ergo & calor in actu. Tertio, quia non consumuntur excrementa naturalia, quæ necessario gignuntur in omni coctione cuiuscumque partis corporis: *primo de Tuenda sanitate cap.* 2. Vltima causa est, quoniam operatio est finis membri, quia formæ, vt habetur *secundo de Anima à Philosopho*: ergo cessante operatione, cessat finis, & omnia, quæ sunt ad finem, quia natura non agit, nisi propter finem. Et propterea dicendum est, quod hic morbus fiet deterior in dies, quoniam operatio est valde læsa. Et demonstratio est huiusmodi: non fit tensio, nisi repletis cauitatibus per spiritum, & ille non potest fieri, nisi à calore, neque recipi, nisi in cauitate: sed calor est refrigeratus ex supposito, & cauitates neruorum, & carnis spongiosæ sunt repletæ humido frigidissimo, & tenuissimo, descendente ab ipso cerebro: ergo morbus est fermè insanabilis, & maximus certè.

Pro curatione ergo consurgunt intentiones curandi communes, & per communia, & propriæ: & per communia quidem, videtur mihi maximè necessaria, deinde diuidere oportet propriam communem non ita: & per communia quidem habebitur ex ratione victus, & purgatione. Nam sectionem venæ in hoc casu solum necessariam existimarem, vbi esset periculum rupturæ venæ: & ideo in tali discrimine posset secari vena: secùs vel exureretur sanguis, aut nimium attenuaretur, quod est contra intentioné propriam. Deinde debilitaretur calor naturalis: & est illud, quod est è directo contrarium posito. Nam humores sunt crudi, tenues, & frigidi, & nullus est casus deterior pro venæ sectione, vt neque in decrepitis, neque infantibus: ergo sectio venæ nullo modo pertinet ad commune auxilium, quamuis possit pertinere ad proprium. Dico ergò, quòd prima intentio debet incipere à lenitione alui, quia corpora, cum quispiá purgare voluerit, oportet fluida facere: oportet ergo purgare humorem tenuem pòst, sed priùs præparatum. Sic ergo incipiemus: ℞. succi cassiæ orientalis electæ ℥. 1. pulueris liquiritiæ, aut succi ℈. 1. misce, & cum saccharo fiat bolus, capiat ante cœnam per mediam horam: sequenti mane recipe syrupi violati solutiui ℥. 2. aquæ scabiosæ ℥. 2. misce, capiat tepidum in aurora: inde diebus sequentibus quinquies capiat syrupum infra scriptum: recipe syrupi violati, nenupharini an. ℥. 1. aquæ decoctionis mentæ, vuæ passæ, nucis Indicæ illius magnæ, non dico miryisticæ ℥. 3. misce, capiat, vt supra, & si quinque dies non suffecerint, capiat per septem, aut octo. Demum purgetur cum catapociis de euphorbio, & si non audeat de fumo terræ, aut de serapino, hoc modo: ℞. pillularum de fumo-terræ ℈. 1. reformentur pillulæ tres, cum aqua vitæ, capiat in aurora, inde repetat bis, aut ter hanc purgationem. Pro ratione autem victus instituenda, dico, quòd primum victus debet esse siccus, & non multi alimenti, & paucorum tamen excrementorum, fame præcedente, somno, & exercitatione, & euacuatione excrementorum, adeò vt cum bene dormierit, tum se exerceat, & postquam quieuerit, assumat cibum, & quando non bene dormiit, tunc non se exerceat: & ideo parum etiam assumat cibi. Secundò obseruandum, vt non comedat, nisi cum fame. Tertiò, vt sentiat vacuum ventriculum: aliquando enim homo famescit, & tamen habet cibum in ventri

ventriculo. Quartò, vt comedat hora solita. Quintò, vt cibus sit simplex. Sexto vt sit bonus. Septimò, vt sit bene coctus, & præparatus. Dicam ergo primùm de pane.

Panis ergo sit optime fermentatus, bene coctus, & leuissimus, qualis est, quem vocant Zuccharinus, ex tritico bene purgato, & sit recens: nam inueteratus nullo modo conuenit: siccus enim mali alimenti est, & in bilem vertitur: humidus generat humorem lentum. Auenzoar vult, quòd non debeat transire primam diē, mihi sufficit, vt non excedat secundam, sit autē spongiosus, & suauis, etsi saccharum admisceatur, erit iucundius, & vtilius.

De Vino.

Proximum pani nobilitate, & vsu Vinum est, quod quidem debet esse mediocris substantiæ, astringentis saporis, suaue odoratum, ex albo in flauum, eiusdem anni, non antiquum, paucum, moderatè frigidum. Nam vinum, quod verò nimis refrigeratum est, morbos malos in ventriculo gignit: ergo nullum tale, bonum est, debet autem esse paucum in quantitate: nam multum offendit, maxime caput, exhalationem faciendo, & ventriculum quia vinum est alienum ab omni natura neruosa. Et ideò medici egregij perimunt infinitos ægros existimantes se vinis potentibus posse ventriculum iuuare. Conuenit autem ventriculo, quatenus conuenit intemperiei, aut materiei contentæ in eo, secùs, non nisi ob vsum, & tunc moderatus, secundum omnes modos: conuenit tamen iecori, propter familiaritatem substātiæ, & qualitatum. Et ideo qui habent iecur imbecille, conuenit eis vinum paucum: aqua verò est inimicissima, velut in hydropicis. Vnde pugnantia dicunt isti viri: nam si aqua esset inimica ventriculo, esset vtilior vino, aut oporteret, vt hydrops non fieret vitio iecoris. Optimum ergo vinum diluere multa aqua pro vsus tamen ratione, & destillata: illa enim solum bona est postquam est profundorum puteorum, in quibus adest copia: inde est quæ habetur ex cisternis: quarto loco est aqua fluminum, & fontium erumpentium è terra, & non descendentium ex locis altis, & quantitas sit eiusmodi, vt cibus non innatet in ventriculo, & non bibat à cœnâ, neque à prandio.

De cibis optimis

Quoniam casus iste permistus est, oportet seligere quædam, quæ sint optima in vsu, & talia sunt, vel è genere carnium, vel fructuum: nulla enim radix, quia est durissimi alimenti, terrei, & valde pauci, neque herba, quia est pauci alimenti, & aquei, neque cibus ex lacte quia capiti nocet, vt ex illo Aphorismo Sextæ particulæ, Lac dare caput dolētibus. neq; ex farina, quia est prorsus indomitus, & facit obstructiones graues, neque ex leguminibus, quoniam omne huiusmodi alimentum est durum, terreum, & salsuginosum, quia omnia contraria sunt principalibus intentionibus, neque ex piscibus, quia omnes pisces sunt alimenti pituitosi, plerique etiam crudi neque ex multis diuersis, quia fatigant ventriculum, & alimentum præbent inæquale, neque ex ouis, quia candidum omnino inutile est, luteum etiam, lentum est, & multam gignit materiam & parum de calore naturali, dico in isto casu: nam in quibusdam aliis vtile esset. verùm concretum in mellis formam bonum est: neque ex aromatibus quæ plus exurunt, quā exsiccent, acuunt magis, quam adaugeant calorem naturalem, vtilis esse potest: relinquitur ergo, vt cibi vtiles sint carnes sed non omnes fructus etiam: sed multò pauciores ex fructibus: ergo præstantissimus è vua passa, cretica, pinguis, plena, mollis, tenuis corticis, splendida, recens id est, eiusdem anni, pura, & suauis admodum gustu, qui est secundum manifestam rationem dulcedinis adastringentem: postquam est longo interuallo, parua sine arillis eiusmodi fermè cum conditionibus ex insulis arcipelagi, tum etiam Appula, & Placentina, sed rubra: postquam est Hispanica, magnitudine media, & ipsa flaua, vt Cretica, sed obscurior, rugosa, minùs suauis: Placentina verò splendidior, & colore viuidiore, vt constet eam esse magis coctam, sed exustione non vacare. Secundus locus est pistaciis, hæc sunt boni alimenti, amica omnibus membris naturalibus, suauia, & venerem excitantia. Verùm causa erroris est, quòd multi dicunt, se non iuuari, & quod maius est, non solum putant eam vim illis non inesse sed nos decipi, qui eam illis tribuamus, & causa est, quoniam cum impleuerint se cibis, varii etiam, & malis & potu plurimo, edentes postmodum huiusmodi vertunt medicamentum in venenum, & ita maledicunt de auxilio. Nam quod crudum est, non iuuat, quia operatio eius est in comparatione ad corpus humanum, quatenus est concoctum, & assimilatum naturæ humanæ, & pars caloris naturalis, si sit nutrimentum, aut modus, si medicamentum. Tertius fructus est pinea: sed hæc debet esse recens, iuuenis, plantæ & conserua in sua luce: & quia habet partē oleosam imperfectam, acrem facilè rancescit, & tunc est maximè inimica ventriculo: sed & ante nocet ventriculo, vt credendum sit omnia, quæ facile rancescunt, sicut & farcimina, & caro salita porci esse dupliciter inimica ventriculo: tum quia nimis humida, pinguia, & cruda: tum quia habentia initium corruptionis in se. Omne enim principium est eiusdem generis cum re perfecta: & ideo talia nocent ventriculo, & sunt etiam odiosa: & ideo multi ponunt in aquam. Et certum est, quòd aqua non potest auferre ab illis humidum, crudū pingue: ergo relinquitur spes auferendi partem semipturem. Et hoc facit, quia illa est in superficie, & tenuis: & ideo dissoluitur, rancor enim fit ab aere, vt demonstratum est à nobis: & aer corrumpit exteriora magis, quia propinquior. Intima enim sunt calidiora, & densiora, quia demonstratum est à nobis *in libris de Subtilitate*, quòd omne semen continet humidum pingue. Stat ergo magna difficultas, & necessaria, si humidum pingue est inimicum ventriculo, & solum hoc maximè nutrit, quomodo poterit esse humidum pingue simul

simul vtile,& iucundum ventriculo? Dicendum, quod humidum pingue est duplex. Aliud, quod est familiare substantia:& illud est humidum carnium iuxta id, quod dicemus,aliud est alienum substantia: & ideò vt humidum,& vt pingue obest ventriculo, vt oleum. Aliud est medium inter hæc, vt humidum pingue, panis, & vuæ passæ: talia enim bene nutriunt, & ventriculus iuuatur ab illis:& ideo etiam iecur.Nam est vna regula generalis, Omne, quod est vtile, & iucundum ventriculo,vel iecori,simpliciter est vtile, & iucundum omnibus membris naturalibus,recte se habentibus, id est intestinis, lieni,renibus, vesicæ vtrique etiam vtero,& venis,& sanguini in eis contento:& ita quod confert cordi, & est iucundum, simpliciter illi, confert pulmoni, & arteriis,& sanguini in eis contento,septo transuerso,membranis sepientibus,& pectori, & asperæ arteriæ:reliqua,puta,lingua,& os,& gula,sub membris naturalibus continentur:eadem regula tenet in cerebro, membranis tegentibus ipsum, neruis,dentibus,oculis,auribus,gustu, & olfactu.Relinquitur ergo dubitatio, quomodo substantia pistaceorum possit esse amica vètriculo, & iecori, quando sunt viridia, & in carum inimica, & ideo etiam inimica omnibus membris naturalibus. Est enim par ratio in iactura,& vtilitate:& ideo maneret eadem difficultas de nucibus. Nam illæ facilè etiàm rancescunt,& eodem modo in amygdalis,& auellanis,& propter hoc cum videamus hoc esse solum in fructibus, quæ facilè rancescunt,& non in aliis, dicemus, quòd humidum pingue fructuum oleosorum est amicum ventriculo. Sicut etiam videmus in oliuis.Sed & iucundum sicut sensus ostendit,& maximè cum fructus sunt recentes, iuuenis plantæ nati in aprico loco: & si comedatur cum saccharo, vel si contriti, & paululum cocti.Qui verò sunt inimici ventriculo,sunt quatenus eorum humidum non est pingue, non vt multum. Cuius ratio demonstratiua est, quòd Caupones Genuenses exhibent oliuas sine nucleis cum oleo,quæ,si recentes sint, omnem superant iucunditatem alterius cibi,& sunt vtilissimæ ventriculo.Ergo multitudo pinguis humidi non est in causa, vt obsint: sed quoniam plerumque humidi copia est cum imperfectione. Ergo triplex humidum in fructibus: imperfectum, quod obest (& cum dico quod obest membris naturalibus,intelligo etiam quod malè & difficulter nutrit, quodque etiam est iniucundũ, perfectum)quod est vtile,& iucundum facilè beneque nutrit: & perfectissimum, quod vtilissimum est ventriculo,& iecori simul:& iucundissimum, & est, quod habet partem astringentem,velut dictum est de oliuis cauponum Genuensium: idémque censendum erit de oleo omphaciuo. Ex quo patet,quòd omnes fructus maturi sunt mali,quia humidum illorum pingue non potest esse absolutum:& ideo tales etiam faciliùs rancescunt, & frequentius, & oleum eorum, quàm fructuum maturorum: sequitur etiam, quòd oliuæ sunt magis amicæ ventriculo, quàm amygdalæ, quia oleum amygdalarum citiùs rancescit, quàm oleum oliuarum. Præterea sequitur etiam, quòd pharmacopolæ optimè faciunt torrendo amygdalas prius quam extrahant oleum. Nam sic absumitur pars pinguis imperfecta:& ideo oleum illud est purius,suauius,vtilius membris naturalibus, & diutius manet incorruptum. Sequitur etiam ex hoc quòd amygdalæ cum saccharo conditæ, mundatæ scilicet à cortice, & integræ cuiusmodi vendi solent: optimæ sunt non solum ob sacchari societatem, sed quia,dum cœstiuntur illo,torrentur assidue igni, & ita redduntur puræ ab humido illo imperfecto. Sequitur rursus, quod mala granata, seu punica, sunt optima ventriculo, quatenus astringunt :sed quia humidum eorum non est pingue,ideo superantur ab amygdalis, & pineis.Vt tandem ex his omnibus concludatur vna regula,quæ constat ex tribus conditionibus.Fructus optimi sunt,quorum humidum est pingue, & facultas astringens, & substantia minimè terrea, sed aërea, ergo vuæ passæ,& pistacea,sunt in primo genere, qui deficiunt ab optimis.Secundo loco quorum substantia est aërea, & humidum pingue,sed non astringunt,velut pineæ. Tertio loco sunt, quorum substantia est pinguis, & facultas astringens, sed substantia est valde terrea: & sunt auellanæ & oliuæ. Auellanæ autem præstant, quia humidum pingue est melius, & magis concoctum humido oliuarum. Quarto loco sunt,quorum substantia est terrea, & humidum pingue, sed non astringunt: in quo ordine sunt amygdalæ,& coccus: sed amygdalæ sunt meliores, quia substantia earum est aërea magis, & in hoc etiam sunt præstantiores auellanis,& illi magis conueniunt scilicet in præsenti casu, & nostro Ægro:faciliùs concoquuntur,& ob id minus petunt caput. Regula enim est generalis, quod omnia, quæ difficulter concoquuntur, grauant caput,quia diutius manent in ventriculo,& euaporant longiori tempore. Quinto loco sunt, quæ pingue habent humidum, sed imperfectum, particeps tamen astrictionis cuiusdam,licet leuis: cuiusmodi sunt nuces, & ideo nuces sunt meliores amygdalis in ventriculo imbecilli, qua sunt mollioris substantiæ, & facilius concoquuntur, & aliqualiter astringunt. Sed quia facillimè siccantur, & rancescunt, ideò omnino cauere eas oportet:astringunt enim anhelitum. Sexto loco sunt fructus, qui astringunt & habent succum vinosum: non pinguem: cuiusmodi sunt pyra, cotonea, mala punica.Quæ omnia refugere oportet ob causas dictas: omnis enim succus vinosus naturaliter acescit.Septimo loco sunt fructus,qui omni astrictione carent,non tamen sunt corruptioni obnoxij: cuiusmodi sunt limonia, & mala medica, & arancia,& poma, quæ vocantur adami, in quibus morsus quidam apparet.Vltimo loco sunt fructus corruptioni obnoxij,cerasa rubra, nigra, acida, dulcia chrysonila,pruna,persica, pepones: sed hæc magis ei conueniunt, quàm priora, licet genere deteriora sint,ob id quòd nõ sũt acida. Ex quo sequitur,quod mala,seu poma cõmunia in isto casu sunt omniũ, quæ edi possũt, deterrima,quoniam in his sũt omnes conditiones pessimi alimẽti:sũt enim pleraq;ex illis acida.

acida, frigida omnia valdè, ſucci vinoſi, ſed imperfecti, & corruptioni obnoxia. Sequitur demum, vt perficiam ſermonem incœptum, quòd oleum omphacinum propriè, quod eſt ex oliuis immaturis, eſt malum: ſed optimum eſt illud, quod fit ex oliuis bene maturis, ſtatim decerptis, & non in aceruum coniectis, huius enim olei ſubſtantia eſt magis incorrupta, purior, & plus aſtringit. Colligendo ergo dicta probantur ex fructibus, vuæ paſſæ, piſtacea, amygdalæ, pineæ recentes, & nux Indica valde, quæ etiam iuuat ad venerē, & ad bonū habitū corporis, & auellanæ.

De carnibus.

Hic eſt ſecundus cibus optimus, in quo conſideranda ſunt, genus, ætas parte, & præparatio genere; in qua meliores ſunt aues quadrupedibus: & ex quadrupedibus maximè probantur ſuilla, & teſtudinum nemorearum, ſed non ſimpliciter. Verùm vt diſtinguamus, ſicut etiam de auibus. Omnes, qui habitant circa loca paluſtria & aquas, malæ ſunt, & quædam habent roſtrum latum, & quædam anguſtum, & acutum. In vniuersū, dicebat Hippocrates, vno verbo, quæ granis aluntur, optimæ ſunt: refugere oportet aues, quæ vtuntur cibis abominandis, ſicut quæ comedunt bufones & mures, & quæ comedunt carnes, & quæ comedunt piſces: & quæ veſcuntur ſordidis, ſicut corui, coturnices: & quæ ſunt deformes, vt grues, & ciconiæ, & ardeola: vt quæ, licet granis veſcantur, habēt nigras carnes, vt pauones: omnes aues, quæ habent pennas valde pulchras, licet veſcantur fructibus, vt picæ. Item omnes aues paruæ, ſunt inutiles, quia plus ſiccant, quàm calefaciunt. Dicemus ergo, quòd optima auium omnium eſt Gallipagus, ſeu pauo indicus, qui habent illam carnem iuxta caput quæ permutat colorem. Sed in hoc oportet obſeruare vnam regulam generalem, quæ tenet non ſolum in auibus, ſed quadrupedibus, & piſcibus, & etiam in plantis. Vetuſtas ſemper eſt deterior, quo edulium eſt maius: & ideò hæc auis, cum ſit maxima omniū, quæ apud nos degunt, adeò vt aliquando perueniat ad pondus quadraginta librarum, ſi ſeneſcat, loco optimi alimenti graue & difficile præbet: exiſtimo autem fœminas eſſe meliores maſculis. Iuuentus aut eorum eſt trium annorū: quanquam non ſit perſpectum apud me adhuc, nec ſciam, quantum viuat. Generalis regula eſt, quod ad ætatem pertinet, ſenectutē abſumere beſſe eius partis, quæ ad ſenectutem non pertinet: ſeptunx eſt pro iuuentute, ſeu bes reliquæ partis, infantia ſextans eſt: velut capiamus pauonem noſtrum depictū, cuius vita fertur viginti quinque annorum, ſexdecim erunt pro ſenectute, reliquorum nouem ſex erunt pro iuuentute; ſuperſunt tres anni, quorum ſexta pars ſunt ſex menſes, qui tribuuntur mollitiei: adoleſcentia ergo pauonis, id eſt, tempus, in quo erit ſuauiſſimꝰ guſtu, & optimi alimenti eſt triginta menſium, qui ſunt poſt primos ſex menſes. Eadem ratio in vitulis, hædis, agnis. Sed vt dixi, pauones noſtri toto genere ſunt inutiles. Variat etiam ſupradicta regula: quia quantò animal eſt humidius, tantò tēpus adoleſcentiæ in cōparatione ad vitam eſt longius: breuius in ſiccis. Velut capra viuit nouem annis ſicut & ouis: ſenectus incipit in vtraque exacto tertio anno, eius temporis bes ſunt duo anni, & relinquitur annus primus pro adoleſcentia, à quo detracta ſexta parte, ſcilicet menſibus duobus relinquuntur menſes decē florentis ætatis, & ad cibos accommodatæ. Sed quia hædus eſt ſiccæ naturæ, poſt ſextū menſem redditur inutilis. Similiter bos viuit quindecim annis cuius triens ſunt quinque anni, & eius trientis, ſcilicet totius iuuentutis viginti menſes, duo menſes ſufficiunt pro mollitie, relinquuntur decem octo menſes ſequentes, in quibus caro ſuauiſſima eſt: ſed detracto triente, rurſus ob ſiccitatem relinquitur tempus optimi alimenti vnus annus, ab exacto ſcilicet ſecundo menſe, ad quartū decimum. Secundus ergo locus à Gallipauo eſt phaſiano: eſt enim valde bonus, & ſuauis. Tertius eſt Gallinæ: iuuenculis autem gallis non libenter vterer, præterquam in hoc caſu, adeò vt habita ratione multorum, imò omnium, hic cibus ſit omnium præſtantiſſimus, nihil melius, quo debet perpetuo vti: nec deſideratur in his, niſi quòd ſint pingues, & candidiores: ſunt enim in qualibet ſpecie animalium, velut & hominum, candida, quæ ſunt optima, & ſemper præferenda, poſtquā ſunt rubra habentia imaginem quandā ſanguinis albo commiſti: ætas eſt in illo conuemens, quia viuit octo annis, menſium decem, à quibus demptis duobus, ob ſiccitatem animalis, & totidem mollitiei, erit tempus optimum huius animalis à ſecundo menſe vſque ad octauum: & abſtineat omnino à capis. Quarto loco ſunt Perdices, quæ licet ſint omnium ſalaciſſimæ, minus tamen conferunt huic diſpoſitioni, propter raritatem ſubſtantiæ, cum iam dixerimus cauſam eſſe raritatē ſubſtantiæ caloris naturalis. Quinto loco ponuntur Columbi, quos omnino non improbo: magna tamen eſt difficultas circa illos, ſunt autem quatuor propriè eorum ſpecies: turriti, qui ſunt omnium minimi, & minus etiam boni (nam caro eorum nigra eſt, aut fuſca) palumbes maiores ſed deteriores, & duriores: domeſtici, qui ſunt omnium maximi & valde boni ob carnem candidā: & ſylueſtres, de quib. referunt miranda, Africæ potius cogniti, quā Italiæ. Sexto loco ſunt Coturnices, perdicib. maiores, & ſuauiores, quas repoſui poſt præcedentes, ob raritatem, non quia poſt gallinas non ſint meliores: poſt hos ſunt aues, puto ignotæ antiquis, quæ aduentant ad nos, Qualeæ appellatæ, hæ omnino inutiles ſunt, ſicut etiam gallenitæ: hæ n. nimis ſiccæ ſunt, illæ nimis pingues, & tenuis ſubſtantiæ. Nona erit Phaſianus agreſtis, proximus coturnici, Turdus præferebatur ab antiquis: vnde illud motiſſimum.

Inter aues Turdus. Sed, vt mihi videtur, parùm vtiles Medicinæ ſunt: poſtmodum Ficedulæ duorū generum. Maior viridi admodum colore, quā ego probo ſatis, vocant galbedium Mediolanenſes, altera parua, quam vocant moridolum, quam, vt dixi minus probo generis ratione, quòd nimis parua ſit: nam omnes aues admodum paruæ neceſſario nimis ſiccæ ſunt, & nimis tenuis alimenti: ſimili

simili ratione etiam hortulanos reiicimus, qui tamen mirum in modum pinguescere solent: meliores sunt aues, quæ in orizis inueniuntur (oriza autem in paludibus nascitur) maior est Qualea, Girardinam vocant, non adeò pinguis, tenuis tamen alimenti, & deterior: est enim magis humida. Quintus decimus locus est dressis vocata, & hæc non multum differt à præcedentibus: inutilis tamen in hoc casu: nam auium huiusmodi genera scilicet paruarum, quales sunt hæ, aut minimarum, vt Cardualium, Passerum ægris conueniunt ob facilitatem coctionis, vel deliciarum loco habendæ sunt, vt in ganeonibus: turtures autem paruæ sunt, siccant tamen humidum superfluum, magis etiam quam palumborum caro: Alaudæ inter paruas censentur, imò mediæ inter paruas, & minimas, éstque cristata, & non cristata: & quæ cristata est, galerita minor dici potest. De phœnicocteris non agam, optimi essent: sunt enim magni, & suaues, sed non habentur, sunt enim orientis dona: apedes, quòd videantur esse sine pedibus, boni sunt, & vtiles, cum sunt iuuenculi: molliores enim sunt turritis columbis, quia minores, & humidiores. Plura dixi de auibus, quia, vt antea docuimus, præter pauca quadrupedia, & fructus prædictos, omnis cibus ex hoc genere sumi debet. Partes ergo earum præcipuè sunt alæ: caro, quæ sub eis continetur, candida, & friabilis, iecur, & ventriculus, & cerebrum, tum etiam testes, his quinque partibus vesci debet: sed alarum alimentum vtilissimum est toti corpori, iecoris membris naturalibus, & sanguini ventriculi ad imbecillitatem ventriculi, testium ad venerea & tabem, cerebri ad omnes fluxiones, & cerebrum ipsum. Præparationes duæ sunt: vna viuentis, alia mortui, siquidem duo sunt genera optimæ conditurræ, vna verum cum multo igne, multo adipe vitulino, aut gallinæ, & vt celeriter circumuoluatur: sic enim optimè coquitur, molle fit, & humidum, suaue, & optimi alimenti, etiam impleri debet ouis, & vuis passis minoribus. Alter modus est, vt coquatur in testa cum iure pingui & aromatibus, viuentis autem præparatio est, vt alatur auis cibis conferentibus huic casui. Sunt autem quatuor, aut quinque præcipua: auellanæ, fabæ, ciceres, sutyrion, & omne genus bulborum fermè. Si ergo auis impinguata fuerit hoc modo, multum conferet. Consulerem ergo, quòd in corte acciperet gallinas indicas, iuuenes, & gallos iuuenculos nostros, & aleret eos fabis, ciceribus, & auellanis, maximè immisceret etiam bulbos cum farina tritici, & lacte: atque hæc de auibus.

De quadrupedibus eadem est ratio, & alendi, & ætatum, & partium, & præparationis. Peculiaria ergo solum hac in parte adiiciam, quale illud, quòd optima caro est suillæ agrestis, id est apri, sed cocta in veru: postquam est suilla domestici porci, sed nutriri in syluis, & locis apricis, maximè in montibus: tertia est vitulina, propter propinquitatem ad originem: partes tamen meliores sunt anteriorum crurium, seu pectoris, post quas sunt lumbi: partes enim illæ multùm exercentur: post quas est crurum posteriorum iuxta coxendicis os: sed ante omnia sunt lactes. Interiorum viscerum, nullum est bonũ, non iecur, non renes, non cerebrum: aut cor: sit recens caro, & bene cocta, & celeriter, multáque pinguedine perfusa: post hanc est caro agni castrati: inde nulla alia, nisi medicinæ loco, veluti testudinis & ericij & in testudine melius est ius, quã caro, nec quicquã præter iecur, & oua, caro quoque ericij optima est, sed potius medicamenti loco, quàm cibi, eligitur, qui haber rostrum suillum, non caninum. Quod autem maximè necessarium est, in hoc est, vt diligentissimè mandantur carnes maximè: vt enim mansæ præsidio sunt, ita deuoratæ detrimento. Aromatum nullum probo præter crocum, & nucem myristicam: reliqua puto esse per se nota: & si dubitauerit, poterit interrogare.

De quarto genere cibi.

Hucúsque de cibis sanis: de medicis autem, quorum vsus est ob præseruationem, vel ob mutationem, vel ob morbum præsentem, dico, quòd panis bis coctus, plurimùm nutrit, adeò vt fermè tantũdem, quam caro, si sit coctus cum iure pulli, aut vitulinæ carnis decoctæ Florentino modo, id est diuisæ in frustula, non maiora nuce, & detractis ossibus, quæ per coctionem non fiunt mollia. Nam tenera admittimus, & in olla parua, & contecta operculo. Panis autem bis cocti hic est modus vtilis: nam reliqui duo, scilicet siccati in furno, & loci nullus est hic vsus: propterea illius tantum memini, torta ad venerem. ℞. auellanas mundatas numero quinquaginta bulbi cibalis spicas sex, alas vnius galli, sed cocti, nec sit senex: terantur omnia tenuissimè, inde addita libra media sacchari, & iure pulli, ita vt fiat in formam mellis, obducatur farina aqua permista, sicut in pastillis fieri solet, & admisto croco modico, coquatur in furno, & de hoc solo comedat in cœna cum pane. Alius cibus. Mel despumatum admisto modico iure pulli, & radice satyrionis contrita, ita vt pro singulis quatuor vnciis mellis ponatur vna satyrionis substantia, diligenter contrita, & per linteum colata: & hoc etiam, vbi coctum fuerit optimè, sicut neq; sit amarum, neque radicem oleat, vtatur eo. Aliud: pineas recentes obducito saccharo multo, in quo sit scobs copiosa derasa ex virga cerui, bene sicca in furno. Quartus cibus. ℞. cerebella passerum, & carnes eorum ad vncias tres, sacchari liquefacti tantundem, fac morsulos, addendo piper, parum contritum: & de hoc, vel præcedenti sumat in mane cum maluatico: nam & tertium cibum sic edere oportet: alios duos comedat vesperi, & bibat vinum loco maluatici. Quintus cibus est, vt coquantur oua, donec durescant, deinde capiantur vitelli, abiecto albo, & comedantur cum sale, & pipere modico, & granis duobus Zibeti, aliquando ambrecanis, aliquando moschi orientalis, aliquando cum granis decem nucis myristicæ. Sextus cibus est, vt capiat hircum iuuenem, tamẽ assuetum capris, & pascat illũ tritico, & educat bulbis, quos, vocant scalungias, inde occidat illũ, & comedat testiculos illius, meliùs præparatos, quam

quàm poteñ, & ſuccedentibus diebus carnem lumborum allatam, reliquam carnem allatam bene cum aromatibus conſeruet in melle, & aceto, id eſt, perfundendo ipſam modico aceti, inde obruendo eam in melle cocto, & deſpumato, & ſingulis octo diebus recoquere mel ſeruetur, & ſœpum hirci, ex quo inungatur virga inter reliqua, quæ faciunt ad erectionem, inungendo ſcilicet renes, & anum, & radicem virgæ, & totam virgam cum teſticulis, & locum pubis: atque hæc de cibis. Bonum autem eſt, vt ſemel in die tantum comedat carnes, alia vice comedat panem, & fructus cum ſaccharo conditos, id eſt, piſtacea, pineas, auellanas, amygdalas: atque alia huiuſmodi.

De Somno.

Somnus ſit prolixus, & profundus, & aliquando bibere ex vino dulci nigro non eſt malum, & comedere cibum illum in cœnâ, quem vocant Veneti, caput lactis, eſt vtile in omnibus, modò moderatè, & rarò id faciat, & ſit ſuper ſtrato duro, & non in pluma, & bene contectus pannis, & non calefaciat multum renes in die, & dormiat in cubiculo ſuperiore expoſito orienti, & ſæpe inungat renes ſœpo hircino, & parum cogitet de rebus, & minus poſt cibum, & minimè in nocte, & ſi non poteſt eſſe ſine cogitatione, cogitet de iucundis, & his, quæ delectant: præter omnia autem vbi ſurrexerit, deiectâ aluo, exerceat ſe longâ exercitatione & validâ, nec eſt maior ſpes in alia re pro condenſando calorem, & reſtaurando & augendo, quàm in exercitatione. Verum ad illam ſenſim atque gradatim omnino accedere oportet, aliter incurreret magnum periculum, vel febris, vel deſtillationis, vel rupturæ venæ.

De aere autem. Debet habitare in loco libero, & ſingulo mane inuiſere colles puros, & fugere loca paludoſa, aquoſa, nubiloſa: & ita domus debet eſſe poſita orienti aliquando in cubiculo cum perflat Boreas, aut Eurus, permittere tota die, aut per duas, aut tres horas, vt expurgetur aer. Et Sol ab ortu vſque ad meridiem claro tempore vtiliſſimus eſt: lunæ autem radij magni, ſicut etiam Solis turbidi, nubiloſi, ancipites meridiani, & occidui, & crepuſculorum, & nocturnus, & conſpirat Auſter, aut Nothus, aut libicus, aut ex occidente: & generaliter vt valles, & agri concaui & montium partes imæ ac mediæ, & vbi liberior aura prohibetur, mala ſunt, ita cacumina vbi liber eſt, aer, optima. Sed quia cacumina montium magno incommodo, tum propter frigus, tum niues tum ventos validos, tum quia ibi non ſunt habitationes: & quoniam homines cum difficultate ad illa perueniunt, & rarò adeſt ibi aqua bona, & reliqua neceſſaria, propterea ſolent præferri colles, & maximè in quibus oriuntur oliuæ, mala medica, & arantia, vt in litore Genuenſi, & pineæ ſuper omnia, & quæ ſunt eius generis, velut picea, iuniperus, larix, cupreſſus, abies, & quæ faciunt reſinas aut fructus odoratos. Secus fugere oportet magis, quam peſtem loca, vbi naſcuntur ſalices, populi, & quæ nec fundunt reſinam, nec fructus pariunt odoratos, quales ſunt præcipuè nuces ponticæ, & auellanæ, & ficus. Sed magis etiam loca paluſtria & cœnoſa, & ſtagna, & loca maritima, paluſtria ſunt peſſima, velut aer Venetus, qui proprietate quadam, imò ratione potius manifeſta facit phtiſicos, & occidit ex ſputo ſanguinis, & tabe, & debilitat vim Veneris, quantum ad intentiones primas, licet ſecus propter ſalſedinem efficiat ſalaciſſimos. Præparetur etiam aer in tempore hyemis, & vbi bonus per ſe non ſit, flamma liberiore, & ſuffitibus helzoi, ſeu dulcis aſſæ, thuris, ſtyracis, præter omnia ligni iuniperi parum referre. Forſan quis putabit huiuſmodi: ſed fallitur quisquis ita credit: nam aeris copia maxima cum ſit neceſſaria in homine, & ad omnes partes permeet neceſſe eſt, vt ille optimæ vnicuique conſulat, quirem aeris bene conſtituerit.

Sed iam aliud caput principale attingamus, id eſt, de præſeruatione à tabe pro quo obſeruandum, ne nimis quicquam agat, deuitanda ſunt vinum potens, exercitatio, venus, ſed non in eo, & frigus: itaque & aromata deuitare oportet Ex his autem, quæ præſeruant à tabe, præter communia, eſt primum diacodion aſſiduè in ore retentum ex Galeni deſcriptione (*7. de Comp. Med. ſecundum locos*) Secundum eſt diadragagantum. Hæc ambo detenta in ore, & maximè noctu, multum præſeruant à tabe. Tertium eſt vſus mannæ, vel loco eius caſſiæ, cœpæ, & cum infeſtatur à deſtillatione. Quartum eſt vſus boli armeni orientalis, accipiendo ſcrupulum eius cum drachmis duabus ſacchari roſacei, aliquando boraginati: forſitan non malum eſſet ſiccare fluxionem. & de hoc ſermonem habebo. Et tunc ſi videretur medico illi, ideſt D. D. hedychro poſtmodum, de quo Galenus *quarto de Locis* (*cap 7.*) poſſet vti ſed tamen medicamentum illud calefacit cerebrum, & iecur: cætera bene ſe habent. Ergo corpus ſuperfluo humido abundat, & copia ſuperflui humidi, etiam validi refrigerat: (*3. de Temp. cap. 2.*) propterea dubium non eſt, quin oporteat ſiccarecorpus. Atque in hoc plura ſunt, quæ hic facere poſſunt, & præcipuè noua, decoctum ligni Indici, cinæ, & ſarzæ pariliæ: præterea fontes, quos vocant cauteria, & aquæ thermarum. Ex his fontes ſunt ſuſpecti, & maximè in defluxionibus, in quibus modò parùm educunt, modò nimis, modò clauduntur, debilitant etiam hominem, educunt etiam ſolum tenuem partem: cauteria verò ſuper caput infeliciter cedere vidi. Vnde nunquam, niſi ſemel illi vſus ſum: nec profuerunt aquæ thermarum frigidæ, augent intemperiem, & ſucceſſu etiam copiam humoris. Vnde Princeps. Et ſcias, quòd frigida intemperies, cum peſeuerauerit, & valida fuerit, humidam ſibi aſſociat; & eſt ſumptum à Galeno *quinto de Tuenda ſanitate* (*cap.* 8.) ſi verò validæ fuerint, periculum eſt, ne fluxionem acrem inducant: & ob id non libenter ad illas accederem: tum maximè quod omnes aquæ thermarum ſunt remotiſſimæ à natura humana, imò illi aduerſæ

quoniam humana natura est maximè remota à simplicitate elementorum, cum in ea elementa sint multipliciter refracta. Et ideo cum illæ sint metallicæ, sunt ex genere venenorum, & inprimunt qualitates, per quas homo fit breuioris vitæ, & miseræ, & imbecillis in aliquo membro. Similiter aqua Guaiacani, & ligni sancti calefaciunt nimis iecur, & caput: & ideò non prosunt, nisi morbo Gallico. Licet medici imperiti vtantur in mille aliis morbis, vt potè in podagra, & destillationibus, quia lignum, & victus ratio tenuis exsiccant proculdubio: & ita videntur conferre, cum tamen noceant multo plus, quàm iuuent. Vtcunque sit tale decoctum, multum debilitat ventriculum: & ideo vtile non est, & multò minus sputum. Cyna verò est securior, & caret omni prauitate: sed quia hic non est multum in vsu, & non potest exhiberi, nisi in temporibus maximè calidis, & etiam, si frustretur sudore, non est adeò vtilis, vt quis possit in ea confidere: propterea forsan melius esset vti sarza, parilla. Purgato igitur corpore, inde præparato per syrupos, & denuò repurgato, capiantur libræ duodecim aquæ, & radicis sarzæ parillæ optimæ, & electæ vnciæ quinque & contusæ, leuiter infundantur duodecim horis in lebete terrèo, obducto vitro nouo, & super prunas sine fumo, tandiu coquantur lento igne, donec consumatur tertia pars, & ex hoc, decocto excolato, capiat ab vnciis quinque ad sex, vt sit calidum hora prima diei, vt tardet cibum per tres horas saltem, inde post octo horas à cibo, & tardet rursus tres horas cœnam, & integatur pannis, non tamen violenter, neque ad sudorem. Nam quandoque mouet sudorem, quandoque aluum quãdoque vrinam quandoque operatur per insensilem transpirationem, quandoque proprietate tantum ipsa, & nunquam necesse sit de eius operatione desperare. Eadem præterea radix à decocto detracta infundatur in duodecim altas libras aquæ: sit autem aqua, si fieri potest destillata, ex aqua fontis, si non sit, aqua cisternæ, aut demum saltem pluuia, & post duas horas iterum coquatur adiecta vncia media anisi, & tantundem glycyrrhizæ, & coquantur ad consumptionem quintæ partis: & hic sit potus, nec alio vtatur potu per triginta dies. Cibus autem sit in mane caro pulli, & panis leuissimus ac spongiosus:caro etiam auicularum est melior, vesperi autem amygdalæ: panis ille leuissimus, quo Bononienses vtuntur, quem vocant Zaccharinum, & maximè qui fit ex alio pane: hic enim est optimus: vesperi autem vtatur vel hoc ipso pane, vel etiam quòd melius, solis amygdalis, & vuis passis, quia hæc minus nutriunt pane. Vnde apparet, quod in hoc casu nec panis coctus, nec infusus in iure vtilis est, tametsi leuioris sint concoctionis quia minus alunt. Post alios triginta dies vtatur eodem fermè regimine: & singulo manè capiat drachmam huius medicamenti. Rec. ligni aloes optimi, pulueris margaritarum an. drachmam vnam, santalorum citrinorum drachmas duas, nucis myristicæ scrupulos duos, maceris seu macis scrupulum vnum, croci drachmam mediam, foliorum melissæ viridium siccatorum in furno drachmas duas, coriandrorum præparatorum scrupulos quatuor, ossa duorum cordium taurorum sicca in furno. Omnia terantur, & per linteum transeant: deinde rec. sacchari liquefacti & purgati libram mediam: misceantur hi pulueres, & statim remoueatur ab igne, & fiat electuarium, vel morsuli, de quabus capiat, vt supra, cum drachmis duabus vini granatorum.

Sed iam denuo regrediamur ad principale, cuius causa præcipuè scribimus hoc consilium: dico igitur venerem ex tribus pendere. Primum ex flatu per quem tensio ipsa manet, & membrum redditur durum Secundò ex spiritu per quẽ incalescit & stimulatur: tertiò ex semine per quod appetit concubitum. Et hoc prouenit à renibus, sicut spiritus à corde: & flatus ibi perspiritum generatur, ergo à multo spiritu multus flatus, modo densus sit, fit adeo vt ferme possent reduci ad duas causas, Sed non est ita, quoniam potest adesse multus spiritus, & densus, & tamen non generabitur flatus, quia locus erit frigidus: & frigiditas potest prouenire, vel ob loci intemperiem, vel ob qualitatem seminis aquei, vel ob renes, & iudicium huius est, quia multi, qui sunt audaces, tamen sunt debiles ad venerem: causa verò corruptionis seminis potest esse in testibus, & in renibus, & in vasis seminariis, & in cerebro. Et quanquam semen sit liquidum, & aqueum, hoc tamen non est, de quo ipse queritur, sed propriè imbecillitas tensionis, quæ, vt plurimum, prouenit à spiritu. Quia tamen in eo non videtur defectus in spiritu cordis, qui proprie contingit in senibus, propterea forsan melius esset, vt existimaremus, hanc impotentiam prouenire ex omnibus causis iunctis simul: tum quia est maxima: tum quia non videmus in corde maximum detrimen tum. Respondes tantæ impotentiæ: & ex hoc soluitur difficultas. Quare est, quòd qui habent semen liquidum, parùm arrigunt, & si arrigant, parùm durat arectio! cum enim flatus fiat ex humore lento, & crasso, si debeat esse constans, liquet, quòd vbi fuerit aqueus, parum tendetur virga. Sed quomodo generetur flatus? Dico, quod hoc decepit Galenum: & maximè, quia fuit contra principia sua. Et quanquam aliquis dicere posset, quod liber de Motibus manifestis (cap. 4.) non sit Galeni, & quod etiam illum retulerunt ob id correctores librorum illius in classem spuriorum. Dico tamen, quod est maximè legitimus, & pulcher, licet ex Arabico translatus, & de hoc non est dubium: sed difficultas est in hoc, quòd pugnat ratio cum suis principiis. Cum enim ipse anim aduerterit, tensionem virgæ fieri imperio voluntatis, id est, facultatis potius imaginandi (nam voluntas nihil agit, nisi quia erigit vim imaginandi, per quam postmodum excitatur virga, dirigitur, tenditurque ac durescit in modum ossis) existimauit, quòd hæc functio pareret virtuti animali,

li, sed cum videret in virga, & lingua præcipuè arterias magnas, & maiores, quàm in aliis locis, neruos autem exiles, videbatur concludi quòd vis animalis transfunderetur potius per arterias (sicut credidit Aristoteles) quàm per neruos: sicut ipse affirmat. Ob id bene respondeo, quod non impletur membrum, quia arteriæ sint magnæ: sed quod arteriæ sunt magnæ factæ ad hoc, vt membrum posset trahere, quantum illi necesse esset ex spiritu. Sed tamen in hoc multipliciter errat. Primum quia negat hoc membrum, puta iecur, concoquere, vt nutriat totum corpus, cum tamen sit verissimum. Et ideò tantò inferior est philosophis, quantò nostrum corpus est inferius toto mundo: imò cum philosophi in mundo statuant vnum finem, cuius causa omnia facta sint, & vna pars in ordinem alterius, Galenus non potest seruare hunc ordinem in solo corpore humano. Et etiam in hoc errat, quia putat veretrum tendi ex flatu educto ab arteriis. Quod si verum esset, fortes viri essent etiam potentes in venerem: quod non semper verum est. Et in erectione virgæ homo debilior redderetur, cum potius contrarium contingat. Propterea dico, & concordo, quòd sicut per vim diffusam a neruo tota virga delectatur in venere, ita in desiderio caro virgæ tota dilatatur, inde flatus trahitur: sed potius generatur ex calore arteriarum virgæ, & materia seminis, cuius indicium est, quod erigitur vltra metam dilatationis, aliter non tenderetur. Ergo si tenditur, fit quia admodum impletur: ergo generatur, & non trahitur. Non est ergo magnitudo arteriarum ob attracti aeris multitudinem: sed ob calorem, vt possit generari flatus multus, & densus. Aliud indicium est, quod deficiente semine, non tenditur virga: ergo tensio non fit à spiritu contento in arterijs. Præterea effuso semine, statim virga remitteretur, quoniam cum spiritu contento in vasis seminarijs exiret etiam flatus: at hoc non contingit, sed aliquibus paulò pòst, quibus semen tenue, aliquibus multò pòst. quibus crassum: aliquibus remanent partes seminis in vasis, aut denuò trahitur aliquid, licet incoctum. Ideo arrigere breui post venerem, est signum roboris in ea actione, & fœcunditatis, & caliditatis earum partium. Ex quo libet videre causam, cur fiant per præcantationes impedimenta magis circa istam actionem, quàm omnes alias: neque enim homo potest præcantari, vt non moueat brachium, aut vt non concoquat, quia hæc actio est naturalis. Illa verò est voluntaria. Et ideo cum non possit imperare voluntati, dubitatio: ideo neque operationi, quæ necessario obedit voluntati. Sed in hoc casu, quoniam vis illa est in neruo, vt dilatetur membrum, alia in corde, vt transmittatur spiritu: per timorem, aut dubitationem, quæ est species timoris, ita & per tristitiam, cogitationem retrahitur spiritus ad cor, & vis non diffunditur ex neruo, quoniam agit quamdiu imaginatur, non vltra: propterea plura accidunt impedimenta in hac operatione, quam omni alia hominis. Horum causâ videmur habere syluam patefactam auxiliorum, quæ consistit in vi cerebri, & neruorum, & ablatione suspicionis, nedum metus, & in vi cordis, & caloris innati, & in caliditate loci testium, vasorum, renum. Et Princeps ponit de ano: sed mihi videtur res turpis illa, & tœdiosa: nec scio, an vellem recuperare vim cocundi iam amissam tam turpi modo. Et ideo dicam de corde primùm: & constat, quòd crocus & Semen citrini, & melissa, & Semen boraginis, & mithridatum sunt ex his, quæ confirmant cor: & forsan cor lupi, & os cordi tauri, & talia. Confectio ergo nostra. Recipe mithrida. ʒ. 3. succhari borag. ℥. 2. hyacynthorum orientalium ʒ. 1. s. citri. Semen boraginis. florum roris marini recenttum añ. ʒ. 1. scobis virgæ tauri, vel cerui, ossis cordi tauri añ. ℈. 2. terantur omnia subtilissimè, & misceantur.

Ad cerebrum oportet adhibere contrarium contrario fallendo illum, quasi sit solutus à veneficio, per quod prohibebatur vti venere. Præterea declaraui *in libris de Subtilitate*, quod nihil est potentius in hoc consuetudine puellæ pulchræ, quam amet, & à qua ametur, & cum qua dormiat absque timore, & suspicione: ideo non sit illa puella virgo. Et cum fuerit tensa virga, faciat, vt puella superequitet ipsum, qui supinus iaceat: & cum bis, aut ter emiserit semen sic in vterum, postmodum assuescat illam subijcere, postquam intromiserit virgam in vuluam, & collum vteri, & concumbere recta ratione: Et aliqui concumbunt in latus, & non est adeo securum auxilium s est tamen aliquid.

Ex auxilijs autem, quæ per os sumuntur, primum est lapis piscis eperlani, quem Angli vocant, sahint: hic tritus (fert autem tres, & de eo scripsimus libro de Gemmis, & coloribus) & ebibitus, fertur facere tensionem perpetuam viginti quatur horarum. Et hoc est primi generis, vt multa alia, quæ subiiciam: nam secundi sunt vnctiones, & olea: tertij amuleta.

Catapocia nostra ad venerem. Moschi, zibeti, Ambræ, an. g. 5. mellis anacardi g. 3. confice catapocia, sumat post cœnam leuem, & pauci potus.

Tertium est magis familiare, pinguedinis stinci, & est animal simile lacertæ, ℈. s. croci, g. 5. moschi g. 1. fiat pillula vna, deuoret vt suprà

Aliud, sed est venenosum. Cantharides sub certa quantitate faciunt magnam virgæ tensionem: sub maiore dementant hominem, sub maiore occidunt. ideo est periculosum auxilium: tamen dantur ad hoc cum butyro recenti, aut lactis pinguedine cocta, quam vocant, caput lactis. Aliud, & est etiam venenosum, butyri recentis. ʒ. s. mellis anacurdi g. 12. scobis virgæ cerui, aut tauri g. 10. misce addendo crocum, aut cinnamonum, & saccharum. Aliud est diasatyrion. Aliud, & est venenosum: opij g. 7. croci g. 3. belzoi g. 5 ambræ g. 2. misce, & cum butyro fiant catapocia.

cia. Aliud pinguedinis hirci ʒ. s. butyri recentis ʒ. 2. ouorum rubra duo, croci, garyophyll. nucis myristicæ. singulorum g. 5. m. & capiat, cum it dormitum. Aliud auellanarum mundatarum ʒ. 2. s. scapi ℥. 1. sacchari ℥, 2. s. piperis ʒ. s. croci ϑ. s. coquantur simul, & fiant morsuli. Caueat perpetuò à lactuca, vitice, ruta, nymphea, portulaca, nec gestet topazium, qui est verè chrysolitus, nec smaragdum, nec hyacynthum. Referut autem noua noctuæ ebibita, venerem excitare: sic enim Georg. Pictorius scripsit.

Præcipui autem cibi videntur esse pisces marini assati, columborum pulli, pasti ciceribus, phaseolis, & fabis, tubera, pastinacæ radix, caseus antiquus, pinguis, & recens, etiam & castaneæ, ciceres benè cocti: & ex præcipuis ponantur, aqua chalybeata sæpius epota per se, vel cum vino, & sumat de hac compositione. Rec. Semerucæ ℥. 4. cumini ℥. 2. piperis ℥. 1. s. portulacæ ʒ. 2. terantur, & fiat puluis, de quo capiat ʒ. 1. cum luteo oui: & cum nescis, quomodo debeas propinare medicamentum ad venerem, dabis cum luteo oui, vel cum melle, vel lacteco agulato. Lac coque cum quarta parte mannæ, & vtere pro cibo, Multum facit panis non fermentatus, bene coctus tamen vtilis est, & comedere cibos calidos multum prodest: & hoc norunt mulieres, quæ cibos exhibent actu calidos suis maritis. Mense Martij exentera gallum iuuenem, & imple sale, & sicca in sole: inde abiectis ossibus, pelle, pluma, carnes tunde, & serua, quantitas est vt granum frumenti: mustellæ virga, & maximè syluestris, in pulueren redacta, confert Et postquam homo ad ueneris vsum per hæc peruenerit, retineat illum moderate: nam superfluus eneruat, & generat morbos periculosos, & difficiles, præcipuè cum fuerit non secundum naturam: & omittere etiam prorsus, est res valdenoxia, illis, qui venerem promptam habere cupiunt.

Exteriùs autem sunt adeps, & sepum, & medulla stinci, hirci, tauri, & cerui: & pyretrum, æructæ semen, oleum sambacinum, seu ex sesemino: & formicæ volantes, & cauda cerui vsta, detractis pilis longis, & radix narcisci, & lilij: & aliquando euphorbium, & cantharides. Bonum ad hoc. Recipe testes vulpis non senis, & eius adipem, eoque contusa cum oleo de sesemino, done reducantur in formam mellis, impone euphorbij ʒ. s pyretri ʒ. 1. s. subtilissimè contritorum, formicarum volantium ʒ. 2. misce, pone in sole, facit erectionem violentam.

Similiter olei Eryng. olei raphani an. ℥. 1. s. olei synapis ℥. s. formicas alatas numero centum, contundantur, ponantur in Sole: adde g. 5. moschi, & vtere. Dico dum essem libidini deditus, tale quid confeci, vexauit me, adeovt non dubium sit in huiusmodi oportere expeti diuersa, quia quædam, adeò faciunt violentam erectionem, vt homo disrumpatur tentigine. Sed sæpe erectio illa est sine tentigine, & coeundi desiderio: sed hoc sufficit in hoc casu. Sed quod iuuat vnum non iuuat alium, propter diuersitatem causarum prohibentium erectionem: de quibus dictú est. Et ex facilibus auxilijs est munctio ex solo felle tauri. Et ex amuletis dicunt, quòd fel vrsi adalligatum femori dextro, erectionem efficit validam: & quod deferre ferrum secum, quo homines interfecti sint, aufert veneficia, quæ impediunt concubitum. Dicunt etiam crocodili dentem ex maxilla dextra brachio dextro adalligatum multum conferre. Et ad idem ratione naturali proprius theriaca cum hypericone ebibita: & suffumigium ex eodem nudo corpore in caldario exceptum. Nostrum Rec. zibeti noui ʒ. s. moschi orientalis g. 6. pinguedinis asini ℥. 1. olei de belzoi ʒ. 2. crabones viuos, inde contusos tempore Veris no. 4. misce, pone in sole, vel si non habes crabones, pone g. 15. cantharidarum, aut pythiocampe: & canis etiam vermium, qui sub loco niue contecto nascuntur, & sunt rubri, est valde bonus: & assæ fœtidæ ʒ. s. pro catapocio sumpta. Melis quoque testes in puluerem redacti, vel si edantur cocti, sed est penuria horum vtiles sunt, ideo critiis, vt dixi, vtimur pinguedine ad vnctiones, renibus, & testibus pro medicamento. Priuatim autem dicebat Paulus, quod simile miraculo est, stellionem in cinerem redactum, & cum oleo magno digito pedis inunctum, adeo excitare venerem, vt opus sit abluere digitum, vt satyriasmus cesset.

CONSILIVM XXI.

Pro spirandi difficultate.

IN casu isto, magnifici viri, cuius ætas est annorum triginta trium, vel circa, tempus anni vernum, temperatura naturalis satis bona, cerebrum calidum, & siccum: tum quia est breuis somni: tum ex habitu ventriculi ascitita frigida & humida: tum ex vrinis: tum quia facilè cruditatibus vexatur: & causâ etiam externâ permutata est temperies cerebri ad calidam, & humidam. Dico permutata, quia sicca factaest humida, calida facta est calidior, quoad qualitatem: frigidior autem, quo ad naturam. Nam ex caliditate illa externâ veluti insolationibus, & immoderatis, aut intempestiuis exercitationibus rarior facta est substantia cerebri, & præcipue humidum, quo continetur. Igitur calor naturalis est factus imbecillior: ergo cerebrum minus concoquit, & plus trahit humidi. Igitur est necessaria maior distillatio. Et quoniam coloris præternaturalis proprium est separarare: igitur guod tenue est vt tenuius: & propter hoc fit destillatio primi modi, aut secundi. Et destillatio primi modi fit per foramina palati: & est multo minus periculosa, quàm illa secundi modi, quæ fit per venas, de qua Galen. *tertia Aphoris. (com. 13.)* quòd verò est crassum, paucum est, & necesse est, vt dirigatur per aliâ viâ. Téperatura verò iecoris est calida ascititia, quoniam vẽtriculus est frigidus: & ideo solũ hæc intemperies, & si vtraque calida sit, stat cum

bono

bono habitu. Nam calida ventriculi cum frigida iecoris efficit leucophlegmatiam nigram:& hoc accidit rarò Dico, vbi sit calida,& sicca,& alia frigida,sicca,vel humida,atque vbi fuerint ambæ frigidæ, & humidæ, efficiunt morbum,qui vocatur alba pituita. Est etiam alia ratio, quia iecur cogitur emendare lapsum ventriculi. Vrinarum,quas vidi,prima fuit in genere primo sed non exactè tamen crudarum:secunda fuit bona in colore,& cum contentis, sed crassioribus propter exustionem. Cum verò neque muneri cuiquam addictus sit, nec proprietatem vllam habeat, finem faciat naturalibus dispositionibus.

Propter naturam autẽ,quod primum occurrit,est symptoma cuius nomen propriè est orthophnœa,scilicet spirãdi difficultas,quæ cogit ipsum surgere,aut saltem surgendo cessat. atque hic duplex esset dubitatio, Vna quidem, quia si secundum Galenum pulmo extenderetur extensione pectoris, & vt dici solet ad vitandum vacuum,fieri non posset, vt pituita plenus,ne dũ pauca infractus, non distenderetur? Ad hoc dico quod aer aliquanto plus rarescit tunc, & pectus tanto minus distenditur. Altera pulchrior longè cur quædam difficultates spirandi grauiores non exigant rectum situm,aliæ leuiores exigant? Et causa est,quoniam vbi situs nil iuuat,decumbunt ægri libentius ob commodum.id autem contingit,cum fuerit symptoma leue, vel ob consuetudinem vel imbecillitatem, vel quia materia est in latere vno, vel quoniã pondere distendit,vt in scirrho vel vomica. Est & aliud de pustulis in mento natis quæ pruritum efficiunt,leue symptoma, quod nec operationem lædit,nec ex morborum genere est qui circulares sunt.

Circa nomen morbi dicitur ὀρθόπνοια, id est orthopnœa,quod est recta spiratio, id est quod non possunt spirare, nisi recti maneant:ideò est nomen à symptomate, non à parte, ἀπὸ τοῦ ὀρθὸς καὶ πνέω: causam reddebat Galenus *secundo Prorrhitici his verbis*: Hippocrates verò proprio differentiæ nomine appellauit, inquiens, orthopnœam, id est rectam spirandi difficultatem inferre ipsas. Vocant autem cum ipse,tum cæteri omnes orthopnœam, illam difficultatis spirandi speciem, in qua iacentes suffocantur, & vix recto thorace sufficiunt, nihil dilatato dorso. Nam cum aspera arteria principium à gutture habens in pulmonem diuidatur:quoties quidem thoracẽ cum collo rectã extendimus, arteriam ipsam dilatari contingit, atque etiã,quæ ex ea in pulmones distribuuntur propagines omnes: atque interim regionem augeri eis internam. Ob id sanè & in peripneumoniis orthopnœa fit, & in appellatis asthmaticis affectibus: ob id ipsum & in grauissima angina, in qua phlegmone obsessi gutturis internis musculi viam respirationis intercludunt. Intenditur autem & huiusmodi affectio cubantibus, suscipiente augumentum angustia. Videtur sanè *quarto in sextum de Morbis vulgaribus*, velle, quod orthopnœa fiat,cum sine febre est, vel ob tuberculũ,vel ob crassos,vel lentos humores in pulmone viam spiritus obsidentes, scilicet asperas arterias, quod etiam affirmat *in primo de Difficultate spirandi*, vbi docet,eam respirationem esse cum paruo & crebro & veloci spiritu: nos autem diximus esse ex tenui materia. Sed forsan hæc difficultas soluitur ex illis verbis: Siue etiam ipse pulmo induretur, aut obduretur, aut intumescat, velut in pulmonicis, & peripneumonicis appellatis vitiis contingit. Vna enim in omnibus coniuncta est causa,ob quam parua inspiratio redditur, coarctatio videlicet asperarum arteriarum, propterea verò quod parua ipsa est, ob id etiam (vt sæpe dictum est) densitas & velocitas accedit. Videtur Galenus duas tantum causas cognouisse orthopnœæ. Vnam siquidem, cum ex tuberculis vel ex materia crassa & lenta obsessæ partes asperæ arteriæ prohibent liberã respirationem:quod admodum frequẽs est,neque hoc in dubium reuocari potest. Secundam cum vel phlegmone vel indurato pulmone, vel eo multã materiã repleto,tensoque (nam crassa vis substantiam illius permeare potest) asperarum arteriarum dilatatio prohibetur: quod quidem duas habet difficultates, quãtum ad materiam tenuem pertinet (nam de abscessu & duritie non est mihi sermo,cum ad præsentem casum non permeat) cum materia tenuis vix possit adeo aggrauare asperas arterias,vt dum homo erectus est, laboret difficultate spirandi, & tamen contingit. Ergo non est per compressionem arteriarum. Itaque nisi fuerit quam multa, vt in Archiepiscopo Scotiæ primario Ioanne Amulthone, quem honoris causa nomino: hic enim repente incidebat in huiusmodi affectum orthopnœæ, & in spacio viginti quatuor horarum eiiciebat ad summam trium aut quatuor librarum materiæ tenuis sine vlla parte crassa,& tamẽ cum erectus erat,adhuc grauiter respirabat, cum iaceret, prorsus non poterat, permansitque per decem annos, licet curatus à medicis Regis Gallorum, & Cæsaris, cum ipso morbo, donec liberatus fuit à me iã tredecim annis exactis,& adhuc viuit. Dico ergo quod pauca materia tenuis non posset facere hunc morbum,neque crassa,nisi sit in arteriis asperis:& tunc excitaret tussim,quã tunc ipse non habebat,imò etiam,vt dixi,vix à multa tenui posset incurrere hunc affectum. Ergo relinquitur tertius modus non à Galeno consideratus, nec intellectus:& est,quia Galenus solum hoc considerauit, quod omnis respiratio fit aere transeunte per asperas arterias:& hoc est verum. Inde sua præclara dialectica sic argumentatur. Respiratio fit aere permeante asperas arterias: ergo impedimentum respirationis fit ex impedimento in ipsis asperis arteriis,vt aer non possit permeare, & admittit fallaciam cõsequentis:sed debuit dicere,Ergo fit ex impedimento prohibente,ne aer liberè possit permeare per asperas arterias, & sic cõludit bene. Ecce quod ex ignorantiâ Dialecticæ concluditur vnum, quod primum est causa erroris, in assignando differentias ipsius morbi,cũ sint tres, & ipse ponit solum duas, & multo magis in ratione prædicendi,& deinde curandi, quod magis refert, quia hic est scopus patientis, vt sanetur, & modò

modò consequeretur illum, non curaret de alio, Dico ergo, quòd morbus est triplex: vnus est per essentiam in aspera arteria, cum vel materia crassa, vel lenta obstruit viam spiritus, & potest dici etiam morbus per consensum, vel secundarius, vt suprà docuimus: imò verè sunt duo genera morborum Secundus est per consensum simplicem, scilicet cum ex pulmonis onere, aut duritie asperæ arteriæ dilatari, vel non facilè, vel non quantum oportet, possunt. Atque hos duos modos Galenus cognouit, & animaduertit, quamuis non perfectè vt dixi. Tertius est, vbi aspera arteria committitur arteriæ venali: ibi enim est septum carnis pulmonis, per quod transit aer. cum enim in arteria venali sanguis contineatur, vt Galenus, & Vesalius (lib.6.cap.7. in fine) author est, & arteriæ quidem venalis rami in anteriori parte attenduntur, venæ autem arteriali in posteriore, necesse esset ergo, vt sanguis permearet in arteriam asperam: atque ita homines expuerent sanguinem, quamuis sani existerent. Intersepiuntur etiam vt ille author est, vasa vasis tunica quadam tenui. Ergo conseptum hoc impletur humido tenui, vel etiam crasso: quod raro tamen accidit. difficultas spirandi euenit orthopnœa, sine vitio vllo asperæ arteriæ. Solum relinquitur difficultas, cur fit, quòd erectus respirat, decumbens non respirat? nam videtur, quòd si illa est causa, vt non debeat magis respirare erectus, quàm decumbens, si septem plenum in causa est. ideo dico, quod etiam in eo situ, scilicet dum decumbit, non potest extendi caro, vt rarescat, & vt aer pertranseat: inditium autem est, quòd fit propter hanc causam. Nam difficultas spirandi prouenit, vel propter multitudinem materiæ, vel crassitiem, vel ob locum: sed non ob crassitiem, quia non excitat tussim: nam si esset in aspera arteria excitaret tussim: & in substantiam non potest penetrare: & si esset multa, appareret in sputo. ergo est ratione loci. Est etiam proprium eius, quæ fit ratione loci, vt surgendo soluatur, quod ei contingit: cum autem morbi duorum sint generum, acuti & diuturni, dicebat Galenus, orthopnoea, & exprimit eam nomine proprio, est ex genere illorum, qui sunt diuturni cum accessionibus acutis, quod multum refert ad curationem, imò est necessarium scitu. Superest, vt dicamus, quia Galenus 4. *de Causis pulsuum cap.*21. vult, quòd in orthopnoea, respirationes sint celeres, crebræ, & paruæ: nos autem declarauimus, quòd in orthopnœa, dum viget, cessat inspirario aeris, & expiratio: ergo respiratio erit rara. Respondeo dupliciter: primùm, quod Galenus præsupponit, quòd homo semper respiret: sed illa respiratio est parua: & ideo, vt suppleat, necessitati cogitur natura addere celeritatem, & crebritatem. Dato etiam, quòd omnino prohiberetur respiratio illa, quæ fit parua: igitur quando fit, erit celer, & crebra, adeò vt dictum Galeni sit sic intelligum: scilicet quod respiratio orthopnœæ semper est parua, & celer, plerunque etiam frequens tota: semper autem in parte, etiam quod esset rara, & intercepta: nam non potest esse vnquam rara absolutè, sed solùm rara mista: necessario tamen semper est parua, & crebra

Morbus igitur materialis est in pulmone, & est impotentia extensionis pulmonis facta propter materiam contentam in eo: symptoma ergo est notum sensui, quia est impotentia tractionis aeris: morbus impotentia distentionis pulmonis. Et ideo ignotus sensui: & notus solùm secundum rationem. Et ideò notandum est, quòd difficultas spirandi per se primò est in inspiratione, quia expiratio fit considente pulmone etiam in pectore, vt innuit Galenus secundo de Motu musculorum *cap. 9. in princip.* sed ad inspirationem prohibitam sequitur prohibitio expirationis: tum quia non potest deprimi, cum non sit eleuatus: tum etiam, quia materia deest, quæ exprimatur: & maius est nocumentum in huiusmodi defectu expirationis, licet non sit per se primò, quàm inspirationis, cum sit per se primò. Et hoc est, quia in defectu exspirationis retinentur fumi noxij, qui suffocant cor, cum in inspiratione sit solùm languor quidam, & defectus animi. Secundò, quia expiratio est magis remota: vt enim aliàs declarauimus, tempus inspirationis est fermè triplũ tẽpori expirationis: & ideo, antequam redeat expiratio, oportet, vt inspiratio fiat: quæ cum sit impedita, homo disponitur ad consumptionẽ corporis, & tabem, multò magis propter impedimentum expirationis, quàm inspirationis. Atque hic primus morbus dicitur secũdarius, seu per consensum materiæ: & quoniã est diuturnus, & ni fallor, lustralis & ideo necesse est, non dico verisimile, quòd sit etiam morbus per essentiam: & ratio est, quia cum pulmo non respirat: incalescit: ergo dissoluitur eius humidum, & acquiritur calida intemperies, & laxitas, & imbecillitas caloris naturalis: & ita iam habemus duos morbos. Tertius est cerebri qui habet rationem causæ: & quia descensus ipse non vitiat operationem, sed præsentia materiæ: ideo erit causa morbi, & non morbus: sicut etiam materia in cerebro. Sed intemperatura in ipso cerebro, est morbus: ab eadem autem temperatura mala, cuius causa fuit externa, procedit materia duplex, de qua dixi: tenuis, quæ defluit ad pulmonem, & crassa, quæ defluit ad mentum, & circumuicinas partes. Ergo iam sunt quatuor morbi manifesti. Sed venio ad principalem, id est difficultatem dilationis pulmonis, ex qua prouenit læsio operationis propriæ, quæ est attractio aeris, & est symptoma, & cuius causa est materia à cerebro defluens. Et non est continuum, quia defluxio continua non est, & etiam quia non est morbus in intemperie: ideo non est euidens continuitas, etiam quod materia sit præsens: cum enim fuerit pauca, vt non impediat vitam, habet rationem neutri. Vtrum verò morbus per essentiam sit semper continuus? dico, quòd sic, ex Galeno, vt supra dixi (*In diuisione morborum*) & Halyabbas, cum morbus fuerit continuus, & firmus, est per essentiam: si verò non sit huiusmodi, est ex aliis menbris 9. *Theor. cap.*1. *& demonstratio* est huiusmodi: si morbus

hibendo morbos tollatur:igitur cuſtodia potiſſimum in hoc conſiſtet, & in duabus antecedentibus cauſis, ſicut & curatio acceſſionis ex vltimæ cauſæ remotione: tum verò ex penultima etiam, vt quod nondum fluxit, fluere prohibeatur. Curatio verò vera eſt per remotionem primæ cauſæ, id eſt, intemperiei cerebri: nam etſi remoueatur ſecunda, & non poſſit fieri morbus, neque acceſſio, tamen non eſt vera curatio, cum primùm cauſa maneat. Et ideo cadit difficultas, an ſublata ſecunda cauſa, vel tertia, dicatur ſanatus morbus, manente prima: atque vtinam hoc definiſſent medici. Dico ergo, quòd prima cauſa alia dicitur generis, alia ſpeciei. Velut in dicto morbo cauſa generis eſt intemperies in cerebro: & ideo illa manente poterit auferri ſpecies: ſicut manente animali, poterit auferri homo: ſed ſublata cauſa generis, neceſſe eſt auferri omnem ſpeciem. Ergo cum intelligunt medici auferendam eſſe cauſam, intelligunt, quod oportet auferre neceſſario cauſam primam ſpeciei: quòd ſi auferatur prima cauſa generis, neceſſariò aufertur ipſe morbus.

Ergo modus curationis debet ſatisfacere tribus intentionibus: ſcilicet vt prohibeatur ſymptoma: vt alleuietur: & vt cauſa ſymptomatis auferatur, quæ eſt morbus. Sed quæ ſymptoma alleuiant, non niſi eo tempore ſunt adhibenda, quo acceſſionem patitur: ideò de illâ ſeorſum dicendum erit: & quoniam, vt dixi, vni ſcopo intendendum eſt, ideo quiſnam præſtantior ſit ſcopus quærendum eſt? Cum ergo, vt dixi, poſſit hoc referri ad deſcenſum, deſcenſus eſt facilior in prohibitione, ſi ſit deſcenſus per palatum, ſin per venas, eſt difficilior: rurſus ſtante intemperie, difficillima eſt prohibitio generationis in cerebro illius pituitæ. Ergo relinquuntur duo modi faciliores: auerſio, ſi ſit deſcenſus per palatum: poſtquam eſt mutatio intemperiei, quæ eſt melior cura morbi ſola: quia curatio morbi per ablationem cauſæ ſpeciei perſæpe curat morbum permutando illum, adeò vt dicatur ſanatus morbus, ſed non æger. Velut ſi ex orthopnœa generaretur arthritis, aliquando ſanatur verè, vt ſi deflueret ad nares: ſed ſanatio, quæ fit diuertendo à venis, eſt difficilior, quàm ea, quæ fit mutando intemperiem. In his autem triplicem rationem obſeruare oportet. Prima eſt, vt curemus, quòd facilius curari poteſt, & perfectius: ſecunda, vt curemus id, per quod minus corpus malè ſe habeat (ſæpe enim curando vnum morbum, creamus alium) tertia, vt curemus per ea, quæ faciliora ſunt: nam ægri aliquando refugiunt huiuſmodi curantes, & maximè, cum fuerint longæ. Et quoniam omnes hæ curationes conueniunt in manus operatione medicamentis & ratione victus, ideo de his dicendum erit, & maximè quatenus vna intenſio ſubſeruit alteri: vt potè paucitas generationis humoris facit, vt natura non adeò cogatur deriuare illam materiam ad locum læſum: & quoniam ratio victus exquiſita fermè in omnibus ſufficeret: eóque argumento id comprobat Galenus *6. de Tuend. ſanit. cap.* 31. quòd, qui membrum aliquod imbecille habent, multis tamen menſibus bene degunt. Alia non adeò eſt exacta: ſed tamen in qualitate eſt accurata, in quantitate etiam ſatis tenuis: de qua dicebat *in libro de Attenuante victu* (*capite primo.*) Morbi longi non ſolum ſanabiles, ſed etiam multi alioquin inſanabiles ratione victus ſanantur. Et quod in omnibus morbis longis præcipuè eſt illa curatio, quæ fit per rationem victus, per quam intelligo non ſolum quantitatem, & delectum ciborum, & medicamentorum electionem, permiſtionem, & præparationem, ſed etiam exquiſitam illam, & ſummam, & exactam menſuram à Cornario introductam, quam ferre difficile eſſet, ſed etiam in vna quaque ſex rerum non naturalium moderationem, quæ ſola ſufficeret ad curandos morbos: quam etiam intellexit author libri *de Med. expert. cap. vlt.* Et illa etiam non erit adeò exquiſita, ſed ſufficiebat delectus maximus & cuſtodia in quantitate, & præparatione, & ſanarentur morbi, qui non poterant ſanari ab aliis. Et in huiuſmodi (ne videar ſemper vagari in vniuerſalibus) dico, gratia exempli, quòd abſtinentia à vino perpetuò liberaret ipſum. Et hoc multis de cauſis veriſimile eſt. Prima, quia multi ex huiuſmodi morbo ſic liberati ſunt, qui grauius laborabant: ergo veriſimile eſt in leuiori. Secunda cauſa, quia materia ubi non adeò aſcendit ad caput (nam proprium vini eſt tendere ad caput, & eò deducere materias) cum ergo materia, alimentum fuerit multò minus, neceſſe eſt bifariam multò minùs reſecari ex excremento, ſcilicet quia minus ex minore pari proportio melius concoquetur: ergo minus reſecabitur excrementi etiam, quam ex tantundem alimenti delati cum reliquo pluri. Tertia cauſa, quia materia illa fit craſſior: & ideo non poteſt deſcendere per loca arcta. Et etiam, quia dicebat Hippocrates, comitiales morbi mutatione victus maximè liberantur: & intellexit de huiuſmodi ratione mutationis victus, ſicut apparet manifeſtè noſtris temporibus in aqua ligni ſancti, & ſarzæ pariliæ, & cinæ, & talium, quæ in tam breui tempore tantam faciunt mutationem in corporibus noſtris: & curantur adeò graues morbi, quantò magis in longiore valde. Et ratio etiam eſt clara, quia potus eſt longè maiore quantitate, & totus fermè permeat per venas, vt Galenus vult *primo de Facultatibus naturalibus capite vlt.* Accedit alia ratio principalis, quoniam permutatur tota ratio concoctionis, ergo totus ſtatus hominis. Scio quid poſſit dici: ſed in iſtis mutationibus cauere oportet diligenter omnes errores, & maximè ab initio, & etiam efficere decoctum valde vtile vetriaulo, velut ex ſaccharo, & cinamo, & macere: nihil enim poteſt eſſe vtilius aut gratius. Eſt enim bene odoratum dulce, & aſtringens, ſi quis velit addere modicum gariophyllorum, & mentam tenuem, rubram, paruam, odoratam, erit vltimum. Quòd ſi quis obiiciat, quorſum hæc, quia eo præſidio vti nolumus? Reſpondeo, quòd ſatis eſt, vt poſſit, quando velit, ingraueſcente morbo,

O 3 tueri

tueri se,atque sanare perfectè.

Ergo, vt ad institutum reuertar, cum duæ simul tractentur intentiones: vna quidem, vt intemperies cerebri corrigatur, quæ propriè ad sanationem morbi pertinet: alia, vt materia non generetur, quæ ad custodiam tendit: nam de diuersione illud mirum est, quòd cum sit propior causæ coniunctæ, attamen non solum magis facit ad custodiam, sed etiam ad sanationem. Cum ergo via intentio, si possit haberi finis, sufficiat ad tres scopos, & tamen non sumus certi de adeptione finis, & possumus assequi vnum, & non alium, scilicet quem minùs sperabamus assequi, & quem magis non assequi: ideo debemus dirigere intensionem primam ad causam generis, id est, intemperiem cerebri, & interim in his, quæ necessariò præter primum intentum, & conferunt aliis, videre, quæ spes succedat. Exemplum. In regimine euacuationis iuuat manè inungere nasum, etiam attrahendo aquam tepidam, & siquidem præter spem (neque enim credo) multa materia deflueret, esset fluxio primi modi, & posset curari per errhina. Et huic modo confidit Galenus valde, & illum præcipit *sexto de Tuenda sanitate cap.* 12. Sed iam incipiamus.

Quo ad animi affectus, oportet vitare iram, odium, & tristitiam: nam si tristitia iungatur cum vigiliis, posset deducere ad insaniam. Et hic est dubitatio pulchra: quia videmus multos, in quibus pituita copiosa descendit ex cerebro quotidie, transire nihilominus in melancholiam, cum ratio videatur ostendere oppositum: sed si cum tristitia somnus coniungatur, multùm augebitur morbus. De inanitione. Habeat beneficium ventris quotidie, & consideret, quòd multitudo vrinæ significet liberationem, & cum supprimitur repente vel cum parùm mingit, & plurimum comedit, & bibit, statim experietur hoc symptoma, vel grauedinem loco eius. Et similiter procuret emunctionem narium singulo mane, & Venus potius nocet, moderata tamen aliquando iuuat: & medicamenta purgantia aliquando excitant symptoma. De motu. Exerceat se manè, & ita etiam deambulet, sed caueat solem, ventum, pluuiam, & omnia loca humida: à cibo assumpto prorsus quiescat, neque legat, neque scribat ante cænam: tamen si leue fuerit prandium, aut senserit se concoxisse, deambulatio vtilis est. Exercitium verum potest multò maiora mala afferre, quàm bona: vt est ludus pilæ, armorum & agitatio equi validi, & ascensus concitatus ad montes. De somno. Multi dicerent, quòd esset malus: dico ergo quantò prolixior, tantò melior: nam si corpus sit mundum, exiccat cerebrum à superfluo humido: etsi fuerit plenum, concoquit, non vt iuuent excrementa, quia nulla repletio vtilis esse potest: sed quia minus nocebunt, vitetur tamen meridianus. De Aëre. Sit tenuis, purus, & siccus: nam de his non est dubitatio. Si posset haberi, temperatus: neque in hoc dubium est: sicut neque quod in æstate frigidior, in hyeme calidior, & quod tranquillus securior est flatuoso. Sed dubium est vbi non possit haberi temperatus, qui nocentior, calidus, an frigidus. Et dico primùm, quod frigidus post caldum semper est pessimus: & item mutatio aeris ad calidum, vt in Caldariis, quæ aliqui vocant hypocausta. Sin verò naturalis naturali comparetur, quietus frigidus melior est, calidus cum motu, quia non potest multum calefacere, & plurimùm exficcat: vitare tamen oportet insolationem, etiam cum motu: sed in rheda vtilis est. Cubiculum debet esse leuatum à terra multum, nisi fuerit in monte, & habere fenestras ab oriente, quæ semper apertæ maneant, & à septentrione, ac meridie directè sibi appositis, quæ semper debent manere clausæ, nisi flante aquilone sereno, à tempore Veris vsque ad Autumnum: lauet sæpe pedes ieiunus, & munda lintea induat, caput rarò cum lixiuio calido diu cocto, cum pauco cinere: odores nulli boni, nisi voluptatis causa, inter quos rosa, & santalum sunt meliores. Cum dormit, integat se pannis multis, & maximè ab vmbilico infra: deuitet aërem nocturnum, & vtriusque crepusculi, & maximè extra æstatem.

Potus sit vinum album, leue, tenue, purum, paucum: cibus, panis leuis admodum, carnes assatæ potius, quam elixatæ, nihil fixum, ex acetariis crudis nullum bonum: melior tamen menta, & melissa, omnia benè cocta & mansa, nulla legumina, nullæ radices, fungi pessimi, olera valde cocta non vtilia, tamen edi possunt. Ex piscibus: perca, gobius, lucius, aurata trotta, asini, & omne genus eorum, & generaliter plani, lati, leues, squammosi, tenues, candida carne, mediæ ætatis, & magnitudinis, masculi recentes in aquis currentibus, & splendidis. Nullus cibus ex lacte, nullus ex farina, agnina assata bona est, hædi, si pinguis sit, assata, sin minus, virulenta: quæ à proprietate iuuant, caro pulmonis, caro ericij, ius cochlearum, ius testudinum. Sed neque carnes ipsarum, multò minus cancrorum, aut astacorum, vel ranarum bonæ sunt. Acetum, oleum, sapa, mel, saccharum, vtilia sunt, malum limunium. Et fructus omnes, præter vuas, ficus, & pruna bona sunt, id est, possunt edi: fructus oleagini petunt caput, ideò mali: pistacia, amygdalæ, auellanæ, nuces, pineæ, & omnia aromata: item omnia acria, allia, porri, cœpæ, ascaloniæ, & huiusmodi. Diuersitas quoque ciborum: vnde etiam tortæ malæ. Et edere ante famem, aut nondum concocto cibo, aut sine ordine debito, omnia mala.

De sectione venæ, vel cucurbitulis, nil, nisi propter febrem, vbi adesset, neque prouocatio hæmorrhoidarum: ideo de his non agam.

Sequitur de medicamentis. Talia sunt multorum generum vtensilia, propria maxima, horum singula rursus diuiduntur in præparantia, & purgantia, & permutantia: quæ diuiduntur rursus in intus assumpta, & topica: quæ etiam diuiduntur in pulueres, lotiones, & cerata: sylua multa est chrestica. Recipe masticis electi mollis ℥. 2. Agarici electi valde ℈. 2. Pulueris corallorum rubrorum ʒ. 5. Cardamomi maioris ǥ. 5. cum melle rosaceo, fiat massa pillularum. Præparantia: ℞. syrupi de

bus est per essentiam, erit perpetuus: ergo operatio læsa membri perpetua. Est enim morbus causa præter naturam per se primò lædens operationem. Princeps autem, cum attigerit *secunda primi Doc.* 1. *cap.* 8. hanc difficultatem, *in secundo loco Doc.* 3. *cap.* 2. comparat duos morbos simul per essentiam, & per consensum, non autem seorsum: nos autem quærimus, oblato morbo, scire, an sit per essentiam, an per consensum: ideo non est ausus hoc declarare ob magnam difficultatem, quæ erat in ipso quæsito. In primo dicit multa præclara, sed non docet cognoscere: quæ tamen ibi adducit, faciunt ad intellectum propositi. Sunt ergo tria genera morborum: per essentiam, per consensum, & secundarium. Primarius, si sit sine materia, vt demonstratum est, est perpetuus cum suo symptomate, & euidens: vt insania ex siccitate cerebri: si cum materia, vel materia inducit intemperiem, & est morbus continuus, & euidens, licet modò maior, modò minor: non tamen æqualis, quia materia est pauca, morbus est paruus, cum multa magnus: & tunc necessario duo sunt morbi: vnus, per quem materia generatur: alter, quia materia genita sit. Nec est necesse, vt sint similes: nam intemperies à materia gignit dolorem, & intemperies quæ generabit materiam, erit solum naturalis caloris, diminutio, quæ dolorem non facit. Sed si materia nō faciat morbum in intemperie, sed in compositione, vel separatione partium, erit etiā morbus cōtinuus, & symptoma, vt dixi, continuum, sed non euidens: vt in comitiali per essentiam: licet enim non perpetuò sint prostrati, sunt tamen perpetuò læsi. Et quia aliqua materia posset lædere operationem, vt esset morbus continuus, non tamen necesse est, vt dolor sit opera propria læsa comparatione illius qualitatis. Velut si quis habet frigidum ventriculum per materiam ibi genitā, quia non potest esse morbus sine suo symptomate, dicamus, quod sequatur debilitas concoctionis primò, & dolor: debilitas cōcoctionis erit perpetua propter rationem dictā, non tamen necessarium est, vt dolor sit perpetuus, sed cum materia solum fuerit multa, & intēperies magna. Ad hoc dico, quod necessariū est, vt sit & euidens, quia in similibus eadem est ratio totius, & partis, nisi per exiguū tempus. Et etiam quia illa materia iam consueta ibi manere, & genita in eodem loco, ob similitudinem non faciet dolorem. Ita omne symptoma, quod non est continuum ostendit, morbum non esse per essentiam. Morbi autem per consensum, velut vomitus ex vulnere cerebri, propter neruos sextiparis, sunt continui, quotiescunque sunt magni: sed cum sunt parui, non sunt necessario continui, quia poterit tam parum affici cerebrum, vt ventriculus nullo modo afficiatur. Morbi verò secundarij, qui fiunt à materia transmissa, sunt plerunque non continui, cum prius materia expellatur, aut consumatur, quàm alia noua denuò fluat. Si verò noua anticipet fluere, antequam finiatur reliqua, tunc confertim fluit: & tunc habent exacerbationes. Et ita istis duobus casibus morbi secundarij dignoscuntur à primariis. Et nos sumus in casu manifesto morbi secundarij, cum non sit exacerbatio, imò vera accessio. Sed si in perpetuis defluxionibus morbus poterit esse cōtinuus, & euidens, aut continuus, & non euidens: sed pro distributione à morbo primario, in quo contingunt ambæ hæ differentiæ: quamuis posset distingui per alia signa externa, vt faciunt authores. Pulchrum tum est illos distinguere per propriam differentiam. Dico ergo, quod morbus primarius distinguitur à secundario per continuam fluxionem, cum fuerint ab intemperie, quia secundarius non semper est euidens: quia membrum cum sit sanum, & materia valde modica, tunc non est euidens læ o. Sed in separatione continui, & compositione differunt, quia primarius magis seruat circuitus, quàm secundarius: in ipso enim per se, & ex casibus faciliùs peruertitur circuitus, quo ad tempus, & quo ad magnitudinem. Et quantò hæc cognitio est difficilior, quo ad sensum, tantò vtilior euidenter in multorum morborum obscurorum cognitione afferenda. Morbus autem, qui est in mento, est è genere tumorum, & symptoma est color mutatus: & ideo vellem scire à Galeno, vbi cutis non esset mutata in colore, quale esset symptomata huius morbi. Est igitur morbus in compositione, & in via.

Quod ad causas attinet, omissis internis tanquam notis, dico, quòd calor, & frigus sunt causæ procatarcticæ, augentes morbum. Sed calor vno modo tantum, scilicet colliquando pituitam, vt descendat: frigus autem trifariam. Primùm quidem constringendo per antiperistasim effectum producit, quem calor: secundò, quia frigus maximè lædit cerebrum, vt docet Princeps prima tertij, tertiò lædit, pulmonem offendendo, qui maximè patitur à frigore, eodem Principe teste *decimatertij Tract.* 1. *cap.* 3. Quod verò ad alias causas attinet, est immoderata repletio, & maximè vini, & potentis, tum etiam ciborum plurimum nutrientium, & exercitatio post cibum, & omnes causæ cruditatis: & venus immoderata, & insolatio solet afferre præsens damnum, & similiter habitare in locis frigidis, & humidis, & in hyeme, & in cubiculo exposito Boreæ, vel Austro, & in constitutionibus australibus, & borealibus, & vehementer humidis, & tempestuosis: nam orientales, & occidentales sunt mitiores. Odores quoque vehementes graues sunt, & iacturam afferunt, & maximè calidi: nam aliud est de odoribus, qui sunt potestate tales, & de aëre, qui est actu calidus, aut frigidus. Et operatio ipsa non est inter causas, sicut in dentibus, & quibusdam aliis membris.

Prognosticum scimus, quod morbi aliqui sunt ex toto genere lethales, vt phthoe: aliqui omnino sanabiles, vt simplex tertiana, & pura: aliqui neutro modo, vt claudicatio: aliqui vtroque: nam parui sanari possunt, & non confirmati magni, & confirmati, vel saltem valde magni, vel valde confirmati, non possunt. Sic ergo morbus est ex hoc quarto genere. Vnde rursus cadit difficultas, sub quo istorum generum hic ipse collocetur?

nam in quarto genere omnes generis differentiæ collocantur. Et hoc est, quia compositum est, & differentiæ generis competunt speciei. Et respondeo, quòd morbus hic non est lethalis, nisi augeatur, neque sanabilis, nisi minuatur. Ergo istud quæsitum est perinde, ac si quis quærat, an iste morbus augeatur, an minuatur? Et clarum est, quòd augetur per se: ergo cum malo regimine est lethalis; & quia parum augetur, & est morbus natura longus: igitur cum bono regimine in melius semper transmutabitur: neglectus igitur est lethalis, sed post tempus bene curatus est sanabilis. Est tamen per se primo in genere lethalium: ideò magnifaciendus, etiamsi leuissimus sit. Et si quis obiiciat, quòd morbi diuturni non solent sanari, quacunque custodia etiam adhibita, & quòd experimentum id ostendit: & sunt multæ authoritates de hoc medicorum, quòd morbi confirmati vix curari possunt. Respondeo, quòd verum est, quia quotiescunque exceptiones sunt multæ, videntur facere propositionem oppositam generalem illi, à qua excipiuntur. Primùm ergo morbi frigidi in senibus: vnde illud: Dolores renum in senibus non sanantur: & similiter grauedines, & raucedines in valde senibus non maturantur. Secundò si iam facultas amissa sit, vel magna ex parte: vnde illud: Surditas antiqua non sanatur. Tertiò, si corrupta sit pars: vnde illud: Vlcera annua, corrupto osse, necesse est caua fieri. Quartò, si maneat causa, velut à formatione deducta, vel à grauissima fluxione. Quintò, si morbus sit cum causa per circuitum, velut mala coctio in ventriculo, propter descensum pituitæ ex cerebro: nam descensus, est causa malæ coctionis, & mala coctio descensus. Sextò, ob innatam membri imbecillitatem, cum fuerit exangue, & frigidum: nam cerebrum est exangue, sed non frigidum, & lien frigidus, licet non exanguis, tametsi numeretur inter membra calida: cum ergo non sit in aliqua harum exceptionum, erit sanabilis. Sequitur secundò, quod difficile sanabitur: ergo in longo tempore. Et habetur authoritas *secunda Aphorismorum* 34. Omne autem, quod difficile curatur, longo tempore etiam indiget ad curationem: et ita patet de tempore. Relinquitur, quod magis refert, de symptomatum aduentu. Hæc autem sunt trium generum: quædam pathognomica, quæ magnitudinem morbi consequuntur. Dico per viam transmutationis: nam reliqua sunt per se nota. Orthopnœa ergo solet transmutari in podagram, & arthritidem, & dolorem iuncturarum: & hoc est primum. Secundò solet transmutari in aquam intercutem. Vnde Ætius *libro decimo cap.* 20. *Nouimus etiam quosdam, qui ex recta spiratione, quam orthopnœam vocant, in aquam intercutem sunt deducti.* Quem locum etiam Princeps secutus est & alij. Tertiò transmutatur in febres non uehementes. Quarto in dolores per totum corpus. Quintò in leuitatem intestinorum. Sextò in grauedinem, raucedinem. Septimò in capitis dolorem impedimentum auditus, & visus. Vltimò cum deberet esse facilis transitus in tabem, & erosionem pulmonis: tamen experimentum docet, quòd paucissimi in hanc dispositionem deueniunt: nec vllum vidi ad hanc vsque diem, qui in eum morbum inciderit propter hanc causam. Secundum genus symptomatum est transmutationis per viam morbi: & cum orthopnœa sit vltimum in hoc genere, non videtur, quod possit transmutari in aliud deterius. Ratione tamen pulsus, dicebat Galenus, in accessione facit inordinatum, & inæqualem, & aliquantulum deficientem: grauis, mediocriter crebrum, violentissima tardum, & deficientem, quæ iam perimit crebrum, & languidum. Quamuis perspicuum sit, quòd omnes morientes habent rarum pulsum: sed intelligit paulò antè. Tertium genus symptomatis est, quod consequitur magnitudinem morbi: & illud est atrophia. Deueniendo ad curationem, dixi, quod illa est triplex. Vna morbi, vt diuturnus est: duæ accessionis, scilicet vt prohibeatur, quæ imminet, quæ tam inuasit tollatur, aut minuatur, & vt facillimè feratur, parumque lædat. Erit ergo tertiæ huius intensionis etiam multiplex scopus: porrò omnis curatio fit per ablationem causæ, vt sæpius dictum est. Causæ autem sunt quatuor: prima est, seu proximior morbo, quæ in ordine causarum est vltima, materia præsens in pulmone: secunda seu penultima est de fluxus ipsius pituitæ ad locum: tertia est in ordine vero secunda, pituita, in cerebro genita: quarta, quæ & prima est, intemperies in cerebro frigida naturalis, & calida præter naturam: & quacunque istarum sublata, liberaretur ab ipso morbo, & à symptomate, dum modò perfectè auferretur. Vnde patet locuples curandi ratio: plerique verò medicorum ad hanc vsque diem non intelligentes hoc, versantur circa quintum genus curationis, scilicet vt ex pluribus vnam faciant, & nullam perfectam. Gratia exempli. Dicunt ipsi emendando temperiem cerebri, prohibendo difluxionem, prohibendo generationem materiæ, prohibendo, ne materia fluxa impediat respirationem: & propter id non fit cura completa: nam tantum refert ad perfectam curam, quòd vna causa perfectè auferatur: plus autem multo, quam si plures maiore ex parte: sed hoc est difficilius. Ergo longe melius est auferre vnam causam, quam plures, nisi id fiat commodissime: relinquitur, vt quod facilius expugnari potest, quæramus, & id tollamus. Ergo quærendum est diligenter, & in hoc iacet totus scopus curationis, nec in vlla parte magis delinquunt fugientes laborem, & etiam, quia est pars difficillima totius Medicinæ, & ideo in isto casu quærere oportet hoc, quod tamen munus erit familiaris medici, ea in parte, qua ex perimenio opus est in tentatione. Et clarum est, quod materia, quæ iam transiuit in causam coniunctam, vix potest amoueri: & dato, quòd amoueatur, non curatur, nisi accessio, non autem morbus. Ergo hæc erit curatio accessionis, dum est; similiter & quæ prohibent defluxionem, non sanant morbum propriè, sed custodiunt, seu prohibent, ne fluxio adueniat, quanquam prohibendo

de betonica ℥. 1 mellis rosacei ℥. 5. aquæ decoctionis betonicæ, & serpilli, & passularum ℥. iij. misce, & continuetur quinque diebus, inde purgetur cum pillulis Galeni, *quinto Artis curandi* : & hoc repetatur bis, aut ter per circuitum : inde capiat puluerem, infra scriptum. ℞. corallorum rubrorum ℥. 5. margaritarum ʒ. 2. redigantur in puluerem subtilissimum bene miscendo : inde capiat in duodecim vicibus, & repetatur, si oportuerit. Ceratum super futura coronali. ℞. sandaracæ, id est, lachrymæ iuniperi, qua scriptores vtuntur, ʒ. 6. masticis ℥. 10. santalorum citrinorum pulueratorum ℥. 5. infundantur in aceto acri per tres dies cum ʒ. iv. ceræ albæ: deinde liquescant cum igne, & fiat ceratum : & si non fuerit tenax, addatur modicum terebentinæ, quæ feruefacta sit in aceto albo, per duas horas perpetuò despumando. Medicamenta autem maxima sunt, vinum ligni indici cum santalis, & in fine modico camphoræ. Est etiam stilla naturalis balneorum Lucensium. Alia non minus calida, & artificiosa. ℞. cineris sarmentorum vitis, & fici, & fabarum, & lupinorum ℔. iv. aluminis rochæ ℥. iij. foliorum, & seminis sampsuchi, ligni roris marini, cineris lignorum, hederæ, sanda racæ, de qua suprà, salis ter torrefacti santalorum citrinorum, gellæ orientalis, fructuum cupressi añ. ℥. iv. tartari albi, & lucidi ℔. 1. aquæ fontis ℔. 100. coquantur ad consumptionem medietatis, & instilletur super futuram coronalem per quartam partem horæ singulo die bis ante prandium, & ante cœnam. Sed prandium sit ex auiculis tantum, & paruum, & potus admodum modicus, & ascendat à quarta parte horæ, vsque ad dimidium horæ, & continuetur diebus viginti : & tunc viuat cum extrema custodia.

Quæ autem ad confirmationem membri, & ea, quæ à proprietate iuuant : dico, quòd pulmonis vulpis esus, & vsus, est valde bonus in hoc casu, quoniam substantia eius conuenit pulmoni, & debet recens ablui vino albo ter, aut quater, & siccari in furno, inde pars redigi in puluerem, & sumi cum vitello oui : reliquum seruare in pixide vitrea cum milio, & ita totus assumi. Secundum est, iecur milui cum suo pulmone, eodem modo præparatum. Tertium est, bolus armenus, ita vocatus, orientalis, ex cuius vsu solo aliqui sanescunt. Est & cicerum rubrorum, optimè decoctorum substantia, & vis vtilissima pulmoni. Quinto loco est vrtica tenera, quomodolibet sumpta. Sed & crocus plurimum confert pulmoni : & ego sanaui deploratos ab aliis solo eius vsu ab orthopnœa. Hysopus quoque orientalis est valde bonus, sicut etiam olibanum cum melle assumptum : sed & puluis chrysoliti sæpe sumptus, quem vocant pyradotum, qui est verè topazius antiquorum. Ficus quoque siccæ, pingues, & butyrum, non parùm lenem reddunt pulmonem, & admodum facilem. In quo genere est assiduus vsus olei amygdalini, dulcis, recentis. Quæ autem à proprietate orthopnœam curant, & accessionem soluunt, tum oximel scilliticum, Terebentina orientalis, thymus admirabilis. Dedi semunciam cum aqua mellis. In asperiore chrysocolla, laudatur pro antitodo, Theodoricum magnum. Sed, vt demonstratum est, cura consistit in colocynthida præparata, vt vitalem tantum illius partem exhibens : aut saltem exulta amaritudine.

CONSILIVM. XXII.

De difficultate respirandi pro Reuerendissimo D. D. Ioanne Archiepiscopo sancti Andreæ Ecclesiæ Cathedralis Regni Scotiæ.

QVoniam in cura cuiuscunque morbi præsupponitur cognitio ipsius causæ facientis morbum, cui causæ debetur indicatio medelæ, Gal. lib. de optima Secta ad Trasybul. (ca. 2.) Causam verò morbi venari cogimur ex ipso morbo, Gal in libro de Sympt. differentiis. (cap. 1.) & in libro Artis Medicæ expresse :(cap. 2.) Sed morbus præsupponit cognitionem ipsius temperamenti dicebat enim Gal. primo ad Glauc. (cap. 1.) Nam & quosdam aliquando ægrotos vidimus cum quibus dum sani essent, non eramus versati, quo fit vt neque quem colorem, quam habitudinem, aut natiuum calorem, aut quem arteriarum pulsum à natura habuerint agnoscamus, quæ si sciremus magnitudinem morbi satis aliquando iudicare possumus, nam quantum vnum quodque à naturali statu recedit, ad tantam morbus magnitudinem peruenit, quantum vero recedit, solus ille scire potest, qui naturalem statum exquisitè cognouerit. Cum igitur hoc in ipsis fuerit nobis ignotum, ne omnino hæsitemus ad commune confugimus, quamuis ad vsum secundum locum obtineat. Hix vero artifex plus aliquid, quam hi qui arte carent assequitur. Quid vero hoc ipsum plus sit, primus omnium quos nouimus & hoc memorauit Hippo. hæc ille. Cæterum non solum ad cognoscendum morbum presentia ægri vtilis est, verum etiam ad curandum, quia vt dicebat Hippoc. prima aphor. (1.) Occasio præceps est & ideo inde optima Secta ad Trasybus dicebat, (cap. 38.) In tanta igitur varietate quam quis horæ partem idoneum cuique auxilio tempus constituat, aut quod quis propositum describat ex quo particulare tempus accipiat, tradi non potest. Alia enim aliis eueniunt. Verum propter singularem huius viri virtutem, atque prudentiam, tum quidem ergo nos liberalitatem conabimur ex his quæ scripta sunt ab eruditissimo Medico suo D. Guglielmo Casanato Hispano, tum ex his quæ ab illo præsentes audiuimus vidimusque curam atque prognosticum describere. His adiectis quæ ad vtrumque perficiendum necessaria sunt.

Exemplum

Exemplum instructionis Casanati Medici.

Reuerendissimus Sancti Andreæ Archiepiscopus (cui iam exactis circiter quatuor annis sum à medicina) annum agens plus minus quadragesimum ab hinc decennio Asthmate periodico ex repentina immensi caloris ex paruæ Sphæræ reticularis sub canicula ludo contracti in frigus permutatione,& frigida ac humida victus tum temporis ratione, vexatur. Prima autem morbi accessio fuit cerebri in pulmones destillatio, cuius etiam tum temporis comes fuit raucedo, quæ præsentis Medici præsidiis pro temporis occasione ablata est, relicta tamen mala frigidiori & humidiori cerebri temperatura, à qua materia præter naturam in capite aggregatur, quæ ideò paulatim asseruatur,quia cerebrum nec proprium alimentum probè concoquere (præsertim cum sanguine pituitoso nutriatur) vel vapores ad ipsum ex inferioribus partibus delatos præ imbecillitate valet resoluere, quæ quidem ex præcedenti accessione derelicta, facit, vt quoties reperitur in toto corpore materia, quæ vel per propriam substantiam vel per vaporem, aut qualitatem cerebrum impetere valeat,noua superueniat accessio,defluente nempe in pulmones eodem humore. Hinc iam dicta periodica distillatio,cuius(vt aliarum causarum signa prætereeam) ea potissimum est nota quòd in totum ferè citra febrem concomitantibus propriis etiam distillationis indiciis illi veluti sano ex manifesta causa confestim accidit. Quæ certè accessio singulis ferè Lunæ coniunctionibus & oppositionibus immo etiam quadris, veluti certis circuitibus aggreditur. Hanc quidem spreti (vt hactenus) aut saltem sedulò non adhibito medicinæ auxilio in continuum tandem fluorem abituram (ita tempore subripere vires corporis, vires morbi possunt)periculum est,potissimum cum iam ferè continuo maximè noctis tempore nonnihil defluat. Atque hinc non mediocriter pulmones imbecilliores redduntur. Serosus enim liquidus,aquosus, pituitosus, & dulcis, aut insipidus (alioqui si acris aut salsus fuisset & pulmo exulceratus, & morbus Tabes dictus Græcis φθόη iam dudum subsecutus esset) est defluens in pulmones humor, vnde initio tenuis & paucus tussi magna excernitur. Nam tussi leuatus ab expirato aëre diuulsus, ac disiectus in pulmones refluit. Postea coctus ac modicè crassatus,qualis tenuis & crassi medius fuerit, à viribus thoracis valentioribus cum mitiore tussi copiosus expuitur: Qui idem rursum paucus, si crassus & lentus euaserit, cum tussi validissima foras mittitur. Quare tenacius hæret humor, quàm vt per hanc possit euelli, & leuari ad fauces vsque. Hinc Dyspnæa seu spirandi difficultas cum stertore, mox vbi percepta est angustia, à qua caliditas in corde & pulmone augetur: quæ quidem respirationem magnam, vehementem, velocem, frequentem, magna ex parte facit, ac exufflando (quod caloris aucti proprium est)per os spiritum calidum & feruentem factum, per quam quoque aër parcior, quam per sanitatem trahitur, etiam multum dilatato thorace. Cæterum pulsus arteriarum mollis illi est paruus, accessionis initio creber, frequens, inordinatus & inæqualis,angustiam & dolorem partium respiratoriarum & caloré natiuum auctum demonstrans,cum aër attractus angustiæ viarum causa cordi refrigerando & pulmoni,vt iam dixi,non sufficiat. Itaq; vrina vt ex ea non prætermittam indicia, subrufa, & vt plurimum mediocriter tenuis,sed instante accessione longè tenuior, & alba cruditatem præ se ferens,cum hypostasi pauca aliquantulæ obstructionis nota, & bullis quandoque in media superficie desidentibus, humorum ad pulmonem defluxum significantibus,quandoque solam coronam integra serie occupantibus substantiæque ipsius vrinæ cum coloribus, capitis affectionem indicātibus Accessionis verò tempore subrubra, & post accessionis vigorem longè rubrior, & frequenter micta & pauca ob dictam superius rationem cernitur. Totus corporis habitus admodum gracilis,& cum tabidis Hippocratica facies maximè accedat nihil tamen illi proximum habet præter collapsa tempora ob musculorum(quos à temporibus crotaphitas appellant)substantiam diminutam,reliquæ faciei partes à sana ferè nihil absunt. Itaque dum morbus dat inducias, ita habent totius corporis robora, vt hominis penitus sani munia obire valeat,qua maximè ratione tanto morbo idonea præsidia & ipsi eo tempore adhiberi etiā ipse validè perferre queat.

Postquam autem Casanato occurrimus,& eum interrogassem diligentius, hæc pauca superaddidit:primúmque non semper sub lunæ mutationibus hæc illi eueniunt, sed plerumq; imo etiam aliquando per quindecim aut viginti dies manet sine accessione dum recto regimine vtitur. Accessionis autē tempus plerunque diem dicit naturalem non excedit. Aliquando tamen ad horas XLVIII. protrahitur. Somni quoque sponte sua satis prolixi, sed ob negotia breuiores sunt,quam vt hominem à cruditatib. immunem reddant, tum maximè quia multo vtitur cibo, atque potu, vtitur & à cibo pessima ratione victus nonnunquam exercitatione. Aluum habet facilem & lubricam,sudat facilè. Ex quo colligitur cutim raram esse, atque ob id minus patientem inediæ. Ad iram satis pronus, pectorisque mediocris in amplitudine, collum aliquantulum tenue.

Atque hæc ex auditu, cæterum cum ad Archiepiscopum venissem ex accessione & modo in prima visitatione facile fuit intelligere quonam pacto morbus iste fieret,atque is talis est. Ex debili coctione in ventriculo & iecore & venis,tum in membris,quæ manifesta est ex extenuatione & ex caliditate ipsius cerebri impletis venis & arteriis, attrahitur humor prius liquidus tenuis aquosus & frigidus,qui incipiens distillare per nares & per palatum tres facit affectus,per palatum pars crassior expuitur,& ita quàm diu durat accessio, expuit humorem tenuem & aquosum simpliciter,sed in comparatione ad illum qui influit in pulmoné crassum. Influit autem sic quod tunica asperæ arteriæ, & est secundu

secundus effectus,madescit tota humido illo tenuissimo, atque ita impletur tota substātia pulmonis, & cauitates, tum coacta velut in nube exprimitur per guttulas in cauitatem ipsius pulmonis,atque ita impletur & fit difficultas spirandi.Et in hoc explicando modo descensus materiæ ad pulmones,medici fuerunt valde diminuti. Sed solum dixerunt de ea quæ per cauitatem asperæ arteriæ descēdit, de qua non est dubium quin aliqua pars quæ in os descendit,cum non possit tota expui plenè,ideo destillat per cauitatem asperę arteriæ,& iuuat ad implendum illam,non est tamen principalis hæc portio, sed illa quæ defluit per tunicā.Tertius effectus est à parte illa quæ descendit per nares,quia obstruit os cauernosum,per quod fit respiratio & refrigeratio cerebri teste Galeno in libro.De vsu respirat. (cap. 5.) prohibita igitur transpiratione,cerebrum immodicè calescit,atque ita attractio augetur:attractione aucta, augetur obstructio,atque ita morbus peruenit ad statum circulari ratione, nec incipit declinatio, nisi cum materia deest quæ trahatur, aliter cum morbus sit circularis nunquam finitetur. Materia verò quæ expuitur est partim ex ista quæ defluit ex capite, & est maior pars, partim ex ea quæ relicta est ex altera accessione. Tertia pars quæ generatur in pulmone & pectore propter imbecillitatem loci. Quarta & vltima quæ trahitur à pulmone propter caliditatem ab aliis locis circumuicinis Caliditas enim trahit adeò manifestè vt in cucurbitulis apparet vt etiam quauis gemma dura affricata laneo panno paleæ trahātur procul,sicut etiam à succino.

Et quia sermo demonstratiuus, vt dicebat Auerroës, aptus est dissoluere omnes difficultates,quæ contingunt circa rem,ideò ego declaro plurima problemata quæ contingūt in isto casu, quorum primum est, quare non sentiat grauitatem ante accessionem? causa est quia materia non congregantur ibi, sed trahitur & descendit sine mora. Nam cum quæ expuitur materia sola etiam in breuissimis accessionibus sit duodecim vntiarum & plus, præter eam quæ influitur in pectus, & quæ in longioribus accessionibus tota in cerebro contenta pridie ante accessionem in tanto tempore, ne vel semel quicquam sensisse grauitatis,res non solum mira sed miraculo proxima esset. Sed non sentit, vt dixi, quia non congregatur in cerebro, sed vt aduenit statim defluit.

Simili ratione quare non sint læsæ operationes cerebri, sed valeat sensibus & mente, quoniam materia non figitur in cerebro. Nam si figeretur,necesse esset vt tanto tempore scilicet decem annorum læsa fuisset aliqua virtus vel sentiendi vel mouendi, vel principalis præsertim quòd materia est frigida.

Tertium,quare illa materia sit prorsus insipida & absque odore & consistentia? quia non consistit in cerebro, quod si consisteret impossibile esset ab vna accessione ad aliam quæ aliquando differtur per quindecim dies,generaliter autem per octo, vt non saltem aliqua pars (scilicet illa quæ primo post accessionem præcedentem influit in cerebrū) non esset in septem diebus permutata neque in odore, neque in sapore, neque in colore, neque in substantia à naturali dispositione, cum videamus ex minima praua dispositione cerebri,vt in Grauedinibus fieri solet,excrementa per nares deducta,cum tamen singulo die euacuentur & quæ per palatum,mutari odore,sapore,colore, substantia, & quandoque simul omnibus.

Quartum est, cur cum equitat à symptomate corripiatur? causa est quia cum regio sit flatuosa & frigida constrictis poris caliditas illa augetur in cerebro,& cerebrum magis trahit,& celerius,item propter agitationem humorum. Fit etiam istud propter tertiam causam scilicet obstructionem pororum corporis.

Quintum, cur contingat plerumq; secunda die ab equitatione quandoque prima etiam, quia quando materia est multa contingit prima die, cum mediocris autem aut pauca, quia non est adeò proxima cerebro indiget duobus diebus vt trahatur ad locum illum. Plerunque autem contingit vt corpus non sit adeò repletum. Ideò plerunque contingit vt accessio differatur in secundum diem ab equitatione.

Sextum est,cur cum multum differtur accessio,plerunque grauis fiat:causa est quoniā cum caliditas illa cerebri non augetur ex obstructione neque humores incalescūt ob obstructionem meatuum corporis,neque agitātur ex motu, non potest euenire symptomata nisi cum adeò corpus fuerit repletum vt materia sponte influat in cerebrum. Verum cum demonstratum sit non finiri accessionem nisi finita materia:Sed materia est valde multa,tunc igitur accessio erit & longa & grauissima necessario.

Septimum,cur totum corpus hora accessionis incaleat?quia prohibita respiratione cor incalescit, quo calefacto totum corpus necessario afficitur. Itaque cum adsit calor & pulsus frequentia,potest dici febris ephimera coniuncta symptomati.

Octauum,cur sit rubicundus in facie:quia intemperies est calida & humor ille frigidus non figitur in cerebro, ideò color non vitiatur,sed est veluti sani.

Nonum,cur non ad aliam peruenerit ægritudinem,neque extenuatus sit præter modū? quia humor ille non figitur in cerebro, & est frigidus,& tenuis,ideò cū non sit corruptus, & sit tenuis, facile coquitur in pulmone,& expuitur,ideóque parum lædit.

Decimum,cur adueniat post primum somnum plerunque?quia calor tunc contrahitur intus,& cerebrum magis incalescit.Dicebat enim Hippocrates in Epidemiis,vigilia exteriores partes, somnus interiores excalefacit. Quòd si materia colligeretur in cerebro accessionis initium esset potius tempore vigiliæ quàm somni.

Vndecimum,cur relinquatur semper tussis & difficultas spirandi aliqua?quia cū materia sit tenuis,& à calore colliquata,& per tunicā & non concauitatem asperæ arteriæ, maiori ex parte deriuata,ideò imbibita est parti carnosæ pulmonis,& reddit difficilē motū illius, etiam finita accessione, quia non tota potest

test expelli, & in tempore intermedio defluit in concauitatem & excitat tussim. Circa quod est notandum quòd hic est duplex difficultas spirandi, vna quæ fit obstructis meatibus asperæ arteriæ, altera quæ fit impleta carne pulmonis, cum propter plenitudinem pulmo moueri non potest.

Duodecimum, cur vrina ante accessionem cruda fiat: id fieri existimo duabus ex causis: prima, quia calor naturalis fertur ad superiora, iuxta ea quæ dixit Galen.⁹ super illo aphorismo: Quibus in febribus vrinæ albæ & perspicuæ sunt. Dolor his capitis adest vel aderit. Defertur enim materia biliosa & sanguinea simul ad partem superiorem. Vnde locus vesicæ refrigeratur quare cùm vrina maximam partem coloris in vesica recipiat, alba & cruda efficitur. Nam qui vesicâ laborant, vrinas albas & crudas emittunt, quamuis reliquo corpore bene se habeant. Secunda causa est, quoniam propter motum materiæ, vt etiam in initio febrium, natura impeditur à coctione.

Iis omnibus intellectis ad morbi naturam deuenio. Asthma, dicebat Gal. sexta Aphor. (Aphor. 46.) appello spirandi difficultatem, quæ cum crebro anhelitu coniuncta est: orthopnœa verò cũ iugiter ægri sine febre spiritum habent difficilem, adeò vt orthopnæa aliquid plus inferat quàm Asthma. Contingit autem trifariam fieri difficultatem spirandi, aut ex simplici consensu, quemadmodum dicebat Gal. secundo De locis (c. 8.) quod cõtingit nullo neque in partibus, neque in instrumentis membrorum spiritui seruientium affectu fieri difficultatem spirandi: sed solo septo transuerso læso propter neruos mouẽtes. Et de hoc habemus exẽplum etiã Octauo (c. 8.) de Anatho Admin. Vbi dicebat Galenus quod si cui inter tertiam & quartam vertebram spinæ dorsi medulla tota secetur per transuersum, spiratio ex toto auferetur: Quod si post sextam vertebrã & ante septimam, sectio fiat, tunc homo respirat ex septo transuerso, sed thoracis musculi motũ amittunt. Et si post septimam, vel octauã pars musculorum tantum qui thoracem mouent impeditur, atque eo minor, quo magis vertebra è directo vulneris à prima distiterit. Hæc licet videantur extra casum, & potius ad contemplationem pertinere quàm ad curam, sũt tamen necessaria scitu valde, pro perficienda cura ipsa. Aut contingit affectu proprio in membris spiritui seruientib. vtpote, in Pleuresi, Peripneumonia: Velut dicebat Galenus quarta Aphorismorum (Apho. 50. & manifestum est quod non sumus in altero istorum casuum, quoniam morbus esset perpetuus, saltem pro tẽpore causæ. Aut morbus fit per consensum non simplicem, sed materiæ ex alio loco defluẽtis, & vocatur Asthma periodicum seu habens circuitus: de quo loquebatur Galenus Quarto de Causis Pulsuũ (c. 21.) Orthopnœa est morbus diuturnus cuius accessiones sunt acutæ. Et ideò cum propriũ sit morborum quæ ex consensu fiunt non absoluto, modò aduenire modò cessare: imò iste morbus fit superueniente materia aliunde. Vnde autem possit venire, & qualis sit, & quænam sit illius generatio, nunc dicendum est. Gal. sexto de tuenda San. (c. 12.) dicebat, quod ex cerebro materia descendit in pulmones. Et ideo dicebatur in libro de Anathomia biuorum. (cap. de Anatho. cordis) quod ex cerebro destillat humor ad pulmones, velut pluuia, & de modo transitus dicebat Galenus sexta Aphorismorum. (Apho. 2.) expresse, quòd ex materia destillante à cerebro ad pulmones per palatum (declarat enim locum) fiunt difficultates spirandi. Et in septima. Apho. (Apho. 30.) docet quòd asperæ arteriæ implentur per defluxiones à capite. Causam quare pulmo facillimè recipiat materiam declarabat Galenus sexta Aphorismorum. (Apho. 33.) dicens quod corpus illius est laxum, & ideo potest recipere fluxionem ex pituita, non sicut membranæ quæ recipiunt plerunque biliosum humorem: Et propterea Galenus libro de Sang. miss. declarabat vnam pulcherrimam doctrinam docens ordinem in membris quæ suscipiunt, & causam. Causam quidem quia membra quæ suscipiunt debiles habent omnes virtutes, præter concoctricem, altera, quia corpus eius est laxum: Deinde declarat ordinem in membris, & dicit membrum quòd maximè recipit excrementa est cerebrum, secundum sunt Adenes, & tertium pulmo. Sed quoniam cerebrum cum primum recipit celerrimè expellit, ideò videtur minus esse subiectum fluxionibus quàm pulmo, vel Adenes & expellit facile propter laxitatem ventriculorum, & meatuum reliquorum. Sicut declarabat Galenus ibi, Adenes verò, inquit, non implentur, nisi vbi totus habitus infirmus fuerit & cerebrum & pulmo & lien (qui post pulmones est) robusta fuerint. Vtrum verò solum ex cerebro fiat defluxio in pulmones videtur aliqua difficultas propter Serapionis dictum dicentis (Tract. 2. cap. 20.) quod tussis fit propter materiam genitam in membris spiritualibus vel descendentem à cerebro vel venientem à membris naturalibus. De hoc autem in Contradictionibus. Vnum est quòd ex Galeno Septima Aphorismorum (Aphor. 54.) materia quandoque ex pectore penetrat in pulmones & expuitur cum tussi. Sed relinquitur dubitatio, quia Paulus libro Tertio (cap. 29.) vult quod Orthopnæa fiat quando crassi & glutinosi humores asperas arterias implent. Spirandi verò difficultas fit, dicit, ex pluribus aliis causis: Ex quo videtur quod stante materiæ subtilitate quod non possit esse Orthopnæa in D. A. R. Et hæc fuit etiam sententia Aëtij libro Octauo (cap. 57.) in principio. Quamobrem necessarium est dicere duorum alterum, vel quod ipse non detineatur Orthopnæa propriè, vel quod materia quæ facit difficultatem spirandi sit crassa & lenta, licet pars eius quæ expuitur sit tenuis. Ego tamen adhæreo primæ opinioni magis quæ est opinio medici sui, quia accessio ipsa est breuis.

Sed de causa descensus & circuitus dicebat Gal. Secundo de Differentiis Febrium, quod cerebrum vbi excrementa multa generauerit, transmittit ad gingiuas & Adenas, & Paristhmia. Sed vbi partes illæ validæ fuerint transmittit ad pectus & pulmonem & ad ventriculum, & ad fauces.

Ex

Ex quo videtur quod partes superiores sint robustiores, aut saltem inferiores sint imbecilliores. Veri simile est etiam ob longum morbum, pulmonem & membra circumiacentia facta fuisse debiliora, & ex consequenti magis apta ad recipiendum materiam, & minus prompta ad expellendum, imò tempore quietis adhuc vexatur spirandi difficultate. Reddebat quoque causas circuitus ibidem dicens quòd, exempli gratia, sicut homo singulo die eiicit excrementa, & si tardius congereret, rarius expelleret, adeò vt circuitus ille accidat propter congestam materiam. Hæc verò excrementa multa, vel pauca fiunt, vel quia pauca generantur in ventriculo, & talibus membris, vel quia pauca expelluntur, vel quia pauca trahuntur, vel quia valde concoquuntur aut resoluuntur: contraria ratione multa.

Dubium est autem quomodo materia illa deferatur ad cerebrum, an scilicet per venas & arterias, eo modo quo defertur alimentum, an per cauitates & palatum. Sciendum est etiam quod per difficultatem spirandi sex genera possumus intelligere, velocitatem aut tarditatem, magnitudinem & paruitatem in motibus, raritatem & crebritatem in quiete. Cum verò quietes & motus sint duo, fient duodecim genera respirationis simplicis difficilis, primo de difficul. Spiran. (cap. 3.) & ideo oportet etiam intelligere quod dicebat Galenus in primo de difficul. Spiran. (cap. 11.) In respirandi difficultate quæ erectâ fit ceruice, & Græcis orthopnœa appellatur. Viscosis videlicet & crassis humoribus circa asperas in pulmone arterias congregatis. Similiter autem & si aliquid circa ipsum induretur, aut tuberculum nascatur premens & coarctans ipsum asperarum arteriarum genus (hæ enim suscipiunt aërem qui inspirat) paruus & densus, & velox erit spiritus. Idem declarauit in Quarto de præsag. (cap. 20.) ex pul. quod oportet vt sit inæqualis. Quod autem oporteat esse densum & velocem, demonstratur ex hoc, quia cum non possit multum trahere aëris pulmo, necesse est vt crebritate & celeritate suppleat, & ideo etiam talis parua necessario erit, & quamuis alibi videatur dicere quod non: diximus de hoc in contradictionibus hic locus non est. Vnum solum sufficiat declarare, quod Galen. Quarto (cap. 2.) de Præsag. ex pul. docet attractionem quidem aëris fieri paucam, cæterum pectus ipsum multum extendi, & hæc distinctio etiam sumpta est Quarto de locis (cap. 7.)

Circa signa verò oportet intelligere quod dicebat Galenus Quarto (cap. 7.) de locis, respiratio non dicitur esse magna propter imbecillitatem quando mouentur omoplatæ. Istud enim contingit propter imbecillitatem, nam licet ea respiratio quandoque magna sit non tamen semper, & vt densa significat semper laborem alicuius membri cum his quæ spiritum mouent consentientis. Ita rara semper significat frigiditatem. Est etiam aliud discrimen quoniam difficultas Spirandi quædam est propter necessitatem auctam, qualis est in febribus, quædam est quia non tantum trahitur aëris quantum necesse est, aliquando vtrunque, sicut in peripneumonia, & tunc morbus est difficillimus, sed de primis duobus credo quòd difficilior sit secundus. Ratio est quia iam natura deficit in necessario, & tamen non est sublata causa necessitatis, & quod sit verum, stat celeritas, & crebritas, ergo stat necessitas, & ideo cum cor nõ refrigeretur, necesse est vt corpus extenuetur, & hæc est vera causa extenuationis & non alia, sed quando augetur solũ necessitas tunc non deficiente materia, non debilitatur adeo homo, neque fit tanta resolutio in Spiritibus. Et si quis dicat, stat tamen crebritas & celeritas, dico, quod illa est non propter defectum substantiæ, sed quia aër nimis cito incalescit, sed in obstructione ex crassis humoribus non potest esse propter caliditatem, ergo propter defectum substantiæ. Vtcunque sit, experimentum docet quod magis homo torquetur quando non potest trahere aerem suo modo, quàm quando febrit, vel quando currit, & propter hoc illa verè vocatur apud vulgares Asthma & difficultas Spirandi, & hæc propriè est Asthma vel etiam Orthopnæa vbi fit Asthma difficilius. Quo vero in tempore morbi fit non melius licet accipere quam ex Galeno Quarto de locis, (c. 8.) cum dixit. Si verò citra febrim, alius quispiam Særosus aut pituitosus humor in Thoracis spatium subito defluens, spirandi difficultatem excitauerit laborans tenue sputum, idque ab initio quidem exiguum sed cũ vehementi tussi, vbi verò concoctum est plus atque crassius & cum mitiore tussi expuere solet. Quippe bifariam accidere potest. Vt vehementer tussiendo pauca quis expuat; alij enim ob lentum crassumue humorem, alij ob tenuem id facere videntur. Siquidem tenuis humor quum subleuatus est inter tussiendũ à Spiritu diuisus refluit, lentus verò aut valde crassus difficulter effertur vtpote qui non tã facilè à corporib. quib. impactus est abstergi, neque etiam à quauis occurrentis Spirit⁹ violentia impelli potest, nisi enim Spiritus qui tussiendo effertur & multus & vehemẽs fuerit nihil secum educet. Igitur sputũ quod neque liquidum aut aquosum admodum fuerit, neque crassum valde aut lentum id facile efferri solet, maximè vbi validæ fuerint vires. Etenim sine vehementi Thoracis contractione vehementer tussire nemo potest. At sine valida tussi crassos lentósque humores efferri impossibile est Animaduertendum, vt dicebat Galenus sexta aphor. (Aphor. 46.) quod Hippoc. solebat appellare Asthma solum illam spirandi difficultatem in qua Spiritus est creber, sed posteriores, dicit, Asthma seu orthopnæam vocant difficultatem spirandi diuturnam & absq; febre, adeò vt sint tres conditiones necessariæ, & hoc idem sensit septimo de medicamentis (cap. 6.) secundum locos in quibus duobus locis non videtur facere discrimen inter orthopnæam & Asthma, & hoc declarabat Galenus tertio Epidemiorum particula secunda (Com. 4.) vbi docet, quòd solo nomine differunt, dicitur enim orthopnæa ex hoc quod recti coguntur expirari, ab orthos & pnæa, Asthma verò, id est, anhelatio quæ fit cum sublimi semper respiratione vt in curren-

tibus,dabat exemplum ibi, vbi etiam docebat quòd triplex est respiratio, vna quæ debetur sanis,& illa fit per musculos inferiores Thoracis solius qui sunt ad septum transuersum. Si verò maior respiratio sit necessaria tunc mouentur musculi iuxta illos,id est,qui sunt in medio pectoris. Si verò sit necessaria respiratio vehementissima, oportet vt musculi supremi sub scapulis moueantur. Sed videtur in sexto de vulgaribus morbis facere differentiam (par.4.Com.4.inter Asthma & crebram spirationem sine febre,quia non vult quòd fiat Asthma nisi quando Spirandi difficultas multum superaucta fuerit: & ideò dicemus,quòd ad Asthma concurrunt quinque conditiones, prima quod sit difficultas spirandi,Secunda cum crebritate,Tertia magna, Quarta sine febre,Quinta diuturna(c.11) Declarabat etiam ibi expresse & primo de difficultate spirādi,quod fit ab altera duarum causarum, vel ab humore ore crudolento ac crasso,vel à tuberculis.

Circa Aetates & tempora anni, fit maxime autumino,item puerulis accedentibus ad pubertatem, & consistentibus, sed maximè est proprius senibus,de autumno igitur dicebat Galenus ex Hippocr. Tertia Aphorismorum (22) quod Asthmata fiunt contractis humoribus ad partes interiores ex frigore, ex quo colligo vnum, quod frigus multum nocet in hac dispositione. Fit etiam in puerulis cum iam magis adoleuerint,Tertia Aphorismorum, (26.) vel ob vehemens exercitium, vel ob angustiam meatuum,quæ quidem fit ob incumbentem defluctionem ex partibus superioribus.Vbi videtur Gal. velle quod solum à superioribus proueniat ista defluxio. Et similiter declarat quod hæc passio sit valde familiaris consistenti ætati, Tertia Aphor. (30.) in qua ætate. R. D. A. correptus est. Declarabat causam Gale. in commento,dicens,quòd passio hæc familiaris est illis propter hoc quod vtuntur simili victu & exercitio quali iuuenes vtuntur,corpus tamen habet imbecillius. Iam ergo habemus tres causas potissimum excitantes hunc morbum, scilicet immoderantiam cibi & potus, ex qua fiunt cruditates,exercitia immoderata per quæ dissoluuntur excrementa illa, & concalescit cerebrum & colliquantur materiæ & descendunt, adeò vt exercitium sit causa quadrifariam difficultatis spirandi, colliquando materias in toto vt facilius attrahantur, & agitando illas vt ad cerebrum ferantur, tertiò calefaciendi cerebrum vt facilius attrahat, & dissoluendi materias illas quæ in cerebro continentur. Tertia causa est frigus quod etiam quadrifariam nocet, prima est per viam contractionis, vt tactum est ex tertia Aphorismorum. Secundò obstruendo poros, & calefaciendo cerebrum intus, vt materia colliquetur & descendat,tertiò refrigerando substantiam cerebri pripter respirationem,nam cerebrum respirat non minus quàm cor, libro de vsu respira. Vt dictum est (c. 5.) vnde debilitata concoctrice in cerebro plurima fiunt excrementa,& propter has duas causas maximè in hyeme fiunt grauedines & tusses, & morbi defluxionum à capite. Quarta est qui frigus per se nocet pulmoni,sicut dicebat princeps Decimateria Tertij Trac. & hoc propter duas causas, prima quia nocet per se substantiæ pulmonis, quæ est rara, & quæ semper mouetur, frigus enim facit pulmonem inhabilem ad motum: & secundo quia debilitat calorem naturalem,ex quo plurima generantur excrementa,& hanc causam tangebat Galenus Tertia Aphor. (Aphor.31.) ex his igitur omnibus colliguntur causæ generantes Asthma, Ad quas etiam non negarim facere stricturam vel pectoris, vel meatuum asperæ arteriæ pulmonis:de pectore quidem quia non potest dilatari pulmo quantum debet, neque extendere alas,sicut etiam tangebatur Sexta Aphorismorum (Apho.46.) de pulmonis autē meatibus non est dubium quod canaliculi quanto sint arctiores eo facilius implentur & obstruuntur, & ideo difficilior fit morbus & facilius inuadit ac frequentius.

Ex his igitur deprehendere oportet curam atque constituere,sed quia illa præsupponit quod morbus sanari possit, sicut tangitur à Galeno prima Aphorismorum (Apho. 8.) tertio method. dum dixit (c.1.) ita hoc ipsum primum artis est opus vt intelligas,sperare ne id quo tendis debeas an secus,& causam reddebat vltimo artis curandi, vbi dicebat (c. 9.) in quo enim desperata omnino salus est, imprudentis consilij fuerit apud vulgum infamare præsidia quæ multis fuere saluti.Oportet igitur scire primum an sanari possit deinde in quem morbum pronior sit deteriorem, vt precauere illum possimus, & aduersus ipsum parare auxilia. Tertio vt dignoscamus morbum ipsum in quo tempore sit uniuersali, Quarto vt si sanabilis an ex toto vel in parte. Omnia hæc necessaria sunt,aliter medicus esset similis illi qui deambulat & nescit quo vadat. Oportet enim habere finem suum certum ad quem dirigat iter,aliter nihil agit. Primum igitur oportet scire causam ipsius morbi, quæ dicta est, quanta sit, quia illi propriè debetur curatio, & similiter oportet cognoscere virtutē & robur membri.Causa igitur est calida & frigida intemperies in cerebro,frigida scilicet per viā priuationis caloris naturalis, & calida per caliditatem impressam. Dubium autem est,vtrum sit temperies etiam humida, & videtur quod sic, ratione saltem humoris humidi qui in eo loco manet. Erit ergo intemperies calida & humida. Iam vero ex dictis cum ostensum fuerit materiam hanc non descendere per venas nec arterias in pulmonem, quia aliter pulmo etiam sanguine impleretur.Præterea in pulmone non sunt nisi venæ & arteriæ quæ à corde veniūt, manifestum est, quod experimento constat scilicet cur laborantib. hoc morbo tempore vigilæ iuxta vesperam crescit difficultas spirandi, & tussim patiuntur, & tamen non sentiunt descensū ipsius pituitæ manifestum, nec resistunt excreationes,nec ea quæ masticantur, immo omni conatu facto stilicidium illud videtur ingrauescere, quoniam materia destillat per asperam arteriam, non per cauitatem, quia moueret tussim, sed per totam tunicam,sicut in linteis, & forsan etiam

quod

quod pars ibi generatur secundum mentem Galeni. Alia dubitatio est, cur materia hæc sit tenuis? Respondeo, quia fit per exhalationem vaporum in cerebro, sed crassa solum ex nutrimento. Vtrum vero in hoc casu quia tenuis est maior fiat ex exhalatione vaporum? dico quod non, quia posset exhalare sicut aqua,& non facere difficultatem spirando, item non seruaret periodos, sed singulo die ascenderet & singulo die dissolueretur: modo autem seruat circuitus & concocta expuitur. Sed est tenuis quia est humor serosus ex parte, ex parte etiam generatur ex vapore. Habemus igitur veras causas generationis & descensus,& modum descensus,nunc modo superest & videamus, an habeat concausam, id est, prauitatem coctionis in ventriculo & in iecore? & videtur quod non, quia si læderetur in ventriculo primam haberet appetentiam superfluam, item iecur vehementer læderetur, & apparerent alij morbi. Sed si dicamus læsionem esse solum in cerebro, videtur mirum quod non sunt læsæ omnes operationes, quia Galenus libro(cap.3.) quod animi mores corp. temp. sequantur, dicit, quod causa læsionis operationum animæ est frigiditas & humida qualitas, & tamen ipse habet bonas operationes, oportet igitur dicere, quòd membra inferiora licet sint læsa, quod fundamentum sit in cerebro non ratione imbecillitatis, sed magnæ intemperiei calidæ, quæ facta fuit ab insolatione, ex qua cerebri substantia est facta rara, & ob id factum imbecillius & aptum ad excipiendum multam aqueam materiam. A calido enim fit raritas membrorum & attractio vehemens. Quia Galenus in Arte Medica (cap.14.) vult etiam in naturali calida intemperie repleri vehementer capita illorum, quantò magis in præternaturali?

Circa prognosticum ergo dicebat Galenus secunda Aphorismorum, quod dictum illud Hipp. Grauedines & raucedines in valde senibus non maturantur, debet intelligi etiam de Asthmate,& reddit rationem, quia morbi qui iam sunt difficiles in aliis ætatibus, in valde senibus sunt incurabiles, sed quia dicit in valde senibus, & ipse non est valde senex. Vnum est quod magnam adducit difficultatem, & adducitur à Principe, Decima Tertij scilicet, quod difficultas spirandi, quæ fit à cerebri imbecillitate non recipit curam,& potest sic demonstrari, quia imbecillitas cerebri non recipit curam, cum sit membrum valde magnum & principale,& exangue,& in perpetuo labore, & cui non facile possunt adhiberi auxilia, sed non curata imbecillitate cerebri, non curatur difficultas Spirandi, igitur non poterit curari. Istud argumentum concludit de curatione plena, quod sit difficilis admodum, quod oporteat ipsum esse valde obedientem. Quintum ad transmutationem est textus Auicennæ, quem ego vidi sæpius experientia comprobari, dicentis quòd Asthma sæpius transmutatur in hydropem, Secundum periculum est, ne per viam putredinis corrupto humore crudo fiat erosio in pulmone. Tertium est ne siccato pulmone propter vehementiam laboris disrumpatur, & Phthoe fiat. Quartum ne morbus ipse per se desæuiat & ingrauescat, & suffocet ipsum. Ad quod videtur paratus valde cum iam morbus transierit ex συμπαθίᾳ in ἰδιοπάθειαν. Anhelat enim etiam tempore interualli non parum difficulter.

Princeps decima tertij (Tract.1.cap.38.) post quam docuit asthmatis ab anhelitu eorum qui præfocantur differentiam, & est quod qui asthma patiuntur habent expirationes in spirationibus æquales aut maiores, qui præfocantur & strangulantur minores, docet causas asthmatis esse quinque materiam, vapores, flatum, intemperiem,& consensum cum cerebro per neruos, de quo superius dictum est. Eum autem qui fit à materia diuidit trifariam, vel enim est extra membra anhelitus, & manet in his puta in ventriculo, & facit asthma comprimendo, vel materia transmititur ad pulmonem, vel in ipso propter malam intemperiem frigidam generatur. Quod verò fit ob materiam transmissam quæ plerumque potius à capite transmittitur quam ab aliis membris, vel etiam quod fit à materia genita in ipso pulmone trifariam contingit, vel in meatu vt in aspera arteria, vel in venis duris id est ramis asperæ arteriæ vel in ipsa substantia pulmonis & eius cauitatibus. Inde docet (cap.39.) vnum signum generale fermè in omni asthmare ex pulsu, & est quòd est tremulus. Aliud distinguens locum, & est quod cum fuerit sine materia in aspera arteria contenta semper erit sine tussi.

His visis, pro cura intentiones quærere oportet, videntur autem esse intentiones principales generales quatuor, vna vt tempore accessionis minimum incommodi patiatur, altera vt rarissimè vel nunquam accessio inuadat, pro quibus sunt tria auxilia, vnum est recta ratio victus, alterum medicamenta, & tertium sunt operationes quæ cum manibus fiunt. Regimen victus diuiditur in sex illa potissima, sed medicamenta quædam applicantur interius, quædam exterius, item quædam artificiosa, ex his quæ exterius applicantur, ex his verò quæ interius, quædam simplicia, quædam composita, ex simplicibus quædam agunt à manifesta qualitate, quædam occulta, composita uerò quædam purgant, quædam agunt à manifesta qualitate. Est etiam illud considerandum quod medicamenta artificiosa composita quædam fiunt per infusionem, quædam per mistionem, quædam per sublimationem. Deinde oportet etiam animaduertere quòd quædam medicamenta habent vnam intentionem,& quædam plures.

Tertia vt interualli tempore omnino liber sit à difficultate spirandi, & si fieri potest etiam à tussi. Quarta vt corpus quod extenuatum est pinguescat & naturalis habitus restauretur. Prima fit cum his quæ pectus dilatant cum refrigeratione aëris & illius libera respiratione,& quiete animi, atque abstinentia à cibo. Secunda quatuor modis perfici potest: vel vt non generetur: vel vt emendata intemperie calida tam in toto quàm in cerebto ipso ne trahatur ad cerebrum: vel vt

 diuertatur

diuertatur, vel vt attracta non recipiatur ad pulmones. Et hoc trifariam, vel vt cerebrum non demittat, vel vt per nares vel suturas, & non aliò demittat, aut pulmo non recipiat. Tertia intentio fit cum humectantibus materias in pulmonibus iam contentas dissecantibusque. Quarta cum his quæ impinguant, talia autem sunt quæ plurimum nutriunt & humida ac frigida sunt, & facilis concoctionis. Nam vt habetur secundo de temperamentis (c. 4.) pinguedo fit à frigido & caro ab humido: igitur cibus frigidus & humidus maximè confert reficiendis extenuatis: Nec igitur solum sufficit scire intentiones quot sint, sed oportet etiam scire quo ordine sint habendæ. Constat ergo quod prima intentio principalis est parui momenti nisi in casu necessitatis. Secunda verò quo ad primum membrum, parum habet spei, cum iam tam diu consenuerit & materia quæ generatur sit frigida, ideoque per viam debilitatis caloris naturalis generetur. Calor autem naturalis non potest augeri vltra ætatē consistentiæ, aliter daretur retrocessus in ætatibus. Nec quo ad quartum membrum, quia non figitur in cerebro: Quamobrem etiam errhina parum valent, & cerata attrahentia super suturas, nam potius materiam super locum læsum traherent & intemperiem etiam augerent, cum nihil præter id prodessent, nisi forsan moderatem adhibita Errhina sola dilatarent vias narum, vt tempore tam quietis quàm accessionis materia sponte deflueret, quod tamen parum habet spei. Nam tempore accessionis est nimis multa vt eo deduci non possit, præsertim tam diu iam obstructa via illa, quæ & si dilataretur, non tamen tantum vt posset copiosè fluere, sed nec tempore quietis cum tunc non ascendat, sed solum vt conclusum est tempore accessionis confertim seu vniuersim trahitur. Quod si materia sensim ad cerebrum ascenderet tunc tam in errhinis quam cæteris per suturas aquam trahentibus esset salus secura reposita. Et nos taliter plurimos sanauimus. Ponemus tamen talia auxilia vberioris doctrinæ causa & etiam quia aliquando aliqua iuuant quibus non adeò ratio ipsa subscribit. Sed quo ad secundum est magna spes, & quo ad tertium. Sed tertium diuiditur in diriuationem per sudorem, per vrinam, per secessum & escharoticum quod fontem vocant. Sed in sudore non est spes ob regionis frigiditatem, & corporis extenuationem. Euacuatio etiam per secessum, cum hæc materia contineatur in venis non est admodum vtilis, nisi vel propter alia exhibenda, vel accessionis imminente tempore tunc enim non parum iuuaret. Verum liquet cum non semper sponte aluus fluxura sit citra fluxum ventris, & talis fluxus sit periculosis, quòd curatio per medicamenta expurgantia perfici non potest. Cum tamen neque sine illis fieri debeat: Sed, vt dixi, exhibenda sint talia vel propter alia, vel sub accessionis instantis & nondum inchoatæ tempore. Reliquum est igitur vt confidamus in prouocatione vrinæ. atque escharotico. Tertia verò intentio vix potest perfici nisi secunda perfecta, & ita quarta succedit secundæ & tertiæ neque enim sine illis potest haberi, illis quoque habitis per se etiam vel leuissimo negocio habebitur. Igitur constat secundam intentionem esse principalissimam in hac cura. Inde tertiam, post primam & quartam.

Et his tandem concluditur quod principalis pars curæ est in prohibendo tales accessiones, & quod talis prohibitio fit per tria principalia auxilia, scilicet emendationem intemperiei calidæ tam in toto corpore quàm etiam in solo cerebro, & in fonte sub genu vel fontibus, & in prouocatione vrinæ. Ex quibus est manifestum quod victus mediocriter frigidus & egregiè humidus est basis ipsius curationis. Nam primo prohibet attractionem cerebri, secundo ascensum materiæ & vaporum ad ipsum, calidi enim est ascendere, tertio cogit materiam, ita non potest descendere per tunicam ad pulmones, sed per cauitatem: Et ita excitabit tussim, & expelletur, & non faciet spirandi difficultatem.

Et hæc ratio non solum in cibo & potu est obseruanda, sed etiam in lectis & aliis causis, scilicet aëre animique affectibus. Quod si quis dicat hunc morbum initium duxisse à victu tali, vt excellens Casanatus in epistola testatur. Respondeo, quòd hoc verum est de victu inordinato. Neque enim valet, victus inordinatus aut intempestiuus cibus vel potus frigidus & humidus plus nocet quàm inordinatus vel intempestiuus calidus & siccus, igitur ordinatus & tempestiuus calidus & siccus melior est ordinato & tempestiuo frigido & humido: nam antecedens hic etiam in plurimis aliis casibus verum est, & quod sequitur falsum. Causa huius est satis manifesta, ideò propter id & propter breuitatem, illam adducere prætermitto.

Victus igitur frigidus mediocriter & plurimum humidus intemperiem emendat cerebri, & materiam crassiorem reddit. Confer præter id materiæ in pulmone contentæ, vt dixi, & ita in tertia intentione, & impinguat ac restaurat, & ita in quarta intentione. Quare quintupliciter egregie iuuat in hoc casu.

Manifestum est enim quod medicina habet intentiones plurimas, sed principales sunt quinque, ad morbum, causam morbi, symptoma, habitum, ac vires, & consequentia hæc. Velut in casu, morbus est materia in pectore contenta, symptoma difficulter spirandi, causæ materia congesta in capite & illius mala intemperies, habitus extenuatio corporis: consequentia vigiliæ & periculum tabis, inde ex intentionibus oriuntur auxilia, vt quod quædam illorum sunt pro cura ne morbus superueniat, quædam ne labatur in deterius, prohibendo pericula quibus paratus est, in omnibus autem his oportet quod non solum medicus faciat ea quæ debet facere, sed etiam æger ex toto obediat & astantes pareant, id est, sciant bene regere. R. D. quia de obedientia non est dubium, sed posset peccare

per

pe errorem, & quod non deficiant illi necessaria, & maximè quia est in Regione in qua facile possent deesse. Postmodum cadunt tres dubitationes difficillimæ circa hoc, vna est an inchoandum sit à debilioribus, Secunda an debeamus procedere ad medicamenta valida. Tertia an debeamus tradere auxilia per singulas intentiones seorsum, an simul. Huius tertiæ dubitationis difficultas consistit in hoc, quod si tradiderimus auxilia simul, primum non videbuntur habere rationem, deinde quia aliquando vno tempore indigemus magis vna intentione, aliquando magis alias, item quia illæ intentiones non viderentur demonstrare necessitatem & tamen demonstrant multum, quia emendatio temperiei cerebri ferme est magis necessaria omnibus alijs, quod si voluerimus describere auxilia per singulas intentiones, tria sequentur inconuenientia, primum quòd cogemur repetere sæpius eadem, secundum, quòd cogemur ponere auxilia quæ nocebunt vni dispositioni, & alteri iuuabunt. Tertium quod fiet nimis prolixa narratio. Propter hoc dico quod melius est tenere viam mediam, id est ponere auxilia ad res magis, necessarias, & reliqua diuidere, ita quod ad singulas dispositiones ponantur quædam præcipua seorsum, deinde aliæ intentiones generaliter, & ita compendiose trademus doctrinam hanc, & sufficienter & distinctè. Causa alterius dubitationis est, quia dicebat Galenus Decimo Art. cur. (cap. 10. iuxta medicum) Quibus nulla salutis spes est, & quæ est ea dubia est, necesse est hos aduersos periculis ire, ex alia parte est Galenus in libro de Prædictione. (c. 11.) ad Post. qui dicebat in principiis non esse vtendum medicamentis validis. Respondeo breuiter, quod medicamenta dicuntur esse valida bifariam, vel ratione generis vt pote esula, & talibus non est vtendum in principiis. Vel ratione qualitatis manifestæ superauctæ, & ita est bonum vti & debemus, quia est necessarium ad salutem, clarum est enim quod valet argumentum est necssarium ad salutem ergo vti debemus, & maximè quando tutum, quod autem sit necessarium declarabat Galenus in arte medica dicens (cap. 89.) manifestum est quod cura omnis fit per contraria non simpliciter dicit, sed æqualia in gradu, & dabat ibi exemplum. Et quamuis dici posset, quod ex longo vsu medicamenti debilioris in gradu posset tandem reduci, dico quod saltem in hoc casu fieri non potest, in aliis autem diceret Galenus, quod actio quæ fit à contrario minore bene inducit contrariam qualitatem, sed illa cum non sit æqualis præter naturali interim vincitur à qualitate præternaturali, quia in via Galeni qualitates contrariæ simul sunt in eodem sub iecto, & in eadem parte subiecti, & ex hoc soluitur dubitatio quæ posset adduci, ex superius adductis, quando diximus, quod in cerebro. R. D. erat simul qualitas calida & frigida præternaturalis, & sunt sicut duo inimici in domo tertij inimici, quia ambo deuastant, & vnus non impedit alium in hoc, & apud medicos istud contingit quotidie, licet videatur difficile apud Philosophos, & nuper vidimus in illustrissimo quodam Domino, cuius crus erat totum rubrum & calidum ad tactum adeò vt videretur pati phlegmonem, & tamen patiens ipse sentiebat frigus intollerabile per totum crus ex hoc patet solutio difficultatis alterius, scilet an à leuioribus sit inchoandum? Sicut videtur velle princeps. Quarta primi (cap. 1. pag. 1. in fine) an ab æqualibus in magnis morbis, videtur velle Gale. Quinto artis curandi (c. 15. in prin.) dico igitur, quod oportet à leuioribus non à leuissimis inchoare, ne metam morbi transgrediamur, & ne cura retardetur statim & sensim transire ad æqualia. Relinquitur solum difficultas magna, scilicet, an in statu morbi simus, quia videretur quod essemus potius in augmento, nã morbus ille adgetur, ex alia parte quod in declinatione, quia morbus iste orig nem habet à causa procatartica, sed causa desinente morbus fit minor, & ideò videtur quod sit in declinatione, videtur etiã quod sit in statu, quia cum sint iam decem anni, si perpetuo accepisset incrementum iam productus fuisset ad tantam magnitudinem quod mortuus fuisset. Item cum tempora morbi proportione sibi respondeant & principiũ cum augmento occupauerint iam decem annos, status occuparet saltem tres aut quatuor annos, & ita parua esset spes salutis. Respõdeo quod morbus est in augmẽto quia augetur, ad argumẽta dico quod nõ est necesse expectare statũ, quia posset intercipi causa generationis materiæ cum auxiliis: & ad aliud dico quod qualitas illa cõseruatur, quia facta est tanta impressio quod facta est dispositio fixa & quasi habitus. nam Medici fatetur expresse quod dantur intẽperies absque materia in mẽbris. Sed diceret aliquis, vel est fixa, vel non: si non est fixa, ergo non debuit manere tanto tempore, & propterea dico quòd est fixa, ergo Hectica diceret aliquis? propterea dicendum est quod est intemperies fixa, calida & humida. Et si quis diceret vnde humida? Respondeo quod ex natura cerebri iam cum attractione vehementi humidæ substantiæ à qua cerebrum humescit, Et si quis dicat, erit ne intemperies acquisita per habitum? Respondeo quod sic: nec inconuenit dari intemperiẽ præternaturam acquisitã per habitum, quæ faciat sẽper ægrotare, quia datur naturalis Sexto de tuenda sanitate quæ talis est (cap. 3. ante finem.) ergo multo magis pręternaturã, ex quo colligo vnum pulcherrimum, quod hic morbus sponte sua successu senectutis fieret aliquanto leuior imò multo, quia calida & humida temperies Sextò de tuenda sanitate (vbi supra) reducitur ad temperamentum, quia senectus nihil aliud est quam frigiditas & siccitas, vt habetur in libro de Tabe, (cap. 4.) & senescere nihil aliud est quam infrigidari & siccari, sed tamen non perfectè sanaretur, quia vt habetur Quinto de tuenda sanitate, senes generant multa excrementa propter imbecillitatem coctionis, licet sint sicci temperamento, quia tamen cessaret caliditas quæ attrahit, non generaret nisi ratione raritatis acquisitæ, & imbecillitatis ætatis, & humidæ qualitatis iam impressæ, & istę tres cau-

sæ non tantum facerent, quantum caliditas præternaturalis acquisita, & cum ipse sit in quadragesimo primo anno, est in principio senectutis ergo,ergo morbus est in fine augumenti, & iam in principio status.Ex quo collige quod licèt ratione causæ sit morbus difficillimus,quòd poterit tamen curari quia iam sponte est in statu & accedet post quatuor vel quinque annos, stante bono regimine, ad aliquam manifestam declinationem. Circa hoc notandum est, quod iste morbus dicitur esse materiarius, quia à materia impediente respirationem, sed tamen à causa quæ est temperies non naturalis absque materia in ipso cerebro,& istud potest esse in causa remota, non propinqua,ergo ita ordinanda erit series hæc:Symptoma est difficultas spirandi, morbus est obstructio in aspera arteria, & idem dicitur causa coniuncta, quia in morbo qui fit & non est factus, qualis est hic,datur causa coniuncta,& hæc est eadem cum morbo, vt habetur à Galeno in libro aduersus Iulianum. Causa verò antecedens est materia ipsa aquea quæ descendit, & magis remota quæ est in cerebro, & remotissima ac prima & principalis, quia prima causa est maximè causa & intemperies in cerebro calida & humida. Obstructio igitur facta est morbus, & materia obstruens dum obstruit est causa coniuncta etiam. Ita habemus hic sex per ordinem symptoma id est difficultas spirandi, morbus, & est obstructo in aspera arteria, causam coniunctam morbi & est materia obstruens causam antecedentem proximam, & est materia defluens,causam remotam,& est materia contenta in cerebro, causam primam & principalem à qua pendent omnes aliæ & est mala intemperies in cerebro,quas omnes antecessit causa vna procatartica seu externa quæ fuit insolatio, sed huic nulla debetur cura, Galeno teste Tertio artis curandi,quia non est, sed debetur solum præcautio,ne iterum occurramus tali causæ.Tria prima sunt simul iuncta loco,tempore & necessitate, scilet Symptoma, morbus, causa coniuncta, ex vnoquoque enim eorum sequuntur reliqua duo, vtpote nunc est materia obstruens in aspera arteria, ergo obstructio,& spirandi impedimentum,sed reliqua tria differunt inter se, & ab his tribus natura, tempore,loco,& necessitate, de natura manifestum est, quia etiam prima tria differunt natura inter se, de tempore clarum est,& similiter de necessitate, quia poterit esse intemperies in cerebro vt est, & non adesse materia genita, vt in tempore in quo iam tota defluxit, poterit etiam esse materia in cerebro, & non descendere, vt in tempore interualli accessionum, in quo verissimile est partem materiæ esse in cerebro, & tamen non descend sse, & similiter potest descendere,& non obstruere, sicut quando fieret crassa, & dum descendit expueretur per tussim, aut vt esset adeò pauca vt resolueretur vel penetraret. Sed de loco manifestum est quod pars continetur in pulmone, alia est in via,scilicet in tunica, alia in cerebro. Sed dicet aliquis,materia saltem quæ continetur in cerebro, est eadem loco cum intemperie quæ etiam est in cerebro. Respondeo quod non quia intemperies est in substantia, & materia continetur in concauitatibus. Et si quis dicat,quorsum hæc tanta? dico quod propter duo valde necessaria, primum quod in his quæ sunt distincta loco, tempore & necessitate, possumus prohibere transitum vnius in alterum, & ita cum sint quatuor poterimus habere quatuor genera curandi,primum vt tollamus malam intemperiem cerebri. Secundum, quod dato quod non possemus tollere,quod prohibeamus generationem materiæ in cerebro.Tertium, quod dato quod illa materia iam genita sit, vt prohibeamus illius descensum. Quartum,quod dato quod descendat vt prohibeamus obstructionem fieri, Aliud quod succedebat ex hoc commodum in cura erat vt sciremus quòd omnia auxilia quæ conferunt symptomati, conferunt etiam morbo & causæ coniunctæ, & versa vice quæ conferunt causæ coniunctæ, vel quæ conferunt morbo, conferunt reliquis duobus necessario, & quæ nocent vni nocent omnibus. Non autem ita in aliis causis quia quædam poterunt prohibere generationem & augebunt intemperiem vel defluxum & ita de aliis,& hæc de cura generali.

Nunc demum ad propria & singularia deuenio, incipiendum à cura primæ causæ, id est, malæ intemperiei in cerebro factæ, quia illa est verissima, securissima & perfectissima cura,& si non posset adhuc tolli tota, ablata magna parte, posset duobus modis perfecte curari, vel per se, quia materia illa non generaretur in tanta quantitate quod posset descendere, vel dato quod generaretur, posset resolui aut cogi aut diuerti, ita quod morbus cessaret.Igitur primum instituendum est regimen, sed quia in regimine quædam necessaria sunt, quæ tamen non iuuarent nisi repurgato corpore,ideò à medicamentis incipiendum est,& quia purgatio capitis præsupponit purgationem totius corporis, Teste Galeno, & purgatio corporis præsupponit præparationem, ideò à præparatione incipiendum est, & quia præparatio fit quatuor modis vel quinque, scilicet dissecando lenta, attenuando crassa, aperiendo obstructiones, æquando immoderata & ventrem lubricum reddendo, ab ipsius ventris lenitione incipiendum esse duco. Igitur.

℞. Succi cassiæ nouiter extractæ ʒ. vj. pul hisopi ℈. v. polipodij recentis siccati in furno leuiter, & subtilissimè puluerizati ʒ. ß. misce & cum saccharo fiat bolus, capiat per horam ante cibum inde comedat valde parum, sequenti mane capiat Syrupum istum.

℞. Cubebarum ℈. j. florum cordialium pug. j. Seminum melonum ʒ. ß. cardamomi, cinamomi, añ. ℈. ß. Gariophylorum tenuium ℈. vij. fiat decoctio in libra vna & media aquæ ad consumptionem medietatis addendo flores in fine, vltimo coletur, & de hac decoctione capiat ℥. iij. vsque ad iv. Syrupi rosati simplicis acetosi añ. ℥. vj. Syrupi de Sticados ℥. ij. misce & fiat syrupus, capiat per tot vices donec

vrina

vrina appareat concocta, inde aſſumat hoc medicamentum.

℞. Succi caſſiæ nouiter extractæ ℥. v. Trociſcorum de violis ſine ſcamnonea ʒ.i.ſ. pulueris tartari albi ℈.ſ. miſce & capiat in bolo vel diſſoluantur cum decoctione ebuli & aſſari & ſoldanellæ facta cum additione modici cardamomi, capiat in mane & tardet cibum quinque horis, & capiat modicum cibi, inde reuertatur ad eoſdem Syrupos, addendo cardamomi modicum, & cum apparuerit concoctio in vrina, vtatur colocinthida præparata hoc modo.

Recipe colocinthidæ mundatæ à granis & cortice ℥.ſ. mellis puri crudi ℥.ij. aquæ ℥. xx. coquantur omnia ad conſumptionem totius aquæ deſpumando inde coletur, & de hoc melle capiatur ℥.ſ. agarici electi, maſticis puluerizatorum ann. quantum ſufficit ad faciendum pillulas, & fiant pillulæ tres quas capiat poſt primum ſomnum, & ſi videbuntur nimis magnæ capiat ſolum dimidium mellis, vel ʒ.i. ita vt fiant pillulæ tres minores, & iſtud eſt primum ſecretum, & eſt ſingulare, deinde ſequenti nocte cœna leui capiat ℥. x. ſacchari violati poſt cœnam, & iſtud eſt ſecretum ſecundum, quia cum ſit res leuiſſima eſt tamen maximi iuuamenti. Hæc purgatio poteſt iterari, & debet totiens quotiens neceſſarium fuerit.

Deinde ad capitis purgationem deueniendum, & hæc poteſt fieri per tria loca conuenientia, quæ etiam generaliter tempore ſanitatis, illi conueniunt. Primus locus eſt palatum, & ſecundus nares, & tertius per ſuturas, & maximè eam, quæ vocatur coronalis, per palatum non mihi multum ſatisfacit, quia locus eſt proximior loco patiente, per nares ergò conuenientius eſt deducere materiam peccantē, & circa hoc poſſent cōnumerari plurima, ſed ego ponā ſecretū mirabile, expertum à me ſæpius & eſt tertium.

Recipe lactis capræ, vel vaccæ aquæ ann. ʒ.iiij. elacterij g̃. ij. diſſoluatur optimè & trahatur per nares, hoc ſi rite fiat ieiuno ventriculo, optime facit & multam materiam, & aquam deducit & pituitam, & tantam adeò vt aliquando videatur nimis iuuat etiam in mane trahere aquam frigidam per nares, impleto ore aqua frigida. Sed hoc non erit ei valde vtile, vt dixi, tamen oportebit ſtare experimento.

Tertius modus eſt, vt extrahatur materia per ſuturas, & maximè per coronalem & iſtud eſt auxilium adeò potens vt D. Franciſcus Bernardinus de clauenzano, fuerit curatus ex Aſthmate ſeptem annorum, pro quo non poterat inueniri auxilium aliquod quod iuuaret & erat extenuatus vſq; ad extremū. In hoc tamen caſu, vt dixi, parū confert, quoniā materia non eſt fixa in cerebro.

Recipe picis græcæ & naualis ann. ℥. vi. mellis anathardi ℥. ſ. Sinapis albi ʒ. iij. euphorbij ℥. i. ſ. miſce & fiat ceratum & raſo capite imponatur ſuper ſuturam coronalem. Iſtud medicamentum poteſt etiam exacui addendo cantaridas, vel poteſt mitius reddi dimittendo euphorbium & ſinapim, & apponendo ſarcocollam. Quod ſi quis dicat ex Galeno Septimo de comp. medicam. (cap. 6.) ſecundum locos, non conuenire in iſto morbo calefacientia multum neque infrigidantia, dico quod iſtud eſt verum de materia coniuncta, vt ibi declarat: & etiam medicamentis ſumptis per interius, & vbi prouocaretur ardor, adhibeatur butyrum ablutum cum aqua plantaginis aut violacea, & iſtud ceratum aliquando prouocat vſque ad lib. ij. aquæ in horis viginti quatuor, & in aliquibus ſolum ℥. ij. aut tres, & hoc prouenit ex cutis craſſitudine aut oſſis. Tamen, vt dixi, in hoc rariſſimo caſu auxilium quod omnibus conferre ſolet, non eſſet tutum eadem ratione quia materia non eſt fixa in cerebro & intemperies eſt calida.

His viſis oportet deuenire ad emendationem temperiei ipſius cerebri, & hoc poteſt fieri quatuor modis: Primus eſt per deſtillationem aquæ thermarum Lucenſium, quæ ſunt in Italia, & ſunt expertæ, & eſt quintum ſingulare. Modus igitur talis eſt, multa ſumpta aqua per octo dies, poſtmodum ſubiiciat caput ex commiſſura coronali deſtillationi illius aquæ per dimidium horæ, & iſtud eſſet adeò mirabile vt poſſet hoc præſidio ſanari ex toto.

Secundum eſt vt abluat caput lixiuio puro & ſimplici calido valde. Sed lixiuium ſit factum cum pauco cinere, & ſit ablutio capitis facta in cubiculo concluſo, vbi ſit ignis, ſed non ſit æſtuarium, & facta ablutione capitis ſuperinfundatur repente tota vna ſitula aquæ frigidæ, nuper è puteo hauſtæ, ſed ſenſim incipiat ab vno vrceo inde duobus poſt tribus & quatuor, & ita ſenſim aſcendendo, donec perueniat ad ſitulam, inde ſiccetur poſt paulum cum linteis valde ſiccis diligentiſſimè adeò vt non remaneat veſtigium aliquod, & ſit bene ſiccatum caput, & lintea ipſa quibus ſiccatur non ſint calida, ſed minus quam tepida, & poſtquam ſiccatum fuerit non exponat ſe per duas horas aëri, ſed maneat in cubiculo, & hoc auxilium eſt ſecretum magnum, quo etiam ego vtor pro me ipſo iam multis annis, & eſt ſumptum à Cornelio Celſo lib. primo (cap. 4.) & in principio dum vtetur hoc auxilio videbitur res ei difficillima, adeò vt cum ſentiet illam aquam mundus videbitur peruerti, nunquam tamen aliquis paſſus eſt aliquid incommodi ex hoc. Et ſi quis quærat à me, quare illa aqua adeò iuuet, dico quod cum ipſa ſit frigida actu corrigit intemperiem calidam acquiſitam, quæ eſt cauſa morbi prima & principalis: item quia eſt frigida actu confirmat calorem naturalem, & intus illum recludit: ſecundo cogit ſubſtantiam cerebri, quę rarior erat. Ergo aqua frigida tria facit inſperſa eo modo, ſcilicet emendat intemperiem calidam, cogit calorem naturalem, & confirmat, & ſubſtantiam cerebri condenſat, ſed iſta tria ſunt in quibus peccat cerebrum, & ſunt cauſæ morbi primæ & principales, igitur hoc eſt perfectum auxilium, quo curari poteſt.

Tertium ſingulare quod licet videatur eſſe artificioſius, & potentius, longè tamen eſt inferius præcedentibus, & vt fiant ablutiones capiti & etiam caſus aquæ ab alto

ex aqua calida in qua decocta fuerint infrascripta, ita vt talis instillatio fiat super futuram coronalem, & per quatuor digitos ante & post, cuius descriptio hæc est.

Recipe mirabolanorum emblicorum ʒ. ij. Santhalorum citrinorum minutim incisorum ʒ. i. ſ. Seminum mirti ℈. iiij. florum mimpheæ pug. i. aluminis rochæ vulgati, aluminis Zucharim ann. ℈. v. Gallarum ʒ. i. ſ. citini seu floris mali granati pug. i. ligni aloës electi & perfecti minutim incisi ℈. ij. foliorum maioranæ pug. 2. Gummi Iuniperi (quæ vocatur Sandaracha) ℈. ſ. aquæ ℔. xxxx. bulliant hæc vsque ad consumptionem medietatis fermè, deinde cum vno frusto calybis ignito calybretur, & de hoc fiat instillatio, secunda autem vice duplicentur hæc omnia in eadem quantitate aquæ, tertia triplicentur & loco aquæ frigidæ accipiantur ℔. xxxx. aquæ fabrorum ferrariorum, & addatur aceti ℔. ſ. isto modo perseueret singulis quatuor diebus in loco calido, non tamen in Æstuario, & perduret ista destillatio per quartam partem horæ, deinde exsiccetur cum linteis valde siccis & non calidis.

Quartum auxilium est per os, & est puluis iste Recipe Coriandrorum præparatorum ℥. ſ. Seminum papaueris albi, torrefactorum foliorum melissæ ann. ʒ. ij. cinamomi subtilis ℈. ſ. Gariophylorum tenuium g̃. v. Santhalorum citrinorum ℈. i. mirabolanarum emblicorum ℈. iiij. sacchari candidi rosati ℥. ſ. fiat puluis subtilissimus de quo vtatur post cibum mane & sero.

Secundum principale est vt non generetur dicta materia, & pro hoc occurrendum est tribus modis, primo vt fiat bona coctio. Secundo vt quæ assumuntur eius sint qualitatis vt non facile transeant in materiam tenuem. Tertiò ne multa materia trahatur ad caput, quia igitur intentiones erunt explendæ per rationem victus & sublatum est impedimentum ordinandi illam, eo quod ordinauimus iam purgationem: dico igitur quod quantum ad aërem ille debet esse siccus & tenuis, sed in calido & frigido debet esse tẽperatus, item clarus & sine motu, per hoc igitur quod dico sine motu, omnes venti erunt illi noxij, sed magis omnibus austrini, deinde orientales, deinde omnes maritimi, deteriores autem qui iuxta aquas dulces; boni autem, id est, minus mali Boreas, & melior omnibus est ventus occidentalis, & hæc generaliter, quia ratione situs Scotiæ posset aliter res se habere. Dixi etiam quod neq; calidus neque frigidus, ex quo etiam declaratur quòd in æstate & in hyeme, & in æstuariis deterius se habebit, & causa vnius dicti ab egregio D Guglielmo scilicet quod deterius se habet in Æstate, & est ratio manifesta quia caliditas auget intemperiem. Apparet etiam quæ habitatio in æstuariis multum nocet, & facit destillare pituitam augendo intemperiem, & ita nocet in præsenti, & in futuro, quamobrem diligenter cauendum est ab illis, & si non potest propter frigiditatem regionis, saltem habitet in caldariis temperatissimis, mundis & valde siccis, & inter illa, quæ possunt exsiccare aërem sunt. santhali rubri, & citrini, item Ladanũ, quod quidem, vt habetur à Galeno Septimo de simplicib. medicamentis (ca. de cistho.) est calidum solum in primo, item myrtus, item rosæ, etiam aliquid ligni aloës, item spinosa ligna quæ bene olent, & iuniperus, omnia sunt bona, etiam si non habeant aliquem odorem, & quia habitare in æstuariis non calidis forsitã non posset propter frigus, vtatur indumentis pelliceis maximè lupinis, item caueat ab omni insolatione, à pluuia, prodeat aëre sereno, tranquillo & quieto in vmbra, caueat etiam ab omni aëre nocturno, à crepusculis vtrisq; quantum ab inimico lætali, vtatur etiam pomo infrascripto aliquando pro odore. ℞. Santhalorum citrinorum ʒ. i. ſ. florum labruscæ siccatorum ℈. ij. ligni aloës ℈. ſ. maioranæ, lachrymæ iuniperi, an. g̃. vii. gariophylorum subtilium g̃. v. rosarum rubearum, coriandrorum præparatorum, an. g̃. xv. Ladani electi ℥. x. dissoluatur ladanum in aceto acerrimo, inde cum suprascriptis speciebus redigatur in formam pomi. Et quando non placeret pomum, posset vti odore rosarum, in quibusdã tamen rosæ calefaciunt cerebrum, sed flores labruscæ in hoc sunt mirabiles, item dormiat non in lectis ex pluma, sed ex stupa serici, & hoc caueat diligenter, quia multum refert, calefacta enim Spina dorsi, & vena caua, statim ascendunt materiæ ad cerebrum, est etiã ibi arteria magna, & ideo oportet si videatur stratum durum vt plures superponat lectos ex stupa serici, item consideret quod non oportet dormire supinum, sed potius pronũ aut saltem in latus, & si dum dormiret pron⁹ aqua ex ore descenderet, magnum ei afferret auxilium. Item oportet vt puluinus esset ex palea tritici bene sicca, & minutim incisa, quod si non posset perferre ob duritiem & asperitatem, vt esset ex alga marina bene sicca, ex pluma autem nullo modo. Item quod non sit puluinar ex corio, sed ex lino, aut quod melius est ex canabe, oportet etiam vt vtatur in nocte inuoluens circa caput ex ipso canabe, Thymiama nostrum Recipe aquæ vitæ trium coctarum ℔ i. ſ. Santhalorum citrinorum minutissimè incisorum ℥. ij. Seminũ myrti contusorũ ℥. iij. floris labruscæ, m. i. incidantur flores & cum reliquis ponantur in ipsa aqua per viginti quatuor horas, inde destilletur, & illam aquam odoret sæpe, addito modico aceti. Aliter infundantur ista in vino albo potenti per tres dies, inde destilletur: aliter infundantur in lib. ij. aceti albi per tres dies, & destilletur: aliter capiantur ista eadem & ponantur in aceto albo, & exponantur Soli inde coletur exprimendo bene, & addantur tantundem ex santhalo, floribus labruscæ & fructibus myrti & hoc iteretur ter aut quater, & de hoc vel aliis suprascriptis poterit tenere in cubiculo, & si nihil aliud facere vellet: item sæpius odorare vel inspergere super flores, vel inspergere domum. Oportet autem vt destillationes superiores fiant cum vitro, & non aliter, sicut etiam de inferioribus dicemus & hoc est singulare.

Caueat etiam ne subito assumpto cibo eat dormitum, sed maneat donec descendit cibus ad imum ventriculi, vtpote per vnam horam

cum

cum dimidia, & somnus sit cum vna manu posita super ventriculũ,istud enim plurimum confert,ad concoctionem optimam, & sit à septem horis vsque ad decem,& non credat. R.D. quod sit aliquid melius somno prolixo, & ideo detrahat, ab occupationib. quod condonet somno,& si non potest,detrahat à studiis,sit autem summa cura vitæ sine qua felix vita esse non potest.

Vbi à lecto surexerit curam habeat vt euacuentur excrementa alui & vessicæ & familiare ad hoc est nostrum hoc singulare sub alia forma quam superius diximus.

Recipe conseruæ florum persici ℥. ij. Sacchari violati ℥. iiij misce, capiat in mane,tardet cibos per quinque horas, deinde leuiter prandeat. Attamen caueat ab omnibus euacuantibus quantum potest propter tres causas,prima est extenuatio,omnis autem euacuatio nocet tabificis & consumptis. Secundò quia euacuatio impedit concoctionem debilitando ventriculum, ideo adiuuat ad cruditates generandas,& ideo auget concausam morbi per accidens,licet per se minuas, tertiò quia non euacuat quidque ex materia quæ continetur in capite,seu ex materia faciente morbum, & multo minus ex materia contẽta in pulmone,sexto de locis,& propter hoc vbi contigerit nesſitas euacuationis fiat modo infrascripto,& est Hip. Singulare,optimum & in quo peccare non potest.

Recipe lactis asinini recẽter mulcti à ℔.ij. vsque ad iiij.℔ in mane capiat in vna vel pluribus vicibus dũmodo à primo haustũ ad vltimum non intercedat plus hora, istud enim euacuat aluum & ventriculum & nutrit & sedat malam intemperiem calidam quæ est in toto corpore,& aperit obstructiones pulmonis,& pectoris & nutrit pulmonem,& securum reddit à Phtisi,& est gratũ gustu. Oportet autẽ obseruare,ne cum lac accipit vtatur cibo copioso,item ne se exponat aëri, item ne coaguletur in ventriculo, & propter hoc deambulatio suauis est valde bona,itẽ oportet animaduertere, ne acescat in ventriculo, & vbi non deiecerit aluum,oportet illa vice vti clysteri,deinde alia vice exhibere maiorẽ quantitatem,item cauere per totam illã diem & sequẽtem,ne comedat aliquid corruptioni obnoxiũ,non pisces,non fructus, neque carnem elixam,neque exerceat se à cibo illa die, neque curis animum distrahat.Caueatque ab omni vexatione corporis & animi,sed vbi cogatur assumere clysterem,propter imbecillitatẽ operationis deiiciendi,tunc alia vice sumat maiorem quantitatẽ lactis vtpote vsque ad tres libras,& etiã vsque ad quatuor sequẽti vice,vbi tres libræ nihil facerent:Et hoc est medicamentũ securissimum,nec est aliud medicam entũ quod tales nõ afficiat aliquo modo prçter istud.Lac autẽ illico ab asina mulgeatur. Oportet autem Asinam pascere cibis optimis & herbis mollibus,vt est malua,blitũ, mater violarũ flores rosarum,comedat etiam speltam & auenã,& partus si recens,& melior est asinæ quæ pepererit fæminã,& Asina viuat in libertate cum suo pullo, in pratis. Habita ergo alui deiectione, sponte, debet pecti caput pectinibus ex ebore,qui confortant cerebrum:& fricari debẽt extremitates, & dorsum & inungi oleo amigdalino dulci recẽti,spina dorsi & pectus,& omnes iuncturæ,inde deãbulet in loco amœno, & aprico, non tamen in Sole.

De Venere,certe non est bona,neque vtilis,vbi tamen contingat necessitas, debet vti ea inter duos somnos,scilicet post mediam noctem, & melius est exercere eam ter in sex diebus pro exẽplo ita vt singulis duob. diebus semel quã bis in vna die,etiã quod staret per decem dies. Caueat etiam ab omni immoderata repletione potus & cibi caueat etiã ab immoderata abstinentia cibi,& à fame vehementi.

Exercitatio autem omnis sit ante cibum & à cibo nunquam,& si contingat quod cogatur exercere se,assumat parum cibi,& parum nutrientis & cum exiguo potu, exercitatio quoque cum equis commodè deambulãtibus est bona, & non sit vnquam vsque ad sudodorem,sed citra,ab exercitatione autem potest assumere cibum.

Circa hoc cadit primo dubitatio, vtrum prãdiũ debeat esse maius cœna, & circa hoc distingo quinque modis, primus est quod debet sequi consuetudinem, vbi illa consuetudo sit iam confirmata & non interupta aliquo modo,& hoc seu melior sit prãdendi seu cœnãdi copiosè cõsuetudo.Secũda distinctio est, quod vbi nulla sit consuetudo firmata, oportet considerare, an sit robusti ventriculi, an debilis,& si debilis vẽtriculi melius est vt cœnat copiose & liberaliter,& parce prãdeat: quando autem dico liberaliter prandere vel cœnare intelligo,quod assumat duplum panis,& quintuplum obsonij, respectu alterius cibationis, velut capiat in vna cibatione vntias tres panis,& vntiam vnam carnis,in alia cibatione capiet vntias sex panis, & vntias quinque carnis. Tertia distinctio est, quod vbi ventriculus sit validus, vel cogitur exercere se, vel scribere, vel cogitare de rebus difficillimis, à prandio, & tunc prandium debet esse leuissimũ,& cœna vberior. Quarta distinctio est,quod nulla stante cõsuetudine & dato quod ventriculus esset robustus & non cogatur exercere se mente, vel corpore, tunc ve, comedit sero, vel matutina hora,si tarde,tunc debet prandere parum & copiose cœnare. Quinta& vltima distinctio est,quod vbi etiã esset robustus veniriculus, & posset prandere matutina hora, & non cogeretur quicquã agere, tunc si vel non bene dormiuit vel non sentit pristinũ cibum adhuc esse concoctũ,tunc debet parum prandere,& bene cœnare,in duobus ergo solũ casibus debet copiose prandere & parce cœnare, scilicet quando consueto diuturna hoc obtinuerit vt plus prandeat quàm cœnet, & non sit consuetudo interrupta. Secundus cum ventriculus fuerit validus,bene dormierit, bene concoxerit,& negociis non distineatur & prandeat matutino,sed quia, vt audio, ipse iam contraxit consuetudinem assumẽdi cibum in mane copiosiorem, ideo quod potest iuuare in hoc casu & quod debet facere, est primum vt comedat tempestiuè & quanto tempestiuius tanto melius, secundum vt tardet à cibo per duas horas antequã omnino quidquam mente peragat, corpore autem ex

ex toto quiescat vsque quo vadit dormitum, & si cogatur ire, eat super mula, & non super equo, neque pedibus neque naui. Tertium, quod in hoc casu abstineat à cibis omnibus crassi alimenti, quibus posset vti in cœna vbi assuetus esset parcissimo prandio, & similiter abstineat à cibis lentis, & pari ratione, à cibis vehementis frigiditatis, quib. posset vti vbi solitus esset prandere parcè, & cenare liberaliter. Quartum est vt parum bibat, & si vult bibere poterit potius bibere in cœna, etiam quod sit parcior: Quintum est vt cito eat dormitum, ita tamen vt non eat dormitum nisi post cœnam per horam vnam saltem integram.

Hic cadit alia dubitatio egregia, scilicet vtrum in cœna, dato quod copiose pransus fuerit, debeat assumere res nutrientes, puta carnes, oua vel pisces? & videtur quod non ex Galeno sexto de tuenda sanitate (cap.7.) sed illud dictum videtur tenere nisi in sanis, quia idem Septimo artis curandi (cap.6.pag. 4.) vult quod cibum capiant nutrientem, sed qui facillime concoquitur, & si quis dicat, quod loquitur de imbecillitate ventriculi, Respondeo quod tantum impertiendum ferculi, quantum necesse est ad nutriendum ventriculum. Sit ergo forma cœnæ, gratia exempli talis, quatuor vel sex vntiæ Panis & vitellum oui, cum modicis vuis passis, aut turdus, aut quatuor testiculi Gallorum cum eisdem, aut dimidium alæ pulli sine passulis: pran dium autem sit ab octo vntiis panis vsque ad duodecim cum pullo integro, vel cum quarta parte hædi vel leporis, & ita potus sit modicus, vt dixi, in prandio & paucus etiam in cœna, propter cibi paucitatem.

Circa regimen igitur cibi & potus considerãda sunt quatuor, quantitas de qua dictum est, & circa quam est considerandum, quod oportet obseruare tres regulas: Prima vt seruetur consuetudo. Secunda vt declinet potius ad parcitatem quam ad copiam. Tertia vt plus comedat de cibis bonis, & minus de prauis, & quanto deteriores tanto minus, & de cibis facilis concoctionis plus quam de cibis difficilis concoctionis.

Sed quoad ordinem vnus esset ordo qui satisfacere omnibus, scilicet & comederet tantum de vno ferculo, & eligeret quod magis ei placeret, & iste ordo esset optimus. Secundus ordo est vt quanto pauciores cibos comedit tanto melius, & quanto magis simplices. Tertius ordo est, vt cibos maximè nutrientes comedat ab initio vtpote carnes, & hoc quia ventriculus nutritur ex cibo prius ingesto, quia adhæret parietibus ventriculi, fallit tamen regula, quia si ab appetitu victus comederet cibos facilis corruptionis, tunc illi debent præponi quia multum nocent in principio, sed longe magis in fine, circa præparationem quinque sunt illius genera, elixum in aqua à quo debet omnino & penitus abstinere, nec licet comedere quidquam illo modo præter columbos, & causa est quia parum nutriunt, & nutrimentum est serosum & facilis corruptionis & difficile concoquuntur, & generaliter nihil est deterius. Secundum genus est eorum quæ friguntur in sartagine, & talia etiam sunt pessima quia liquor seu sit oleum, seu sit butyrum aduritur, & quod coquitur remanet intus crudum, ergo talia nocent trifariã, astringendo spiritum propter adustionem, & exhibendo nutrimenrum inæquale & prauũ propter magnum discrimen, quod est inter partes interiores & externas. Tertia propter difficultatem concoctionis quæ in parte exteriore contingit propter siccitatem & in interiore propter frigiditatem & cruditatem, sicut siccitas fit propter adustionem. Tertium genus est assatorum in veru, istud genus diuiditur primum quia illa quæ assantur in veru quædam sunt vacua interius, quædam vero sunt solida, sicut caro vitulina & castrati, vacua verò interius sunt sicut omnes aues, etiam quod impleantur substantia earum est paulo crassior digito & plerunque etiam tenuior, talia si pinguedine vituli irrorentur sunt optimi nutrimenti, bene nutriunt, nutrimentum est minimè serosum. Sed solidũ, minime corruptioni obnoxium, paucorum excrementorum, facilis concoctionis. Sed in hoc oportet obseruare tria, primum vt perfecte concoquatur & non nimis aut parum, vt non comedat partem exteriorem, quia est nimis adusta, vt recenti pinguedine vitulina, & etiam modico succi citranguli dulcis in fine inspergantur, ne omnino quidquam aduratur, quia vt nihil ei melius est assatis, ita nihil deterius est adustis. Et causæ horum declaratæ sunt à nobis in primo libro de tuenda sanitate. Sed in his quæ sunt solida quia illud quod est iuxta veru non coquitur, oportet vt subtracta parte exteriore circum circa, comedat illud quod est iuxta per vnum digitum, & quædam sunt quæ perfectè coquuntur propter tenuitatem suam, sicut caro hædina, ista potest tota edi. Sed tamen non adeò bene coquitur iuxta ossa, oportet igitur vt coctio sit longa & leuis iuxta finem saltem, & cum assidua irroratione pinguedinis, & cum igne facto ex lignis mollibus sicut salicis, quia istud multum refert, caro enim à lignis duris vt quercus, accensis, aduritur vehementer & exsiccatur, qua siccitate nihil est deterius, quia parum nutrit, coctio difficilis redditur, exsiccat & tabefacit corpus, & à proprietate nocet difficultatem spirandi patientibus. Aues etiam melius est vt impleantur siue gallinæ siue aliæ, quia melius coquuntur & humidiores redduntur interius, impleri autem debent his quæ non aduruntur ab igne sicut vuis passis ablutis in aqua primum, deinde in pingui iure, cum modico carnis castrati gladio contritæ, item cum carne prunorum cum carne etiam persicorum & fructuum generaliter, cauendo tamen pira & poma, vt videbitur inferius. Quartum genus est assatorum super prunas, & in hoc etiam oportet cauere diligenter vt sensim assetur, & assiduè irroretur pinguedine vituli, vel castrati, vel anseris vel gallinæ vel anatis, ita tamen quod sint recentes, & non coctæ. Quia vix fieri potest vt pinguedo ita ad amussim coquatur quin relinquatur aliquid humidi aquei, & tunc rancessit vel aduratur humidum pingue, & in vtroque casu nocet talis caro egregie difficultatem spirandi patientibus. Caro igitur

igitur assata super craticula est boni alimenti, verum tamen difficilis concoctionis, & oportet obseruare diligenter vt ab initio ignis adhibeatur sensim deinde celeriter coquatur tam in ea quæ assatur super craticula quàm quæ in veru, & hoc ne siccetur, & non coquatur. Quia vbi calor celeriter penetrat caro rarescit & fit mollis, & humidum pingue dissoluitur, & non siccatur, sed si ignis adhibeatur lentè siccatur pingue & non coquitur, sed dicet quis quod superius dixi opportunum esse, respondeo quod superius intelligo sic, debere adhiberi lentum ignem, quando iam coxerit calor fermè carnem, quia tunc necesse est adhibere ignem lentum & modicam pinguedinem, aliter necesse est vt in vnum ex tribus inconuenientibus incidat cocus, aut enim remouebit antequam sint perfectè coctæ carnes, & ita erũt insuaues & difficilis coctionis, aut necesse erit vt plenè excoquantur, cum multo igne, & sine pinguedine & tunc aduruntur, aut vt adhibeatur multa pinguedo & tunc erunt insuaues gustu & mouebunt nauseam quia pinguedo parum consumitur, propter hoc igitur necessarium est adhibere ignem lentũ in fine, modus ergo est vt primo adhibeatur ignis lentus, & sensim augeatur, donec fiat magnus, & tunc excoquatur ferme vsque ad perfectionem, & remoueatur paululum ab igne, non diminuto igne, & parum addatur de pinguedine tunc donec perfectè coquatur. Et si quis dicat quomodo ego sciã quod sit cocta, & quanta negotiatio est hæc, quam docere oportet cocum, Respondeo, quod coctio declaratur vno verbo, quando odor carnis fuerit in vltima perfectione & iam incipit minui in quantitate, tunc caro est perfectè cocta, & huius causam declaraui in libro de subtilitate. De negotiatione, respondeo quod plus potest præparatio, quã genus cibi, & hoc docebat etiam Cicero in quadã epistola familiari de beta, ideo dico quod etiam fungi possent adeò bene præparari quod essent meliores ouis malè præparatis, quamuis fungi sint pessimi alimenti & hoc quia in præparatione requirantur principaliter, primum vt cibus sit suauissimus tã odore, quam gustu, & hoc est principale, secundum quod sit boni alimenti & plurimi, & hoc est præcipuum, tetium quod sit facilis concoctionis, & hoc est necessarium, non tamen præcipuum, neque principale. Secundũ genus præparationis est iurulentum, & est cum caro coquitur in iure in sartagine contecta, & adduntur aromata, & herbæ odoriferæ, & iste modus est satis bonus, primum quia caro redditur longè suauior quam in elixatione, & etiam longè magis nutrit, & nutrimentum est solidius & minus obnoxium putredini & facilius concoquitur. Et hæc de præparatione generali, nunc de propria dicendum est.

Primum ergo sciendum est quod iurulenta magis conueniunt in cœna quam in prandio, quia sunt difficilioris coctionis, & magis relaxant ventriculum quam assata, sicut etiã de potu dictũ est, qui copiosior debet esse in cœna quam in prandio, saltem ratione cibi assumpti. Secundo dico quod columbi debent comedi elixati in aqua cum suis interioribus intus, & nullo modo assati, sed bene in iure comedi possunt, & causa est propter caliditatem ipsius carnis, caro enim columbi est omnium calidissima carnium quæ comeduntur. Tertiũ est genus elixationis quod potest admitti, & maximè in piscib. & est cum addũtur aromata, zinziber quod mihi maximè placet, vt nunc dicam, inter omnia, & crocus secundo loco, & causa est quia zinziber est calidũ & humidũ, & dissecat lentos humores, & impinguat potius quàm faciat contabescere, & crocus est anima pulmonis, & eo solo multos liberaui anhelosos, inter quos Socrum Cæsaris de Comitib. quæ tantã passa erat per duos menses spirandi difficultatẽ vt intra paucas horas moritura videretur, igitur præter crocum aut zinziber solet addi vel oleum vel butyrum aut anseris pinguedo, similiter acetum, porrum & talia de quibus inferius dicam. Nunc igitur ad singula trãseundo dicam de præparatione per genera singillatim, carnes igitur omnes syluestres aut frigidæ, aut crassæ vt sunt apri, anseris, anatis, castrati vituli, caponis, meliores sunt assæ, & præcipue in veru, quam iurulentæ: carnes verò facilis coctionis & calidæ vt sũt omnium auicularum & columborum & præcipuè syluestrium meliores sunt iurulentæ. In omnib. autem generaliter debent eligi iuuenculæ, sed in columbis hoc maximè refert. Pisces verò debent potius assari super craticula vel in veru, quamuis sit insuetum. Quod si quis velit vti elixis, elixatio hoc modo fiat, ad sufficientem aquæ quantitatem addantur vuæ passæ albæ quantum sufficit, item olei, salis, item zinziberis, aceti etiam albi modicum, & porrum vnum mediocre in frusta diuisum & petrosilium, manifestum est autem quòd immodicam siccitatem hanc tot medicamentorum oportet multiplici oleo retundere, & cauere ne superante odore vel sapore, cibi suauitas vlla ex parte vitietur. Hæc ratio condiendi cibaria, etiam carnibus applicari poterit. Verum de causa singulorum horum suo loco dicam: De ouis non oportet loqui quia coquuntur cum cortice donec sint medij inter dura, & sorbilia, & vocantur tremula. Reliqui modi condiendi potius afferunt iacturam quam vtilitatem. Olera non possunt edi nisi vel cruda vel cum iure cocta vt manifestum est, condiri autem debent in iure cum oleo, vel butyro, vuis passis zinzibere, croco, sale. De crudis autem suo loco dicemus. Radices autem in iure pingui cum zinzibere & croco, & petrosilio si arridet. Septima verò cum iisdem, atque hæc de ferculis dicta sint: modo declaremus causam illorũ octo quæ adduntur, vt quisque intelligat quãdo plus aut minus, vel de vno vel de alio addendum sit Hoc vno primo præsupposito, quod semper ratio suauitatis tam in gustu quam in odore sit obseruanda, scriptum est enim secunda aphorismorũ ab Hippoc. (38.) parum deterior cibus aut potus, suauior autem melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus. Et additur ibi ratio, quia dicebat Galenus cibum suauem ventriculus amplectitur & multò melius concoquit & ideo melius totum corpus nutritur ex eo

& ex hoc colligi potest vnum aliud, quod ponitur ab Hippoc. secunda aphorismorum (50) & explicatur à Galeno ibi, quod cibus ille optimus est qui est maximè consuetus, natura enim ventriculi, dicit, eos cibos optimè concoquit quibus maximè assueuit. His igitur duobus obseruatis, declaro rationem illorum octo quæ addenda dixi in cibis ad præparationem, crocus & zinziber confirmant ventriculum, & præter eam omnia membra principalia quia odorata sunt, & præter id dilatant anhelitum, zinziber etiam dissecat humores lentos, & adiuuat concoctionem, Dioscor. teste, & lenit ventrem, verum porrum dissecat crassos humores, & etiam confert ipsi pulmoni, acetum autem dissecat humores lentos, & crassos attenuat, velut & zinziber, & crocus, & præter id incitat appetitum & aufert fastidium, & mitigat calorem reliquorum medicamentorum. Sed oleum optimè nutrit & impinguat, & resistit siccitati reliquorum medicamentorum, sicut etiam vuæ passæ. Sed hæ præter id conferunt ventriculo multum, & pectori, & aperiunt obstructiones, & optimum dant nutrimentum, & pulmoni conferunt, in his qui laborant morbo Gallico magnum afferunt auxilium. Sed Petrosilium aperit obstructiones & purgat renes, & vesicam, flatus resoluit, confert ventriculo, & sedat tussim, authore Dioscor. nam petrosilium quo nos vtimur, est apium satiuum antiquorum, gratum olim, & nunc maximè in gustu. Ob id etiam credo inter condimenta receptum magis quod venenis aliqualiter resistat, quæ ex viperis ortum habent. Sal verò præter gratiam quam cibis addit confert ventriculo. Cum vero in hoc casu sit intemperies calida vbique & ventriculus validus & materia minimè lenta, ab aromatibus debemus temperare.

His visis de præparatione ad ciborum qualitatem transeundum est, breuiter ergo illam pertransibo, vt verò sciamus quinam cibi eligendi quibusnam verò interdicendum sit, scopi quatuor sunt obseruandi: primus vt sint boni alimenti, secundus vt sint facilis concoctionis, tertius vt pulmoni prosint vel saltem non noceant, quartus vt possint impinguare, & ideò cadit primò vna dubitatio, vtrum cibi tenuis alimenti sint meliores cibis crassi alimenti, & ista est magna difficultas, & propter vtilitatem & propter frequentiam, quia necessarium est ferme toties in aliquod istorum membrorum incidere quoties assumitur cibus, tum etiam propter argumenta ad partes. Quod igitur cibus tenuis alimenti sit melior, videtur primo per Galenum in libro (cap. 1.) De attenuan. vict. ratione, qui tales cibos in longis morbis laudat, item quia tales cibi facile concoquuntur, & ideo bene concoquuntur, & ideo bonum præstant alimentum, quare tales cibi vtiles erunt, item quia Asthma, vt conclusum est, fit ab humoribus lentis & crassis, ergo cibi tenuis alimenti causam auferent ipsius morbi, item quia cibi tenues sunt pro his qui non exercentur & crassi pro his qui exercitatione multa vtuntur, libro de cibis boni & mali succi (cap. 5.) quicunque soli sanitati student à cibis lenti vel crassi succi abstineant, in oppositum Galenus tertio de alimentis (cap. 28.) medium alimentum voco, quod neque aqueum gignit succum, neque admodum crassum, itaque per tenue alimentum intelligitur aqueum atque særosum. Galenus quoque in libro de cibis boni & mali succi (cap. 5. in principio) dicit quod ex cibis subtilis alimenti corpora extenuantur. Sed ipse iam extenuatus est, ideo periculum est ne celeriter contabescat. In hectica etiam solemus dare limaces & testitudines, & ita consentiunt ferme omnes medici. Sed ista sũt crassi alimenti, ergo cibi crassi alimenti sunt meliores, item Galenus septimo artis curandi (capite sexto) in extenuatione ventriculi dabat carnem suillam, sed illa est crassi alimenti, igitur alimenta crassa sunt meliora. Præterea vel voluimus adhibere multum cibi vel parum, si multum, augebitur materia destillationis, si verò parum assumat cibi & sit tenuis debilitabuntur vires & contabescet. Igitur concludo quod oportet vt alimenta sint crassi succi potius quam tenuis, mediocria tamen omnibus sunt præstantiora.

Incipiendo igitur, relictis argumentis aliis quibus facile est respondere, dico quod potus primo debet esse potius ex vino albo, quam rubro vel nigro, quia vinum album facilius facit penetrare cibos & melius concoquitur, & est saluberrimum tam in prospera quam aduersa valetudine, vt à Dioscoride habetur, in initio quinti libri. Et per vinum album intelligo vinum flauum, aut pallidum, & non album simpliciter, quia tale est nimis austerum & crudum, & frigidum, & acerbum, & omnino in hoc casu inutile: debet autem eligi vinum modice austerum & modicè dulce, & odoratum. Aqua autem cruda nullo modo vtilis est, sed si modo vtendum est aqua, destillanda est semel aut bis per vitreum vas, & hoc est singulare quod ad vsum pertinet. Igitur vt aqua cruda pessima per se est, & etiam vino permixta, ita destillata si vinum diluatur præstantius fiet quam syncerum. Sed aliquis posset dicere quod vinum dilutum magis petat caput ex Philosophi problemmate, propter quid homines magis inebriantur vino diluto quàm syncero? Respondeo quod dictum illud non est verum, nisi de vinis valde potentibus, quæ sunt adeò crassa vt non possint petere caput, quod etiam docebat Galen. in libris de simpl. med. dum de vinis loquitur, in nostris autem regionibus secus est, nec Aristotelis experimentum verum est. De Zetho autem cum sit res corrupta nulla modo vtilis est. Quod si ventriculis ferret commode potum aquæ forsan non esset inutilis, aqua autem talis esse deberet, & est singulare.

℞. Aquæ fontis ℔. x. cinamomi electi minutim incisi ℥. ij. zinziberis non cariosi ℥. j. sacchari ℔. j. cardamomi ℥. vj. croci. ℥. ij. maneant simul per diem, inde bulliant ad consumptionem medietatis, & postmodum destilletur, & postquam destillata fuerit dissoluantur in ea sacchari electi & subtilis

lis ℔. ß. hic potus est valde suauis si quis recte eum sciat perficere. Descriptio potus alterius non minus bona.

Recipe zinziberis electi ℥. ß. minutim incidatur, & infundatur in aquæ ℔. xx. permittendo per viginti quatuor horas super cineribus calidis obturato vase vitreo diligentissimè, deinde addantur in ea manipulus florum rorismarini, mellis crudi puri & electi ℔. j. destilletur per reditum tribus diebus, seu per duo vasa mutuo canaliculis seu rostris sibi inuicem coniuncta, seu per vasa directa, vltimo destilletur simpliciter per Balneum Mariæ, & habebitur potus suauissimus, quo si vellet perseueranter vti seruando bonum regimen, esse posset vt vel hoc solo malo liberarentur dimidia parte morbi vel etiam plus est enim expertum à nobis. Secundum vt dixi hic potus non conuenit in hoc casu propter caliditatem intemperiei, & materiæ tenuitatem, sed quo præsentes vtimur est in ℔. iiij aquam gliciritzæ ℥. ij. cinamomi ʒ. j. Est etiam consilium Calanati addere modicum radicis iridis, & nobis non displicet. Superiores potus cum descripsissemus absentes placuit relinquere.

De cibis autem, carnes primo syluestres generaliter meliores sunt domesticis, & quadrupedum minus quam auium. Aues autem aquaticæ inutiles sunt, exreliquis perdices omnium ciborum sunt præstantissimæ. Manifestum est autem quod debent esse assatæ, vt dictum est. Post has sunt turdi, coturnices seu qualeæ, ficedulæ, passeres iuuenculi, merulæ, columbi agrestes, turtures, aliaque id genus, pulli quoque gallinacei. Ex quadrupedib. autem caro apri omnium optima est, hanc sequitur caro hædi, deinde castrati, vltimo vituli, esse tamen potest quod caro vitulina, in regione humida sit melior quàm caro castrati, sicut in regionibus calidis & siccis semper caro castrati melior est. Caro autem iuuenci omnino mala est, sicut & suilla domestica.

Ex panibus, nam hic est præcipuus inter alimenta, optimus qui fit ex duabus partibus zeæ, id est, speltæ & vna frumenti, proximus ab hoc est triticeus, purus bene pinsitus, leuis, reliqui panes sunt inutiles. Sed & panis ipse triticeus debet esse bene coctus, & si cum lixiuio præparatus fuerit erit melior, & optimus panis est post sex horas à coctione vsque ad vigintiquatuor, ego tamen vsque ad quadraginta laudo ipsum. Similiter caro in æstate debet comedi post sex horas vsque ad vigintiquatuor, in hyeme autē à viginti quatuor vsque ad sexaginta, aliqui tamen volunt quod æstate statim, hyeme post vigintiquatuor horas caro comedatur.

De piscibus, marini, & recentes, & friabiles, & qui in pura aqua degunt boni sunt qui verò sunt aquarum dulcium, aut extincti ante sex horas, vel lenti, vel in aqua maris putida, graues & inutiles. Laudantur ergo auratæ arbores, Gobij, damnantur Mugiles, Tunni, malaco dermata omnia, vt polypi, sepiæ, loligines, quæcunque autem sunt de cancrorum genere in moderata quantitate laudantur, etiam si ex aquis dulcibus, vt Gammari, cancri, locustæ, squillæ, & generaliter quæcunque pedes duros habent, nam polypi & Loligines pedes quidem habent sed non duros, causa quare talia laudentur est, quia habent humidum densum, & solidum & quod maximè resistit tabefactioni, & ideo ex Gammaris, id est cancris caudatis seu potius astacis vel etiam ex cancris ipsis faciemus auxilium singulare expertum, dilatans pectus & impinguans.

Recipe cancros crudos seu Gammaros viuentes, & robustos & magnos numero viginti, & accipiatur caro chelarum & caudarum, si habent caudas, sed nō caudati meliores sunt, id est, cancri, lauentur decies lixiuio, & decies aqua tepida, inde habeantur ℥. xxx. aquæ hordei puræ & bonæ & secundum artem factæ, & imponantur chelæ dictæ, & caudæ, & coquantur, donec reducantur ad ℥. x. & in fine addantur sacchari albi ℥. x. dissoluatur in eo, inde coletur & bibat in duabus vicibus, deinde superdormiat saltem per duas horas, istud vbi possit superdormire in quindecim diebus restaurat corpus, & iuuat ad pectus dilatandum, & retardat accessiones asthmatis, & minores illas facit ac breuiores, & est expertum à nobis

Quintumdecimum ad impinguandum est positum in decimo octauo libro de subtilitate de Gallina impinguanda sæpo Lacertæ & cætera. Et oportet variare talia auxilia, quia aliquando vnum proficit, & aliud non in eodem morbo & eadem causa, Textus est principis decimatertij currunt proprietates in hominens, & medicamenta quas scribere omnino impossibile est. Item quia permutatio auxiliorum multum iuuat, textus est eiusdem ibidem rursus dicentis, medicamenta propter consuetudinem desinunt iuuare, ideo transmuta illa, etiam quod iuuent. Aliud est singulare & præcipuum & maximum, & est caro testudinis quæ præter id quod liberat hecticos impingnat, curat phtysim curat etiam elephantisim, & est vna Regula in primo de morbo Indico quòd omnia medicamenta & cibi à quibus curatur elephantiasis curant etiam morbum Indicum, & quæcunque curant morbum Indicum iuuant elephantiasim, non tamen necessario liberant eam, quia elephantiasis se habet ad morbum Indicum, sicut vesicæ lapis ad Renalem, quæcunque enim frangunt lapidem vesicæ frangunt & lapidem in renibus genitum, non tamen quæcunque frangunt lapidem in renibus genitū, frangunt lapidem in vesica, sed plerunque iuuant. Concludo ergo quòd caro testudinis curat Indicum morbum per se, sed non qualiscunque testudinis. Verum Aphricanæ tantum, ego tamen hoc non expertus sum, quantū ad partē ipsius morbi elephantici, sed bene ex pertus sum aliâs in phtysi & hectica, & in impinguatione, quia tamen in libro de subtilitate demonstraui quod caro Aphri canæ testudinis, multum prodest elephantiasi, est enim media inter carnem serpentis

pentis, & carnes animalis, ideo pingue humidum illius est valde siccum, & ideo potest curare elephantiasim, sicut caro Tyri, & non est periculosa, vt illa, & ideo vbi esset aliqua suspicio hic de scabie Indica, esset omnino necessaria, quia haberet omnes intentiones secum, vbi vero omnino securus esset de illo morbo, adhuc vtile existimarem quod haberetur, quia est efficacissima in cura hecticæ & phtysis in casu igitur in quo posset haberi oporteret eligere terrestrem, non marinam, & valde magnam, quanto enim maior tanto melior, oporteret igitur illa habita comedere de carne illius per septem dies perpetuos nec quicquam aliud, vel etiam nou m, & si non tam magna haberi posset haberet plures. Oporteret autem elixare, & comedere carnes cum pane, & bibere ius earum & in hoc est secretum singulare in modo administrandi illa quæ curant perfectè aliquem morbum, & melius quidem esset vti hoc auxilio in æstate, vel in æstuario valde calido. Modus autem administrationis huius vel aliarum est triplex, vbi ergo illæ haberi non possint, sumendæ sunt terrestres & maximè, quarum vsus, vt dixi, triplex est: primus in cibo & potu, & est talis. Accipe testudinem maximam & illam incoque in aqua, donec dissoluatur, deinde abiectis corticibus accipiantur caro & ossa, & viscera omnia mundata, & coquantur cum eisdem quæ dicta sunt in præparatione iurulenta, nisi quod acetum sit valde paucum, & comedat carnes & bibat ius & nihil aliud per viginti dies. Secundus modus administrationis est vt accipiantur carnes cum ossibus, & ponantur in vase vitreo, & distilletur per balneum mariæ addendo summitates rubi vel alicuius plantæ spinosæ, tertius modus est vt reducatur in formam syrupi hoc modo.

Recipe carnes Testudinum extractas illicò ex testudinibus antequam dissoluantur, idest, ablatis corticibus tantùm, & incoquantur donec ius fiat pinguissimum, & fiat expressio carnium in ipso iure valida, & de hoc iure capiatur libra vna, seminum melonum & cucurbitæ mundatorum añ. ℥. iij. vuæ passæ nigræ ablutæ bis cum vino inde in vmbra siccatæ aque expressæ in torculari ℥. ij. pinearum mundatarum, fisticorum auelanarum, amigdalarum dulcium añ. ℥. j. ß. medullæ nucis Indicæ ℥. ij. omnes istæ medullæ scilicet pineæ, & semina melonum, & cucurbitæ, & amigdalæ, & auelanæ & fistici contundnntur optimè, addendo ius illud testudinum, & fiant sicut lac & coletur per linteum, exprimendo bene, & reiecta fece, addatur vinum passularum dictarum, & nux indica, subtilissimè derasa, vel contusa, inde tantundem sacchari albi, & coquantur lento igne, donec acceperit perfectam coctionem, inde coletur, & addantur zinziberis recentis subtilissimè puluerati ʒ. ß. & de hoc capiat ℥. iij. pro vice, cum ℥. iij. iuris columbi in mane, & superdormiat plus quam potest, & continetur per duodecim dies saltem. Modus alius est vt carnes coquantur in lacte agnino, inde diligenter expressæ, dico carnes testudinum, accipiat illud lac & cum tantundem saccari coquantur ad perfectam ferme coctionem, inde pro singula libra addantur ℥. x. medullæ nucis indicæ in fine coctionis, & post coctionem ℥. j. Zinziberis, & sumantur ʒ. iij. cum modico vini albi, & superdormiat, & est singulare. In istis duobus singularibus nihil est mali, nullum est periculũ, nisi quòd celerrimè corrumpuntur isti syrupi, & ideò oportet facere & assumere statim, & seruare in pyxide vitrea optimè conclusa, & pyxidem seruare in marmore in loco frigidissimo.

Aliud singulare ad impinguandum, & est expertum à nobis sæpius. Recipe sanguinis porci iuuenis & adulti, nuper decolati lb. ij. foliorum tussi laginis viridium mater. j. destillentur in vase vitreo ad balneum Mariæ, & est singulare valde, quia sola aqua hæc accepta ex ℥. ij. cum modico sacchari per quindecim dies impinguat valde & restaurat omnes hecticos etiam morituros. Sed morituri postmodum redeunt ad consumptionem statim & est grata gustui, verumtamen & ipsa facillimè corrumpitur. Ideo debet seruari vt supra.

Aliud singulare ad idem licet non sit secretum, est diasatyrium, ad omnes hecticos & consumptos, postmodum succedit singulare & secretum quo non est maius, & istud liberat etiam phtysicos, & liberat ab elephantiasi & morbo Indico, impinguat, & sanat præter spem multos etiam deploratos, sed tamen non debemus vti in hoc casu tum propter subiecti nobilitatem tum propter horrorem, & de hoc erat textus Galeni decimo de simplicibus medicamentis: (capite primo.) Tertio propter metum quia nisi medicus sit valde expertus imminet periculum aliquod, nemo tamen vsque nunc mortuus est. Accipe igitur viperam illem rubram, breuem & rotundam & crassam, quam Itali vulgari nomine appellant Milort, deinde abscinde caput & caudam inde excoria ipsam & collige pinguedinem in vase vitreo, inde etiam aperies ipsam & extrahes intestina, deinde disseca ipsam, sicut solent auguillæ & incoque in aqua cum lassare seu belzoi & sale, & post dimidium coctionis adde etiam folia petrosilij & in hoc iure madescat panis & comedat, & deinde bibat ius, & comedat modicum carnis pulli decocti in eodem iure, & interim ex illa pinguedine inungatur spina dorsi, & iuncturæ & loca pulsuum, & maneat in loco calido, & perseueret vsque ad septimum diem si potest, & tota materia illa expellitur per tubercula extra, & intus liberatur ab omnibus vlceribus pectoris & pulmonis, & ab omni materia improba, debet etiam inungi pectus & quando inunguntur loca arteriarum, manuum, pedum, debent fricari vt pinguedo penetret, & interim nihil mouere medicamentis. Dico tamen quod in hoc casu nolem vti carnibus, sed bene habere pinguedinem paratam, quia est multi vsus & sine fœditate, & absque periculo. Inde transeundum est ad ordinem, in quo relictæ sunt cochleæ

&

& est singulare, quia conferunt ventriculo, secundum Scribonium & expetimentum, & iecori secundum Galenum & principem, quamuis Galenus dicat quod sint difficilis coctionis in tertio de alimentis (cap. 5.) & quod debent coqui ter, mihi autem placeret vt solum bis, sed in prima coctione addetentur illa quæ faciunt ad coctionem, id est, cinis sinapis, nux, vinum, inde bene coctæ abluantur, & iterum coquantur in iure pulli facta præparatione, de qua supra per octo illas res, inde erunt valde bonæ & grati vsus. Vera ratio condiēdi est, vt coquantur donec à cortice separentur & eligantur quæ terræ sunt expertes, includantur autem integræ detractis corticibus panno lineo crasso multiplici, & sepeliantur sub fimo equino feruente per duas horas, inde detractæ lauentur lixiuio calido post coquātur cum iure pulli & aromatibus & erunt mirabiles. Item possunt administrari vt fiat aqua, qua nulla est melior pro dilatando pectore & impinguat etiam.

Recipe limaciarum crudarum, à corticibus mundatarum, & à fece nigra, solum seruata pinguedine, & intestinis & gelu suo lb. ij. seminum melonum mundatorum & contusorum lb. j. radicum dulcium recentium lb. j. radicum altheæ ℥. iiij. incidantur radices & limaces minutim, & destillentur in vase vitreo, per balneum mariæ. Quantitas eius est ℥. iij. cum modico sacchari in mane & bibatur calidum.

Sunt etiam ranæ ex hoc genere in hoc vsu apud Italos, quas non possim improbare communi illa ratione quod resistant calori sicco qui maximè inconsumptis, & eo magis propter difficultatem spirandi dominatur: verum in tanta copia rerum vtilium, & expertarum gustuique iucundarum nescio quis locus ranis relinquatur, nisi forsan apud diuisos orbe Britannos. Sed omissis iocis cum seria tractamus de aliis eduliis dicendum erit.

Relicta erant ex maritimis sola ostracho dermata id est quæ duro cortice sunt contecta, in quo genere sunt conchilia, ostrea, bucinæ, purpuræ, de his igitur est difficultas an possint esse loco medicamenti, sicut dictum est de cancris, ranis & cæteris Similiter vtrum probari possit alimentum. Et de hoc dico quod ostrea sunt mala, & deteriora conchilia, sed caro purpurarum & bucinarum est vtilis, teste Galē. Tertio de alimentis. (c. 33.) & non esset inconueniens, quod aliqua ex his essent etiam valde salubria vt cancri, sed quia nos agimus de expertis, ideo cum talium vsus sit incompertus nobis prætermittatur. Similiter cartilagine, vt torpedo, pastinaca, Raia, Squatina, & quicunque pisces spinosi sunt, non admodum probantur neque tamen tales sunt, vt velut thunni & phocæ, degustari non debeant: In his generaliter istæ tres regulæ sunt obseruandæ, prima quod cum cibi crassi alimenti sint meliores, vt dictū est, cibis tenuib. vbi quas moderatè illos assumat, longe tamen deterius peccatur in cibis crassi alimenti quam tenuibus, vbi quis immoderatè his vtatur, & in magna copia: secunda regula quod omnia animalia senio confecta damnanda sunt, nec illis vllo modo vtendum est, de iuuenculis autem & adultis ita distinguendum, pisces generaliter mollis carnis meliores sunt adulti quàm iuuenculi, pisces verò duræ carnis, & omnes aues meliores sunt iuuenculæ quam adultæ. De animalibus autem quadrupedibus ita distinguere oportet. Quæcunque valde humida sunt vt sues, & arietes, meliora sunt adulta quam iuuencula: sed carne sicca prædita, vt omnia syluestria, & inter domestica, ex bonum & caprarum genere meliora sunt iuuencula quam adulta. Consimilis ratio ad vnguem est de masculis & femellis. Nam in quibuscunque probantur iuuencula, in his probantur etiam femellæ: & in quibus probantur adulta in his masculis meliores sunt fœminis. Tertia regula est quod omnia salsa vitanda sunt, metu ne humor diffluens corrumpatur & deteriorem gignat dispositionem & istud diligenter est obseruandum.

De fructibus autem prima regula est, omnes horarij fructus, id est, qui ad horam corrumpuntur, praui sunt & nullius vsus, causam nolo reddete quia est satis manifesta, & etiam ne consilium in longum nimis protrahatur, tum maximè quia habeo præstitutum tempus, septem dierum propter discessum, cum velit nos omnino in Scotiam ire ad inuisendum ipsum & neque hoc totum tempus nobis liberum fuerit ab aliis negotiis & consiliis faciendis. Et ideò procedendo in ordine dico quod inter istos fructus horarios duo genera sunt pessima, scilicet poma, quia, vt dicebat Auerroës quinto collectaneorum (cap. proprio) habent proprietatem exurendi arterias purmonis, & ideo etiam phtisim prououocandi. Secundum genus est crysomillorum propter superfluum humidum & pessimum quod generant & difficultatem spirandi & febres, potest etiam addi tertium genus scilicet eorum quæ astringunt, in quo genere sunt cotonea, & pyra, & nespila, & sorba. Tertia regula est quod quidam sunt adeo boni vt cum præparatione liceat eis vti, velut ficus, & vuæ, quando enim modicè siccati fuerint isti fructus erunt valde boni, adeò vt vuæ passæ possint connumerari inter optimos non solum cibos, sed etiam inter medicamenta præstantissima, & inter has debent eligi, iuxta Galeni sententiam & experimentum, illæ quæ sunt tenuissimi corticis & bene pingues & sine granis & recentes, & quæ aqua non maduerint, & pro cibo meliores sunt nigræ albis, sed pro condimentis albæ sunt meliores nigris, & comedere de his ante cibum longo vsu multum confert. Quarta regula est, quod ex fructibus qui non sunt horarij nuces manifestè sunt malæ. Textus est principis (capite proprio) in secundo Canonis dicentis, quod nocent pectori, oliuæ etiam astringunt pectus, & experimentum docet. Dactili quoque nocent capiti, vt omnes testantur, si tamen præparētur impinguant corpus. Amigdalæ etiam exsiccant, secundum Galenum, Auellanæ

etiam nocent capiti & sunt difficilis coctionis, granata etiam astringuut neque illa quæ sunt ex genere citriorum pro cibis laudanda sunt, quia difficilis sunt concoctionis & pectus lædunt. Relinquuntur igitur in eo iudicio tantum pineæ & pistacea & nux Indica siue coccus? in his, maximè in pineis, oportet vitare, ne omnino rancida sint, facillimè enim hi fructus inter omnes alios rancescunt, sed produnt vitium colore, nisi enim candidissimæ sint edi non debent, ob id eliguntur iure merito quæ in suis nucibus seruantur, nam nullibi melius, debent etiam in aqua infundi per tres horas, inde siccari diligenter & comedi, pistacea longè minùs huic vitio obnoxia sunt & multo etiam minùs Indicæ nuces, ideò sufficiat virides, & non corruptas elegisse. Pistacea cum optima sint corticē habent initimum & maximè viridem & ferme tota substantia viridia sunt, gustus etiam in omnibus his declarat quæ probanda sint quæ reiicienda.

Inter condimenta sunt oleum, butyrum, mel, saccharum, sapa seu vinum fireum, defrutum, acetum. Sal erat & olim gratum, sed nunc in vsu non est, horum omnium vsus moderatus præstantissimus est, sed inter reliqua omnia sapa multum in hoc casu confert, facile tamen corrumpitur. Commune est illis, vt sint perquam exigui nutrimenti, minimeque corruptioni obnoxij. Ex ferculis duo tantum probantur, quorum præparationem ego subscribam, nam reliqua legumina haud vsui sunt.

Aliud igitur singulare est. Accipe hordeum, & impone inquam prius decorticatum, & permitte per sex horas vel etiam plus in aqua, inde contunde diutius donec per linteū extrahatur farina, qua extracta, accipe ius pulli, & in eo infunde farinam dictam, & coque diutius miscendo lento igne, & vltimo addatur sapa & saccharum, & modicum cinamomi, aut zinziberis prout videbitur, & iste cibus est vtilis & gratus generans bonum succum, facilis concoctionis & impinguat, & dilatat pectus, & cum illo sanaui aliâs Dom. Franciscum Gadium laborantem scabie prolixa & melancholicis humoribus cum extenuatione maxima. Possunt etiam probari ciceres rubei, sed magis ius illorum quam ipsi ciceres, potest probari panicum, sed non valde, est enim siccum, potest & probari ius pulli cum pane, vel panis coctus, sed nihil salubre vt ptisana.

Ex radicibus nulla omnino radix pro cibo est bona, pro condimentis tamen porrum est vtile, vt diximus. Sunt etiam tubera quæ aliquando possunt edi, non quia sint bona, sed quia non adeò mala. Rapæ autem sunt inutiles, Reliqua turba pessima, non est quod dicam de fungis, quis enim ignorat eos? Ex oleribus nullum est bonum ratione cibi, dant enim alimentum tenue & serosum, ratione medicamenti non sunt adeò valida, vt possint discutere morbum ratione tamen præparationis diximus multa conuenire, inter quæ petrosilium & porrum & talia quæ sunt eiusdem generis, nihilominus cichorium propter iecur & ventriculum, lactucam propter somnum & boraginem propter cor non audeo improbare. Et si quis dicat quod multæ sūt herbæ quæ prosunt capiti & pulmoni, vtpote saluia, betonica, hysopus, dico quod iuuamentum est exiguum in hoc casu.

Relinquitur dicendum de ouis, & lacte, & dico, quod oua licet leuiant pectus, nullo modo sunt vtilia, quia nimis nutriunt & tenue dant alimentum, non conueniunt in hoc casu, loquendo de vitellis. Sed alba sunt etiam deteriora, imò ratione cibi nullus est vsus; omnium tamen minus mala sunt tremula. Sed de lacte alia ratio est, quia lac pro partium diuersitate, diuersis modis etiam nutrit, & nutrimentum illius est solidum, & stabile, & ideò videndum est de tempore modo & qualitate & occasione, primo igitur dico quod lac non est dandum nisi repurgato corpore diligenter, secundo quòd non sit suspicio aliqua alterius morbi quam difficultatis spirandi & tabis aut extenuationis, aliter in morbis putridis posset facere magnum detrimentum, iuxta illud Hippocratis (5. Aphorismorum 61.) lac dare caput dolentibus & his quibus ilia murmurant: tertio oportet vt eligatur asininum pro difficultate spirandi, & vaccinum pro impinguatione, & quamuis camelinum laudetur pro elephantiasi, tamen oporteret ire in Aphricam. Ideo considerandum est de tempore, & modo, & dico quod dandum est hora matutina loco cibi, & à balneo, vt dicemus. Oportet etiam dare cūm pane solum & nullo alio cibo neque potu, vsus enim huius est qui solus potest restaurare hominem & restituere bonam habitudinem, tum quia Galenus decimo Artis curandi, (capite vltimo nullū inuenit aliud auxilium pro hecticis & consumptis sanandis, atque reficiendis: & similiter septimo artis curandi, & Auerroës septimo collectaneorum (capite sexto) in cura hecticæ ventriculi, tum quia videtur homo renouari & reduci ad infantiam: ex quibus enim generamur ex eisdem etiam nutrimur, tum etiam quia Galenus quinto de tuenda sanitate (cap. 7,) docet, quòd lac est optimum alimentum, & quod homines perducuntur ad vltimam senectutem per illud. Ideò concludo secundum mentem Galeni quinto Artis curandi (cap. 12.) non solum esse vtilem vsum lactis sed etiam necessarium, & quòd non poterit plenè restaurari, dato etiam quod sanaretur, nisi per vsum lactis, de hoc igitur loquar, vbi tria alia quæ supersunt tantummodo edocuero, scilicet de animi affectibus, de habitaculo singulari & de balneo. Quantum ad animi affectus manifestum est quod vitandi sunt omnes affectus magni, vt ira & timor & odium, lætitia etiam magna nocet, dissoluendo calorem naturalem. Gaudium autem mediocre multum iuuat, sed tristitia aliquando leuis iuuat, confirmando calorem naturalem. Reliqui affectus omnes inutiles.

Quò verò ad habitaculum, posset fieri cubiculum, quod esset valde vtile è lignis larignis

larignis cōclusum vndique in quo perpetuo habitaret, & hoc quia aër ille huic morbo maximè aduersatur. Oporteret autem eligere ligna larigna rubra & valde pinguia, & vt cubiculum non hisceret. Eadem ratio obseruanda esset in poculis cum ligno sancto, sed de hoc suo loco dicam.

De balneo dico quod est singulare & secretum, quod in aliquibus iuuat tantum vt persæpe liberet, & est quando morbus talis factus est, vt iam pulmo propter longas defluxiones siccatus fuerit, quod credo esse in hoc casu: Nam causa extenuationis est magna ex parte contracta ex mala cordis refrigeratione, quæ fit ob malam respirationem, ideò cura extenuationis maximè pendet ex cura difficultatis spirandi, quæ fit ex siccitate pulmonis & materia intus in formam gipsi cocta in substantia pulmonis & forsan hærente in meatibus vt dictum est. Et ideo balneum curat extenuationem triplici modo, impinguando, humectando pulmonem, & dissoluendo gypsum illud coactum in pulmone. Et licet princeps de hoc diuersa senserit decima tertij, attamen hoc dilui in contradictionibus. Optimum igitur vti hoc auxilio quod est sumptum ab Hippocrate tertio de morbis, nam humectat totum corpus & impinguat & refrigerat, adeò vt non ascendat facile vapores ad cerebrum, & ego vidi experiri ipsum quia fuit obseruatio alterius medici. Ideò dico quod oportet purgato corpore ita facere: capiantur omnia interiora vnius castrati mundata, & flores tussilaginis, & maluæ & matris violarum, & incoquantur libris ducentis aquæ inde coletur, & in vase magno patiens extendatur, ita vt collum solum & caput promineant, & permaneat ibi cum delectatione & voluptate per quartam partem horæ & aliquando vsque ad dimidium, inde inferatur in locum longè tepidiorem, & ibi leniter fricato corpore inungatur oleo amigdalino dulci, inde propinetur lac asininum incipiendo prima vice ab ℥. j. ß. inde alia vice exhibeantur ℥. ij. & post quiescat per quatuor, vel quinque horas ad summum, in tanto enim corpore concoquitur lac etiam in debili ventriculo, septimo artis curandi (cap. 6. pag. 7. ibid modicum verò) licebit etiam ante lactis exhibitionem corpus aqua frigida perfundere, multum enim confert ad firmitatem, inde singulis vicibus ℥. s. lactis augendo, tandem peruenire ad quatuor vel quinque vncias, & obseruare an lac corrumpatur, quod ex duobus signis maximè docet Galen. loco aducto, scilicet ex pulsu, si enim crescit secundum omnem dimensionem, signum est quod concoquitur, fit enim celerior, crebrior, longior, latior, profundior: si autem sit inæqualis & quasi attritus, sicut in oris ventriculi affectibus, signum est quod corrumpitur, Similiter excrementa, si sint iustò liquidiora significant quod accessit in ventriculo, sin autem sint iusto sicciora significant quod exuritur, & in fumosam euaporationem transit & cogitur. Tunc verò adiiciendum mellis modicum, & tentare si sustinet. Potest addi tertium signum ab eructuatione, sed cum non sit perpetuum omissum est à Galeno.

Quòd mala aliqua temperis iam ventriculum occupauerit eademque infecerit cerebrum, & materia illa generetur & abundet velut in quibusdam dispositionibus quæ ab humida & frigida intemperie procedunt, velut etiam in indica scabi, tunc oportebit remouere illam secundum solita auxilia, vtendo debita tenuitate victus, & iuxta hoc statuemus descriptionem.

℞. Corticis ligni indici ℔. iv. vini albi odoriferi ℔. lx. cinamomi ℥. ij. gariophilorum tenuium ℥. ij. colocynthidæ mundatæ à granis suis & cortice ℥. iij. radicum sphondilij ℥. ij. infundantur omnia simul per viginti quatuor horas, inde coquantur in vase lapideo ad consumptionem tertiæ partis, & in fine addantur Camphoræ puluerata ʒ. vj. terbentinæ lotæ cum vino albo septies, inde cum aqua pulmonariæ vel decoctionis liquiritiæ ℥. iij. inde auferatur ab igne & addantur succi fumiterræ recentis lb. iij. & misceantur cum baculo ex ligno indico facto, donec refrigeretur, & de hoc bibat ℥. vj. loco syrupi in mane & tantundem in sero, per tres horas ante cœnam, & vtatur pullis elixatis simpliciter vel assatis, & caput eodem vino lauetur, & in casu in quo non posset ferre hoc decoctum propter amaritudinem addantur æsulæ præparatæ ℥. ij. ita vt descriptio fiat hoc modo.

Recipe corticis ligni indici ℔. vj. ellebori nigri ℥. iij. æsulæ præparatæ ʒ. ij. colocynthide purgatæ seminibus & cortice, albæ & electæ ʒ. iiij. elacterij ℥. s. ciclaminis ℥. ij. cinamomi electi ʒ. iij. gariophilorum tenuium ℥. j. vini albi ℔. lx. sit autem vinum album potens & odoriferum, aquæ lib. lx. infundantur per horas viginti quatuor, addendo betonicæ & sticados an. m. ij. inde buliant ad consumptionē tertiæ partis, & in fine addantur camphoræ electæ ℥. ij. Terbentinæ lotæ cum vino albo septies, & septies cum aqua rosata ℔. s. inde auferantur ab igne, & addantur succi fumiterræ ℔. vj. inde misceantur vsque ad refrigerationem & permittatur per horas vigintiquatuor, postmodum destillentur omnia per vitrum, in balneo Mariæ diligentissimo, & de hac aqua bibat ℥. iiij. in mane & quatuor in uesperi, inde etiam bibat cum cibo, & cibus sit in mane panis recentis & leuissimi ℥. tij. carnis pulli ℥. ij. in sero panis ℥. ij. eiusdem, & carnis pulli elixati g. v. vsque ad vj. & hoc est secretum & singulare, quod vbi morbus haberet originem à tali dispositione, adeò iuuaret quod posset perfectè sanari, vbi morbus esset sanabilis, vel si propter longitudinem non esset perfectè sanabilis, sanabitur proculdubio magna ex parte, & ea parte qua sanari potest, & est auxilium in quo debemus confidere, quia est secundum rationem & expertum, quo sanati sunt à me & ab aliis plusquam quadringenti viri vbi tamen morbus non esset ex hoc genere, tunc non solum non conferret sed etiam noceret egregiè, & istud cognoscere potest solum ille qui viderit ea quæ scripsimus in libris de morbo Indico

& ideo non me extendo in hoc quia ex scriptis D. Gulielmi non apparet quod sit ex tali genere morbi. Oportet autem in tali casu vt caueat ab omni frigore & labore & curis & ab omni alio potu & cibo, & etiam post quadraginta dies. Et aluus interim non demittat singulis octo diebus, purgetur cum medicamento tali.

Recipe succi cassiæ nouiter extractæ ℨ. vj. pulueris soldanellæ recentis, & senæ an. ℨ. ß. cum saccharo fiat bolus, capiat ante cœnam.

Verum hæc generali ratione ita se habent non tamen Reuerendissimo D. nostro conueniunt etiam si tali morbo laboraret. Sunt enim calida & intemperiem augerent velde & etiam ipse indiget vrinam prouocantib. Si igitur indigeret exhibitione ligni sancti hæc descriptio esset vtilis Recipe corticis ligni indici rasi lib. vj. lachrimæ cerasorum lib. j. cucumerum lib. ij. Radicum apij lib. j. ß. radicum cichorij cum folijs m̄. iij. radicis dulcis lib. j. ß. tussilaginis foliorum m̄. j. ß. anisi ℥. ij. spicæ nardi ℨ. ij. erithrodani radicum lib. ß. seminum melonum ℨ. viij. halicacabi, sabinæ an̄. m̄. ij. lithospermi ℨ. ij. ruschi radicum viridium lib. j. ß. vmbilici veneris viridis m̄. iij. aquæ lib. cx. vini albi potentis in quo scillæ lib. ß. maduerint tribus diebus lib. x. infundantur omnia cortice ligni indici & lithospermo pulueratis & destillentur.

Perfectis intectionib. quæ ad hoc tendūt, ne materia generetur oportet ettiam perhibere ne materia genita descendat ad locum & ne alio modo dispergatur, oportet ergo talem materiam crassiorem reddere, & pro hoc est vsus diacodionis descripti à Galeno septimo (c. 2.) de compositione medic. secundū locos, item syrupus de mucillaginib. cuius descriptio hæc est & est singulare, quia talis descriptio ferme à nullis habetur.

Recipe mucilaginum althϾ, psilij, seminum cidoniorum, fenigræci, seminis lini, seminum pyrorum, seminis marrubij an̄. ℨ. j, seminum peponum barberorum, rhu acaciæ, hipocistidos, mentæ rubeæ, plantaginis, draganti, gummi arabici, cameciftos, oxilapati, capreolorum vitis viridium an. ℨ. ij. coquantur omnia in aqua præter mucilagines, id est, in libris tribus aquæ, donec remaneat vna libra, deinde coletur expressione vehementi, & additis mucilaginibus addantur sacchari repurgati ℨ. xvj. buliant lento igne, ad perfectam coctionem, & de hoc syrupo capiat ℨ. ij. & si teneat in ore etiam multum confert.

His perfectis venio ad curandam dispositionem ipsam. Ea autem, vt dixi, duplex est materia tenuis contenta in loco & gypsea relicta ex præsente. Et manifestum est quod gypsea curatur cura tube rculorum ea autem similis ei quæ est materiæ, lentæ, sed copiosiore potu indiget & humectatione maiore, & detergentib. validioribus, atque in his spirandi difficultatem augeri necesse est. Ponam autem auxilia experta prius, quorum primum est. Recipe florum violarum radicis dulcis electæ, summitatum lupulorum, anisi an. m̄. s. foliorum senæ orientalis ℨ. x, ficus numero. iij. fiat decoctio secundum artem cui addantur sacchari candidi ℨ. ij. inde coletur & de hoc capiat ℨ. ij. pro vice, hoc est secretū cum quo vidi curatum quendam nobilem virum à consanguineo nostro, ego tamen nondum expertus sum.

Aliud auxilium nostrum ex succo ozimi & croco posito in xviij. libro de subtilitate quantitas est ab ℨ. s. vsque ad ℨ. ij. succi & à ℈. s. vsque ad ʒ. s. croci.

Aliud quoque quod expertus sum in meipso bis, & inueni valde bonum, dum anno millesimo quingētesimo trigesimo primo laborarem difficultate spirandi cum magna tussi. Et est vt capias pulmonem vnum vulpis & abluatur cum vino statim & siccetur in furno, absque eo quod comburatur, inde sumatur ʒ. s. ex illo puluerato subtilissimè cum vitello oui duabus vel tribus vicibus.

Aliud est quod edere pulmones animalium iuuat non magno auxilio atque præsenti, vt expertus sum. Credo etiam quod si quis vteretur longo tempore, quod egregiè iuuaretur quia omne simile à simili confirmatur.

Aliud. Recipe Draganti, seminis papaueris radicis dulcis an̄. ℨ. s. decoquatur in libra. iij. aquæ ad consumptionem medietatis, inde coletur, capiat ℨ. iiij. singulo mane & vesperi cum vadit dormitum. Istud facit in destillatione calida & humore tenui, & est expertum à nobis in D. Barbara de plenis, quæ plurib. annis eo morbo laborabat.

Aliud quod est, singulare ad purgandum pectus.

Recipe mellis cocti & despumati cum aqua lactucæ libra. s. piperis ℈ j. sinapis albi ʒ. j. myrrhæ ʒ. j. belzoi ʒ. iij. succi radicis dulcis, seminis albi papaueris an̄. ℨ. s. butyri recentis ℨ. iiij. terbentinæ orientalis veræ ʒ. iij. s. farinæ iridis ℈ iiij. olei de sulphure ℈. s. confice absque igne, inde cum balneo & potu copioso potest curare, etiam gypseam materiam atque è pulmone extrahere. Aliud expertum sæpius, sed vlcera pulmonis tantum facit vel pectoris.

Recipe apium & absinthiū, agrimoniam & lichem & folia ligustri, & radices sanamundæ, æquis portionibus, vtpote m̄. j. infundantur in vini albi lib. iij. prius contusa inter lapides, inde renouetur, vel si placet possumus destillare cum balneo Mariæ & de vino hoc bibat ℨ. iij. vsque ad ℨ. iiij. vel de aqua ℨ. j. s. est enim valde potens, quod quilibet potest experiri in vlceribus externis, sanari enim vidi sæpius chironia vlcera, vel hoc solo medicamento, facit & ad extirpandam gipseam materiam cum balneo & decocto caricarum.

Aliud etiam expertum. Recipe radicis dulcis, vuæ passæ, hysopi, croci integri, capilli veneris viridis, maioranæ, scabiosæ an. ℨ. j. sinapis albi ℨ. s. ficus siccas numero viij, mellis crudi ℨ. ij. aquæ ℨ. xxx. ferueant omnia simul & despumentur & consumpta medietate coletur, & propinentur ℨ. vj. calidæ, si velis facere validiorem Adde resinam, sal ammoniacum parum & serpentariæ radicem, scyllam, & rumicem. Istud multum facit cum materia iā fluxerit, & maximè crassa & lenta, extenuat enim & incidit & lenit pectus

&

& educit ſordes concretas, atque in eodem genere eſt. (Aliud. ℞. radicis, dulcis vuæ paſſæ ann. ℥. i. caricas numero viij. radicem vnam apij, hyſopi m. ſ. cubebarum, centaureæ ann. ℥. i. ſ. ſinapis albi ℈. ij. radicis ſerpentariæ ℥. ſ. radicis filicis ℥. iij. nucleos perſicorum numero vij. mellis ℥. ij. infundantur in lib. iiij. aquæ per horas xij. inde tantum buliant vt perueniant ad ℥. xvi. & coletur, & propinetur in tribus vicibus calidum.

Hucúſque poſui ſingularia noſtra & ſolum deſunt quatuor quæ nunc deſcribam: quorum primum facit ad educendum materiam quæ in cerebro exiſtit, & eſt vt capiantur lib. iiij. aquæ ardentis trium coctarum, ex optimo vino & infundantur Agarici electi & ſingularis bonitatis minutim inciſi lib. i. & ponantur in vaſe vitreo & per viam reuolutionis vel mutui ingreſſus deſtillent per tres menſes inde remotis fecibus capiat ℥. ſ. de hoc. Quod ſi fiat cum elleboro loco agarici erit melius, ſed oportet quod fiat reuolutio per ſex menſes, poteſt etiam fieri cum colocynthida & tunc ſufficit media libra, ſed requiruntur nouem menſes. Vltimò poteſt fieri cum ſucco cucumeris aſinini & ſufficiunt Drachm. iiij. ſed requiritur annus, iſta quatuor ſe habent ſecundum ordinem, & ſunt longè difficiliora factu quàm dictu, licet videantur facilia. Et licet cucumer aſininus ſit adeò amarus & amarior colocynthida, attamen ſi rectè deſtillatio peragatur totam amittit amaritudinem & fit acerbum, & qui potuerit hoc medicamentum facere acerbum ſine amaritudine per viam deſtillationis, ille curabit perfectè hunc morbum ſine alio auxilio: dico ratione acceſſionum tantum. Et cauſa quare amittat amaritudinem, eſt quia amarum fundatur in terreo, ſicut docuit Galen. expreſsè in quarto de ſimplicibus medicamentis, ſed per diuturnam deſtillationem ſemper aqua illa attenuatur, igitur fiet adeò tenuis vt pars terrea illa deſcendat ad imum, igitur repurgabitur & fit ſine amarore penitus, & iſtud eſt auxilium certum, tutum & ſecurum, in quo vbi reliqua non prodeſſent confidere deberemus. Eſt enim adeò potens vt aliquando educat lib. iiij. aut ſex aquæ flauæ quam vocant citrinam & ſine moleſtia quod maius eſt. Licet autem peccare tot modis in faciendo, vt vix ex tribus aut quatuor vicibus perueniat ad perfectionem: ſemel vbi tamen peruenerit, certa ſalus eſt. Ego dum infans eſſem liberatus ſum hoc auxilio ab hydrope in vna vice, à Patre meo, ſicut ille & mater ſæpius mihi dixerunt. Et ſimiliter liberauit Matrem meã hydropicam vna vice, & ideò eſt medicamentum ferme diuinum, cum tamen bis voluiſſet reficere tale mendicamentum in pluribus annis nunquam potui. Et propterea de obſeruationibus eius dicam in libris de morbo Indico. Quando autem iſtud medicamentum eſt perfectum, eſt in colore vini rubri & in ſapore eiuſdem valde auſteri ac quaſi acerbi, & ſi quis demittat in aëre euolat ſtatim. Hinc verò demiror ſatis Galenum dicentem (4 de ſimp. Med. cap. 7. & 8.) aſtringentia & acerba terrea eſſe & frigida, at huiuſmodi & tenuiſſima ſunt cum ignis vi omne quod terreum eſt ſit reſectum, & minime aſtringentia cum immodice etiam purgent: neque frigida imò calidiſſima velut etiam ſulphuris oleum tótque alia. Quinimo metallicorum omnium olea acerba eſſe videntur aut aſtringentia propter quæ de his in ſept. Paralip. Sect. 14. dictum eſt.

Aliud auxilium eſt pro morbo quando eſt in ſtatu, & eſt tale. ℞. cubebarum albi ſinapis ann. ℥. i. ficus aridas x. ſeminis vrticæ ℥. ij. radicis dulcis recentis Drachm. i. infundatur in lib. ij. aquæ horis x. inde coquantur, de cuius cremore capiat Drachm. iiij. cum Drachm. ſ. ſacchari violati: iſtud auxilium eſt exemptum à nobis & iuuat tempore acceſſionis. Aliud quoque auxilium fuit expertum à nobis à caſu & poſtmodum ex propoſito in duabus fœminis ſenibus, è quibus vna erat ſororia eius qui mihi numerauit pecuniam Mediolani: & eſt quod zinziber conditum cum ſaccharo viridi lenit difficultatem ſpirandi mirum in modum: & cum hoc etiam præſtat aliam vtilitatem non contemnendam, ſomnum enim prouocat, quantitas eius eſt ℥. ſ. ſumpta poſt cœnam, idem ſumptum in mane purgat ventriculum, deijcit aluum, odorem oris commendat & venerem etiam ſtimulat, immodicus tamen vſus eius præparat ad fluxum ventris, & quandoque exitialem, & maximè tempore æſtatis, vt ego vidi experimento in quodam Medico ſocio qui eo vtebatur, vt immodicè poſſet vti venere. Aliud rurſus & eſt quartum ſingulare noſtrum, expertum in me dum laborarem illa pernitioſiſſima tuſſi qua fermè interij, eſt aſſumptio terbentinæ ablutæ cum vino albo ſepties, inde toties cum aqua ſcabioſæ, in hoc non inueni vtilitatem, quam authores pollicentur, neque aliud vidi niſi quòd vrinam facit redolere violas calthas.

His viſis dubium relinquitur vnum, quod eſt maximè in vſu apud nos & multi iuuati ſunt ex illo, & eſt inuentum Rainaldi de Vilanoua emperici medici, cuius tamen opera habentur impreſſa, & eſt vt fiat fons in brachio profundus vſque ad os: Videnda igitur ſunt tria, primum quomodo fieri debeat, ſecundum an poſſit curari morbus ex toto per hunc fontem abſque alio auxilio: Tertiò quid incommodi poſſet afferre vbi facto fonte velimus illius vti auxilio, & primum dico quod locus eſt in parte ſiniſtri brachij exteriore inter muſculos procul ſcapula quatuor tranſuerſis digitis, & fit hoc modo. Recipe calcis viuæ valde tenuis & albæ, ſaporis teneri ann. partes æquales, ſuperligetur per vigintiquatuor horas, inde facta eſchara & remota imponatur cicer & comprimatur ſenſim, donec vſque ad os perueniat, & tunc cum cerea ſphærula apertum contineatur, & ſi plurimam quantitatem aquæ eduxerit, & æger alleuietur non tamen quantum oportet, fiat in vtroque brachio, ſi autem aqua non defluat in magna quantitate claudatur. Poterunt etiam exterius aliquando partes foliorum caulium apponi ad attrahendum maiorem aquæ quantitatem. Vtrum verò poſſit curari ex toto per hanc viam, dico quod materia illa aquea vel deriuabitur per venas, vel per arterias, nam per neruos

non posset tanta quantitas citra corruptionem eorum deriuari. Si igitur per venas vel per arterias oportet vt sanguis corrumpatur, posset etiam deriuari per cutem, sed tunc necessario vitiaretur cutis intermedia, quod non esset ad propositum. Item materia illa habet ex situ nimis procliui descensus facilitatem ad partes pectoris, ergo non poterit deriuari ad illum locum, ideo videant hi qui tam prompte ad hæc cauteria recurrunt, veluti ad sacram anchoram, quomodo agant, maximè, vt dixi, vbi materia sit aquea, in hoc tamen oportet stare experimento, aliquando enim rationes rerum sunt adeò occultæ vt experimenta sint contraria his quæ ratio docet. Quod ad pericula verò & incommoda attinet videntur esse tria: Primum est, quòd ex quacunque minima causa vel labore propter vlcus, fiunt inflammationes, à quibus dolores & vigiliæ procedunt, adeò vt bonum etiam, si quod contingat, malo pensetur. Secundum est quod cùm materia aliquando immodicè diffluat, adeò omnia corrumpit, & putrefacit, vt callosum vlcus reddatur & chyronium, adde quòd si profundum non fiat foramen, non poterit educi tanta copia humoris, quòd sentiat notatu dignum iuuamentum: sin autem profundum, periculum est ne continuo decursu aquosi humoris putrescat periostium, inde corrumpatur os, & sequantur postmodum mala quæ talibus succedere solent, scilicet cancri, herpetes & cætera. Tertium est, quod perseuerante fonte cum maxima vtilitate, vbi assueuerit natura periculum est ne concluso fonte in discrimen vitæ manifestum adducatur. Itaque vbi fiat ferátque vtilitatem fons, seu fontes qui ex vsu sint eo animo facere oportet vt perpetuo retinere decernat. Vt nisi esset quod illustrissimus. D. Ferrandus Gonzaga in diuturno suo coxendicis dolore nihil tam salutare expertus fuerit quam fontem in brachio factam, dicerem prorsus etiam nihil iuuantibus aliis auxiliis ab hoc experimento abstinendum, sed cum istud successerit adeò bene in materia quam & ipsa aquea erat à cerebro descendente, dicam quod etiam superius de aliter deploratis ex Galeno superius retulimus. Concludo igitur quod stantibus tot rationibus in oppositum ex altera parte tam euidenti experimento, & in Illustriss. Viro, quam debeamus relinquere hoc auxilium pro vltimo, vbi alia omnino non conferrent. Verum forsan tutius postquam, vt dixi, materia in cerebro non figitur sed residet in partibus inferioribus donec tota ad cerebrum simul attrahatur, vt fontes fiant sub genibus, & hoc est securum & omnino secundum rationem & est singulare quia licet fontes sunt omnibus noti, tamen modus faciendi & experimentum Illustrissimi D. nostri facit vt possit meritò dici singulare.

His peractis, reliquum est vt apponam optima quæque auxilia ex authoribus: sufficiat autem quatuor elegisse præstantissimos, tres scilicet Græcos, Galenum. Paulum & Aëtium, & vnum Arabem scilicet principem seu Halon falso vocatum Auicennam, quanquam Paulus parum aut nihil dicat vltra ea quæ Galenus scripsit, sed quia Paulus potuit vidisse aliquos libros Galeni forsan ex his qui temporum iniuria interciderunt, ideò etiam illum inter alios adnumerare placuit. Igitur vt à Galeno initium sumam, hic septimo de medicamentis (cap. 6.) secundum locos docet, tempore accessionis opus esse multo potu. & reddit rationem, quia humor crassus & lentus non potest eiici per tussim nisi humectetur, humectatio autem cum potu fit, qualis autem potus, declarauit libro de attenuante victus ratione (cap. 12.) quod vini flaui dulcis & potentis. Auxilia verò quæ maximè collaudantur sunt hæc quinque primum.

℞. asellorum sub hydriis nascentium sextarium vnum in vas fictile conicito, & ad prunas torreto exustos terito, ac melle cocto excipito & ante cibum mystrum delingendum dato. Secundum.

Scillæ crudæ succum exprimito, eique parum mellis attici mensuram addito, & ad prunas admota coquito. Dato inde ante & post cibum mystri mensuram. Tertium.

℞. vuæ passæ Rhodiæ exacinatæ acetabulum, fœnigræci loti tantundem, aquæ pluuiæ sextarium, i. coquito donec dissoluatur, & liquorem excolatum reponito. Ex hoc præbeto assiduè, & iuxta singulas irritationes cyathi mensuram calefactam. Est autem cyathus minor ℥. x. mediocris ℥. xij. maximus ℥. xvi. sed de hoc in secundo de Dentibus tractabitur diligenter. Nunc mediocrem intelligimus Quartum.

℞. anisi, sulphuris viui vtriusque quadrantem, ammomachi thymimiamatis, castorij, melanthij, singulorum ℥. iiij. A qua diluta in catapotia cogito, vnumque in aceti mulsi cyathos iij. dato. Quintum.

℞. seminis ruthæ syluestris ℥. iiij. aristolochiæ, abrotani, abscinthij ammoniaci thymiatis, sulphuris viui, singulorum tantundem, aceto subigito, & catapotia cicerinæ magnitudinis formato, ex quibus duo cum aceti mulsi calidi cyathis tribus exhibeto. Hæc medicamenta videntur ad tertiam intentionem facere, scilicet ad morbum iam factum, & materiam ingestam, non autem ad prohibendam eam quæ descendit & vbi accessiones longe essent & respectu materiæ, quæ iam locum occupasset ita vt morbus transiret in proprium. Pro quo illud animaduertendum diligenter quod Galenus & cæteri fermè ponunt curam morbi proprij, & non facti per consensum & est singulare consideratione valde dignum, nam Galenus & cæteri classici medici præter principem vix fecerunt mentionem de primo genere morbi quem patitur Reuerendissimus Dominus noster, hoc etiam adduxit in memoriam quadragesimi quinti singularis, & est quòd bolus armenus orientalis sumptus pondere ℈. i. cum luteo oui, vel cum modico sacchari boraginati, vel buglosati multum facit ad dilatandum anhelitum, & est expertum à me & laudatur à recentioribus, & inter reliquos à Varignana Galeno & aliis, & reddunt causam quia optimè sistit materiam ad pulmones descendentem. Sed mihi videtur

quod

quod experimento proſit etiam ad eam quæ defluxerit, quoniam forſan partem illius tenuiorem ſiccat, reliquam cogit. Reuertendo ad Galeni præcepta, ipſe laudat nasturcium ſeptimo de ſimplicibus medicamentis (cap. proprio,) & eſt loco cibi potius, tamen valet, vt dixi, ad acceſſionem & materiam tam coniunctam quam antecedentem. Laudatur etiam ab ipſo octauo de ſimplicibus medicamentis ſemen ſphondylij, quod non ſolum iuuat in acceſſionibus ſed etiam confert cauſæ antecedenti, purgando cerebrum, laudatur etiam ab eodem ibi myrrha, ſed myrrham veram vix habemus ideò in tanta copia auxiliorum ſecuriſſimorum poſſumus eam relinquere. In eodem genere eſt ariſtolochia rotunda, vt dicebat Galen. ſexto de ſimplicibus medicamentis hæc melior eſt myrrha, melius eſt ſphondylium, quanquam ſphondylium non ſit adeò cognitum, eſt tamen valde bonum, ariſtolochia autem rotunda etiam ipſa iuuat in cauſa antecedente. Laudatur & calamintha, ſeu nepitha, ſeptimo de ſimplicibus medicamentis (capite 1. poſt procemium) præſtantior illa eſt centaurea, quæ ſi non eſſet adeò amara, certè eſt efficaciſſimum auxilium, non ſolum pro Aſthmate, ſed in omnibus pulmonis morbis, adeò vt ſit vehiculum aliarum omnium medicinarum, & ideo propter hoc poterit fieri tale medicamentum.

℞. Fructus cyclaminis eius ſpeciei quod vocatur cyſſanthemos radicis ſphondylij, foliorum hyſopi, foliorum naſturcij, foliorum ſmyrnij quod vocari ſolet oluſatrum, foliorum calaminthæ ann. ʒ.i.ſ. radicum ariſtolochiæ rotundæ ʒ ij. boli armeni ℈. iiij. foliorum centaureæ ℈.v. picis liquidæ ʒ. vi. pulmonis vulpis ℥. ſ. mellis deſpummati ℥. v. inde fiat electuarium abſque igne, ſed pulueres ſint ſubtiliſſimi & miſceatur quotidie per xv. dies, inde vtatur ad quantitatem auelanæ, in hora acceſſionis laudatur etiam fructus cyclaminis eius de quo in compoſitione dictum cyſſanthemici vocati, quod hæderæ aſſimiletur in floribus. Ex compoſitis quoque laudatur ſotira & datur euntibus dormitum libro de dynamidiis. Theriaca quoque laudatur, vnde in libro ad Piſonem (cap. 6.) Hæc ab anhelanti pectore tollit onus. Inuenio etiam in libro de medicinis expertis, medicamentum quod componitur ex radice iridis & ariſtolochiæ & ſucci marrubij: aliud quod conficitur ibidem ex marrubio, ariſtolochia & lacca. Et certe marrubium eſt medicina magnæ vtilitatis & à nobis experta, & poteſt connumerari inter ſingularia, & ideo dicebat Author illius libri ſub nomine aduenæ Ægyptiaci. Ego autem ſoleo dare de ſucco marrubij & ſtæcados miſtis cum aqua, in qua decoctum fuerit marrubium viride & chamædrios. Et dabam Aſthmatico, & ex eo ſanaui multos: ſimiliter numeratur inter medicinas Cathelinæ iſtud.

℞. Iridis ſucci, marubij, ariſtolochiæ longæ, & rotundæ, laccæ ann. conficiantur, cum decoctione iridis & detur cum aqua calida decoctionis gentianæ. Eſt etiam medicamentum Soccionis quæ mihi multum non arridet, niſi quando materia deſcendit ad locum. Aliud attributum Gerioni.

℞. Turbith, agarici, ariſtolochiæ rotundæ an. ʒ.i. confice cum decoctione marrubij, & da cum decoctione aſſari, ſimili ratione medicina Androzeos. ℞. gentianæ, hyſopi, agarici, ann. ʒ. ſ. maſtices ʒ. ij. confice cum melle & da ʒ.v. & non eſt ſimilis iſti medicinæ, laxat & ſcindit humores craſſos. Aliud Achaaſos.

℞. Aſſari aureum vnum, ſucci marrubij, hyſopi, ſtyracis ſicci, caſtorei, ann. ʒ.ſ. trium piperum, aniſi ann. aureos duos, conficiantur cum oxymellite ſcyllitico & detur ex eo à ʒ. iij. vſque ad iiij. Aliud Zacharonis & vocatur electuarium laccæ. ℞. laccæ aureos xx. piperis longi & nigri, centaureæ minoris, ariſtolochiæ roſatæ, coſti, galbani, ammoniaci, ann. aureos x. marrubij, aſſari ann. aureos iiij. folij, radicum lilij cœleſ. liquiritiæ ann. aureos vij. pulueriza & cum bono melle da quaſi auellanam & cum aqua calida. Aliud etiam Aridionis filij Meliz, quod eſt etiam bonum in cauſa antecedente & exhilarat hominem confortat cor & aduerſatur venenis & iuuat hepar & ventriculum, reſoluit fiatus, & ſedat dolores.

℞. Ariſtolochiæ roſatæ, radicis lilij cœleſtis, ann. aureos x. ſquinanthi aureos ix. aſſari aureos xv. piperis nigri, & albi, ann aureos vij chamæpithyos, ſucci marrubij, ſucci ſtæchados ann. aureos viij. ſpicæ nardi, ſpicæ romanæ, maſtiches, ammoniaci galbani, ſcillæ aſſatæ, ann. aureos x. roſarum iuniperi ann. aureos ij. turbith, agarici, cyperi, ann. aureos x. folij, ligni aloës, rhabarbari, croci, olibani, centaureæ minoris, ann. aureos xx. laccæ aureum, i. conficiantur cum melle roſeo & detur ex eo ſecundum quod conuenit ægro. Eſt etiam medicamentum Zenonis in eodem libro, & eſt.

℞. Scillæ aſſatæ aureos vi. ſtæchados aureos iij. agarici ʒ. xvi. maſtiches ʒ. ii. gafit, coſti trium piperum ann. aureos x. radicis lilii cœleſtis aureos v. capillorum veneris aureos iii. floris chamæmeli aureos iiii. confice cum decoctione agarici & melle & da ʒ. ii. cum aqua calida, iſtud electuarium mihi multum placet in comparatione ad alia, & eſt ſatis lene. In eodem genere eſt etiam medicina in libro de ſecretis cuius deſcriptio eſt.

℞. Euphorbii, croci, caſſiæ ligneæ, cinamomi, aprii, acaciæ, coſti amari, ſpicæ gummi arabici, ſeminis vrticæ, granorum alKernæ, bdelii, olibani ſumach, ellebori, ſulphuris citrini, ſtyracis, calamitæ, piperis albi, omnium ann. ʒ. vi. roſarum ſiccarum, pyrethri, arthanitæ, ſetheſuſiæ, ſeminis apii, omnium ann. ʒ. iiii. Seminis albeda, ammeos, ſeminis tartaraxacon amborum an. ʒ. medullæ, carcami, gingiberis, amborum ann. ʒ iiii. tere, & cribella, deinde infunde in vino antiquo tribus diebus donec fiant ſicut mel, deinde fundatur ſuper ea mel craſſum deſpumatum. Deinde miſceatur & fundantur ſuper ea ex oleo balſami menſura vnciæ vnius, deinde ponatur ſuper ignem leuem & bulliat ebullitionibus duabus leuibus, & fundatur in vaſe vitreo & dimittatur ſex menſibus, & quanto plus antiquatur tanto eſt melius. Hic deficit quantitas

quantitas amei & tartaraxacon, sed credo quod sit ʒ. i. Aliud quoque in eodem libro facile valde & tutissimum.

℞. Hysopi sicci, ocimi, capilli veneris, prassij, liquiritiæ decorticatæ omnium an. ʒ. vi funde super mensuram sactaiati vnius de aqua, & coque ipsam donec perueniat ad medietatem, deinde cola, & funde super ipsam cochlear. i. mellis deinde da ei in potu. Aliud in eodem genere in libro de cynamidiis.

℞. Galangæ, gariophylorum, piperis, zinziberis, costi, an. ʒ. ij. spicæ, mastiches, an. ʒ. iiij xilobalsami ʒ. iiij. gomphitæ, myrrhæ, an. ℥. ſ. cinamomi ℥. i. liquiritiæ ℥. ij. rosarum ℥. ij. ſ. croci ℥. ij. t. mellis quod sufficit. Inuenio quoque in libro de facile parabilibus ad Sobonem (cap. 24.) vinum aut mulsam vbi scilla decocta fuerit, multum conferre, itémque radiculam ex aqua calida aut sedum ex melle, aut castoreum ex aceto mulso. Hæc medicamenta omnia quamuis sint Arabum & non Galeni, sunt tamen valde vtilia, & maximè secundum illud in libro de secretis quod ad præparandum materiam congestam est vtilissimum, maximè si ficus addantur. Ficus enim siccæ sunt omnium ad præparandum vtilissima.

Hic forsitan quispiam dicet, quorsum hæc tot tantáque? cum maximè quod amara, & aspera hæc medicamenta adeò sint vt nemo ciuilis vitæ, qualis est R. D. ferre illa queat, deinde neque vsum neque electionem doceamus. Ad quæ nos respondemus quod omnia ista medicamenta reducuntur ad vnum singulare iam declaratum quod est vt destillentur per reciprocationem, illa quæ sunt minora, sed asperiora poterunt destillari per balneum Mariæ, & ita omnia poterunt reduci ad magnam suauitatem maximè addendo saccharum post destillationem. Quandoque etiam in calidioribus possumus addere iuleb violatum, & maximè quia per talem destillationem omnia ista medicamenta reducantur in formam aquæ. Nam in destillatione reciproca addere oportet aquæ ardentis ℥. iij. pro singulis vntiis medicamenti, modus est descriptus supra vbi tractauimus de ligno indico in singulari & proprie in vltima potus præparatione. Nunc deueniendum est ad medicamenta Pauli Æginetæ li. tertio, (cap. 29.) inter quæ primum est illud.

℞. Pumicis auripigmenti, alcyonii, ann. partem, i. floris iunci rotundi, aphronitri an. partes ii. fecis vini combustæ partes iiii. puluerata excipiantur vnguento pectorali, istud est potens auxilium sed à me nunquam expertum, nam hoc vellet thoracem africari. Aliud quod præcipit per os exhiberi. ℞. Sinapis ℥. i. spumæ nitri ℈. xii. elacterii ℈. ii. totum digeritur in octo pastillos, è quibus duo dantur singulo mane, sed licet purgent vehementer, tamen est medicamentum periculosum & violentum. Reuocauit tamen hoc in memoriam sinapis albi aphronitri vsum, quorum alterum scilicet sinapis est mihi expertum, & supra connumeratum inter medicamenta præcipua composita, reliquum scilicet aphronitrum est potens valde & laudatum à medicis omnibus secundum omnem vsum intus & extra. Tertium auxilium est singulare & certè admirabile & vocatur sphongium tanto securius quanto quæ applicantur exterius sunt tutiora, & licet ego non sim expertus, tamen ausim dicere quod possit connumerari pro singulari secreto. Cuius descriptio hæc est.

℞. Picis brutiæ li. duas & seminis nitri ℔. i. cucurbitæ syluestris carnis, pyrethri, opopannacis, cocci gnidii, singulorum ℥. iii. capparis radicis, corticis thuris, iridis, adipis taurini, elaterii, squammæ æris, apii seminis, lathyridum singulorum ℥. vi. baccarum lauri sextarii dimidium, fœnigræci farinæ ℥. ſ. fellis taurini ℥. ii. olei ciprini sextarii dimidium, ceræ ℔. i. resinæ frictæ ℔. iii. caprilli stercoris montani, cachryos cyperi cardamomi singulorum ℥. vi. In isto medicamento nulla est difficultas meo iudicio nisi de tempore & loco applicationis in tempore enim accessionis videtur quod possit applicari, super pectus extra, quia multam aquam trahit citrinam & propriè illam, quæ facit morbum, sed in reliquo tempore dubium est an debeat applicari & in quo loco, nam certum est quod vbi posset applicari in loco vbi traheret aquam citrinam quod plurimum conferret, hoc autem primo docebit præsentia & experimentum: verisimile est autem quod si poneretur super bracchia multum proficeret in loco fontium, totum igitur consilium in hoc versatur vt applicetur loco non periculoso & κατ' ἴξιν, & de hoc considerabimus longè melius. Certum est quod hoc etiā vnguentum impositum capiti super suturam coronalem multos iuuaret & traheret multam aquam citrinam quæ est materia morbi, vt declaratum est. Hoc enim medicamentum à Paulo excogitatum est, vt partem serosam sanguinis à sanguine eximeret: quod vbi fieri posset magnam curæ partem perficeremus. Hic cadit dubitatio, vtrum vnguenta quæ vocantur pectoralia scilicet ex pinguedinibus conueniant, & videtur quod sic secundum communem vsum: in oppositum est quòd neque Galenus neque Paulus his vtuntur. Item quia ratio docet quod materia illa debet exhalare per ipsum pectus, ergo si concludantur pori, non poterit tenuior pars resolui, de hoc autem aliquando loquar suo loco scilicet in contradictionibus, quia hic non est tanta necessitas vt cogamur determinare hanc difficultatem, propterea melius ac tutius est desistere ab inunctione ex vnguentis pinguibus, & insistere diaphoreticis & attrahentibus malagmatibus, deueniendo igitur ad Aëtii sententiam, is libro octauo de hoc tractat (cap. 57.) Et primo docet aluum assidue esse leniendam cum sero lactis in quo cnici seminis duo acetabula fuerint decocta, inde mellis modicum additum, exterius verò applicat emplastrum nigrum Archigenis, cuius descriptio est. Recipe ceræ ℔. i. resinæ pinus siccæ ℔. i. iridis sesquilibram, bituminis ℔. i. picis ℔. i. æruginis ℥. i. mirrhæ sexcuncem, thuris sexcem, radicis cucumeris syluestris, centaureæ, lapidis asii, styracis cuiusque sextantem, misyos crudi sesquiuntiam, chalcitidis crudæ, sesquiuntiam, salis

ſalis ammoniaci ℥. j. Galbani, terræ cimoliæ, terræ ampelitidis cuiuſque ℥. j. olei ℔. ij. aceti ℔. j. aut vt ego ſoleo ℔. ij. ſtyracem cum modico oleo liquefactum in mortario probe contere: metallica verò cum aceto diſſolue, herbas autem contunde & cribro excute, lique factis verò quæ eliquari poſſunt, & percolatis ac ab igne ablatis, contrita adiice atque herbas inſperge, omnibus autem ſimul iunctis & emolitis vtere. Aliud quod vocant poliarchion quod in Alexandria præparabatur.

℞. Caſſiæ, amomi, roſarum, cyperi, cardamomi, ſpicæ nardi, nardi celticæ, folij iridis, ænanthes, compoſitionis hedichroi, maſtiches, croci, melitoti, ſucci abſcinthij, ammoniaci thymiamatis, aloes, bdelij, mirrhæ, cuiuſque ʒ. j. xilocinamomi, piperis communis, h:lenij, ſtyracis, cypheos, thuris, cuiuſque ſeſquiuntiam, ſuccos cum aridis cōmittito, admiſcetóque xilobalſami ℈. xij. floris iunci odorati, ℈. xij. terebentinæ ſexuncé, vnguenti nardini beſſem, roſacei ℔. j. hederæ ℥. xvj. opobalſami ſextantem ſucculenta vino diluta terito. Aliud appellatur Dialema.

℞. Caſtorei ʒ. j. piperis longi ſeſquiuntiam, mirræ, opobalſami, hedycroi, foliorum malabathri caſ. radicis panacis ſpicæ nardi, cuiuſque quadrantem coſti, ſextantem, amomi ſextantem, cinamomi ſeſquiuntiam aut pro ea caſſiæ quadrantem, floris iunci odorati trientem, croci ſextantem, cyperi, cardamomi, iridis, ariſtolochiæ longæ, ariſtolochię rotunde, cuiuſque ſextantem, pyrethri trientem, ammoniaci thymiamatis quadrantem, aloes quadrantem, cecæ ℔. iv. terebentinæ ℔. iv. reſinæ trientem, vnguenti nardini ℔. iij. quidam etiam ſtyracis ſextantem addunt, vini verò quantum omnino ſufficit. Aliud melius forſan.

℞. Styracis pinguis dextantem, foliorum malabarri ſextantem, vntiamque dimidiam, malorum cotoneorum repurgatorum ℥. xv. maſuaphij ℥. ij. ß ſpicæ nardi: croci, cuiuſque ſextantem, dimidiamque vntiam, micarum purarum dextantem, ænanthes quincuncem, carpobalſami ſexquiuntiam, comæ abſcinthij ℥. ij. ß. maſtiches ℥. ij. ß. chareophylli ʒ. j. ſcrupulos vi. ammoniaci thymiamatis ℥. xx. colophroniæ ℥. xvj. opobalſami ℥. xij. ß. olei gleucini deuncem, nardini dextantem, melini ℥. xx. propolis dextantem, roſacei ſextantem vntiámque dimidiam, mellis cochlearia viginti, terebentinæ chiæ ℥. xx. ceræ. ℥. xv. vini ſpatitæ quantum ſufficit, ad reliqua cum eo conterenda, & ad rigandas micas. Arida quidem omnia contundito, & cribratro, mala verò cotonea conciſa cum vino ſpatitæ coquito, ac per ſe terito, deinde ammoniacum, & maſtichem, cum vino conterito, ſtyracem verò cum opobalſamo, in altero mortario diſſoluito, atque omnia tria, ac diſſoluta ſimul vnito liquefactaque quæ liquefieri poſſunt, & ab igne ablatis arida ynfarcito ac donec refrigerentur agitato, deindeque ad ea quæ in mortario trita ſunt adiicito, ac vnito, adiecto etiam ſimul melle, poſt verò emollito, ac optime ſubacto, tanquam valde probato vtitor.

Rurſus etiam per os dicebat Aetius dabam prima die ʒ. j. herbæ ſabinæ, ſecunda die duas, tertia tres, quarta quatuor, ita vt omnes in quibus cruenta vrina mouebatur melius ſpirarent, Vtebatur etiam hiera Archigenis. j. quæ conſtat ex colocynthide cum aceto ſcilitico conuenit etiam ante & poſt cibum ſcillæ ſuccus cum melle tali pondere coctum. Aliud præcipuum, & ab ipſo egregie laudatum quod etiam antecedenti cauſæ & cerebro confert & extollitur vſque ad ſydera, mouet aluum & vrinas.

℞. Scillam fuluam, manum magnitudine ſua implentem, fermento obductam in furnum conicio, vt quam optimè aſſetur, deinde vbi molliſſima facta fuerit ſuperficie eius exuſta reiecta, reliquum optime contero, atque ei quantum trimembri ſectione facta duę aſſatæ ſcillæ partes ponderant tantum farinæ erui albi adij cio, & ammoniaci thymiamatis ℥. iv. radicis panacis ʒ. iv. iridis, & abrotoni & achori cuiuſque ʒ. ij piperis grana xx. hæc omnia ſimul trita & vnita in orbiculos digero pondere ſeſquiobolares: ex his autem ʒ. j. aut etiam obolos tres aut duos cum tribus ciathis lactis aſinini recens mulctu, aut aquæ mulſæ exhibeo, pueris verò tantum vnum orbiculum præbeo. Apponitur & remedium pulchrum Philagrij cuius deſcriptio hæc eſt.

℞. Radicum ſymphyti in petris naſcentis radicis centaureæ maioris, iridis illyricæ, ſingulorum ſextantem, aquæ ſextarium j. radices fractas per biduum in aqua macerato, deinde ad tertias decoquito & percolato, & tantundem mellis decocto adiicito, rurſumque donec cogatur decoquito, deinde rheipontici contuſi ac cribrati ℥. j. inſpergito, acuntio. Exhibe circa primam horam diei cochlearia duo. Quod ſi non adſit rheon, centaureæ maioris radicem contuſam & cribratam vnciæ pondere iniice, aut eodem modo radicem ſimphyti. Hocce pharmacum pulmoni, & thoraci firmitatem, & robur præbet ſimulque humores delatos repurgat, ſiccat & expellit. Aliud mirabile, cuius aſſiduo vſu dicit etiam ab inueterato affectu homines liberantur, & nomen Antidoti eſt Iſotheos, curat tuſſim & tabem & aſthma per circuitum venientem, & prodeſt venenis & ſanguinis eruptionibus & morſibus ſerpentum, & antiquas à capite ad pectus defluxiones, & eos qui niſi erecti ſpiritum ducere non poſſunt, etiam ſi ad multos annos, dicit, affectio durauerit ſanat, cuius per breuis & facilis eſt huiuſmodi.

℞. Spicæ nardi ʒ. ij. mirrhæ ʒ. j. croci, coſti, piperis albi cuiuſque ʒ. j. Fecis, opobalſami, cinamomi, ſucci mandragoræ ſicci, caſtorei cuiuſque ʒ. ij. ſeminis doci ſeſquidra caſſi ei ſeſquidragma, mellis deſpumati quātum ſatis erit.

Illud etiam animaduertendum quod in medicamentis quæ adhibentur pectori exierius iubet Aetius vt etiam dorſum cōfricentur. Diximus autem medicamenta ſuperius. Vltimum ſingulare in caſu deplorati etiam morbi cui nihil audeo neque addere neque minuere & eius verba ſunt.

Cæterum inueterato malo, & medicina omni fruſtra adhibita ad vſtionē confugiendum

dum erit, itaque iuxta medium commissuræ clauicularum, vtrinque vna crusta inuratur, cum cautione tamen admotis manibus & distenta cute, ne aspera arteria oblædatur: Deinde aliæ duæ paruæ iuxta carotidas, colli arterias infligendæ paululum sub mento vtrinque vna, incumbentis cutis tantum per vstionem facta. Infligendæ autem adhuc aliæ duæ sub mamillas inter tertiam ac quartam costam. Rursumque aliæ duæ retrorsum versus inter quintam ac sextam costã in medio etiam pectore vnam inurere oportet, & iuxta principium ossis pectoris (quod à capitis gladij similitudine Xiphoides Græcis appellatur) supra os ipsius ventris vnam simili modo, & adhuc alias duas inter octauam & nonam costam, vtrimque vnam, tres etiam retro inurendæ sunt crustæ vna iuxta medium dorsi reliquæ duæ ab vtraque vertebrarum parte paululum infra mediam crustam. Omnes autem infra collum inustas, mediocriter latas esse conuenit, neque valde in superficie consistentes neque rursus nimium profundas. Vlcera autem crustarum satis longo tempore fluida permittere oportet.

His visis, relinquuntur duæ dubitationes, prima est, an conueniat in hoc casu cauterium actu super suturam coronalem? & videtur quod sic, quia Albucasis dicit quod cauterium curat omnem intemperiem etiam calidam, & adducit rationem à paucis intellectam, quia ignis corrumpit omnem intemperiem impressam qualiscumque sit, quia caliditas sua est maior omni intemperie, & ideo tollit omnem intemperiem, quia caliditas præternaturalis est fundata in quodam humido, & ignis resoluendo illud humidum tollit fundamentum illius qualitatis, & ideo tollit illam qualitatem. Et si quis dicat, imprimit aliam, respondebit Albucasis, quod illa qualitas postmodum non remanet nisi per certum tempus, & ita finietur vtraque intemperies, altera ab igne, altera sponte, & hoc sumptum est à Galeno quinto artis curandi, (capite quarto) dicente vbi ex erosione putrescentis, alicuius partis profluuium sanguinis excitatur, maxima necessitas imminet vt vel crustificis medicamentis vel ignis ferramentis vtendi, sed crustifica dicitur indigent astringendi facultate, candens autem ferrum maximè necessarium est, vbi putredo membrum depascitur, vnde etiam in fragmento paruo Dedinamidiis, cancrosa igne curantur. Verum multa sunt quæ difficultatem faciunt, primum quod Oribasius libro septimo (capite decimosexto) non vult applicandas cucurbitulas capiti cum igne multo, quia multum trahunt, ideo periculum esset in tali cauterio de multa attractione materiæ, item Hippocrates in libro de Articulis (Com. 1. Galat. Texto. 54.) inquit, ignis neruis est inimicus, cum ergo cerebrum sit neruorum fundamentum, multo minus conueniet ignis ex candenti ferro, nam vstiones si modo fieri debeant pellucidis ferramentis, fieri debent, primo in librum de articulis. Inuenio in libro de optima secta ad Trasibulum, ignem habere vim astringendi in cute, quare etiam vapores non permittit exhalare, præterea si non fiat vsque ad pericranium, nihil operatur, vt ego expertus sum: alios autem vidi qui ausi sunt diligentius ignem adhibere vsque ad os & mortui sunt, è quibus fuit vna virgo sacrata deo, vestalem dicere possumus, alius fuit vir illustris noster conciuis ex Bottarum familia, itaque istud auxilium apud me est valde suspectum, nec credo vacare ingenti periculo.

Secunda dubitatio est, vtrum (velut videtur præcipere (Io. 3. Tract. 1. cap. 4.) princeps) exercitatio vocis conueniat in hoc morbo. Nam videtur eo collaudare In oppositum quinto de tuenda sanitate Galenus videtur nolle, vt omnino membra imbecillia & læsa exerceantur, dicendum est quod intelligitur dictum Galeni quando adsunt tres conditiones, aliter non est verum, imo esset potius contra experimentum, prima vt morbus sit per essentiam & non per consensum secunda vt sit magnus, tertia vt sit in sene & non in iuuene. Nec etiam Galenus illud dicit nec vult. Nam iudicio curandi multum valuit.

His visis deuenio ad ea quæ collaudantur à principe: & primum est ellebori albi vsus in raphano, inclusi per noctem per fructula, inde abiecto elleboro comedat raphanum, vomitus enim multum confert & est tutus, dicit. Secundum est vsus capparorum salitorum ante cibum. Tertium est decoctio simplex ex epithimo & molle in aqua, & debet eligi epithimum recens. Quartum est vis galli decrepiti cum medulla cartami & volubilis, & siclæ, & hoc est valde tutum, quintum est inula & illius aqua, sextum est cyminum cum aceto etiam in anhelitu difficillimo septimum est pulchrum, mucilago sinapis albi cum æquali mensura mellis decocta, octauum ponitur infra ab eodem & ponam verba eius (cap. 42.

Si est illud ex humoribus, Galenus præcipit, dare medicamen confectum cum melle in omni mense bis, & sit potio eius XXXVI. kirat, & in die in quo æger ipsum sumit non loquatur neque moueatur ante illum diem, neque post, duobus diebus & in hora septima recipiat panem cũ vino commixto & in sero vitellum oui cum medulla panis & in mane habeat pullum paruum de quo sumat ius, & balneetur in sero illius diei.

Supersunt præter hæc duo auxilia ex ipso principe, sumpta ibidem valde propria, vt sint in vniuersum decem. Nonum igitur est in casu nostro scilicet cum materia descendit à cerebro, vt fiant ablutiones capitis omni hebdomada bis cũ sapone & nitro, & quod vtatur sternutatoriis, vt suprà dictum est,

Decimum etiam est conueniens in hoc casu & consideratione dignum, quia est vbi morbus sit ex caliditate.

℞. Rosarum ℨ. vj. radicis lilij ℨ. xiv. berberorum ℨ. ij laccæ, aristorochiæ, masticis, succi eupatorij, succi absinthij, spicæ, anisi, seminis fœniculi, omnium ℨ. iij. croci ℨ. ß. seminis citrulli & cucumeris & cucurbitæ & melonis omnium añ. ℨ. j. gummi dragaganti, succi liquiritie, omnium añ. ℨ. j. &

oportet

oportet vt administretur euacuatio cum eo quod educit humores calidos.

Concludo tandem, quòd quamuis & ratio sphere, & excellens D. Gulielmus docuissent me de frigiditate aëris stoici & de eius inæqualitate, ex quorum altero fit vt materia concoqui nequeat, ex reliquo accessiones fiant, dicente Hippocrate (3. Aphorismorum primo) quod mutationes temporum potissimum pariunt morbos, & maximè cum sint vehementes adeò vt sexta die Iulij cogantur conuenestare ad ignem: & princeps ipse dicat quod aër frigidus est inimicissimus pulmoni, ideo oportet facere æstuarium in cubiculo: aër enim temperatus tria bona faciet, primum concoquet materiam, omnis enim concoctio fit à calido, etiam externa caliditas iuuat, vt Hippocrates secunda Aphorismorum. Æstiuæ quartanæ & cætera: secundò, iuuabit pulmonem qui læditur ab aëre frigido, tertio apperiet facilius meatus nasi. Nam detrimentum quod est ex aëre frigido in morbis pulmonis & cerebri videtur manifeste in ciuitatibus Italiæ, vbi in æstatæ vix inuenies quatuor aut quinque patientes tussim, vel difficultatem spirandi, & in hieme duo millia. Et si quis dicat, in ætate deterius me habeo. Respondeo quod est propter inæqualitatem, sed si transiret ad regionem calidam, vel saltem temperatam non ita esset. Eadem ratione oportet vt vtatur vestibus pelliceis, non tamen vt oneret se. Æstuarium igitur sit tepidum valde.

Secundum quod est maximæ difficultatis quia materia ista est multa adeo, vt sit ferme quinquaginta vntiarum in accessione, vt colligere potui, & talis multitudo prouenit, quia quod debet verti in nutrimentum, vertitur in aquam propter intemperiem siccam in toto cum debilitate caloris naturalis, quorum vtrunque prouenit ex extenuatione. Extenuatio autem prouenit ex difficultate spirandi & ideò si dentur nutrimenta solida non poterunt bene concoqui saltem in membris: si liquida augebunt materiam, si multa augebunt materiam, si multa augebunt materiam, si pauca virtus debilitabitur & extenuatio augebitur, Si multum nutrientia augebitur materia, si parum corpus attenuabitur. Propter tot difficultates igitur vna relinquitur via, vt vtatur pane decocto vel ptysana hordeacea assiduè, & vtroque in iure pulli, vel castrati iste enim cibus mediocriter nutrit, & est temperatus, & totus fermè transit in alimentum, propter coctionem panis in furno, deinde & iam in iure & similiter ptysana bis cocta est, scilicet sub forma hordei & sub forma farinæ, & nutrimentum eius est solidius nutrimento carnis. Sed quia auxilium hoc non erit manifestum propter nimiam abundantiã materiæ, quæ etiam impedit coctionem, oportebit vt euacuetur quàm celerrimè cum diacolocynthida, de cætero oportebit vt vtatur regimine hecticorum, id est, testiculis gallorum, iecoribus pullarum, carnibus testudinum, & limaciarum iuuenculorum. Nam & à manifesta qualitate & à proprietate iuuant in istis morbis. Accedit etiam experimentum de pane cocto & ptisana, nam videmus quòd febrientes & phthisici & hectici bene concoquunt ipsum, non autem carnem neque talia, ergo multo magis celsitas sua quæ non est adeò extenuata, vt illi, & multo minore morbo laborat.

Tertium est, vt bibat vinum album, leue in mane, propter tres causas, prima vt confirmatur ventriculus & spiritus, secunda quia prouocat vrinam, tertia quia frustra est imponere abstinentiam, vbi non est necessaria. Vesperi autem in cœna vtatur aqua glicirrizæ, cum valde modica parte cinamomi, quia in nocte iuuatur concoctio propter somnum, & cinamomum est mihi suspectum in quantitate, tamen quia petit caput, Galen. in illo aphorismo: Mulierem si vis scire an conceperit: docet quod omnia aromata petunt caput, & etiam propter siccitatem vehementissimam, quæ est in eo quæ auget intemperiem in membris, & non potest consumere humorem peccantem propter quantitatem. Quartum est dictum in alio scripto, de frictione singulo mane cum oleo amigdalino dulci & maximè in cruribus & iuncturis, pectore, & dorso. nam in difficultate spirandi præcipiunt authores vt non minus dorsum inungatur quam pectus, sit autem oleum recens valde & bene pingue ac dulce. Quintum est vt in hora accessionis omnino quiescat in lecto, & non credat celsitas sua expugnare morbum viribus animi, sed potius expugnare vires corporis, dum enim surgit tria pessima mala facit: primum occurrit aëri frigido & inæquali à quo impeditur coctio materiæ, & augetur difficultas spirandi & cerebrum porique eius constringuntur, & ita augetur illa mala intemperies calida & defluxio: secundo debilitantur vires, nam dicebat Galenus primo de motibus musculorum, in omni situ corporis laborat virtus, præterquam in illo medio naturali in quo homo quiescit & ideo resoluitur. Tertia est quia consurgit, non potest stare quin aliquid faciat, & vult audire causas & legere & scribere, quæ omnia sunt adeò mala vt nihil possit esse deterius. Commoda quæ surgendo videntur consequi sunt tria, & omnia mendosa, primum est quod propter erectionem melius respirat: sed illud idem posset facere commodius in lecto, & partes infernæ remanent calidæ: Secundum est, quòd videtur sibi sanus dum surgit, de ambulatione ac conuersatione morbum lenire. Sed istud nihil est, quia postmodum accessio fit diuturnior, & est ac si quis habens multa debita, luderet totâ die, putans minui sibi iacturam, quia de illa non cogitet, cùm tamen augeret illam, ita obliuisci doloris, sic vt obliuio causam non tollat, imò augeat, est pessimum remedium. Quod ad conuersationem, potest admittere aliquos amicos de iocis loquentes. Tertia causa qua surgit est, vt haurat aërem liberum, sed stando in lecto licebit magis tenere apertas fenestras, dummodò non sit tempus malum Beati Martini, id est, ventus cum pluuia simul, quia tunc non liceret. Et certè si manserit

bis vel ter in lecto, in aliis accessionibus vix volet surgere, etiam quod leuissimæ sunt.

Sextum, vt dictum est in altera parte consilij, vt puluinaria fiant ex alga vel ex palea tritici sicca & minutim incisa. Et cum lecto de stupa serici, vt dictum est. Septimum vt semper à cibo per duas horas, neque studeat, neque legat, neque ambulet. Dicebat enim Celsus, omnis mentis intentio caput implet, quo nihil deterius est Celsitati suæ. De deambulatione est aliqua dubitatio, tamen illa etiam implet cerebrum, nec Galenus vnquam illam laudauit, neque admisit, fingunt quidam quippiam de minima deambulatione, vt descendat cibus ad imum ventriculum. Sed hoc non est de mente Galeni, qui vult quòd descendat causa constrictionis ventriculi & non motus, vt in libro de facultatibus naturalibus apertissimè docet.

Octauum est principale & magna pars curæ, & est vt fiat Enema singulo die, detrahens pituitam in copia, & ponam descriptionem leuioris, si oportebit faciemus validiorem.

℞. seminis cartami ʒ.ij. asari, aristolochiæ longæ añ. ʒ. i. turbith, agarici añ ʒ.ſ. radicis filicis ʒ. j. coquantur in libris duabus aquæ ad consumptionem medietatis, cùm m̄.i. mercurialis aut bliti viridis, inde facta colatura, addantur mellis crudi ℥. ij. salis communis ʒ.i.ſ. olei communis ℥.ii.ſ. misce, & fiat clyster. Hoc posui pro forma additurus & diminuturus pro occasione, sciendo quod non est via melior istâ pro nunc, quia cùm materia sit multa, errhina, vel cauteria, diuretica, propter meatuum stricturam, non possunt illam educere, nec regimen victus sufficit, oportet igitur vt trahatur per vias latas si per vias latas illæ sunt duplices vomitus & secessus. Vomitus in passionibus pectoris est contra canones, & etiam nocet capiti. Secessus fit trifariam, per medicinas leues, & potentes & clisteria, medicinæ leues in tanta materiæ multitudine parum prosunt & potius agitant quam educunt, vt visum est de cassia nuper, quamuis ego fuerim author dandi illam quia non existimabam materiam esse tantam, neque tam crudam. Validis medicinis non licet frequenter vti, sed oportet adhibere debita interualla, tum quia debilitant, tum propter extenuationem, corporis, & etiam agitant caput, ideo in modico tempore tantum aggregabitur materiæ vt impediat omnino curationem, propter hoc igitur clisteria educunt materiam peccantem & maximè diuertunt à capite & à membris spiritualibus, & non agitant corpus & non debilitant vires, igitur nulla sunt meliora quibus postmodum succedent diuretica, cauteria & cætera.

Illud quoque consideratione dignum est, an morbi stante magnitudine conueniat venæ sectio? & mihi videtur quod sic in hoc casu ob caliditatem intemperiei in toto corpore. Tempore etiam noctis, vt dictum est, teneat bolum armenum & sumat etiam per os, & hora accessionis teneat frusta mannæ in ore & fiant ligamina in cruribus & brachiis cum corioastricta.

Quòd autem vltimum est in hoc, & quo curari potes Domine, atque vnicum auxilium ab Hippocr. propositum in libro. De internis affectionibus, his verbis (Pag. 3.) Hic si quidem ab hac curatione sanatus fuerit, (loquitur autem de phthoë vera) bene est; sin minus, ipsum lacte crassefactum, & in pectore, & in dorso vrito. Et paulo post de suppuratis. Bibat etiam lac caprinum & bubulum pro tempore, prius autem suppurgetur lacte asinino cocto. Crassefacere in longis morbis præcipuè lacte bubulo, docet etiam in libris de morbis mulierum, & alibi sæpius, vt nihil apud illum frequentius inde curare, quæ ratio hic maximè necessaria est oportet autem præter lac bubulum etiam carne contusa id agere. Et certè nulla est melior ratio quam assiduè crassefacere corpus, & assiduè purgare.

CONSILIVM XXIII.

De Cordis Palpitatione aliisque symptomatis.

PRoponitur nobis ægrotans quinquaginta annorum natus, qui vt audiuimus variis afficitur indispositionibus, & primò cordis palpitatione, siue cardiacâ passione, à qua multis ab hinc annis molestatur 2. vertigine licet admodum rarò 3. crurum imbecillitate, ob iuncturarum ac neruorum relaxationem 4. hæmorrohidum affectibus 5. renum. Quibus cùm vexatur indispositionibus, auxilium quæritur à nobis, vt si fieri possit, eum pristinæ restituamus sanitati: quòd facilè nobis euenire poterit, si exactam huius ægritudinis cognitionem habuerimus, dicebat namque Galenus. *In libro Art. cur: Medici munus ac finis est, vnicuique morbo proposito, vbi prius tum affectus, tum pars affecta nota fuerint, remedia conuenientia inuenire, & his quantum homini licet commodissimè vti.* Supposito ergo hoc fundamento quod varij sint affectus quibus laborat ægrotus iste, à nobis primò inuestigandum venit, num ab eadem producantur causa, an ex diuersis; itemque an vnus aliorum sit causa, & nunquid morbi per essentiam ac primario sint; an per consensum & secundariò? & in summa quisnam horum principalior sit, & potissimum curari debeat? nisi etenim hæc probè distinguantur curatio haud rectè procedere poterit, *à morbi namque essentia desumuntur curatiuæ indicationes* dicebat Gal. 3. *Meth. cap.* 4. *cuius vera curatio sit per causæ remotionem.* Sicuti in eodémet loco declarauit dum dixit. Morbi habentis causam certa eius cura consistit in causæ remotione, verum cum causa abscindi non possit quin prius cognoscatur: ergo primo pertuiquere oportet quænã sint morbi principalis causæ, dein quæ sint aliarum indispositionum concomitantium si adfuerint. Sed antequam hæc aggrediamur, nobis in primis

primis necessarium esse videtur eius vniuersale temperamentum necnon vniuscuiusque particulæ proprium perquirere hoc quam antea scitu sit necessarium declarat Galenus xj. Meth. cum dicit circa temperamenta omnes versari corporis operationes, & non circa alia quod quidem & ratione comprobatur. Cum enim morbus nil aliud sit quam recessus à naturali statu ad præter naturam, nulla equidem quantitatis morbi coniectura haberi poterit nisi cognita prius naturali temperie. Nos ergo hunc à principio suæ generationis biliosæ temperiei à prædominio, & à subdominio sanguineæ fuisse iudicamus, quod declaratur ex latitudine venarum, & ex habitu totius corporis, & ex pilis nigris ac crispis, licet ob tot ac diuersas indispositiones & forsan etiam ob errata in sex rebus non naturalibus contracta sit mala intemperies in cerebro, nec non etiam in membris naturalibus cuius ratione magna generetur copia crudorum humorum & pituitosorum qui in vniuerso redundent corpore; indicamus etiam ob easdem causas superius allatas ipsum habere hepar calidum imò calidius, & renes calidos, caput quoque calidum extra, intus verò frigidum: caliditas desumitur ex latitudine venarum oculorum & colore faciei & ex caluitie ac capillis nigris & crispis, quæ omnia arguunt caliditatem capitis externam: Internam verò frigiditatem aduentitiam declarat multitudo excrementorum quæ continuò ob contractam cerebri intemperiem frigidam nempè & humidam generantur, ob quam factum est cerebrum aptum ad recipiendum omnes vapores à partibus infernis ascendentes, qui in humores conuertuntur & descendunt: & sic varias possunt in corpore procreare indispositiones, vt inferius explicabimus: ventriculum quoque frigidiorem videamus tum ob hepatis caliditatem tum ob fluxionem humorum crudorum & frigidorum à capite ad partes subiectas & per consequens ad ventriculum ipsum descendentium vnde ventriculus necessario refrigeratur. Et hæc à nobis de temperamento vniuersali ac particulari (obiter tamen) dicta sint, cum ex sola inspectione colligere talia potuerimus. Quod verò ad symptomata quibus afficitur spectat; primum est cordis palpitatio quam cardiacam passionem vocant, & de qua multum conqueritur licet sit per interualla: est etenim symptoma quod sub deprauato motu pulsatilis cordis continetur, cui necessarium est vt sequatur morbus, & licet multi asserere videantur ex sola intemperie & per consequens cordis debilitate prouenire, nos tamen contrarium sentimus, quia licet Hippocrates secunda Aphorismorum dicat quod qui sæpè, & fortiter, exoluuntur absque manifesta causa, de repente moriantur: nihilominus locus ille non ita simpliciter est intelligendus, scilicet quod ob cordis debilitatem tanta sequatur palpitatio ab initio vt exoluantur, sed oppositum vt diximus sentiendum est, nempe quod palpitatio sit in causa debilitationis cordis, quam sententiam visus est Galen. in commento innuere, nec non etiam & nos quotidie in actu practico experimur, videmus enim quod cardiaca passio semper incipit cum cordis palpitatione (nisi originem habeat à venenis quia in eo casu vt plurimùm moriuntur vna cum palpitatione siue potius syncope ac cordis debilitate) & ita diu perseuerant donec cor adeò sit debilitatum quod non possit vt prius tam valido motu moueri ad expellēdum id quod ipsum infestat, necesse est vt paruo, imò quandoque exiguo motu moueatur ob debilitatem acquisitam: & ita fit tremor & non amplius palpitatio, & quia in dies augetur debilitas, hinc est quod tandem deueniunt ad exolutionem & derepente moriuntur. Quapropter dicendum palpitationis causam non esse cordis debilitatem simpliciter sed eam esse quam tradit Gal. *in lib. 3. de symptomatum causis*, videlicet, quicquid habet vim vitalem exonerandi & aggrauandi, quod contingit ex repletione humorum impediente, ne cor libere attollatur, humorum enim multitudo aggrauando vim vitalem motum impedit, & quia cor est fons caloris innati quo omnes perficiuntur operationes: hinc est quod natura adeò impetuoso ac veloci motu mouetur ad expellendum id quod eam aggrauat. Et quia aliquando materia est crassa & lenta, aliquando vero tenuis & vaporosa, ideo quandoque symptoma diu perseuerat, quandoque cito resoluitur, ac cessat, crassities enim humorum obstruendo orificia venarum impedit, ne sanguis liberè ac celeriter in ventres permeare possit, & quia materia quæ aggrauat potest esse calida & frigida; ideo eam nos cognoscere docet Galenus *in eodemmet lib. 3. de symp. caus.* vbi inquit. Materia vero quæ sua multitudine obstruit & aggrauat circa ventres cordis si calida fuerit pulsus velox ac frequens apparebit & febris vna cum siti maxima aderit, si autem nullum horum signorum adfuerit, imò corpore existente sano tunc materia non admodum calida erit, sed lentore tantum ac crassitie peccabit, vt plurimum tempore veris contingere solet; tunc enim funduntur humores & per corpus mouentur cum adsit copia sanguinis crudi in venis, fitque aliquando male affecto ore ventriculi sicuti declarat Gal. in primo de symptomatum cutis volens cardialgiam definire dixit. Cardiacus morbus est innati spiritus consumptio & amissio fitque vt plurimum ore ventriculi male affecto aut ipso stomacho cum sudoribus ob succos mordaces in ipso ortos osculum petentes infestantes ac molestantes sentiendi eius facultatem. Fit & quandoque symptoma illud ob aquositates in pericardio existentes, & signum est quia in dies emaciantur ac tabidi fiunt, absque causa manifesta, & ratio est quia cum ob aquositatem ibi existentem cor non possit aërem libere attrahere, ob angustiam necesse est ipsum excalefieri, ac febriculam fixam oriri. Potest & fieri à ventositate inclusa exitum non habente, & tunc non palpitatio fiet, sed iectigatio quæ est motus quidam deambulatiuus factus ab ipso vento quærente exitum nec ita periculosa est sicuti palpitatio, vt declarat Gal. in lib. 3, de comp. med. secund. potéstque à quacun-

que materia fieri quæ facilè in ventum ac vaporem conuerti possit fitque præsertim in parte carnosa ac lacerosa quæ facillimè dilatari ac constringi possit, veluti est capsula cordis. Signum verò quod fiat à ventositate est quia cito venit, & cito recedit, aut cum modica frictione. Et hæc de causis internis cardiacæ passionis dicta sint. Externæ verò reducuntur ad otium quietem, vitæ suauitatem, cibi potusque multitudinem, & præsertim variorum ciborum & ad animi accidentia, vt iram, timorem gaudium, &c. ad immoderatos, intempestiuosque veneris vsus, & ad alia huiusmodi quam plurima. Et hæc breuiter de primo symptomate dicta sint. Secundum est vertigo per interualla eum molestans, quæ est symptoma quod pertinet ad actionem læsam facultatis visiuæ & motiuæ, fitque ex vapore aliquanto subtiliori circum mouente spiritus visiuos, generaturque ex humoribus prauis & corruptis vel in capite existentibus, & præsertim in parte anteriori, vel à ventriculo, aut ab vniuerso corpore ascendentibus ad caput, qui cum spiritus visiuo admisceatur qui est primum animæ instrumentum: cogit eum moueri motu inordinato propter impetum & sic fit malitia cancelationis idolorum in signatione crucis in neruis opticis, redditque male sensui communi, vnde externa videntur moueri motu quodam vario ac inordinatò nec non etiam in gyrum vt plurimum contingere videmus ægrotantibus, quibus spiritus animalis instrumentum visus inordinate mouetur propter debilitatem vel propter copiam vaporum ascendentium ad caput, excitantúrque vel à materia calida vel frigida vapores isti, licet vt plurimum a materia calida, cum vapores ex materia frigida crassi sint, nec tanto impetu ferri possint. Vtrum verò excitentur à materia in capite existente? an à partibus infernis eleuentur, hoc nisi ex propriis signis coniectari licet: quanquam crediderim ob longitudinem temporis morbus qui forsan per consensum cœpit, nunc factus sit per essentiam, sicuti declarat Gal x. Meth. quæ tamen exquisite cognosci non possunt, nisi facta particulari inquisitione & hoc quia sæpe contingit ob copiam crudorum humorum redundantium in corpore multos eleuari vapores ad caput, ipsósque in humores conuerti à cerebro, quia descendentes ad pectus & per nucam ad dorsum ac spinam eius maximam & longam inducere possunt frigiditatem in membris illis dum transeant super membra sensu prædita ac neruosa. Et si putrefiant febres catarrhales efficiunt & grauedines ac raucedines: signúmque huius descensus futuri est grauedo, & extensio magna capitis nec non aliquando dum materia illa ibi existit pars subtilior resoluitur in flatum, ad cutim defertur, & quamdam speciem siue similitudinem iectigationis siue potius punctionis circa cutim capitis efficiunt gustum neque ac olfactum sæpe amittunt patientes.

Tertium autem symptoma quod patitur est neruorum ac iuncturarum debilitas quod est symptoma tactus corrupti partium dolentium, fitque ex affluxione humorum ad articulos, licet etiam ex congestione humorum fieri possit vt Gal. in lib. 3. de sympt. caus. cuius causæ internæ sunt cruditates vel in vniuerso corpore coaceruatæ vel à capite ad articulos descendentes quas duas causas in præsenti ægrotante concurrere iudicamus: quæ vt plurimum originem habent à causis externis nempe à crapula, ebrietate immoderato veneris vsu, & ex intermissione exercitij, & ex suppressione excretionum familiarium, necnon etiam quandoque aptitudines transferuntur à parentibus in filios; cronicaque est affectio ista si materia multa fuerit, vel crassa & viscida, citò verò terminabitur ac resoluetur si subtilis ac pauca fuerit, nisi tamen malè curetur, nam si quis ex medicis rectam methodum ignorantibus per resoluentia eam continuò curet, inflammationes equidem in totam ferè ægri cutem extendet, qui cum redundantem in vniuerso corpore humorem haud euacuet, vel per pharmaciam aut venæ sectionem, necnon etiam id quod ad iuncturas defertur per ea quæ moderatè adstringunt, non repellat sed immodicè resoluat, vel per aquæ vel olei admistionem vel per cataplasmata, maximam profectò in partibus affectis inducet laxitatem, & ad recrementorum susceptionem eas aptiores reddet & sic morbum priore deteriorem efficiet, sicuti etiam contingere solet iis qui immodicè refrigerant, vel vehementer discutiunt, quibus callosas ac calculosas coactiones in ipsis emergere videmus, frigus enim immodicum congelat crassos ac tenues humores; quæ verò vehementer discutiunt quod tenue est resoluunt & reliquum inspissant & conglutinant. Quartum symptoma est hæmorrhoidum inflammatio quæ fit ex sanguinis influxu ad sedis venas, éstque veluti dilatatio facta ob repletionem in venis quibusdam ad sedem terminantibus, excitatúrque dolor vel ob maximam extensionem, vel quia aliquando replentur humore calido & acuto, & harum aliæ sunt cæcæ, aliæ apertæ; cæcæ sunt quæ omni tempore inflatæ permanent, & nihil excernunt: nec tumor extra apparet vt plurimum: Apertæ autem sunt quæ per tempora sanguinem effundunt, & extra sunt eminentes, & adeò quandoque in maxima quantitate effluunt vt non solum vniuersum corpus debilitent: verum etiam multas malas indispositiones inducant, & præsertim cum sanguis bonus educitur, refrigeratur enim sanguis, debilitatúrque hepar, vnde hydrops, inapetentia, cardiaca passio, & alia quam plurima generare solent accidentia. Reliquum est modo vt de renum calculis verbum agamus, ad quorum generationem duo concurrunt, virtus nempe agens, & materia patiens, cum etenim recrementa crassa & glutinosa ad partes illas angustas deferantur, nec facile possint trudi: vehementer à calido exuruntur, & ita crassa, ac terrea euadunt, quibus si visciditas aliqua iuncta sit, tunc magis consistunt lapides & duriores fiunt, quorum causæ externæ reducuntur ad omnia generantia sanguinem crassum, vt crapula, vina noua, panis azimus, legumina, caseus antiquus, carnes animalium syluestrium & quadrupedum,

vt

vt bouinę, ceruinæ, ouinæ, &c. pisces quoque & alia huiusmodi quæ sunt difficilis concoctionis, & crassi alimenti: Quibus sic per ordinem declaratis vnum tantum remanet à nobis inuestigandum quisnam videlicet sit affectus, qui hæc omnia procreare possit symptomata? hoc enim inuento habebimus etiam morbum cui prior debebitur curatio. Si itaque rectè consideremus omnia prædicta accidentia, nullam aliam eorum profectò possemus assignare causam præter multitudinem excrementorum quæ in venis ægrotantis generantur, quod & primò de cardiaca siue cordis palpitatione superius comprobauimus, quod & authoritate Galeni confirmari potest, qui vult quod in qualibet cordis palpitatione mittatur sanguis præsupponens magnam in venis repletionem excrementorum ac humorum crudorum qui quotidie generantur, vel ratione cibi qui vitiosus est ac promptus vt corrumpatur vel quia male transmutatur, imò in alienam qualitatem ob malam membrorum naturalium intemperiem & præsertim ventriculi qui cum vt supra diximus, frigidior sit, non potest primam optimè conficere concoctionem, quæ cum non possit perfectè corrigi ab hepate in secunda coctione, nec à venis in tertia: hinc est quod oportet sanguinem multa cruditate præditum esse, necnon aliqua participare adustione ob hepatis caliditatem & præcipuè cum multum elaboret in concoquendo: vnde primæ venæ quæ sunt inter ventrem & iecur replentur cruditatibus & per consequens magnæ ac vniuersæ, quare cum membra non se nutriunt ob prauitatem alimenti; natura irritata à multitudine ac prauitate humorum coacta est moueri ad expellendum, & quia semper solet auxilij gratia ad partem læsam ac debiliorem, sanguinem & spiritum transmittere, & postea interim excrementa ipsa, si corpus ei abundet, quod fit sine aliqua eius cognitione; ideò ad venas cordi propinquas defluunt tanquam parti debiliori, & palpitationem generant, licet & aliquando iectigatio fiat, si materia adeò tenuis fuerit, vt in flatum conuertatur, vt supra diximus. Horum etiam excrementorum pars & præsertim crassior ad venas hæmorrhoidales defluit quæ & apertas & cæcas quandoque hæmorrhoides facit, quæ & aliquando in tanta effluunt copia, quod refrigeratur sanguis, & cardiaca excitatur, vt supra partim quoque transmittitur horum portio ad renes, & quia à calido eorum superfluo subtilior pars resoluitur, crassior in calculos conuertitur, partim etiam per vapores ad caput ascendunt quæ cum malum inducant in cerebro intemperiem, hinc est quod maximam humorum crudorum & pituitosorum generat copiam qui partim in flatum conuerti cum spiritu visiuo admiscentur, & vt superius declarauimus vertiginem faciunt, partim quoque defluunt ad partes subiectas & præcipue ad ventriculum ipsumque refrigerant, partim etiam vna cum aliis excrementis à venis magnis ac visceribus descendentibus ad iuncturas defluunt in eisque debilitatem ac laxitatem generant, licet & forsan originem ducere potuerint à balneis nondum præpurgato corpore adhibitis: quæ solent in tali casu maximam humorum copiam attrahere. Concludimus ergo has omnes indispositiones originem habuisse à multitudine humorum crudorum qui generantur ob membrorum naturalium debilitatem necnon etiam ab humoribus crudis à capite defluentibus, vt diximus. Quibus sic declaratis reliquum est vt antequam curationem aggrediamur aliquid de prognostico dicamus circa quod duo consideranda essent, primus nunquid possit curari necne & si possit, quibus & quomodo & quando. Secundum, dato quod perfectè curari non possit, nunquid possit defendi ne morbus in deterius labatur imò ad meliorem statum reduci. Et quantum ad primum pertinet multum equidem difficile ducimus ipsum perfectè sanari posse, tum quia morbus multis ac variis symptomatibus complicatus est, & ferè per circuitum vt superius enarrauimus; tum quia ob temporis longitudinem adæquatus est; nihilominus sperandum est ad meliorem statum reduci posse necnon tueri ne in deterius labatur, & præsertim cum non vacet periculo, ne in aliquem longè deteriorem affectum permutetur, vt in epilepsiam, aut apoplexiam aut stuporem, aut paralysim aut spasmum, vt fuit sententia Aetij lib. 2. sermone 4. itémque ne processu temporis oriatur syncopes, & hoc quia inducitur mala intemperies in corde, quæ cum excedit, debilitat, & virtus debilis tremorem inducit, & tremor syncopiam, & syncopes tandem mortem, & hoc est quod significare voluit Hippocrates 2. Aphor. 1. 41. sicut Galenus in commento declarauit cum dixit. Omnes enim pereunt cum syncope quoniam destruuntur cordis vires. Quod in prognosticis confirmauit dicens mala intemperies cordi accidens si æqualis est & confirmata, i. consummata non recipit curationem & quando est diuersa & inæqualis, difficilis est curationis: non etenim intendendo de intemperie acquisita in febre ephæmera, & tertiana & similibus. Verùm si magna intemperies non adfuerit vt contingere potest in iectigatione diu viuere poterunt, vt Galenus recitat quamuis etiam periculum immineat dum recidiuant, quamdiu enim cor debile prorsus non est, quærit pellere, verum quia semper fit deterioris conditionis tum quia ex affectu ipsum debilitatur, tum quia senescit ægrotans, nec cor pulsione semper resistere potest: quare euenit sicuti apoplecticis, ac epilecticis qui & si sæpè euadant, tandem succumbunt. Quapropter, omni conatu, omnique diligentia vti debet vt si fieri possit liberetur vel saltem tueatur, ne in deterius labatur ob pericula quæ imminent vt diximus.

Reliquum est tandem vt ad curationem deueniamus. Et quoniam medicina in tria diuiditur instrumenta, in diareticen, pharmaceuticen, & chirurgicem vt tradit Hippocrates *in libro de veteri medicina*, ideo primo de Dieta sermonem habebimus tanquam de parte admodum necessaria & vtili: debitum enim victus regimen dicebat Princeps primo Canone, cum hoc quod opponitur

causa

causa morbi conseruat etiam membrorum principalium robur ac virtutem quæ est sublimior omnium considerationum, ac intentionum, sicuti declarauit iuxta finem Galenus *primo de victus ratione in acutis*, & præsertim quia ea mediante possumus vti cura per epicrasim, quam tot laudibus extollit Galenus xj Methodi (si recte memini), quæ non solum vtilis est in huiusmodi morbis cronicis ac complicatis, sed etiam necessaria & qua ipse fatetur eo loci se multos curasse ægrotantes, quos curare non potuerant alij medici licet exhibitis opportunis ac validioribus remediis. Connumerabimus ergo ea quæ euitare debet in generali, non omittendo etiam aliqua idonea particularia quibus vti poterit, licet multa condonanda sint tempori, ætati, regioni; ac consuetudini, vt Hipp. *prima Aphor.* 17. Dicimus ergo quod euitare debet aërem pluuiosum & humidum & habitationem humidam, Ventum quoq; austrinum eligatque sibi domicilium & cameram quæ habeat fenestras inspicientes orientem & quæ sole dominentur deuitetque omnia quæ sunt vitiosi succi ac difficilis concoctionis veluti sunt cibaria ex farina, legumina, carnes quadrupedum magnorum, & antiquorum sicuti sunt bouinæ, ceruinæ, ouinæ, & cætera huiusmodi, suilla domestica non laudatur syluestris tamen comedi potest præsertim si fuerit iuuenis & bene cocta ac friabilis: lacticinia cum facillimè in ventriculo corrumpantur, non admodum probantur, omnia cruda & omnes radices (licet cichorium coctum laudetur, necnon petroselinum pro condimentis) leuiter etiam crapulam ac variorum ciborum vsum, sed sit contentus duobus vel tribus eduliis, seruando tamen in eis solitam eius consuetudinem, omnia quoque salsa & si halices comedi possint & acria sicut sunt allia, cœpæ, porri, ascalongiæ, & huiusmodi, licet si cœpæ fuerint bene coctæ comedi possint; cruda enim sunt mali succi & caput petunt, pisces quoque mali sunt, quibus tamen si aliquando vti voluerit, eligat petrosos, non admodum magnos, nec veteres & qui albam habeant carnem & glandosam vt sunt lutij persici, auratæ tinctæ, passeres, gobij & præsertim sub craticula cœli. Sed ante omnia deuitet pisces degentes in aquis stagnantibus & etiam paludum: astacis ac cancris vti non debet nisi moderatè: difficilis enim sunt concoctionis; omnia frixa sunt praui succi, elixata verò & diligenter assata possunt comedi, & præsertim si saluia & roremarino & origano condiantur. Oua etiam indurata euitet, & caseum antiquum & durum & præsertim si salsua fuerit: est enim materia calculorum: & panem non benè fermentatum, & diligenter coctum: omnia etiam olera & præsertim caules: boraginem, buglossum, melissam, betonicam, comedere potest & maioranam, quoque: sunt enim olera corroborantia, cor & sanguinem purificantia. Vina quoque noua deuitet, & nimis antiqua, nigra, crassa, dulcia & nimis etiam austera ac vinosa: talia enim quicquid mali in vêtriculo repereunt, ad caput deferunt, & generant cruditates ac catharros, fructus quoque & crudos præsertim, deuitet, licet vuæ & ficus ac cerasa comedi possint, si benè matura fuerint & ante cibum, pepones verò, cucumeres, cerasa dulcia, persica, & præsertim cruda, pruna non benè matura, mora & huiusmodi etiam euitare debet: sunt enim praui succi, imò vt inquit Gal. in lib. *de cibis boni & mali succi*, si in ventriculo non conficiantur, generant succum similem veneno, & in genere fructus omnes crudi sanguinem generant aquosum ideò euitandi: cocti verò nonnulli comedi possunt vt pyra, cotonea, &c. Euitanda ergo sunt, vt vno verbo dicam omnia cibaria quæ sunt difficilis concoctionis, & mali succi, & comedat ea quæ sunt facilis coctionis & boni succi veluti sunt pulli, capones, gallinæ, phasiani, pipiones, perdices, turdi, caro hœdina, vitulina, castrati, aues paruæ, & præsertim montanæ: anseres vero & anates grues, & columbi syluestres ac huiusmodi non probantur laudanturq; satis galli Indi caro si benè cocta fuerit: est enim alba & friabilis, & boni nutrimenti, & nullius excrementi. Panis sit fermentatus ac diligenter coctus. Vinum album tenue mundum purum, clarum, odoratum, sapore iucundum sit aqua cocta pura limphatum. Vuæ quoque passæ si dulces fuerint ante cibum comedi possunt, abiectis vinaceis siue acinis è magnis: pectori enim mirificè conueniunt ac iecinori aperiendo, obstructiones & ventrem leniunt, contemperant, & leuiter detergunt, necnon crudos humores concoquunt, & malignos coërcent, nec sunt putredini obnoxiæ, & vt diximus tota substantia iecinori familiarissimæ sunt vt Gal. 8. *de compositione Med. 7. secundum locos* optimè docet. Nuces auellanæ, castaneæ, non laudantur, sunt enim difficillimę concoctionis & caput tentant ac flatum generant amygdalæ & præsertim sacharo conditæ, veluti & pistachia comedi possunt, sunt enim stomacho amica & renibus, excalefaciunt, humectant, impinguant, roborant, & aperiunt: amygdalæ verò amaræ præstantissimæ sunt: expurgant enim pectus & caput ac ventriculum roborant, iecur, splenem, colum & renes obstructione liberant ac depurgant, quapropter consulerem, vt eis frequenter vteretur masticando singulo mane quatuor vel sex, & sensim ascendendo vsque ad decem, vel duodecim inter quas connumerant nuclei persicorum recentium vel saltem illius anni in aliquibus etiam aluum emolliunt. Citria aurantia, & limonia, cum concoctu sint difficilia, ideò non sunt copiosè edenda; attamen cum citria sint iucundissimo sapore prædita viribusque cordis maximè opitulentur, possunt aliquando sumi, sacharo autem condita mirificè laudantur, & non solum conserua acredinis sed totius citri: confectionem quoque coriandrorum à cibo comedere potest vel loco ipsius Irazeam Francisci de Pedemontibus quæ corroborat ventriculum & caput, prohibetque ascensum vaporum ad caput, & cor exhilarat. Exercitium ante cibum laudatur; Et si ob crurum imbecillitatem ambulare non possit curru vel lectica ipsum procurare debet quod quam pro tuenda valetudine necessarium probat Galenus

lenus *in 3. & 4. de sanitate tuenda.* A cibo quiescat, quoniam motus & mentis & corporis post cibum factus, vt ipsemet eo loci ostendit, impedit coctionem resoluendo spiritus & calorem innatum & corpus calore præternaturali replet & cibum crudum ac humores in venis penetrare facit. Somnus quoque sit saltem septem vel octo horarum: fugiat diurnum, nisi pro consuetudine habuerit, quærat singulo mane antequam exercitium peragat, habere beneficium ventris, & si sponte habere non potuerit arte, & leui quodammodo ipsum procuret, hoc enim in regimine victus admodum necessarium est, sicuti concludunt omnes medicinæ authores. Post beneficium ventris pectinibus eburneis se pectinet, poteritque etiam antequam è lecto surgat, vti leuibus frictionibus in brachiis & dorso ad resoluendum superfluas fuligines, aperiendo meatus, necnon ad excitandum calorem innatum per vniuersum corpus, & diuertendum malos humores à principalioribus membris ad ignobilia, sed cruribus non fiant, ne maior copia humorum ad ipsa attrahatur. De lotione capitis, ne verbum tangam cum non mihi tota sit eius consuetudo, nihilominus si ea vti assuetus fuerit, bonum sit lixiuium & non admodum acre & in quo ebullierint flores camomillæ, & foliculi senæ orientalis: hæc enim caput expurgāt, & sensus omnes, ac cerebrum corroborant, & se diligenter exsiccet, quæratq; singulo mane, dum lauat faciem, nares emūgere, & caput expurgare, meliori modo, quo fieri potest, ne humores in eo agregentur, qui postea descendentes, catharros & febres catharrales, vt plurimum efficere solent, vt supra declarauimus, ac multa alia symptomata. Animi accidētia & curas deuitet quātum potest, vt iram mœstitiam & huiusmodi, lætamque vitam degat: dicebat namque Princeps *in lib. de viribus cordis cap. 3. 4. & 5. vbi de principalibus passionibus spiritus cordialis differit*; animi affectus potissimas esse causas ob quas cor dolore afficitur. Et hæc de prima parte breuiter dicta sint. Quod vero ad secundam vt puta ad pharmatiam spectat, nūc dicendum est. Et quia à nobis conclusum fuit, indicationes curatiuas desumi debere ex affectu principaliore, & præsertim cum aliorum concomitantium fuerit in causa, ideo à cardiaca passione incipiendum erit quam principaliorem & periculosiorem esse demonstrauimus, necnon & aliarum ferè omnium indispositionum causam, quæ cum in duas diuidatur partes in curatiuam nempè, & præseruatiuam primo, de præseruatiua sermonem habebimus, & postea de curatiua, super quam partem Galenus admodum diligens fuit pro inuenienda recta methodo præseruandi ac curandi huiusmodi affectionem & inquit se multos vidisse tum senes, ac iuuenes tumore cordis & palpitatione affectos, qui omnes ex venæ incisione opem senserunt, & aliqui etiam ex eis in totum ab hac accessione liberati fuerunt per diætam extenuatoriam & pharmaca consimilia post venæ incisionem adhibita: additque se quendam cognouisse qui singulis annis tempore veris tremoris siue palpitationis accessione afficiebatur quem vbi expertus esset per triennium per venæ sectionem iuuari in quarto per eandem venæ sectionem euasit, consentanea attamen in simul vtens diæta, quibus verbis facile elicere possumus Galeni intentionem esse quod modus præseruandi ac curandi cordis affectionem consistat in conuenienti victus regimine quod potius ad tenuitatem declinare debet quam secus & ad purgationem tempore veris, per venæ sectionem ac pharmaca conuenientia, habito respectu ætatis, temporis, virium roboris, & vbi aliquid forte non adfuerit quod prohibeat. Dicimus ergo vt per ordinem omnia ponamus quæ acturus erit (rationaliter enim & non empirice procedere intendimus) quod quinque insurgunt curatiuæ intentiones, & prima est debita victus ratio de qua satis superque in genere egimus quæ morbi causæ contrariari debet, alterandáque calidis vel frigidis aromatibus pro vt opus fuerit: secunda est concoctio materiæ peccantis: Tertia eiusdem euacuatio: Quarta diuersio: Quinta cordis & membrorum principalium corroboratio & confortatio. Primo ergo fieri debet venæ sectio, præassumpto prius lenitiuo, pro educendis materiebus crudis in viis ductuum existentibus, ne facta venæ incisione ad intra venas trahantur. Tale ergo vel simile si quid consuetum habuerit leniuitiuum assumere debet ineunte vere. ℞. Diacatholiconis ʒ. vj. confectionis hamec ʒ. j. ſ. vel loco confectionis poterit addi hyene simpl. ʒ. j. ſ. Misce & cum Zucharo fiat. bolus: vel potio cum aqua buglossæ pro vt placuerit per horas quinque ante cibum superbibendo ius, vt mos est: sequenti verò mane mittatur sanguis ex vena basilica lateris oppositi ad quantitatem pro vt videbitur medico assistenti, euacuat enim confertim à visceribus mediis, vt testatur Galenus *secundo de victu.* Postea sequenti die incipiat materiam concoquere seruatis tamen nonnullis propositionibus ab Auicenna positis, quas canones appellat; & prima est quando medicus infrigidare vel calefacere intendit, non debet cum validis in frigidantibus ac calefacientibus in frigidare vel calefacere, & hoc quia cor est membrum principalissimum & à quo omnia membra recipiunt influxum, ideo oportet taliter agere ne ipsum distemperetur. Secunda est quod cum in frigidantibus semper medicus admiscere debet aliquod aroma calidum, & ratio est quia medicamenta frigida claudunt vias, ideò oportet admiscere quod habeat dilatare eas & vt etiam calor naturalis & spiritus conseruentur hoc tamen intelligendum est vbi cor non admodum inflammatum esset, quoniam vbi vehementer inflammatum esset, vt gratia exempli in caucone, tunc in eo casu non debet medicus cum frigidis admiscere res calidas. Poterit ergo assumere hunc syrupum. ℞. Syrup. de corticibus citri de Pomis dulcibus, de succo limonum oxymellis simpl. ann. ℥. ſ. Aquarum rosarum plantaginis, buglossæ, melissæ ann. ℥. j. misce pro vna vice continuato itaque syrupo per quinque vel septem dies, prout videbitur

debitur assistenti: octaua die apparente concoctione in vrinis capiat infrascriptam medicinam in qua euitemus sicuti etiam euitari debent omnia scamoneata; maximum enim inferunt cordi nocumentum sicuti colocynthis & huiusmodi quæ violentiam inferunt naturæ.

℞. Florum buglossæ, boraginis, violarum ann. m. j. passularum enucleatarum liquiritiæ rasæ ann. ℥. ß. folliculorum senæ orientalis ʒ. ij. myrabolanorum indorum ʒ. j. Bulliant in s. q. aquæ vsque ad consumptionem medietatis: deinde colentur & in colatura dissoluantur diasenæ lenitiui ʒ. vj. Rhabarbari subtiliter puluerizati ʒ. j. & patienti potus exhibeatur in diluculo, seruando ordinem consuetum, vt mos est. Et si displiceat in potione poterunt parari pillulæ de tribus cum rhabarbaro, de Agarico. Et tribus postea, vel quatuor diebus sequentibus in mane capiat conseruam acredinis citri cum conserua rosarum, boraginis, & hoc modo præparari potest.

℞. Diaboraginati ℥. iij. Diabuglosati ʒ. ij. sacchari rosati ℥. i. ß. Conseruæ acetositatis citri ʒ. i. corallorum rubrorum behen albi & rubei, ossis de corde cerui ann. ʒ. j. Puluerizentur puluerizanda, cum syrupo de pomis dulcibus fiat mistura de qua capiat ℥. ß. per duas horas ante cibum mane & sero: húncque ordinem vel similem seruare debet singulis annis ineunte primo vere, donec sentiat se prorsus liberatum à cordis palpitatione, qua cessante cessabunt & reliquæ indispositiones: remota enim causa cessat effectus, vt Galen. ait *in 7. Method.* Quibus sic per ordinem peractis statim deuenire debet ad quartam intentionem vt puta ad diuersiones in quibus multum confidere debet: si enim possent trahi materiæ à corde, & eas diuertere ad membra ignobilia nemini dubium est quod tutior, ac perfectior cura desiderari non posset. Dicebat namque Hippoc. 2. *de Dieta.* Diuersiones tria præcipua præstant, trahunt enim à supra ad infra, à membris nobilioribus ad ignobilia & ab intus ad extra. Quapropter laudarem vt singulo mane vteretur frictionibus in brachiis & dorso, vt diximus, necnon & masticatoriis, & si hæmorrhoides innatæ essent, quod quater in anno secundum diuersitatem quatuor temporum aperirentur, vel saltem bis, in vere nempe & autumno, in tali enim apertione hæmorrhoidum in passionibus cordis semper bene me habui, & est remedium expertum & summopere laudatum à Principe *in libello de viribus cordis.* Nota tamen quod ante apertionem vel applicationem hyrudinum, molles reddi debent. Laudarem etiam imò potius necessarium ducerem, vt fierent fontes siue cauteria in brachio dextro, & in crure etiam nisi obstaret debilitas ipsius cruris, de qua inferius agemus, maxima enim copia humorum traheretur ad crus, nisi prius corroboraretur: huiusmodi enim cauteria cum hac quod diuertunt siue reuellunt à capite, & à membris nobilibus corroborant etiam membra ipsa & remouent causam peccantem, ideò consulo vt quamprimum administrari debeant, si facta iam non fuerint, ex ipsis enim notabile sentiet iuuamentum. Et hęc de quarta intentione. Quinta & vltima est cordis & membrorum principalium corroboratio, circa quam partem multa possent in medium adduci, sed aliqua tantum quæ apud me experta erunt, ab authoribus comprobata connumerabo: inter quæ aliqua sunt simplicia: aliqua composita, simplicia sunt buglossa & borago quæ singularissimæ sunt, dicebat namque Princeps loco præallegato, & super buglossam sis audax. Et ad hoc propositum haud facere possum quin describam tradamque peculiare ac (vt ita dicam) benedictum remedium à præceptore meo in hoc casu sæpe imò sæpius expertum, & quod apud se tenebat pro secreto, & quamprimum didici, sæpe vsus sum & semper me bene habui; nec ipsum vllo modo patiens omittere debet, & est vsus seminum borraginis, sed in vsu seu modo vtendi consistit secretum. Dico ergo quod singulo mane debet accipere à ʒ. j. vsque ad duas seminum borraginis in pollinem redactorũ cum modico iuris vel cum ouis sorbilibus, vel cum modico vini aromatici, procuraréque vt in omnibus eius ferculis ebullierint huiusmodi semina in peria ligata, vel super eam inspergatur puluis ipsorum & in summa quærat vti eis in omnibus suis eduliis quantum potest: hoc enim solo speramus posse defendi à symptomate: multi enim ex vsu horum seminum à cordis passione liberati fuere à nobis vt supra. Reperiuntur etiã & multa alia simplicia cordialia, vt Zedoaria, doronicum, melissa, crocus, cortices citri, & eiusdem semen, garyophilli, & similia multa, adest & ambra quæ multum cordialis est & à quam pluribus comprobata. Et hæc de simplicibus, ex quibus composita fieri possunt vt est conserua florum borraginis, melissæ, ocymi garyophillati & huiusmodi quæ in communi sunt vsu, vt electuarium de gemmis, Diamoscus dulcis, Diambra, quã summopere laudamus, nec obliuiscatur aliquando eius vsus. Confectio est de hyacintho descripta ab Auic. 5. canone tot laudib. ab eo enim nuncupatur medicina Regum ac Principum. Reperiuntur & multa alia in hoc casu inter quæ vnam tantum confectionem singularem, & à nobis expertam non solùm in cordis palpitatione, sed in qualibet & virtutis debilitate, describemus, quæ tamen summa diligentia confici debet.

℞. Cinamomi electi ʒ. ij. Macis ʒ. ß. hyacinthorum, smaragdorum orientalium ʒ. ß. Margaritarũ perforatarũ & non perforatarũ an. ℈. j. Auri subtiliter puluerizati, argenti subtiliter puluerizati an. ʒ. ß. omnia iterum simul puluerizantur subtilissimè, & cum saccharo optimo dissoluto in aqua rosacea fiat confectio in rosalis ʒ. ij. pro qualibet quibus vti poterit ad libitum sumendo vnam in mane per tres vel quatuor horas ante cibũ cum modico vini maluatici, vel potentis albi. Et hæc breuiter dicta sint de præseruatione. Quod verò ad curationẽ tempore accessionis spectat, breuiter dicemus quòd in eo casu debent fieri frictiones incipiendo à parte propinqua cordi trahendo versus inferiora:

ventosæ

ventosæ sine scarificatione, & ligaturæ extremitatum fiant, necnon & epithemata cordi quæ fient cum aquis rosaceâ videlicet, boraginis, melissa, acetosæ.

CONSILIVM XXIV.

De pulsus inæqualitate aliisque symptomatis.

SVpponendo, quod morbus fuerit dispositio calida, & sicca ex humoribus, & præcipuè ichoribus putrescentibus, quorum pars eiiciebatur extra venas, vnde facta est febris cum frigore, & rigore, & pars eius multa extrudebatur per sudorem, & hanc vocat Hippocrates *in Epidemiis* frigorificam, & sudorificam, & tales febres sunt familiares æstati, & corporibus humidis, & excrementitiis: quamuis istud fit per accidens, quia vtuntur cibis multis humidiorib. & potu multo in comparatione ad cibum solidum, & decipiunt seipsos, dicentes se vti exercitatione, cum vtantur longa deambulatione. Nam deambulatio quantacunque sit, nunquam potest dici exercitatio, quamuis possit defatigare hominem. Et temperatura est biliosa, quod ad naturam attinet, ex sanguine tenui, bilioso, qui facilè accenditur, sicut apparet ex colore, non autem ex bile vera: & ideo declaratur etiam multitudo excrementorum ex consuetudine podagræ: ostendimus enim *in primo de Dentibus*, quòd podagra semper fit ab humore crudo, non putrido: & si putrescat, fit febris loco podagræ, sicut hydrops fit ex seroso putrido, & scabies ex non putrido, licet putrescat postmodum: & ideo isti quatuor morbi habent similitudinem inter se, & duo, ac duo affinitatem, vt podagra conuertatur in febrem, & febris in podagram, dico de materia, non morbo. Et quoniam febres trifariam finiuntur subito per crisim, paulatim, & per medicamenta à medicis, hæc soluta fuit paulatim, & per medicamenta, quia quæ soluuntur subitò, indigent maximo robore facultatis naturalis: quod non inuenitur in senibus: nam in senibus prima facultas, quæ debilitatur, est naturalis, inde vitalis, deinde naturalis, si tamen rectè regantur: quia facultates debilitantur iuxta primum instrumentum: sed primum instrumentum facultatis naturalis, & vitalis, est calor naturalis: *prima Aphorismorum* 13. 14. & 15. ac instrumentum facultatis animalis est temperamentum cerebri, *septimo de Dogmate cap.* 8. *Platonis, & Hippocratis.* At verò temperamentum non læditur, nisi à causis externis, velut cibo, vigilia, potu præcipuè vini potentis. At calor naturalis necessariò decrescit iuxta decursum ætatum *prima Aphoris.* 14. ergo facultas naturalis & vitalis priùs debilitantur, quam animalis, stante bono regimine; contrario modo, stante malo regimine. Cum igitur virtus naturalis sit satis imbecillis, non oportuit expectare crisim: dissoluta est ergo morbi materia & per coctionem ex parte tenuiore, & pars crassa est euacuata per medicamenta: ideò in senibus rarò fiunt crises, & si fiant, est signum magni roboris. Quæ autem sunt causa magni roboris naturæ, sunt præcipuè sex: origo, ætas, somnus paucitas potus, cibus paucus, & solidus, & exercitatio. De exercitatione & cibo dicebat Hipp. *sexto Epid. Par.* 4. *Tex.* 23. *Non satiari cibis, & impigrum esse ad labores.* De exercitatione seorsũ dicebat Galen. *in secundo de Tuenda sanitate cap.* 2. *Exercitatio auget calorem naturalem, & membra solida extendit, & condensat.* In libro de Cibis boni, & mali succi c. 2. *Exercitatio, quantum nocet à cibo assumpto, tantum iuuat ante cibum.* Hæc nolim dixisse, vt credat, quòd debeat vti exercitatione: quam etiã Galenus prohibet in senibus, & ego longè magis. Sed conuenit sola deambulatio senib. sed vt intelligat, hoc defuisse à iuuentute ad robur virium, & similiter ætas obstat, omnis enim senex est imbecillis, & æger: *sexto de Tuenda sanitate cap.* 2. Neque cibi molles, dicebat Hippocrates *in libro de Veteri medicina*, potus auget humores, *libro de Alimento*: cibus, solidæ sorbitiones sunt pro ægris: quã sententiam sequutus est Galenus duodecimo Methodi cap. 5. Et rursus friabiles cibi, quantò præstant ad facilitatem coctionis, tantò decedunt ex robore virium augendo, contrà lenti, & duri: & ideò facultas naturalis destituitur his quatuor præsidiis. Quintum est ex somno, qui cum sit interruptus, vituperatur maximè à principe. Et ideò nil mirum est, si omnes facultates sint imbecilles: non enim facultas naturalis, neque vitalis in eo habent præsidium, nisi ab origine, nam de animali cum pendeat à solo temperamento, ipsa est optima, vt patet ex sensibus exterioribus, scilicet operationibus eorum: & quia consuetudines malæ, dicebat Galenus *in libro de Assuetudinibus*, in senibus semper sunt malæ, quia si non mutentur, in deterius semper hominem trudunt, & si mutentur, repentè facilè interficiunt, & tempus sensim mutandi deest. Ideò dico, quòd consuetudines malæ debent mutari in senibus negando, seu auferendo, & non adiiciendo. Exemplum: Si quis habeat malam consuetudinem prandendi multum, & cœnandi parum, quæ communiter est deterior, quàm cœnandi vberiùs: dico, quod vbi peruenerit vltra quadraginta annos, potest benè adimere aliquid ex prandio, sed nihil debet adiungere in cœna. Et qui se exercet in sole, si non exerceat, non propter id ægrotabit, sed si non sit assuetus se exercere, & senex velit se exercere, statim ægrotabit, & forsan etiam morietur: dum ergo ægrotaret, sub initio iratus est, & ex hac ira incidit in inæqualitatem pulsus: primum quidem intercepti, sed non ordinatim, erat autem æqualis, postmodum iuxta statum morbi semper creuit interceptio, ita quòd à principio intercipiebatur non celeriùs, quàm in viginti vsque ad triginta ictus, & aliquando perseuerabat non interceptus vltra centum ictus, & ego tetigi in centesima quarta pulsatione deficientem, & erat deficiens tempore vnius ictus ad vnguem, vt mihi visum est, & aliis sociis, Domino Pio Iassono, & Domino Aurelio Stagno, ambobus Mutinensibus: & quando deficiebat in vna

vna parte, deficiebat in alia, me tangente ambos pulsus simul: itaque factum est, vt cresceret ad frequentiam interceptionis, seu defectionis vsque ad tertiam decimam, ad octauam, septimam, & tertiam, eo vsque, vt fieret alterna, manente tamen æqualitate in reliquis pulsationibus, quod mirum est, & etiam in ordinatione & robore: & defectus erat, vt omnino non sentiretur: post statum autem factus est inæqualis, & defectio illa quasi sparsa esset frequens, sed non exacta: & pulsus erat ordinatus, solum quoad interualla, sed inæqualis, & inordinatus, quoad omnem motum tam distentionis, quàm contractionis, & robur tamen mansit semper. In ipso autem statu factus est valde magnus, non multum celer tamen, sed satis frequens: & propterea dubitaui: sed commutata fuit magnitudo in paruitatem, manente frequentia, seu à natura, seu ob alexipharmaca. Postquam autem recessit febris, & sanatus est, tres principales pulsus differentiæ, scilicet magnitudo, celeritas, & crebritas, restitutæ sunt naturali habitui, & similiter æqualitas quietis, sed remansit inordinatus in illa magnitudine, & inæqualis, videtúrque maior hæc interceptio, quantò pulsus est rarior, quàm fuerit tempore, quo febricitabat: sed tamen raro deuenit ad quietem perfectam præter naturam. Ob hæc igitur, & ob defluxum pituitæ tenuis è cerebro, ex qua impletur os hora somni, & ob podagram, in quam sæpe incidit, coactus sum scribere hæc. Dico ergo, quòd magna causa ipsius podagræ est defluxio illa à cerebro, vnde solebant incidere venas, & arterias post aures, sed consequitur sterilitas: vt *in libro de Aëre & aquis in fine*: fundamentum autem vtriusque est mala coctio, prima & secunda: & ideo ventriculus, & iecur in hoc laborant: & dubium non est, quòd tales morbi non eueniunt, vbi homo optimè concoquat, quia videmus multos, qui sunt perfectè sani: coctio autem optima fit, vel ob robur caloris naturalis, vel ob moderationem eorum, quæ sumuntur in qualitate, quantitate, ordine, & occasione: vel ob accidentia, velut somnus diuturnus, exercitatio ad sudorem, purgatio, mutatio aëris, & similia: & ideo podagrosi non debent conqueri de fortuna sua, sed de gulæ. Et narrat Porphyrius de Rogatiano senatore, qui deferebatur ob podagram à seruis, & cum ob desiderium audiendi Ploenium vteretur solo ferculo, sanatus est perfectè, & pedibus ibat ad auditorium, nihilominus ex malo regimine, ex podagra, & aqua illa posset incidere in deteriorem morbum, si negligeretur. At verò diuersitas illa pulsus difficilioris est conditionis, quoad causam: & ideò videndum est, à quibus causis fiat, deinde si minetur aliquid mali, & vbi minetur, an possit curari, quomodo curandus sit, simul consuetudo, postmodum, vt dixi, reliquis dispositionibus tres illos clauos præfigendo iam dictos ex parte. Primum de natura corporis, ætate, temperamento, acquisito vsu: secundum, quod assuetudo in constituta ætate non debet permutari, nisi per ablationem quòd præsupponimus est, vt seruetur ordo dignitatis, sicut iubebat Galenus in *sexto de Tuenda sanitate*. Est enim in capitulo eorum, qui mancipati sunt negotiis, sicut & principes, & reliqui. Pro cognitione ergo causæ, si distentio cessat in arteria, & in quauis necesse est, vt cesset in corde: verùm cor non potest cessare à motu, nisi vel per se, vel per consensum, vel per secundarium affectum: & ideo libenter interrogarem Galenum, si viueret, de illo medico, quomodo cor potuit cessare, facta obstructione in arteriis pulmonis: & licet diuinauerit, fuit magis casus, quàm prudentia, & forsitan cogitatio adiuuit eum: constat enim quod Patritius è Pusterlis tulit inæqualitatem pulsus longè maiorem per tres annos & mortuus est ex morbo cerebri, & incontinentia vitæ. Bernardus Saccus in Saccensi oppido tulit maximum inæqualitatem pulsus, forsan per plus quam triginta annos, & obiit ex extrema senectute, nonagesimum longè prætergressus annum: & quando curaui eum, agebat octogesimum quartum, ni fallor, & viuebat obiter: neque enim erat medicus, sed tonsor, & satis pauper. Necesse est ergo dicere, vel quòd non omnino periculosa res sit, vel quòd aliquæ inæqualitates sint periculosæ, aliquæ non. Galenus ergo *secundo de Præsagio ex pulsibus cap.* 4. *& in secundo de Causis pulsuum cap.* 4. reducit hoc symptoma, quod potest etiam dici morbus, quia lædit operationem ad obstructionem, & seruata pace tanti viri, vtinam possem intelligere, quomodo posset fieri talis obstructio, & vbi, & quomodo ex tali obstructione possit cessare cor à dilatatione, quoniam si fiat talis obstructio extra cor, ergo cor poterit moueri: si in corde, ergo morietur statim. Præteera seu fiat in corde, seu extra cor, adhuc cor poterit dilatari: ideo oporteret dicere, quòd fieret constrictio potius, & non obstructio. Accedit aliud inconueniens, quod oporteret illam obstructionem millies dissolui, & millies redire. Et quomodo poterit in ictu oculi dissolui illa obstructio: nam statim post interceptionem redit pulsus, & integer: quomodo etiam accideret in ira: quomodo in senibus. Et ideo Galenus non potuit vltrà procedere, quia supposita erant falsa, quinimo istud manifestum est in morientibus: omnes enim deueniunt ad interceptionem pulsus, etiamsi ex vulnere pereant. Neque possumus dicere, quòd cesset repleta vena arteriali in constrictione, quia non tam citò redire posset, licet in aliquo casu contingere queat. Oportet ergo inuenire veram causam cessationis motus naturalis, quæ est triplex: aut quia deficit temperamentum: aut compositio: aut adest impedimentum. Si deficeret temperamentum, aut corrupta esset compositio, non restitueretur statim: ergo oportet, vt sit impedimentum. Impedimentum autem motus est duplex: aut alius motus, sicut lapis sursum proiectus, non descendit, quia mouetur alio motu: aut ob quietem: sicut lapis super tabula non descendit, quia impeditur eodē modo. Necesse est, vt cùm pulsus

ſus quieſcat in diſtentione, vt ſit per motum contrarium: quemadmodum videmus etiam in aliquibus pulſibus, in quibus quies, quæ ſequitur diſtentionem, eſt longa, & ceſſat contractio: & hoc fit, quia natura nititur expellere aliquid magno nixu. Et hoc vt dictum eſt etiam trifariam per ſe: vt cum corde calefacto vapor multiplicatur, adeò vt contractio cogatur eſſe longior, & in affectu ſecundario, velut in contractione febrium, in timore, in verecundia, in vapore venenoſo, cum neceſſe ſit cor contrahi, non poterit diſtendi: & ſimiliter in ira vehementi, adeò impletur cor multo ſanguine propter feruorem, vt non poſſit amplius extendi. Et hoc conuenit in iſto caſu: tum ob iram, quæ præceſſit: tum etiam ob illam magnitudinem pulſus inſolitam, quæ ſubſecuta eſt. Cauſæ verò, quæ impediunt ex parte quietis, ſimiliter per ſe, ſunt imbecillitas, frigiditas, & vulnus in corde.

Sed ex affectu ſecundario, per quæ cor timet dilatari, ſicut venenum prope cor, ſanies, vermis, ſicut ſi homo dormiret, vbi timeret de angue iuxta pedes, non auderet extendere illos, & licet iſtud eſſet ex ratione, tamen antipathia, & ſympathia ſunt manifeſtæ in rebus naturalibus, teſte Galeno, *primo de Alimentis cap. vlt.* & ob hanc cauſam hoc eſt inditium febrium peſtilentium, etſi eſt in febre peſtilenti, eſt inditium materiæ venenoſæ propinquæ cordi. Et quia in hoc caſu tales moriuntur: ideò exiſtimarunt hoc ſignum eſſe lethale, cum tamen non ſit, niſi in hoc caſu. Et cum nos ſimus non ſolum extra febrem peſtilentem, ſed etiam extra febrem: ideò non debemus cogitare de hoc. Similiter in abſceſſibus pulmonis, & pectoris: ſicut ego vidi in quodam Hiſpano, in quo cor pulſabat ſolum à latere dextro, quia ſanies erat in parte ſiniſtra, & cor verebatur dilatari ab illa. Et cum cor ſit in medio pectoris, mediũ ſcilicet in dextra, & medium in ſiniſtra, ideo cum dilataretur ſolum in dextra, videbatur cor totum pulſare in dextra parte: & licet cuſpis cordis in homine ſit in ſiniſtra parte, non tamen dilatatur, quia ibi finiuntur ventriculi. Ergo cum cordis cuſpis dilatatur, neceſſe eſt, vt dilatetur in imo valde: ergo palpitatio cordis in vertice eſt valde mala, & ſignum magnæ neceſſitatis. Tertiùs modus eſt ex conſenſu: cum enim arteriæ compatiuntur ob frigiditatem humorum, qualitas illa communicatur cordi, & impedit motum per modum quietis: & quoniam cor quieſcit, quia perfrigeratum, & omnis quies calefacit cor (nam quies, quæ eſt ante diſtentionem vt hæc prohibet trahi aërem frigidum: & ideò calefacit cor. Quies verò, quæ eſt ante contractionem prohibet expulſionem fumi calidi: & ideò calefacit cor, & magis, quàm prima: ſed prima magis debilitat vires) erit interceptio pulſationis in hoc caſu, cauſa curationis interceptionis: & hoc contingit in ſenibus. Cum hæc ſcriberem, & in cœna ediſſem multa, endiuiam, & cœpas, incidi in huiuſmodi, & ſentiebam cor ipſum deficere per vnam pulſationem; & videbatur cor conſtringi cum quodam ſuaui ſenſu ſine dolore: poſtmodum ſucceſſerunt ſuſpiria multa, & nil aliud. Et reliqua rectè ſe habebant: licet timuerim valde: ſum enim in fine anni LXIV. Memini tamen, me aliquando ſenſiſſe hoc ſymptoma cordis, ſed non cognoueram, quia non tetigeram pulſum, exiſtimo ſane eſſe ex conſenſu oris ventriculi, & pulmone: nam & alias paſſus ſum circa ipſum, dum eſſem puer, hodie, ſcilicet pridie Calendas Septembris, & magis in nocte ſenſi calorem quendam in corde, cum tamen affectus membrorum illi conſentientium ſit frigidus. Ergo cauſæ generaliter ſunt notæ videamus modo cauſam in iſto caſu. Et dico primò, quod non poteſt eſſe ex conſenſu, quia poſtmodum pulſus eſſet tardus, & rarus, & paruus, & etiam quia rarò contingit, vt humores illi poſſint permanere in arteriis, etiamſi diffluerent in eas: quod rarum eſt. Neque dicendum eſt, quòd ſit per modum ſecundarium, quia non adeſt febris, neque apparuerunt ſigna abſceſſus, neque ſuppurationis multò minus. Neque poſſumus dicere, quòd ſit venenum: primum quia data fuit præcipua quæ retundit, ſmaragdus bis, iſeriaca ter, os monocerotis ſemel, & non ceſſauit; ſecundò, quia non eſt multum turbatus ab his medicamentis, quæ ſolent mouere multum, vbi adſit venenum in corpore: tertiò, quia non adeſt vllum aliud ſignum veneni velut vigilia perpetua, color faciei corruptus, lingua nigra, palpitatio cordis, morſus ventriculi, perpetua inquies. Reliquum eſt igitur, vt dicamus, quod ſit per eſſentiam in corde: & hoc contingit tribus modis. Primum eſt ex animis dilatato corde: vnde factum eſt, vt timeat extenſionem, ſicut in delaſſatis, & eſt requis naturalis. Secundum eſt, vt facta expãſione ſanguinis cor ſit refrigeratum: & ita eſt refrigeratio ſenilis quæ difficilè tollitur. Tertium eſt nimius ſenſus cordis, ex quo aſſueuit cor obliuiſci functionis naturalis. Quartum eſt, vt calefacto nimis corde, quòd conſenſit magnitudini, non naturali pulſus eius, & eſt contraria cauſa ſecundæ: cor vel plus colligat vaporum, vt contractio reddatur longior vel ſanguinis attractionem reſpuat, vt calefacientis, vel vt non velit moueri: nam motus calefacit. Vtcunque ſit, non eſt ſymptoma negligendum, nec tamen periculoſum ſtante bono regimine: & ex hoc patet etiam modus curationis, & quòd in longo tempore alleuiabitur, & forſan perfectè ſanabitur. Et hoc etiam ſequitur, quòd ex vno & tribus poſſet incurrere in mortem ſubitam, ſcilicet ex ira, vt contigit Valentiniano Imperatori. Patet quia ſi extra tamen repletur cor vt deueniat ad intermiſſionem poterit etiam ſuffocari, vel etiam poterit accendi febris, ex qua intra paucos dies abſumeretur. Syllæ autem Dictatori mors accidit repentina ex ira, rupto vaſe vel etiam ex effuſione: & eſt tertius modus, dum calor expanditur, & dilatatur refrigerato corde. Secundus modus eſt, ex immodica venere, ſed puto non eſſe periculum de hoc: modus tamen tractationis exigit, vt omnem modum explicem. Tertius modus eſt longè periculoſior & eſt ex potu vini meracis

potentis, & maximè à ieiunio: nam membra debilia recipiunt excrementa facillimè ab omnibus aliis membris, & maximè cor, quia est validissimum in attrahendo: *Octauo de Vsu partium cap.6.&* 15. & ideò concludendo dico, quòd morbus hic dicitur imbecillitas cordis contracta extra in tempore febris: magnitudo verò in comparatione ad ætatem est æstimanda. Et quia est in sene, in quo est familiaris morbus teste Galeno: ideo non dicitur magnus specialiter, sed est magnus in genere, quia est affectus principalis membri, & in vita omnium primi, teste Galeno, *quinto de locis. cap.* 1. sed propriè non est malus in suo genere, quia nullum alium creat malum affectum, & etiã quia est in collectitia multitudine, & non in vno tantum ictu: & quoniam non est ordinatus: & quia non peruenit ad perfectam defectionem: & quia aliquando manet diu sine hoc symptomate: & quia tempus cessationis non est maius tempore vnius ictus cum suis duabus quietibus; sic enim intelligendus est Galenus *secundo de Præsagio*, ex aduerso est illud, quod est perpetuum, adeò vt nulla die cesset, nec vllæ sint sex horæ, in quibus perfectè sit immunis ab hoc symptomate: secundò, quia durat per vnum integrum tempus: tertiò, quia peruenit aliquando ad alternationem, adeò vt sublata media pulsatione fierent duæ continuæ intermissiones: quarto, quia remansit inæqualis cum inordinatione: quintò, quia non cessit medicamentis, licèt alleuiatum sit, & vt ita dicam, retractum: sextò quia deuenit aliquando ad exactam cessationem: septimò, & vltimo, quia fuit velocis incrementi: & istud est dignius consideratione omnibus aliis. Concludendo tandem dico, quod vacat periculo, seruatis illis tribus conditionibus, & quod curabitur tanta ex parte, quod non habebit causam vllam timendi propter hoc accidens, & modus curationis erit talis.

Scopus igitur curationis est confirmatio ipsorum membrorum principalium, & præcipuè cordis: confirmatio autem cordis fit per quatuor auxilia: quorum primum est medicamentum meum. Vtor etiam pro me. Rec. Sacchari boraginati ℥. iij. Margaritarum orientalium subtilissimè pulueratarum, & læuigatarum ʒ. iij. misce. & capiat in duodecim vicibus, deinde per duodecim alios dies accipiat rasuræ monocerotis ℥. vj. singulo mane cum modico aquæ mulæ, sed non excedat ʒ. ij. illa aqua. Tertium medicamentum est nostrum, & est ex seminibus. Rec. seminis citri mundati, seminis boraginis an̄. ʒ. ij. terantur subtilissimè, inde addantur foliorum melissæ viridium siccatorum in furno leuiter ℥. j. foliorum apij, eodem modo siccatorum ℈. ij. Croci orientalis optimi ℈. j. fiat puluis subtilissimus, quem capiat in sexdecim diebus sequentibus: suspendat etiam collo corallum rubrum valde, & splendidum in forma tabulæ, ita vt sit è regione septimæ costæ: illud confirmat maximè cor. Secundum auxilium est à qualitatibus animi: & ideo oportet, vt exhilaret se, & eat spaciatum in locis apricis, & confabuletur cum amicis dilectis, & abiiciat omnes curas, & vacet somno longo. Tertium auxilium est ex oleo, quo inunguntur pulsus, & tempora & cor, & iecur, & os ventriculi, & sunt nouem loca. Rec. olei de Scorpionibus lib.3 & sit oleum recens, sed in quo fuerint multi scorpiones, & in eo infundantur ligni aloes, quod descendit in aqua & quod optimè oleat, quod sit gummosum, ℥.ß. Rhabarbari electi ʒ.ſ. Gariophyllorum subtilium nucis myristicæ an̄. ʒ. vi. belzoi sine ligno, & storacis calamitatæ, rasuræ eboris tenuissimæ derasæ cum vitro, vel chalybe, & sit ex dente elephantis an̄. ℥. i. sandalorum citrinorum benè olentium ℥. ii. terantur omnia subtilissimè præter scobem eboris, & ponantur in vase vitreo bene obturato, & coquantur per tres dies, & tres noctes, inde extrahantur, & coletur exprimendo valde, & abiectis fæcibus in idem oleum infundatur oculorum populi ℔. i. ſ. florum rosarum ℥. ii. foliorum papaueris nigri, foliorum mandragoræ, vel fructus eius viridium an̄. m̄. i. magnum, florum nimpheæ arborum, florum nimpheæ croceorum an̄. ℥. iii. Aquæ violaceæ optimi odoris. ℔. i. Croci orientalis integri, rasuræ eboris, vt supra an. ℥. 1. Dictami albi cretensis, scordeon herbæ an. ℥. 5. omnia infundãtur integra præter oculos populeonis, qui debent teri, etiam postmodum concluso vase coquantur, vt suprà in balneo mariæ, donec aqua consumatur, inde facta expressione ita, vt nihil supersit aquæ, addantur tertio alia. ℥. 1. rasuræ eboris, vt suprà, & ponatur, dum adhuc feruet, post colaturam, & reponatur benè conclusum in loco frigido, & sicco. Aliud paratu facile: florum mali medici libr. 1. croci recentium. ℥. iij. pone in vase vitreo in Sole, & vertetur in oleum diebus propè viginti. Adhuc facilius olei rosati myropolarum lib. 5. croci orientalis ℥. j. florum mali medici ℥. ij coquito in duplici vase per horas X ij. Et quoniam remansit praua dispositio in corde, propterea faciemus sacculum huiusmodi, confortantem cor. Rec. florum violarum, & rosarum an. ℥. ſ. florum nenufaris ʒ. ij. smaragdorum orientalium. ℈. j. Hiacinthorum orientalium, Margaritarum orientalium, coralorum rubrorum valde splendentium an. ʒ. j. scobis eboris vt suprà derasæ ℈. j. Croci orientalis integri ℈. j. misce, & fiat sacculus, vt dixi, pro corde, & irroretur leuiter, modò cum vino albo modò cum aqua rosacea, & modò iam vtroque Et quoniam in hac febre verisimile est, cum fuerit mali moris, quòd relictus fuerit humor ille ater & fæx, & cinis, quæ faciunt tristitiam magnam, & ipsum ad iram iusto plus procliuem faciunt, & sitim, & desiderium vini, præcipuè dulcis, augent, propterea molestiam quandam inferunt, impediunt etiam nutritionem, timorem, & desperationem incutiunt sine causa, somnos turbant, grauem familiæ, & molestum reddunt, tandem ad vigilias peruenitur, quod summum est malum: & ad recidiuam reducunt. Propter hoc oportet leniter illum euacuare, & ad hoc nullum est auxilium præstantius,

tius, meo iuditio, hoc ipso. ℞. aquæ lactis ℔.2. fumiterræ cum seminibus. m.1. foliorum lupulorum cum seminibus. m.1. origani nostri ℥.j. infundantur per noctem cum. ʒ.ß. cinamomi, inde coquantur paululum, & facta expressione leui addantur iulep violati ℥.x. capiat in mane, si hoc vtatur potu singulis octo diebus, spero non solum sanitatem, sed lætitiam, & bonum colorem cum securitate à recidiua recuperabit. In vniuersum tamen omnis purgatio in affectu cordis per se, seu secundariò pessima est: quoniam materiam educit ad cor, nec euacuat illam, velut & in febre pestilenti: & qui purgantur, vix possunt superuenire: qui non purgantur facilè euadunt: nam in purgatione venenosa materia spargitur nec obedit medicamento, & corpus incalescit, & cor affligitur, nec potest materia educi per venas iecoris capillares, neque iuuat aperire hæmorrhoidas: nam venæ illæ veniunt à caua, non à gibba iecoris: sed commodissimè depellitur huiusmodi materia per vrinas, & sudores, & etiam per alexipharmaca, & cor confirmantia dirigente natura, quo oportet, & qua. Quare summopere caueat à qualibuscunque purgationibus, maximè validis, si vult euadere, cum morbus sit per se in corde, aut per secundarium affectum, non autem per consensum simplicem: hoc enim demonstrauimus. Catapotia autem illa præseruandi causa, & custodiendi, non curandi causa admisimus, quoniam non procul trahunt; etsi natura esset robusta, non læderetur à medicamentis: non tamen ab illis interceptio pulsus curabitur. Medicamentum proprium in hac dispositione: malos medicas integras in frustula diuide, contere diligenter torculari, succum detrahe, permitte residere donec clarus fiat: detrahe paulatim, vt non conturbetur: exhibe ab. ℥. iij. ad v. calidum cum ℥.j. sacchari, postea contege pannis. Si sudet non inuitus, securum reddes à febre, & reliquis symptomatis tollet corque confirmabit. Pro vsu tamen perpetuo volebam componere medicamentum vtile: sed cum considerauit vtilitatem præcedentis medicamenti Diarodon abbatis, compositionem, visum est mihi, quod illa sufficeret, ideò ea vtatur in morsulis, nec aliud requiro. Nunc transeo ad quartum auxilium, quod est, dicebat ille, verum: Elisir, seu verum aurum potabile, & est vera ratio victus: siquidem, vt dicemus, & quia Celsitas sua optimè intelligit: ideò adducam rationem. Dico ergo quòd vita & bona valitudo consistunt in anima, membris, & spiritibus. anima est impatibilis secundum omnes Philosophos, imò dicit Aristoteles, quod anima nunquam senescit: ergo mors & debilitas proueniunt ex membris, & spiritibus, quæ sola sunt animata. Verum membra & spiritus nutriuntur ex sanguine & humoribus. Sed humores, & sanguis generantur ex bonis alimentis per bonam coctionem: ergo si quis non delinquat in coctione, nec in alimentis, impossibile, vt ægrotet: igitur cum alimenta sint cibi, & potus, coctio verò fiat per aërem, somnum & vigiliam, motum & quietem, euacuationem & repletionem: ergo nisi quis non delinquat in vno ex his septem, impossibile, vt ægrotet, & quod non perueniat vsque ad terminum naturalem vitæ. Verùm omnes delinquimus: sed ille optimè se gerit, qui minùs delinquit. Conandum est igitur viris honestis, & sapientibus, & suorum amantibus, qualis est, vt hac facili via velit seruare vitam, quandiu placet Deo cum integra valitudine, ad beneficium etiam suorum, & gloriam propriam, facili via, & ne sim longior.

Primum vacet ab omni tristitia, quia nihil affert commodi: sed consilium, vacet ab ira omnino, viuat lætus, vtatur hac ratione aduersus iram, quod nihil prodest, & quod omnes homines præsupponat esse deteriores quàm sint, negligentes, negligentiores, stultos stultiores, ingratos ingratiores: hoc est remedium contra iram. Aliud, quòd cogitet, quantò fit iracundior, etiam magis causam iræ inueniet; nam illi magis distabunt a sua voluntate. Insuper eat sæpe ad aerem liberum, imò singulo mane: deferat smaragdum, & hyacinthum, semper habeat aliquem confabulatorem, cum qua delectetur. Hæc sunt tria præcipua auxilia contra iram, & pro lætitia animi. De euacuatione habeat beneficium ventris singulo mane, & ex his, quæ leniunt ventrem cum vtilitate: quia est res magna, & videtur parua. Galenus enim nihil inuenit, sed suam aloem, caricas, therbentinam, mercurialem, quæ omnia non tolerant, nihil est meliùs vno ex duobus. Primum est vua passa, abluta bis cum aqua aut ter, & sit pinguis, recens rotunda, splendida, subtilissimi corticis, & gustu suauis valde, de qua assumat duo cochlearia ante cibum, vesperi, & manè bibere ius galli rubri iuuenis, decocti cum malua, & vuis passis, vel cum vno eorum. Aliqui accipiunt ius galli, in quo decocta sint sexaginta mixaria, quæ vocamus sebesten: coquere mercurialem cum pullis. Sed quia est vna species, quæ mouet dolores acerbissimos ideo non laudo illud. Secundum est familiare in cœna, cape herbam matrem violarum cum radice, & ablue bene, imple pullum iuuenem addendo ℥. ß. berberorum recentium, coquito bene, vt fiat bonum ius, & comedat de illo iure cum pane, & de pullo & de herba, & mouebit aluum, vt nihil possit excogitari melius, & maximè pro temperatura sua. Sed in casu purgandi corporis non solum leniendi ventrem facillimum. Rec. iuris pulli ℥. s. mannæ electæ calabrensis ℥. ij. dissoluantur in dicto iure, & detrahatur quicquid est turbidi despumando cum cochleari, deinde effundatur, quicquid est clarum, vt nihil prorsus sit turbidi, & bibat tepidum, & tardet cibum per quinque horas. Expurget etiam nares in mane, quantum potest, & paulatim ad hoc assuescat. Pro somno, continuet saltem septem horis vltra vsque ad decem horas, & si posset implere septem horas, minuat proportionem de cibo, & potu, & si illa vigilia perduraret per vnum annum, & abstinuerit pro data portione, ad vnguem, non lædetur penitus,

penitus,sed cum diminutione cibi, & potus diminuat etiam exercitationes, & negociationes. De quiete: Semper quiescat à cibo, si non vehatur in lecticâ, vel mulâ gradariâ, quando meliùs valet: manè autem se exerceat cũ tribus cõditionibus, vt de ambulatio non sit solum cum sudore,nõ sit cum defatigatione, & sit cum voluptate, & exeat semper domum eques, reuertatur pedes,& hoc, vt vbi incaluerit paululum corpus: cum est domi possit circundari veste paulo grauiore per mediam horam,postea induat leuiorem, & non ponat se aëri frigido, & si sciret, quanta vtilitas esset,non experiri frigus,nunquam vellet illud sentire. Qui enim habitant in regionibus, quæ nunquam frigus experiuntur, viuunt ad centum triginta annos,aliqui plerique superant centesimum:& ego in floridis reddidi causam. Ergo nunquam comedat nisi calidos sentiat, & siccos pedes:aliter mutet calciamenta.Et nunquam alleuiet vestes, nisi dum exercet[illegible]: tunc enim non solùm est tutum, sed etiam vtile. Et pro nunc etiam sæpe,imo perpetuis diebus ante prandium abluere pedes aqua tepida,& tenere illos in ea per dimidium horæ, reddit securos à recidiua, & est valde vtile sanitati. Sed si corpus sit malè affectum, prouocat podagram. Pro somno autem conciliando vltima nostra sunt vnguen tum populeon recens in vnguendo pulsus manuum, & pedum, non capitis. Et signum bonitatis vnguenti est, quod fragrat iucundum odorem, & suauem, vt quasi statim alliciat somnum, si sit benè compositum. Secundum auxilium est. Recip, sacchari nenufarini. id est ex flore nimpheæ ℥. 2. sacchari violacei, ℥. 1. Ambræ orientalis, & muschi añ. ℈. 2. misce, & capiat cum vadit dormitum ab. ʒ.ß. ad ʒ. 1. etsi non posset ferre muschum duplicet ambram, etsi loco sacchari violacei posito sacharo boraginato, consequatur intentum de somno, melius est, & si posset æquari saccharum boraginatum nenufarino, adhuc esset melius. De aëre maneat,vbi aër limpidus sit non turbidus, neque in valle,sed clarus, & est,vbi stellæ minimæ videntur, & vbi flant venti sæpe,& vbi non sunt paludes, neque stagna, caueat à pestilenti, & vbi moriuntur homines, & vbi sunt malè colorati. Et nullum est tutius argumentum, quàm mittere familiarem ad carnificinam, & spectare pinguedinem vitulorum: & tanta est bonitas aëris & aquæ, quantus est candor pinguedinis. De cibo. Caueat ab omnium radicibus, præterquam cichoreæ petrosilij, & fœniculi. Verum adhæreat cichoreæ semper: sed coquatur sub prunis,& addantur acetum, oleum, & Sal. & loco saccari vuæ passæ. Et his vtatur quotidie ante cœnam (nisi aliquando placeant cappares) aliquando endiuia tenera in æstate, & flores cordiales. Abstineat ab omnibus cibis ex farina. Et quæ voluptas est in his, cœna rusticorum. Abstineat ab omnibus piscibus, non squammosis; loquendo de piscibus aquæ dulcis, cum ex hic nullus etiam gustui iucundus sit,præter anguillam, & mustellam magnam, quæ ambæ pessimæ sunt, & difficilis concoctionis, è squammosis autem optimus est perca,trotta,& genera eius, vt themali, carpiones & omnes pisces dentatæ linguæ: cyprinus tamen malus est,& barbonus deterior: mustella,quam lampetram vocant, parua edi potest: piscis, quem vocant botatris,& omnes pisces grandis capitis, & tenues in parte inferiore, vel leni,& tenues, si coquantur cum aceto, & pipere,sunt boni: & maxime iecur, quod etiam suaue est,ranæ cancri, testudines, limaces omnes malæ: ius tamen limaciarum vel testudinum optimum est nihil ominus condiri debet cum aceto, & pipere. Pisces marini sub his regulis continentur,& generaliter plus nutriunt, facilius concoquuntur, & minùs obnoxium alimentum putredini præstant, quàm aquarum: mugil vero, seu capito, malus: omnis enim piscis rotundus, in parte inferiore, malus est: debent autem præparari pisces, vt suprà. Lac est medicina venenorum, sed pro cibo sæpe est instar veneni: in caseo nihil boni, nisi suauitas,paucitas, & raritas. De carnibus nullam excipio, modo fugiat varietatem ciborum, alba ouorum,& paguri, quos vocant granciporros, & caseus à proprietate generant lapidem,sed caseus minus his. De oleribus: endiuia, lactuca, sed modica, blitum, borago bona sunt caules possunt degustari cum fuerint optimè conditi, propter suauitatem: petrosilium est melius fœniculo: pro condimentis absinthium exterius cum aceto, & gariophyllis appositum ventriculo. Bonum est, comedere absynthium in Vere,tenerum cum sale, & vuis passis ante cibum,reddit æstatem felicem,fructus nullus crudus bonus post cibum pyra sunt meliora cotoneis,ante cibum pruna, vuæ,ficus,& persicum coctum non sunt mala,& etiam aliquando bona, & vtilia. Fugere oportet omnes artocreas, & cibos mistos, tum etiam omnia, vbi adest multum saccharum, & vbi aromata multa: hæc enim pessima sunt,cum his etiam venenum soleat immisceri: in saccharo occultatur sapor: in aromatibus odor: in embammatibus, & artocreis horror, & stridor sub dentibus. Præterea cauendum est, ne ad satietatem homo comedat, neque sine fame vnquam: istud enim cum minus noxium est, facit podagram, & omnino cauere maledictam diuersitatem ciborum, tanquam facti simus propter cibos - & non cibi propter nos. Præcautio aduersus venena, cum omnia alia sint nugæ:smaragdi ℈. 10. Theriacæ optimæ (sed sua talis non est) ʒ.ß. rutæ folia 7. contusa. misce,& colluat os cum vino austero - & ipsum deglutiat. Sumptum post hoc medicamentum multo minus iuuat, pitisset,& degustet cibos,& potus, & erit tutus etiam aduersus venena valida, quia dignoscuntur in multa quantitate, & in pauca nihil offendunt. De vino maior est lis, quia facilè deuoratur, inuitat color, abblanditur sapor, hortantur combibones, odor placet, mille sunt causæ sitis, varietas delectat: nulla est difficultas in deglutiendo, acria potum poscunt ob caliditatem, amara ob tristitiam, salsa ob naturam, acerba ob noxam, dulcia ob suauitatem, & similitudinem, insipida ob fatuitatem; non de sunt exempla,

imò

imò laudes, imò præconia, vna est via aduersus tot insidias, cogitare se esse hominem, opus id neque humanum esse, neque belluinum, sed velut ferarum sanguinem sitientium, sic mustella domestica erga gallinas, sic lupus erga pecudes, sic falcones erga anates, innumera occidunt animalia, vt rubro cruore satientur. Execramur hoc in lupis, & in mustellis, cum alia perdant animalia: nos gaudemus hoc ipso lethali veneno, quia suaui, quo perimus. Neque pudet ortos ad diuinorum contemplationem, ad sapientiam, ad potentiam, ad negotia, ad benefaciendum aliis omnibus saturitate tam vili voluptati, neque timemus tam exitiali, cum vinum omnia euertat, apoplexiam & paralysim generat, podagrã irritat, tremulos facit, sensibus omnibus obest, iecur exurit, ventriculum euertit, & debilitat (in hoc solo multi discordant) appetitum deiicit, memoriam aufert, iracundum hominem facit, febrium causa est, & lapilli. Vnum est, sicut ignis, quod si quis cum igne pro solamine habeat, se in illum proiiciat, scio tamen ipsum, quantum continens sit, præter morbum. Sed mores hominum nostri temporis vitupero, qui cum possint esse incolumes, & beati volunt esse ægri, & miseri: dicebat Hippocrates: Nulla potest esse fœlicitas cum morbo. Itaque vinum sit paucum, leue, nullo modo in aqua refrigeratum, cum ex hoc ipso in morbum hunc inciderit, album clarum admodum, vt crystallus: non quouis modo turbatum, aut spissum, nam si secùs per se fuerit, peruersionis initium indicat, si ex alio, quid boni infectum esse potest, nisi venenum, aut veneficium, aut res omnino malefica aut saltem sordida sit, præterea suaue astringentis saporis, & austeri particeps, aquæ etiam admistum: nec statim ab initio bibere ipsum præstat, sed primus potus à tertia parte prandij, vel cœnæ incipiat, perseueret in vsu eiusdem vini, saltem per mensem. Permitto tamen, vt illud, quod primò sumet, possit esse dulce, sed tamen leue valde: & causa huius est, quòd si edatur panis cum vino dulci ab initio cœnæ, vel prandij, vel etiam bibat, vinum ipsum transit illico ad iecur, & exurit ipsum, & hæc est causa mortis præcipua, aut saltem maximorum morborum: & ego possem iurare, quòd dissecui decem corpora principalium virorum, & semper inueni in omnibus iecur exustum, vt palàm sit, quòd omnes moriuntur ex hac causa, etiam in hydropicis.

CONSILIVM XXV.

De febre cum phtiseos metu.

CLarissimi Doctores, oblatus est casus, qui maxima indiget perscrutatione, tum propter casum difficilem, tum propter subiectum nobile. In hoc ergo circa quatuor discurram, & primo, circa naturalia secundo circa præter naturalia, tertio circa prognosticum, quarto circa curam.

Quantum ad primum erit difficile admodum mihi cognoscere suam naturalem dispositionem, cum sit valde permutatus, tamen supersunt quædam ex quibus possumus aliqua coniecturari, & vt audio ab astantibus, erat carnosus, & per consequens calidæ & humidæ complexionis. Quantum autem ad intra subdubius, & incipiendo à cerebro circa capillos audio quòd erant satis albi, nunc vero sunt cineritij propter ægritudinem quæ albedo arguit frigiditatem. Sed dubitatur vtrum signum sumptum a capillis arguat complexionem cerebri, cum videatur quod ob aliud possint etiam variari, dicitur quòd per se non est euidens signum, sed si cum alio coniungatur, vt cum dispositione totius cerebri, tunc arguit, cerebrum esse complexionis calidæ & humidæ: cum ergo non proueniat à toto, sed à cerebro, erit frigidæ complexionis, & pro hoc videatis ea quæ fuerunt dicta à Gal. 2. *tigri loco proprio.* Præterea tactu non apparet caliditas in partibus caput circumdantibus: Item, vt audiui, habuit sua dominatio ægritudinem quæ solet pueris euenire, scilicet illas crustas in capite quæ ægritudo dependet à materia phlegmatica, & ex his credo quod cerebrum fuerit complexionis frigidæ, verum est quod nescio si in sanitate sua haberet venas rubeas in oculis verum est, vt audio, quod erat rubicundus in facie, sed cum hæc rubedo ab aliis etiam possit prouenire scilicet à toto, & à corde, ideo hoc signum non est satis certum, quare sum dubius an cerebrum calidæ an frigidæ sit complexionis, sed vtcumque sit hoc non variabit curam, cum nunc nos non indigeamus alteratione capitis.

Quantum ad cor, primum est magna pilositas in pectore quæ arguit cordis caliditatem: item fuit agilis ad operationes, & ad iram promptus quæ arguunt idem. Ex opposito tamen est pulsus, non velox, nec frequens quod oppositam arguit frigiditatem. Quid ergo dicendum. Hanc dubitationem solitus sũ soluere in 2. Theon. quod Gal. dicebat de pulsu, velocitas, & frequentia paruitas & magnitudo, pulsus non arguunt cordis caliditatem, sed sunt duo signa præcedentia, vnde concludo quòd cor sit calidum & quod à qualitatibus passiuis non multum distat à temperato. De epate credo quod sit calidæ complexionis quod ostendit amplitudo venarum: Item quia multum sanguinis multiplicabatur. De stomacho verum est quod solet dici quod qui sunt epatis calidi, sunt stomachi frigidi, & debilis, dicitur quod hoc verificatur in macilentis, & in his qui soliti sunt multiplicare multam choleram propter resolutionem Zirbi adipiri, non autem credo hoc esse in isto, & sic ordo quod naturaliter non sit valde lapsus quia esset emaciatus, & cum sit carnosus, & musculosus, propter longam ægritudinem iam aliqualiter demacratus est vt patet.

Quantum ad dispositiones præternaturales maior videtur difficultas, cum quamplures malas patiatur dispositiones: & prima est febris ad quam sequitur illa macilentia, secundo est tussis quædam cum difficultate execreandi sputum, tertio est tensio in hypochondriis

chondriis cum quibus hæc accidentia coniunguntur, primò incidit in lypothimiam cum sudore frigido. Item aliquando vomitus cibi qui tamen solum semel accidit: Item & singultus qui semel etiam tantum euenit: Coniungitur vrina satis bona; egestiones etiam sunt bonæ in substantia, quamuis non multum in colore; Item coniungitur debilitas pulsus cum inordinatione. De febre primò quærendum quænam sit, non est ephimera, quia non durasset per tantum tempus, restat igitur quod sit humoralis putrida, vel fixa; de prima est dubium, cum videatur aliqua excrescentia, cum in sero augeatur caliditas quod arguit putredinem, ex quo autem humore videatur quòd sit ex cholera cum multo phlegmate admixto, tamen in hoc sum aliqualiter ambiguus, cum videam multa signa quæ putredini non attestantur. Primò si esset putredo, non videretur vrina in colore, & substantia esse tam bona, quemadmodum videtur, appareret namque aliquod signum putredinis. Item si esset cholerica appareret mordacitas quædam in tactu, quæ à cholera prouenire solet, & si dicatur quod habet excrescentiam, dicerem hoc esse ex cibo assumpto, quare non videtur satis certum quæ febris sit: Item si cholera moueretur impossibile esset quin aliqua signa attestantia supra choleram mouerentur, & apparerent, vt oppilatio, aut aliquod tale aliud: Item vrina est satis bona, & si dicatur esse velocitatem in pulsu, dicitur hoc non esse signum choleræ. Quapropter sum aliqualiter dubius: non negarem tamen quin aliquis humor peccet. Quare dicam quid sentiam in hoc casu, & primò video illum tussire cum difficultate expulsionis ad extra & talis materia ibi in pulmone existens descensa est, à capite, & cum vidi colorem sputi videtur mihi quod hæc materia sit multum cocta; Quare dubito quod illa materia ibi in pectore & pulmone contenta super calefacta euaporet & faciat febrem, cum hoc tamen saluo quòd ibi sit putredo, & vrina est bona quia talis materia ibi existens non potest inficere vrinam, cum hoc tamen dico quòd non sit impossibile quòd hæc febris non sit etiam propter motum materiæ alicuius cholicreæ permixtæ cum phlegmate, vt dixit excellens Doctor qui primo dixit, tamen vt est in me videtur magis quod sit ex materia in pulmone contenta quod colligi potest ex *Gal. 2. Prognost. comm. 67o.* Vnde ex hoc saluo aliud accidens de lipothymia vt patet ex Hippo. qui dicit quòd qui referente exoluuntur sine causa manifesta moriuntur 2. *part. Aphor.* 41. huic addo id quod dicit Gal. *quarto de locis affectis*, & sic ex dictis Galen. credo quod aliqua portio illius materiæ existentis in pulmone, communicetur arteriis, & cordi, & ratione istius fiat illud accidens scilicet defectus animi. Item quod etiam vapores eleuati ex hac materia conuersi in aquam faciunt sudorem, & propter hoc pulsus variatur. Quoad aliud vtrum hæc febris sit fixa vel non, quantum est in me non habeo signum certum, nec ex pulsu, post cibum per vnam vel duas horas. Item nec habemus signum certum vlceris pulmonis, tamen dubito ne materia existens in pulmone propter temporis longitudinem, fuerit maligata & vlcus faciat, & per consequens Phthisicus euadat, vnde si non est, timeo ne in tempore pauco fiat, & sic quantum ad huc non negarem, quum propter longum ægritudinis spatium factæ sint hæ dispositiones.

Quantum ad tensionem in hypochondriis à qua causâ proueniat, dicimus quòd in corporibus extenuatis illæ partes apparent satis extensæ. Quia in his semper aliqua materia transmittitur ad illos musculos, & faciunt illam tensionem & duritiem, & etiam ratione superfluitatum quæ in his generantur factæ fuerunt obstructiones in splene.

De singultu, cum semel sibi euenerit non cr do esse multum instandum, quamuis ex multis causis prouenire possit. Quantum ad stomachum vomitus accidit ex debilitate ipsius, sed cum plures virtutes sint in ipso, videamus quænam ipsarum sit debilitata. An expulsiua, an attractiua, an contentiua, an digestiua, an appetitiua, & dicitur primò virtutem appetitiuam esse debilitatam sed de vomitu dicimus non esse ex debilitate expulsiuæ, nec appetitiuæ, sed à virtute contentiua, & à mala complexione calida cum sit sitis & febris, qui autem humores peccent in stomacho, dico quod sũt humores phlegmatici, qui secundum Galen. maximè in stomacho generantur. Ideo non est mirũ si vomit phlegma, in egestionibus autem non habet phlegma, propterea credo quod in stomacho non sit vitium magnum aliorum humorum propter materiam ibi contentam. Ideo teneo quòd humores facientes febrem potius sint in pulmone quam in pectore, & hæc satis sint quantum ad præter naturalia.

Quantum ad prognosticum nisi sit pthysicus aut hecticus forte non esset adeo malum, tamen quantum ad hoc dubitamus, nec etiam propter lipothymiam possum deponere prognosticum nisi cum timore.

Quantum ad curam. Primò intentiones curatiuæ sumuntur ab ægritudine, causis & temperaturâ, & cum causa principalis sit materia illa contenta in pulmone. Ideò imprimis virtute confortata, exhibebimus quæ sputum facilitant, quæ sunt nota nobis, vt syrupus de liquiritia, & de hyssopo, non desisterem à confortatione cordis, tam ad extra quum ad intra, vt virtus cordis, manuteneatur, & vltra bonum regimen in sex rebus non naturalibus, non prætermitterem cordialia, vt cum margaritis, & borragine, nec epithemat conuenientia vt sciunt vestræ excellentiæ. Confert etiam Looch de pulmone vulpis cum succo liquiritiæ, capillorum veneris, & fœniculo, & pulmonem vulpis ad facilitandum sputum & confortandum pulmonem. Non negligerem iecur & splenem aperiendo & confortando. Item applicarem confortantia stomachum & splenem vt vnctiones & vnguenta.

Credo quoad euacuationem non est multum insistendum, tum quia quolibet die habet beneficium ventris, tum quia est debilis virtutis, quare pro nunc laudarem solutiua, sed bene aliqua clysteria prius tamen virtute fortificata,

fortificata. Ideo pro nunc procederem cum syrup.& confortantibus virtutem,qua fortificata poterimus postea cõsiderare de pharmaco, & hoc si non poterit exhiberi facerem aliqua enomata vt dictum est cum brodio, cum vitellis ouorum & similibus.

Quo ad diætam cibus sit facilis transitus, & bonæ coctionis vt contulum, & vitelli ouorum cum modico vino, sed quod vinum erit bonum? dico quod vinum nigrum est melius pro stomacho: album autem pro tussi, quare accipiat quod sibi magis placet, exhiberem etiam ptisanam & aquam mellis, vel aquam zuccaratam, pro facilitando sputo. Et hæc sunt quæ potui in hoc casu.

CONSILIVM XXVI.

De Febre hecticam æmulante, aliisque symptomatis, Pro nobili muliere.

IN dispositione hac, vt audio Illustrissimæ Mulieris iuxta præceptum Gal. 3. *decimo artis curatiuæ*, supposito intellectu ipsius affectus quærendum est an morbus sit sanabilis: deinde vbi sanabilis videatur, quibus nam auxiliis quam tuto & sine dolore & reliqua quæ ibi docet? igitur cum morbus hic multiplex primum sit, & cum multiplici intemperie atque inæquali, tum verò cum mala compositione pectoris, meo iudicio, omnino insanabilis est: atque eo magis quod vt dicebat Gal. *in Epidemiis qui ab gregiis medicis curati non conualescunt malam spem de se præbent.* cum igitur morbus hic rectè videatur curatus,ideò meo iudicio difficillima est hæc curatio. An verò morbus possit produci ac simul leniri hi facilius diudicare possunt qui præsentes omnia exquisitius norint. Ego non plus eo iudicio quod à sensu pendet possum, quam etiam visu vel auditu in his quæ tam procul absunt.

Procurandum igitur primum, vt in aëre constituatur puro, claro à vaporibus, non iuxta aquas,inter duo solaria, vt dici solet, Excernat fœces quotidie in mane. Et cum febris quieuerit deambulando se exerceat, non validiore motu: sereno quidem tempore sub porticu pluuioso nubiloso, ventoso, in cubiculo.Cubiculum autem orientem respiciat. Sed quoniam forsam cura requiritur non præseruatio, de cura potius sermo habendus est. Verum cum non sine præseruatione perfici possit cum sermo sit ad virum doctissimum, vt video, partis eius erit seorsum vnumquodque vtrique generi adiungere veluti curationi purgationes & eclegmata, preseruationi deambulationem: frictionis & ptisanam vtrique.Nam nimis longum esset imo & superfluum, si cuncta distinguere vellemus.

Vt ergo ad rem redeam. Somnus quanto prolixior tanto melior nec quis obiiciat dictum illud Hipocratis *somnus atque vigilia vtraque si modum excesserint malum.* Hæc enim in cõmentariis super Aphorismos, qui à nobis conscribuntur requirenda sunt vnum sane est quòd cum intemperies cordis siccior sit, tum verò totius: imbecillis autem vētriculi concoctio, tussis quoque oculorum acris dolor, pulsus qualis hecticæ febris quoque qualiscumque sit, omnia hæc longiorem somnum non solum vt vtiliorem postulant. Sed quoniam breuiorem facere soleant: generale enim est præceptum medicorũ, in symptomata & affectus contrarios deducere ægrotantes his quæ à morbis fiunt.

Cæterum quod ad victus regime attinet cibis vtendum est qui sint temperati, molles,facilis coctionis, boni & moderati succi nam qui parum nutriunt, ventriculum fatigant,qui plurimum, iecur, qualia sunt oua, inde fons omnium malorum: tales ergo cibi erunt ptisana hordacea maxime iuxta artis præcepta facta, chondrum auicularum & pullorum & perdicum alæ, vuæ passæ, & testiculi gallorum, & iecora gallinarũ, nulla aromata, exiguum sal admodum. Memini ex huiusmodi victus ratione, Franciscum Gadium, simili morbo ferme biennio laborantem curatum plenè à me fuisse in duobus mensibus. Caro quoque testudinum iusque earum: ius quoque limaciarum vtilia sunt. Ex oleribus præter endiuiam, nullum probo. Probatur & caro hædina. Et assata ac iurulenta meliora sunt elixis, & vinum album tenue clarum mediocre atque odoratum.

Quantum ad pharmaca & res quæ non naturales sunt sed omnino præter naturam videntur intentiones plurimæ consurgere tum quidem ad causas, tum etiam ad morbos & symptomata quibus quidem satisfacere difficillimum est, sed breui iuxta Hippocratis morem vniuersa ratio medendi tradenda est. Siquidem purgandus est humor, atque leniter permutanda intemperies quæ cum in corpore imbecilli sit,mollibus indiget auxiliis. Quæcunque verò opportuna sunt superuenientibus casibus, minimè à me sed à medico qui præsens est, requirenda erun. Veluti si aluus non fluat, clisteriis vti oportet: aut rhabarbaro vtendũ sit.Si non dormiat nimpheæ flores adhibendi sunt. Et si adstrictione in digebimus in medicamentis, adiiciemus myrobalanos atque sexcenta huiusmodi. Quæ igitur præparant materiam(nam hoc opus est medici principale, veluti naturæ concoctio)sunt sirupus de cichorea & de suco endiuiæ. Aqua limaiacum quandoque bisantienus scrupus, de eupatorio violaceus. Purgatio verò fiat cum medulla tamarindorum hoc modo.

℞. Medullæ tamarindorum repurgatæ ab omni sorde ℥. j. lactis asinini ℥. xij. aut xvj. infundantur tamarindi in lacti per horas sex & in balneo mariæ (vt dici solet) per duas horas: tepescat, inde coletur, & propinetur lac. Oportet autem hoc medicamentum repetere sæpius, nec cibum dare vsque ad quinque horas. Quod si flatum moueat, grana quinque seminum fœniculi addantur. Porro mensura omnium horum ad medicum præsentem spectat: sententia enim Galeni clara est eam neque dici, neque scribi posse. Simili modo cum manna licebit quan

quandoque purgari, vbi humores non tam acres fuerint, pulmonibusque fuerint infesti. Licebit & quandoque rhabarbum asinino lacti immiscere: Item myrabalanos citrinos pro vt ex vsu fuerit, purganda quoque frequenter erit cum talibus non vexanda: vbi vero corpus perpurgatum fuerit cum huiusmodi vt etiam non verear, si oporteat, scamon: j. gra. añ. ij. gra. linteo illigata infundere repurgato quoque pulmone aquam thermarum villæ, siue lucensium aut calderæ seu Veronensium exhibere cõuenit sũt & forsan ferreæ aquæ in Germania propiores de quibus sermonem non facio, satis id esse arbitror si qualis oporteat exhiberi exhibeatur opportunoque tẽpore & modo.

Multa sunt quæ hic adiici possent, verum cum non satis opportunè, quia minus certa velut aqua ligni indi seu decoctum, fontes quos vocant cauteria & multa huiuscemodi ideò à talibus super sedeo, vnum solum adducens scilicet balnea aquarũ dulcium si rectè adhibeantur posse malam intemperiem totius corporis multum emendare, & bonum habitum reficere. Quòd si iterum de instantibus nos admonuerint, denuo quæ oportuna videbuntur, adiiciam, singularia etiam quædam non prætermittens.

CONSILIVM XXVII.

De erosione gingiuarum, & Phthoe.

IN casu huius eruditissimi viri laborantis erosione gingiuarum & dentium, concussione facta ex humore calido & acuto: quæsitum est an radicis Cinæ exhibitio conferre possit. R spondeo, quòd iuxta Principem, medicina experta melior est, quàm non experta. Et manifestum est, quòd in Pthoë cum aliis auxiliis curaui fratrem Petrum martyrem, & filiam Bartholomæi ephippiarij, & filium Gabrielis de Riganionte, & Hieronimum Tiboldum, & filium fabri lignarij habitantis sub porticum portæ Tonsæ: & mulierem iuxta sanctum Marcellum, omnes ex pethoë exquisita deploratos, ab aliis, vt breui morituros à medicis relictos: cùm quibusdam eorum, nec viuentis effigies superesset: alios etiam innumeros curaui ex eodem morbo tribus illis viis regiis narratis in libello Experimentorum, quos longum esset referre, præsertim cùm ex his plures non essent, adeò vt hi, quos ego narraui, confirma i: & nunc à biennio citra, omnes, præter vnum, curati sunt, aut ex toto, aut vt possint plurib. annis superuiuere. Quare nõ video, cur mihi Cina sit experimento in phthoë cura tentanda: tum magis, quòd generosi quidam Medici nostri voluerunt in cura illius Thesaurario Martino illam exhibere, conspiratione eripientes illum è manibus meis, cùm nondum cognitus essem in tam præclara experientia, spe huius noui medicamenti, & intra menses quatuor miser ille vitam finiuit. Nostri autem adhuc omnes etiam viuunt, videnturque potius omni alio morbo perituri, quàm ex phthoë. Sed nec in Gallica lue ligno Sancto potest comparari: nos enim cùm plus quàm centum nobiles ex ea curauerimus. Quare cùm minus valeat, in quibus maxime probatur, quid in hoc sperandum? Vt autem aliquid de Cinæ natura ac viribus dicam. Est illa quidem radix non parua, crocei, ac subalbidi fermè coloris, pallida & gustu subacida, odoris femè nullius, vt quæ sit, quasi lignum: adeò efficax, vt nullum aliud medicamentum, ne venenum quidem possit ei comparari. Nam primò vel septies cocta, vel etiam plus quàm decies, vim præbet medicamenti egregij: & aquam, vt pulli ius efficit: & vncia eius incoquitur aquæ vnciis 200. donec fermè ad 70. redeant. Nihil autem est, quòd tam diu vim suam posset, ac in tam magna aquæ quantitate, impertiri. Vehitur ex Inde ex regione Cinana, vt existimo. Scinditur in subtilissima frustra, lataque, vt coronati aurei, atque vt dixi 200. aquæ vnciis, vncia vna in nouo lebete terreo lapideóve immergitur feruétque donec ad 65. redeat, intecto semper vase, ne fumus possit exire: inde ab igne detracta, proxima igni constituitur, circumuolutis pannis, ne vel quidquam exire possit fumi, aut repente refrigerari. Purgans decoctum reddit dimidia Ganti drachma, quæ Alypi est radix. In singulos autem dies renouatur decoctum: amarescit enim, vt pro 14. diebus 24. vnciæ sufficiant. Bibuntur summo mane calidissimi decocti vnciæ 14. pannísque proiicitur sudor: inde licet post tres horas bene contectum panis, etiam si non sudauerit, è domo exire. Seruatur interim calida vsque ad vesperas, bibitúrque cum cibo, nec aliud omnino quidquam, sed & interdiu, non tamen adeò feruens, sed quasi tepida. Abstinebit à Venere, meridianóque somno, cibis etiam omnibus acribus, salsis, amaris, acidis, lacte, iísque quæ ex lacte fiunt: tum iuribus, ac fructibus. Vtetur pane, ac pulli carne elixata in singulos dies bis, à cibo autem etiam melle: hoc enim huic decocto maximè conuenit. Post 14. diem autem, pullis assatis vti licebit, absque condimentis. Si morbi Gallici causa exhibeatur, lauentur hoc decocto singulis diebus optimè vlcera, & panni ex illo madidi imponantur absque ligatura. Licet etiam post 8. dies semel, si virtus admodum sit debilis, vini aliquid decocto hoc lymphati bibere, atque ita interdictis duobus diebus repetere. Si aluus non demittat, decocto, oleo rosato, melle & sale clyster fiat, nec aliud alterius generis: subducit enim aluum egregiè: cogitur autem aluus plerunque à 7. die, ac in posterum suppressa manet: quo tempore etiam incipiunt in Gallico morbo sæuissimi dolores, scilicet à septimo die: sed hi vt plurimum ad 14. terminantur: alui autem duricies manet vsque ad finem dierum, quibus decocto vtitur. Peractis 24. diebus colligitur lignum, quod relictum fuerat in singulos dies, ac in vmbra siccatum exactè, denuo comminutum in exiliores partes, tantundem aquæ incoquitur: sed vt duæ vnciæ ligni 200. aquæ imponantur: redeant autem ad 65. vt prius, exhibetúrque

eadem

eadem ratione, iisdèmque præceptis per duodenos dies. Interim autem licet ludere, spatiari, contectum pannis, negotiarique serenis tranquillisque diebus. Manifestum est autem, quòd natura, & proprietate hoc agit Cina aduersus Gallicum morbum: non autem licet victus tenuitatem, vt in ligno Sancto, in caussam curationis adducere. Neque siccitate id agit sola: impinguantur enim accipientes. Vis igitur eius exiccans, & putredini tum ob hoc, tum ob vim propriam resistens: habet & acrem partem, ob quam ad amarum conuertitur facillimè, & vtentes ab acribus, amaris, acidisque, ac salsis arcet. Valde enim tenuium est partium. Habet & partem succulentam, ac dulcem, & vnctuosam, qua impinguat & proprietate sua iecur confirmat. Ob hæc igitur ad quæ prosit, satis est manifestum. Hydropi siquidem, vlceribúsque malignis, phthoe, lepræ, elephantiasi, Gallico morbo, & atrophiæ, & scirrhis iecoris.

CONSILIVM XXVIII.

De Scapulæ dextræ elatione, gibbositatisque metu.

Nihil scripseram ad Illust. & Reuerendiss. Patrem de statu morboso Illustrissimæ Filiolæ, sed quia video, ipsum præclarissios consuluisse Medicos; mihi volenti onus impendet, rem hanc exactius, & diligentius pertractare. Primum igitur historiam adducam: deinde circa dignotionem, & prænotionem gratiâ vnius curationis, quæ per se a Medico expetitur, meam sententiam liberè proponam. Historia est hæc. occurrit puella nobilissima viuidior, temperamenti biliosi, cum subdominio quodam pituitæ, quam post aliquot sui natalis menses, habere scapulam dextram paulo elatiorem senistrâ animaduersum fuit; hinc in dies, elatio illa sensim aucta; hoc tempore anno decimo ætatis suæ, vsque adeo increuit, vt ab omnibus iam obseruetur, ac gibbositas prænuntietur, Medicúsque vocatus vertebras primas thoracis, in latus dextrum, valdè contortas spectauit, atque sæpius palpebris extremis prurientibus, & ardentibus, tubercula parua innasci, oculos lippere, ac in naribus dextris internis, quendam tristem sensum, persentire nouit. Ex quibus omnibus, luce clarius constat, vertebras thoracicas superiores, non quidem completè, sed incompletè, luxata fesse, quando vertebræ in alienam sedem, ex proprio sinu, omnino non sint prolapsæ, Cæterùm cum ex Gal. vertebrarũ luxatio in gibbositatem, repanditatem, diuaricationem, & sysim, seu elongationem spinæ, sit distributa, & diuaricatio sit flexio spinæ ad latera, interimque flectatur, ad latus dextrum; idcirco luxatio, de qua interim agitur, diuaricatio propriè erit, ad quam postmodum scapulæ dextræ eleuatio subsecuta est, reliqui oculorum, & narium affectus, qui partim ad magnitudinem auctam partim ad qualitatem mutatam, & actionem læsam attinent satis de se sunt conspicui. Igitur ad principia generationis horum omnium vitiorum inquirenda me conuerto, & quoad luxationẽ attinet, huius principia petẽda ex parte agentis & ex parte passi, ex parte quidem agentis nõ externi quandoquidem nullum tale proponitur, sed interni, cuius census teste Gal. sunt tubercula dura membranæ vertebras colliganti innata; non ergo laxitas ligamentorum, quia si hæc sit partialis, nullam luxationem facere potest, si totalis, iam vti causa, coadiuuans, & non principalis agit, Tuberculum igitur ad dextras, in membranâ vertebrarum superiorum thoracis, forsam etiam statim à principio generationis huius puellæ ortum, puto esse causam per se huius subluxationis, quæ in pogressu ætatis adaucta est, quoniam tuberculum etiam per materiæ additionem incrementum suscepit. Materia autem generationis illius fuit succus crassus, & glutinosus (quantum ego puto) in ventriculo, & cerebro genitus, immo, & in parte affectâ, suâ naturâ frigidâ ob congestionem collectus, ventriculus etenim à primo semine est frigidus, & cerebrum calidius plus attrahit, quam dissipet, proindeque destillationis ferax euadit. Ex parte verò passi etiam principia petenda sunt, quia corpora puerilia maximè ad hæc mala ob humiditatem excrementitiam, qua scatent sunt prona ac eo magis, si fortita sint cerebrum, & ventriculum in sui generatione apta ad producendum succum prædictum; quod vero spectat ad alios præter naturam affectus citra controuersiam aliquam, à sanguine feruido, & pituitoso eos oriri, & feruidum sanguinem, à iecore feruido, pituitosum à cerebro, & ventriculo suam sumere occasionem procerto habeo. Quare methodus curatiua sic instituenda erit, vt habita totius corporis prouidentia materia impacta emolliatur discutiaturque & viscera alterentur, cerebrum quidem ad siccum, ventriculum ad calidum, ac hepar ad frigidum, quæ opera assequi non vndequaque licebit, nam laxatio ob multas rationes potissimum: verò ob eas quòd malum sit quasi natiuum, & pendeat à causa nimirum tuberculo quæ vix sanationem admittit, ferè irremediabilis euadit, immo vero ex Hipp. renum, & vesicæ vitia, abscessusque ad ilia, & inguina imminent, studendum tamen vt à maiori labe præcaueatur, & præsens imminuatur, quod spero futurum quoniam nobis agendum cum puella prudentissima & obsequentissima: idem pollicetur ætas puerilis; quæ vehementissimis etiam malis vindicatur, alij verò affectus difficultatem curationis & ipsi ex pugnantibus indicationibus pollicentur. De materiis medici id assero, aliquas iam ad vsum perductas esse, aliquas vero perducendas: priores sunt quæ medicationem totius absoluunt, quare pro leniente mel rosaceum & syrupus, rosatus solutiuus, pro præparante iusculum medicatum, cum betonica, soncho, boragine & radicibus graminis adiecto syrupo de rosis siccis, pro purgante tandem infusum

fusum agarici trochiscati cum modico rhabarbari, & manna vsurpata sunt, interimque dum hæc peragebatur missio sanguinis per cucurbitulas cum scarificatione partibus inferis applicitas magis quam per hyrudines ano adhibitas placuit non solum quia ex sententia veterum illæsum vicariæ phlebotomiæ quæ ratione ætatis prohibetur, verum etiam quia ab vtero hyrudines retrahunt interim autem cum instet tempus eruptionis mensium, puto omne retrahens ab vtero suspectum esse, quæ autem suaserunt sanguinis missionem prædictam, fuere non modo remissa magnitudo morbi saltem imminens, sed etiam vitium sanguinis cum ætate ac robore, virium decentibus. A quibus omnibus gratia euacuationis totius corporis per insensibiles meatus decoctum, ecnæ & scandalorum in aqua cichorei betonicæ est paratum quo etiam hoc tempore vtitur, & reuera cum fœlici successu quando mala illa oculorum & narium ferè delituerint, nec abusu huius medicamenti me abducit tempestas anni quoniam medicamentum hoc tantum abest, vt calefaciat quin potius refrigeret, ac siccet. Iamque pro intercipienda materia fluente ad partes imbecillas excitatum est cauterium inter primam, & secundam vertebram ceruicis, nec contra vsum huius remedij id quod materia trahatur ad locum effectum facit difficultatem quia trahitur quidem materia ad locum vicinum loco affecto ex lege deriuationis, quæ materiæ fluenti debetur, non tamen ad locum affectum peruenit, tametsi si traheretur, nil mali succedere posset, quia quicquid trahitur, etiam euacuatur. Sed imposterum quid sit faciendum decernere oportet, quare ad materias chirurgicas animum conuertens dico, quod vbi per plures menses, seu etiam per annum cauterium in ceruice gestatum fuerit rationi consentaneum, videbitur vt antequam illud sanetur, aliud in brachio infigatur, imò vsu postulante inustiones ad vertebrarum interstitia non improbantur, sicuti sub aëre frigidiori, aut saltem temperatione amiculi ex panno canabino crasso duplicato consuto vel laminis ferreis tenuibus perforatis facti gestatio maximè arridet. De pharmacis ita statuo vt sub aëre clementiori instituatur purgatio secundum interualla constitutum per cydoniatum cum puluere turbito vel radicis mechinami, & cinamomi, nec displicent quæ per palatum sub forma tum gargarismi, tum masticatorij euacuant, dummodo non sint acria, nec id me deterret quod fiat attractio ad locum affectum, quoniam potius à loco affecto vt de se constat retractionem fieri per modum deriuationis pro certo habeo. A quibus omnibus cogitandum de alterantibus quare gratia capitis lotio siccans citra calefactionem, lixiuio cineris oliuæ, stillicidiumque ex aqua thermali in actiuis valde temperata, sicuti est aqua brandulentis, & aquariana mihi maximè probatur. Solent enim ex Hipp. remedia naturalia magis quam arte parata conferre: hora quoque somni conducet conseruam betonicæ & rosarum cum cornu cerui vsto assumere, pro ventriculo cydoniatum cum pepere albo ruditer tuto aliquoties sumere, sicuti exterius oleum ex cariophyllis adhibere expediat. Hepar vero succo cichoreaceorum assumpto, & exterius cum aceto adhibito erit contentum. Tandem topica occurrunt quæ totius prouidentiæ statum subsequi possunt, ideo vertebrarum malo embroca vel fotus ex oleo amygdalino dulci, vulpino, & costino aut aqua lanarum in qua radix peucedani aristolochiæ rotundæ & cucumeris syluestris sit incocta conducet; sicuti & emplastrum filij Zaccariæ cui in progressu adiiciatur puluis collocyntidis & iuæ; huc quoque referenda sunt olea chimica ex lutis Diui Bartholomei, & Diuæ Helenæ Patauij parata, nec non ceratum diachylum gummatum cum portione cerati sacri. Oculis autem medebitur linimentum ex pompholige præparata, camphora, puluere sacchari, & butyro in aqua rosarum optimè loto factum, quod & naribus maximum præstabit iuuamentum; quibus nisi addatur victus conueniens, procul dubio omnia irrita erunt, hic autem hucúsque est institutus, & instituetur prout opportunum videbitur, ac tempore vindemiarum parabitur vinum cum china, salta & modico guaiaci quod per totam hyemem bibere poterit; His autem adsit D. O. M. & Viri excellentissimi addant, demantque quicquid eis opportunum videbitur pro salute huius perillustris filiolæ, quam illi enixè precor.

CONSILIVM XXIX.

Pro laborante iam biennio doloribus ventriculi cum aliis dispositionibus ob morbum Gallicum male curatum, qui eo sanatus est intra quadraginta dies, vt fratribus suis pollicitus eram. Et est Hippocraticum.

OPortet eum qui sanare vult morbum, illum cognoscere atque eius causam. Quoad morbum attinet versatur maximè circa ventriculum multiplici affectu: mala coctione, dolore, flatu, alui duritie atque huiusmodi, quæ omnia pendent, vt rectè inquit Hippocrates, in libro de veteri Medicina ex duobus: ex comparatione ciborum & eorum quæ assumuntur ad hominem, & exuperantia ac victoria rei quæ assumitur supra vires, vel è contra. Ideo & in hoc considerare iubet vt quæ assumuntur, morbum haud augeant. Et ideò cum verisimile sit quod & dictum est ab excellentia tua, esse humores crudos, crassos, lentósque qui intemperiem procreent frigidam, vtroque modo, & imbecillitate caloris naturalis, & qualitate, vt tandem iecur sibi concoquat. Tertio de Facultatibus naturalibus, cogitur supplere vices defectus ventriculi, atque ita supra modum excoquere, vnde tum ob id, tum ob obstructiones incalescit & exurit fæces: vnde fit durities alui, tum etiam exurit materiam quæ protruditur ad renes, vnde fit dolor

adeo magnus, vt ille sit qui primum reuocet animum patientis ad se. Et quoniam magnus est consensus inter renes & testiculos, ideo transmissa portione materiæ & flatus, adhuc compatitur testiculus alter. Causa ergo est intemperies & defectus caloris naturalis cum materia crassa, lenta, cruda, ideoque terrea, etiam cum flatu dolore & obstructionibus.

Prædictio: morbus hic non est satis conueniens ætati, est tamen conueniens regioni, & causæ morbi, vtpote Indici, vel etiam auxiliis, vt rectè dictum est, de exhibitione colocynthidæ ideo quoad vitam minus periculosus, quia tamen dolor est propriè causa abscessuum & maximè in locis sanguineis, vt docet Hippocrates libro de veteri Medicina, (In fine) ideò circa renes est periculum ne abscessu aliquo teneantur. Dolor præterea ventriculi diuturnus vt princeps dicit, solet abscessum durum generare. Quia tamen huiusmodi dispositiones soluuntur medicamentis morbi illius Indici, quamuis genere sint insanabiles, & si cura propria non soleat sanari, cura hac sanabitur perfectè vt infra.

Et ideo circa curationem intelligendum est, quod curatio debet fieri per attenuantem victum & quia hic est quadruplex apud Galenum & Hippocratem, scilicet in quantitate, vt sit paucum alimentum quod exhibetur, in qualitate vt parum nutriat in substantia quod exhibeat nutrimentum tenue & potestate quod attenuet: De primo, tertio & quarto modo non est dubitatio, quia paucum, vt dicit Hippocrates libro de veteri Medicina, facilius coquitur quam multum & tenue alimentum opponitur causæ morbum facienti celeriusque distribuitur. Et rursus attenuantia, vt Galenus ait in libro de Attenuante victu, multum conferunt in longis morbis. Ideo in genere habemus rationem victus.

In specie autem oportet animaduertere communem errorem eorum qui putant quod sicca in actu conferant, cum hoc sit falsum: sed debent muniri liquidis & valde coctis ac euictis à multa aqua & igne ac diuturna coctione. Et ideò ptisana ordeacea facta ex ordeo & non farina in iure columborum syluestrium vel saltem turritorum esset bona. Addendo in fine ℈. i. piperis confracti non contriti & ʒ. iij. Sacchari de Medera & sapæ optime ℥. ſ. & origani & maxime cretici, quod optime olet ʒ. i. pro quibuslibet ℥. vi. ptisanæ, & ita esset suauis, & valde vtilis ad morbum, causam morbi, & ratione cibi.

Vtrum autem conueniat cibus in secundo genere attenuans? respondeo, quod debet esse mediocris scilicet ex pane leuissimo, artopyro & ptisana prædicta, propter vires & ex alia parte humores crudos & coctionem impeditam.

Conuenient ergo carnes auium non aquatilium & maximè, vt dicit Hippocrates in secunda de dieta, viuentium in montanis locis & ex granis vt palumbium, turturum, tum etiam pullulorum & ex his maximè alæ. Et ex quadrupedibus solæ hœdinæ. Et aliquando in alium defectu auicularum paruarum, & maximè passerum. Et vitellis ouorum raro, & quando non comedit carnes, sorbilibus vti poterit. Ergo vitabit reliquorum quadrupedum carnes & omnes cibos ex farina vel lacte confectos, & omnes radices, & legumina omnia & ius eorum etiam.

De fructibus autem poterit vti vuis passis, capparibus, pistaciis in marcio pane confectis cum saccharo, & alij non sunt tuti donec ad sanitatem restituatur. Cibi tamen poterunt condiri Alleo, cœpis ac porris, sed non edat illos. Ex oleribus plurima vtilia sunt, & primo ruta à qua forsan egregiè iuuabitur, menta, sisimbrium, draco, serpyllum, Nasturtium, sinapis, saluia, ozimum, maiorana, fœniculus, eruca sed cocta, gingiber etiam seu zinziber, piper, vt dixi, cinamomum vulgare, macer, crocus amomum, verum lignum aloës, Cardamomum maius, longum piper & Antropophagorum, omnia rite adhibita vtilia sunt. Cerefolium etiam valde vtile est. Sed caueat à cicuta quæ illi similis est, & pastinaca, laudo etiam piperitim.

Acetum, oleum, sal, mel, saccharum moderate adhibita & sumpta, non tantum sunt vtilia quàm necessaria. Piscium squammosi, lati, pondere leues, in alto mari vel inter saxa degentes, alba carne, mediocri magnitudine, & ex his qui saxatiles vocantur optimi. Sed piscium qui in aquis dulcibus nascuntur nullum genus recipio, quanquam ex his omnium saluberrimi sint Percæ & Vairones, qui sunt minuti pisces. Vinum laudo flauum, odoratum, non tamen valde potens, modica aqua destillata per vas vitreum licet non in balneo permistum. Quod si quis velit aquæ illi ante quam distilletur incoquere in ℔. x. ℥. ſ. thuris minuti lucidi & bene olentis, aut Cardamomi maioris, vel cinamomi electi, vel veri amomi inde destillare, erit longe melior. Quod si vinum huiusmodi non inueniatur, & velit bibere aquam, eandem faciemus.

℞. Sacchari mederæ, vel mellis Hispani vel Græci ℥. iiij. Aquæ ℔. vi. Cardamomi maiori, Cinamomi interioris, piperis longi, gingiberis, nucis myristicæ, ligni aloës, singulorum ℥. ſ. liquiritiæ recentis siccatæ in furno ʒ. vi. coquantur saccharum & liquiritia ad consumptionem tertiæ partis, inde reliqua omnia odorata trita subtilissimè addantur feruente adhuc aqua, & tegatur optimè vas, & super calidos cineres sinatur refrigerari & coletur & erit iucundior ab vsu ipso vino, & valde salutaris. Sed si potest ferre crocum orientalem, addatur cum reliquis odoratis, & similiter si habeat verum amomum.

Et quia, vt Hippocrates (2. De Nat. H. Et de decenti ornatu) necesse est etiam medico scire loca & regiones conuenientes morbis aut quæ augent morbos & domos & ita permutare. Quia ergo Belgica Gallia admodum frigida est & hyems & materia morbi frigida, ideo oportet vt habitet inter duo solaria in cubiculo è larice toto & in eo perpetuo accensus sit ignis ex lignis iuniperi veteris

teris & siccialiter ex lignis vitis aut ficulneis & pyri aut lauri, aut denique ex his quæ resinam mittunt, larice, abiete, pinu, piceaue: vel in horum omnium defectu, apponantur super ignem thus vel styrax aut rosmarinus aut assa odorata, quam vocant belzoi succinum, lignum aloës vel crocus aut resina ipsa abietis. Et similiter habeat in cubiculo Moschum, zibetum, Ambram orientalem. Et quando Sol illucescit permittat per duas horas perflari cubiculum, quod parte qua aperitur respiciat orientem.

Curet præterea ne ciborum quantitate exuperet, nec varietate, nec edat sine fame: præcedatque exercitium & frictio cibum, & hæc omnia alui deiectio: quæ vt facilis fiat, fiat canalis ex plumbo albo in quem ponatur embolus, & impleatur butyro & modico sale, & per embolum exprimatur in anum velut de clystery, & est res facilis & commoda. Et ante omnia hæc, vtatur somno diuturno & non surgat donec senserit cibum è ventriculo descendisse. Et ita his præceptis proficiet valde, & erit securus quod ex cibi assumptione non lædetur.

Quod ad medicamenta attinet probo omnia quæ adducta sunt per excellentiam tuam, nec opus esse credo multum illis medicamentis purgantibus, quia multipliciter sunt in exceptione Hippoc. libro de vermi vsu. Et ideo ab illis supersedeo, optimum autem meo iudicio fiet per dysteres huiusmodi, concocta materia.

℞. Vrticæ, betonicæ, rutæ, viticis, nasturtij, radicis aristolochiæ longæ. Mercurialis, origani. pulegij, diptami albi, Isopi, hypericonis, omnium si fieri potest orientalium añ. m. j. foliorum senæ, camomillæ, anethi, baccarum lauri añ. ʒ. x. gallum vnum veterem, polypodij ʒ. xj. Gingiberis ʒ. j ß. aquæ ℔. xxx. coquantur omnia gallo inclusa aut duobus gallis donec redeant ad ℔. iij. inde coletur & antequam refrigeretur dissoluantur in eo iure ℥. iij. salis communis. De hoc cape ℔. j. aut paulo minus diacatholiconis ʒ. j. mellis crudi ℥. j. olei de cnico vel loco eius de lini semine vel olei de croco vel despica communi ℥. ij. diacatholiconis ℥. j. fiat clystet, ponantur tria, vnum singulo mane vel alternis diebus, si plurimum purgent, ante prandium, & sint similia in omnibus. Inde quiescat per duas horas antequam comedat & leuissime prandeat.

Item deferat smaragdum collo appensum magnum & satis viridem orientalem, licet non sit admodum perspicuus, quia tunc esset immensi precij. Et etiam bibat ℥. j. illius subtilissimè contriti, & sit viridis admodum & perspicuus, sed sint parua frustra & tardet cibum septem horis, & die antecedente nihil cœnet, & bibat cum modico pinguis iuris. Et parum admodum comedat in prandio. Et ferat pellem leporis albi bene densam ex his quod ex Sarmatia deferuntur, quæ tegat totum ventrem.

Et cum præseruatus fuerit hoc modo videat an tantum proficiat vt curetur, si curatur bene est, si non, bibet vinum hoc infrascriptum etiam media hyeme conclusus in cubiculo calidiore ac medio inter vaporarium & domum omnino temperatam. Et comedat in mane vuas passas tantum cum pane & vesperi vncias duas tantum panis leuissimi: Et totam carnem alarum vnius pulli, & bibat etiam modicum illius vel madefaciat in eo panem optime & non comedat aliud per illos triginta dies, & in mane etiam comedat panem illum madefactum in iure pulli adeo diu vt sit quasi panis coctus & sit artopyrus. Et bibat de vino infrascripto.

℞. Corticis ligni Indi electi nigri intus recentis, & cuius lignum sit pinguissimum ℔. j. ß. pulueratum optime, infunde in ℔. xxx. vini flaui, tenuis: odorati, clari, synceri & potentis, thuris ℥. ß. ligni aloës, cinamomi, Cardamomi maioris, piperis longi, añ. ℈. ij. mentæ rubræ, origan- cretici, añ. ℥. ß. infundantur per horas xxiv. cum ℥. i. rhabarbari electi maturi ac quasi rubentis & ponderosi, minutimque incisi, inde coquantur in vase vitreo concluso orifico in balneo mariæ, donec decrescat quarta pars. In fine dum ab igne remouetur, addantur syrupi de pomis completi de corticibus citri & labor regis, añ. ℥. iij. & misceantur cum ligno spicæ vulgaris donec refrigeretur. Et de hoc bibat colato ℥. vj. hora xx. & ℥. v. hora secunda noctis tegendo se in lecto & comedat post tres horas scilicet prandendo hora xviij. & cænando horâ quinta noctis & sumat calidissimum, & colatum tantum. De eodem bibet colato sed frigidum cum cibo, & nihil aliud omnino Et spero quod perfecte sanabitur sed oportet vt habeat medicum prudentem & qui intra limites huius consilij se contineat.

CONSILIVM. XXX.

Pro morbo validissimo ex ventriculi Phlegmone.

CVm Calendis Augusti anni M.D.XLV. Mediolanum è Papia reuersus essem, Princeps optime ac sapientissime, ad pristinam medendi exercitationem me contuli, atque in ea solita vsus fœlicitate, præter duos diutino morbo sub aliis medicis conflictatos, neminem penitus morte amisi: cùm tamen quingentis ac etiam pluribus ad Aprilis vsque Calend. ægris manus admouissem: tantum potest vera ars si ad hos fucatos nebulones conferatur, qui non artis præceptis intenti, sed conspirationibus atque calumniis, bonos quidem infamia, ciues autem ægros morte afficiunt. Sub Calendis Aprilis tamen quibusdam manus admoui, qui omnes vno ac eodem morbo laborant, XX. die sub initio perire, nec vllus celerius aut tardius ex languentibus. Quinimo adeò constanter eam diem obtinuerunt, vt cùm quædam mulier Anastasia in domo illustris viri comitis Ioannis firmi Triuultij ægrotaret eo morbo, à prima statim visitatione liberè affirmauerim eam proxima diei Dominico

nico ſuccedenti nocte perituram, quo eſſet ea nox XX. diei initium: ergo autem XV. die morbi vocatus ſum, reliquo tempore in manibus fuit medici experti amicique noſtri, ac rectè in arte ſentientis. Cùm igitur quinque ſic periiſſent, nec venæ ſectio, nec purgatio, nec cataplaſmata, nec ea quæ cordi conferunt, profuiſſent: ſed eodem morbo laborantes iiſdem ſymptomatibus eodémque modo ac eadem die perirent: viſum eſt mihi dignum minus, ſi qualis hic eſſet morbus adeò lethalis conſcriberem. Primùm, quæ laborabant omnes fuerunt iuuenculæ virgines, atque hoc mirum, dolor aderat ſuper vmbilicum, aſſidua nauſea & cibi faſtidium; tum deiectiones corruptæ malè olentes, & quibuſdam diebus pluſquam conueniret, venter demittebat: aliis autem mediocriter ſiſtebatur, non tamen decretoria erant hæc, nec diebus decretoriis, ſpiratio ipſa paululum denſa, & non omnino naturalis; color exterior moderatus adeò, vt vix perſuadere poſſem aſtantibus quòd febricitarent. pulſus tamen duri, veloces, parui ac frequentes, validam febrem oſtendebant: lotia qualia ſanorum ferme; nebulæ aliquando ſuſpenſæ in his, aliquando ſedimentum. Mens continuè conſtans, vigiliæ doloris perpetuitatem conſequebantur: nec tamen ſemper dolor ſomnum vincebat, ſub XI. diem omnibus omnia viſa ſunt mitiora. Pulſus tamen aderat cordis, & ſingulus: ſub XVII. omnia adeò manifeſtè intendebantur, vt morbi magnitudo ne ipſos iam tunc lateret aſtantes, à XIII. die venter totus vbi ventriculi regio dolitabat, cum ipſis lateribus, tum intumuit. XIX. oleoſum quiddam ac quaſi ſubnigrum euomebant; initio die XX. moriebantur: mortuis vnguens liuidi ac ſubnigri & venter, vt vter inflatus, dum viuerent bene ſemper ſperabant & nunquam delirabant. XIX. difficultas ſpirandi ne ipſum latebat ægrotantem; die XVIII. omnes aluum copioſe demittebant. Hæc fuit morbi ſæuiſſimi enarratio, quæ tamen pauciſſimis aduenit. Nunc igitur videndum qualiſnam fuerit morbus: atque vt exiſtimo hæc diſpoſitio eſt ventriculi phlegmo, inquit enim Raſes vt quidam de nominibus ſoliciti dicunt: Si cum dolore ventriculi febris fuerit, & apoſtema manifeſtum cum ſenſu caloris in tactu æger ex baſilica (iecorariam ſolemus vocare) ſanguinem mittat, haud dubiè quia phlegmonem adeſſe intelligit, vt etiam Matthęus Ferrarius in expoſitione docet, & Platearius, docentes etiam generationem ex mente Gentilis ſi quidem, quòd fiat per infuſionem bilis in tunicas ex concauo venientis. Et patet Quòd Symptomata ſecundum illos præter propria etiam ſigna conueniunt: & ſunt, Doloris vehementia, æſtus magnus, pulſus cordis, ſyncope, frigiditas extremitatum, ſudor frigidus, deiectio appetentiæ, corruptio exeuntium. Quod autem dicunt de ſtupore, alienatione, conuulſione ac ſubeth, non aptè ponitur, nam cataphora laborant, atque ſic ſubeth exponi debet, cùm ſubeth ſeu grauis ſomnus à frigida cauſa & plerunque humida fiat, carum vocant Græci. Reliqua non ſunt ſigna propria nec etiam vera perſæpe, nec ſecundum rationem. Nam licet ſit in membro neruoſo quia tamen extenditur ab omni parte, non fit vera conuulſio, ſed ſingultus qui ſpecies eſt conuulſionis. Sed vt ad Raſem iterum reuertar, ipſe poſuit ſuam curam meliorem in lib. Diuiſionum per lactis potum & compreſſionem: ſed hoc cùm iam fuerit ſuppuratum, quod in phlegmone continetur. Sed & quæ ad pulſum attinent. his conſentiunt quæ à Gal. in quarto de Præſagio ex pulſibus ſcribuntur. Pulſus duri atque creberrimi in ventriculi phlegmone ſunt. Sed ſi in ore eius ſit phlegmon, adeò duri eſſe nequeunt. Dilucidius etiam dum de Cauſis pulſuum loquitur ex Iſagoge. Nam ſi inflammatus ſit duntaxat, ita mutat pulſum, vt neruoſi corporis diximus inflammationem ſolere. Si comprimatur, vellicetur, langueſcat, ſingultiat, vomat, nauſeet, faſtidiat, doleat pro genere ſymptomatis. Subiungit languidi parui paulò celeriores, & admodum crebri euadunt pulſus. Superius autem declarauit quòd pulſus inflam mationis partis neruoſæ parui ſunt, duri atque ſerrini. Itaque de ſignis ſatis conuenit, licet parū aptè ea diſponant recentiores. Sed quomodo fiat hoc apud me vehementer dubium eſt. Nam quod ex infuſione fiat chili ac nutrimenti, videtur fermè impoſſibile, videmus enim omnes phlegmones fieri ex venarum tumore, quod etiam ſenſiſſe videtur Galenus libro de inæquali intemperie. Quomodo autem fiat ex venis quæab hepate prodeunt adhuc dubium eſt. ille primo in exteriorem tantum tuniccam ventriculi ingrediuntur. Quod ſi ex caua vena prodirent, non mirum eſſet fieri phlegmonem. At Veſalius oſtendit ex ſtelechia ſola nutriri ventriculum, imponit autem Galeno quòd voluerit etiam ex caua venas ad illum peruenire. Sed hoc Galenus non cenſet, in ſexto enim Anatomicarum aggreſſionum qui locus à Veſalio adducitur, inquit. Atque vena quædam ex iecinore ad lienem pertinet, cuius proceſſus in ventriculum defertur: eius verò pars quædam, poſtquàm omnibus lienis partibus propagines tranſmiſerit, in ventriculi gibbum aſcendit. Et infrà paulum, Vena portæ quam recentiores, quòd aliarum ſupple quæ ad membra nutrimenti deferuntur quaſi caudex fit, στελεχιαῖαν, vocant. vbi manifeſtum eſt de portæ vena illum intelligere, atque ob id minimè venam ſecare oportet. Hoc namque auxilium prætermittunt Alexander & Ætius. Paulus autem curæ non meminit. At dices Raſes ſanguinem mittit, & Auicenna & Auenzoar: Reſpondeo morbi magnitudinem inſpexere. Sed non eſt cura propria. Mirum eſt igitur vel quomodo fieri poſſit ex porta vena trahente, multóque magis quomodo curari, cùm nec ſectio venæ nec clyſteria, nec inedia auxilium afferant, cùm etiam inedia & multo magis medicamentum omne vel etiam leniens non leue inferat detrimentum.

CONSILIVM XXXI.

Pro ventriculi debilitate.

PRoponitur dispositio in ætate triginta-quinque annorum vel circa habitu sanguineo atque pituitoso satis bene carnoso & in reliquis bene disposito, verũ qui ob negotia parum dormiat vtpote quinque horis aut ad summum sex, vsus eius est vt cibetur copiosè in mane, atque id hora ferme vigesima prima. Deinde circa quintam horam noctis assumit exiguum cibi & quantumuis exiguum sit non tamen eum concoquit ad horam vsque sextam decimam, & hic morbus est hæreditarius à matre, de duobus annis passa est hanc imbecillitatem quæ ei contigit ex frigiditate, cuius indicium fuit sanatio calefacto potu vt esset tepidus. Patrem etiam Senatorem Illustrem cognoui qui ex aspectu solo ventriculi debilis esse videbatur vt etiam docet Princeps. *Tertia decima tertij*, & non sine hepatis etiam vitio. Hæc autem dispositio in processu temporis posset deducere imo deduceret, quod absit, aut ad generationem lapidis, aut hecticam ventriculi, aut ad hydropem, aut ad insaniam & melancoliam vel ad vigilias maximas ex quibus sequuntur febres quæ interficiunt scilicet phrenitides & pestilentes. Bonum est autem statim occurrere propter tres causas; prima quia posset adeò confirmari dispositio vt non possit curari: secunda quoniam ex consuetudine longa homo redditur negligentior ad curationem & tamen remedia exiguntur difficiliora & ideò sæpe patiens omittit curam: tertia est quòd illud quod est deperditum etiam quòd curetur dispositio non reparatur neque restituitur ueluti cõsumptio humidi innati, imbecillitas membrorum principalium & vitæ breuitas. Ideo suadeo vt statim occurratur & potius omittatur cura & honorum & reliquarũ rerũ, quia, vt rectè dicebat Hippocrates homo æger non gaudet aliquo bono, quanto magis cum possit istud facere hæcque negocia præstaret committere per aliquod tempus viro sapienti & nobili & probo: numquam enim desunt occasiones aliquando maiores, & meliores, post cessationem alicuius temporis, quàm si continuatis honoribus perpetuaret actiones, sed vt dixi non est aliqua causa intermittendi ex hac cura.

Igitur primum procuretur somnus diuturnus & hæc vel cum sucharo violaceo accipiendo vnciam mediã post cœnam vel cũ semine Papaueris cum sucharo capiendo drachmas duas vti cum semine viticis cum sacharo, & capiat drachmã vnam: secundum præreptum est vt abstineat à cibis crudis quantum fieri potest, & maximè duris & vtatur iecoribus & ventriculis omittendo tunicam interiorem, & sint ventriculi bene cocti & iecora non sint valde cocta. Tertium præceptum est vt non comedat vnquam cum sentit adhuc aliquid reliquiarũ cibi pristini aut cum non habet famem, sed debet expectare tempus donec sentiat vacuum ventriculum & famem: Quartum, vt comedat plus in cœna quam prandio: vel si vult comedere plus in prandio quam in cœna, comedat tempestiuè, ita vt prandium sit semper in hyeme horis octo ante occasum solis, in æstate duodecim horis ante occasum eumdem, mediis temporibus decem horis ante occasum solis, & necesse est vt eligat vnum ex istis duobus, aliter omnia auxilia multo minus prodessent. Quintum est vt gestet pellem vnam leporis albæ quæ aduenniunt ex Polonia & nocte ponat puluinar super ventriculum ex pluma molli anseris iuuenis & hæc in hyeme: in æstate autem teneat folium papyri mundi supra ventrem: sextum est vt hyeme capiat singulo mane tria grana masticis per quindecim dies: septimum est vt abstineat à rebus frigidis valde & in hyeme poterit vti potu tepefacto & vti menta assiduè.

Quoad medicamenta iuuabit accipere singulo mane vnicam mediam syrupi de absinthio; & vtatur pane leui bene cocto & bene fermentato, & vtatur vino leui & diluto, cum aqua distillata per alambicum aut saltem cocta & abstineat à piscibus qui sunt sine squama, à radicibus omnibus præterquam cichorei, ab omnibus cibis ex farina: ab aranciis & limoniis: ab albo oui & caseo duro & omnibus leguminibus & iure etiam eorum. Ex amuletis autem quæ geruntur appensa collo ita vt pendeat è regione ventriculi sunt corallus valde ruber, sicut flamma iaspis orientalis viridis.

CONSILIVM XXXII.

De dolore ventriculi & lumborum, pro nobili muliere.

COnsideratis diligenter his quæ scripta sunt à Magnifico collega nostro Domino Hercule Pazzano circa essentiam morbi, causas & symptomata, quæ principaliter duo esse videntur. Dolor in regione ventriculi quem sæuientem consequitur alius dolor in lumbis è regione renum paulò altior, & quòd materia quæ exit est pituita cruda, maximâ frigiditate prædita, adeò vt ipsa videretur parata ferre ignem dum dolor viget, & etiam ratione constat manifestum est, quod nomine pituitæ humor dignus non est, cum pituita sit excocta à calore in ventriculo *secundo de victu in Acutis*. Præterea quia non esset adeò contumax si expers esset omnino siccitatis. Et forsan verisimile est aliquid ex liene confluere: Verum dubitatio est de dolore illo in renibus: & opinio magnifici collegæ est, quod cum ventriculus oris superioris ratione spinæ adhæreat, vt ea transeat in consensum atque ita renes doleant. Dico quòd hæc opinio duobus adiectis satis videtur consentanea ac verisimilis. Primum quoniam locus doloris est è regione stomachi id est apud ensiformem furculam & ob id in œsophago: aliud quia renes vbi sunt

sunt annexi grauant & licet tota spina laboret, dolor tantum ibi sentitur, quare si etiam lumbi inferius dolerent, vbi vterus annectitur, non esset absurdum, vt in tribus his locis periclitaretur. Quod autem sit in ventriculo dolor, apparet præcipuè ex loco, ex acerbitate doloris, ex eo quod per vomitum leuatur, & ex ipsa materia quæ euomitur, quinto ex ratione victus præcedentis *vt primo de locis*, quæ tota fuit praua, peruersa.

Duo principaliter oportet considerare Primum illud dictum Hippocratis 2. *Aphorismorum. In morbis minus periclitantur quorum naturæ aut ætati, aut tempori aut consuetudini magis congruit morbus, quam quibus secundum nihil istorum congruit.* Cum ergo ille morbus aduenerit: ipsa vero est iuuenis, calidæ temperaturæ, boni habitus, filia matris habentis robustissimum ventriculum, & ideò oportet causam esse vehementem quæ adegerit ad morbum, & nisi esset malum valde regimen, satis vererer aliud consideratione dignum, quod efficit vt debeamus esse soliciti circa illius curationem. Est dictum Principis *in decima tertia tertij*. Cum *inquit*. Et scias quod cum dolor stomachi fit magnus & assiduus & non cessat per auxilia, tum timor est ne perducat ad apostema ipsius. Et hoc esset valdè malum. Nihilominus propter bonum habitum, & patientis obedientiam valdè benè speramus de ea. Cura igitur eiusmodi est instituenda & à victu incipiemus. Quoniam & symptomatis & morbi & causæ ratio perspecta est multum, dubitare expedit an propter doloris acerbitatem, ad substantiæ raritatem deuenerit: quod si ita est magna cum difficultate plenè restituetur, verùm astringentibus & impinguantibus opus erit. In vniuersum autem triplici intentione opus est vt causa auferatur, & hæc est vera cura vt dolor non eueniat, & in dolore ipso vt parum lædat aut saltem minus. Quod enim pituita sit in ventriculo pro causa declarat vomitus: & ex vomitu alleuiatio & frigiditas de qua dictum est: demùm quia sentit perpetuo fluctuantem ventriculum ac quasi lacunam. Sed ne quid intactum relinquatur, dubium adhuc quoddam superest quod dissoluere oportet, scilicet cur nunc dolores rarius eueniant minus euomat materiæ: & tamen magis perseuerent: nam si materia copiosior est deberet vomitus esse vberior, & dolor frequentiùs aduenire, sin autem paucior, deberet esse leuior & breuior. Dico quòd absque dubio materia est paucior, cuius indicio est multitudo iam eiecta, & ratio victus contracta: causa tamen longitudinis moræ est vna, magnitudinis autem est alia, longitudinis quidem est materia infarcta ventriculo, crassa, cuius indicium est quod locus dolet ad tactum. Magnitudinis autẽ non est quia causa sit maior, sed quia membrum est dolorosum & iam debilitatum, sicut videmus in diu tortis: & dico quod ille dolor non adeò magnus actiuè, sed tamen magis affligit, ob causam dictam.

Propter hoc oritur quæstio, in quo tempere morbi simus? & respondeo quod ratione materiæ sumus in declinatione quia maior pars est euacuata, sed ratione symptomatis sumus in augumento, non quia maius, sed quoniam primum intemperies est maior & ideo morbus est maior, causa minor & symptoma medium, vt dictum est. Vt enim comparatur ad materiam & actionem eius est minor morbus, vt constat in passione membri & afflictione, & vt est verè morbus, est in incremento.

Curatio fermè communis est tribus scopis dictis, nisi quòd illa in tempore doloris neque postquam desierit dolor per sex horas non debet assumere cibum, & causa quod non sanata sit vsque nunc, forsan fuit quia non obseruauit hanc regulam. De cætero hæc semper sint obseruanda vt cibus sit duorum generum tantum, & similium, vt ferculum & ouum scilicet vitellus, aut ferculum & auicula; & semper ferculum sit ex pane vel in iure cocto, aut oriza benè cocta, & nihil aliud pro ferculo, & si assumit contusum sit parum & optimè contusum, & ex pullo aut phasiano assato & ex ala solum benè cocta & præparata. Sit etiam cibus conditus semper cùm cinamomo, & maximè ferculum & non vtatur vnquam ptisana hordeacea, neque fare.

Accipiat autem (quod ad quantitatem attinet) quantùm sibi placet, minus tamen quam in sanitate, & minus quam fames ipsa suaderet, & apponat salis quantùm placet & iuxta consuetum. Et non bibat ius aliquod nisi illud quod dicemus, neque aquam destillatam, neque aliquod medicamentum dilutum, neque catapotia, sed omnia sub forma boli aut ferculi satis spissi. Et non comedat penitus aliquid crudi neque de pane, suo etiam cocto, si fieri potest: est enim valdè malus. Et bibat vinum potens, & in pauca quantitate, & si adsit suspicio febris, dilutum aqua simplici. Et non comedat nisi bis in die neque crustas panis, neque nebulas intortas quas vocant caldones, nec aliquid quod sit durum sub dentibus. Ex cibis, neque olera, neque legumina neque fructus neque radices neque pisces, neque alba ouorum, neque cibos ex farina, neque cibos ex lacte, neque amygdalatum, neque embammata seu intinctus, nec carnem animalis veteris, solum potest ex herbis comedere mentam crudam rubram, parui folij, bene olentem & crocum quibus debet vt semper. Et in casu alleuiationis poterit vti capparibus salitis & radicibus cichoreæ. In fine autem cibi accipiat coclear ex hac trazea.

℞. Foliorum mentæ recentium & qualis dicta est & siccatorum in furno ℥. ſ. foliorum melissæ viridium & siccatorum ℥. ij. cinamomi electi subtilis acris & tenuis ʒ. iij. Coriandrorum præparatorum ʒ. ij. ſ. Zucchari albi ʒ. iij. ſ. Misce fiat puluis subtilissimus de quo capiat vt supra. Atque hæc communia. Cæterum considerare oportet vt omnia declinent ad calidum propter morbum, causam morbi, & flatus excepto origano orientali quo poterit vti in ipsis ferculis aut comedere cùm sale ante ferculum, sed sit valde recens. In reliquis caueat à valdè calidis propter iecoris caliditatem satis euidentem.

Sunt quædam dubitationes quas dissoluere expedit. Prima est an quia menses non perfectè fluunt, sint incitandi? Dico quod trifariam moueantur per epicrasim temperando id est, attenuando & calefaciendo: & per accidens expurgando, non tamen incitando, vel aperiendo, vel trahendo, &c. An liceat purgare cum validis cum ducant super membrum læsum, & tamen iuuata est à stibio præparato. Dico quod in fluxione vbi sit spes educendi licet; & ideò è tribus casibus duo extremi sunt vtiles. Medicamentum non trahens, vt hiera Galeni 7. *Artis curandæ*. Et similiter Diaspoliticon quod est valde vtile 6 *de Tuenda sanitate*: Vel quod eradicat vt electuarium elescoph & hyena Diacolocynthidos & stibium præparatum. Medicamenta autem quæ trahunt & non eradicant omnia sunt mala, nisi eleborus & Agaricum, sed Agaricum est dubium propter vomitum, & etiam quia raro inuenitur, bonum, nihilominus est vtile, si eligatur quia tollit acidos ructus. Et iam dixi quod eiusmodi morbus non est sine consensu lienis & atræ bilis; similiter & elleborus niger. Hic caderet dubitatio de vomitu vt etiam de elleborismo, sed hoc non vterer. Galenus *in libro de prædictione ad Posthumum* hoc vetat quia principalis mulier. Cadit etiam dubitatio de astringentibus: & respondeo ex Galeno *Primo ad Glauconem* quod conueniant longè magis educta materia *sexto de Tuenda valetudine*. Alia quæstio est de aceto: nocet cum ventriculo, tamen exteriùs incocto pipere, menta, & absinthio, si foueatur erit ad custodiam. Aliud ad custodiam & Scribonij largij & expertum a me.

℞. Cornua cerui valde teneri adeò vt sit innulus & sint mollia adhuc ex his ℥. ij. limaciarum cum corticibus ℥. j. siccentur in furno ita vt non comburantur vllo modo. Piperis nigri ʒ. j. Vertantur subtilissimè & transeant per linteum & de hoc capiat per xx. dies cochlear vnum, & est mirabile. Succurrit & difficultas de enematibus potentibus an conferant? Et dico quòd debilitant iecur, sicut vomitus ventriculum, & ideo non laudo, imò magis mollia clysteria, clystere vnum satis bonum.

℞. Seminum cartami confractorum ℥. ij. Radicis Iridis ʒ. ij. Coquantur in aqua fontis ad consumptionem medietatis, & in fine addantur spicæ Nardi ʒ. ß. pulegij m. j. Calami aromatici ʒ. ß. Inde remoueatur ab igne, & de hac colatura capiat ℥. viij. olei de pistaciis recentis ℥. iij. Mellis rosati solutiui ℥. ij. misce cum modico salis fiat clyster. Aliquando iuuabit etiam enema ex oleo anethino puro in quo incoctum sit anethum quod etiam iuuabit in hora doloris. Optimum autem in eo tempore est irrigatio ex oleo rutaceo super ventriculum. Accipiantur igitur xij. libræ olei rutacei & intepescant & per canalem superfundantur, & est vltimum. Et similiter si iniiciatur per clysterem hoc modo.

℞. Olei rutacei ℥. viij. olei de semine carthami ℥. ij. (dico facti per expressionem) Croci ʒ. j. ista duo auxilia liberant à præsenti dolore, & prohibent ne adueniat in futurum. Purgato autem corpore conferet triphera ex carte Phenonis data ex ʒ. ij singulo mane per quadraginta dies vel hoc.

℞. Castorei ʒ. j. origani orientalis ℥. ß. misce fiat puluis capiat cum modico iuris hoc est ℥. ß. per octo dies. Aliud. Rhaponticum sumendo ad ʒ. ß. continuando per xx. dies, & est valde bonum. Illis tribus auxiliis poterit vti experiendo per tres dies quid magis conferat. Poterit etiam præparari & purgari hoc modo.

℞. Oxymelli, scillitici ℥. ß. syrup. de corticibus citri syrup. de menta ann. ʒ. iij. misce capiat sine aquis per quinque dies vsque ad vrinæ concoctionem.

℞. Hieræ simplicis ℥. vj. cum Zucchararo fiat bolus & modico pulueris origani. Et si sit ellescoph sit ℥. ß.

CONSILIVM XXXIII.

De hepatica affectione.

NOn erimus longiores in perquirenda indagandaque natura affectionum quibus in præsentia detinetur Illustrissimus ac Nobilissimus Vir, tum quia diligentissimè & exquisitissimè omnia à Præstantissimo viro fuere enarrata, quæ possunt huic negatio attinere, tum quia eadem nobis satis sunt nota, postquam (vt refertur) eadem fermè adhuc vigent quæ mensibus elapsis dum à nobis res agebatur, vigebant. Supposita ergo naturali temperie, necnon & natura earum affectionum quibus factus est obnoxius inter quas principalis est illa quam posteriores hepaticam vocauere, quæ à sola iecinoris imbecillitate ex intemperie orta citra manifestum visceris malum pendet, quæ cum duplex esse ponatur, vna quæ ad substantiam pertinet, quæ eiusdem vires & harmoniam dissoluit: ita vt non nisi diminutè munus suum obire valeat: Altera quæ naturalem constitutionem nondum labefactauit, sed in ea potius facultatis vires corruptæ sunt quã imminutæ, ob intensam aut remissam qualitatem Ideò in casu nostro imbecillitas intelligi debet, non quæ pendet ex facultatibus communibus, sed eius quæ propria est, nempe sanguificæ, quæque sub alteratrice continetur, quæ pendet ex propria iecinoris essentia, & veluti prius facultas ex proba temperie, probum generabat sanguinem, nunc ab ea deficiens sanguinem semicoctũ aquæ modo liquidum reponit; vnde liquida per aluum loturæ carnis recens mactatæ similia deiiciuntur, interdum vero excernit deiectiones biliosas, graueolentes, multiformes, ac varios colores referentes quæ indicant corpus pluribus vexari affectionibus, pluribusque morborum causis teneri, quæ longo temporis interuallo ad sui egent concoctionem iuxta Hippocratis sententiam 2. *Prognost. sect.* 22. Ex quibus patet principalem propositum affectum esse in genere noxæ functionum naturalium, alteratricis potissimùm eiusque sanguificæ diminutæ ac imbecille,

ci[illegible]e, cui quandoque febricula adiuncta reperitur, propter aliquas obstructiones quæ sunt circa illas partes. Quibus ita constitutis curatio quam primum maximi facienda est, antequam affectio hæc grauiora inuehat symptomata, vitiata namque secunda coctione quæ fit in hepate, tertiam quoque coctionẽ labefactari est necessariũ. Et si imbecillitas augeatur, morbus vel in colliquationem, vel in prauum corporis habitum & tandem in hydropem vertetur. Igitur propositum consilium summoperè laudamus, vt in hac temporis clementia aliquo vtatur generoso, ac efficaciori præsidio, vt & corrigatur intemperies, clementérque aperiantur obstructiones, ex congregatis per imbecillam sanguificationem excrementis ortæ, & roboretur viscus quòd vniuerso corpori alimenti materiam dispensat. Idcircò præmissa aliqua leui corporis expurgatione (nam euacuatio nullum in hoc affectu diuturno locum habere videtur) per assumptum rhabarbarum exhibitisque nonnullis serapiis, è succo cichoreæ myrtino, de rosis siccis, & huiusmodi additis iusculis alteratis, atque iterum facta leui excrementorum eductione per idemmet rhabarbari infusum vel in substantia cum sacharo rosaceo propinatum, tunc exhibeatur lac bubulum si habeatur, vel eius loco caprinum calybbeatum tamen, nec timendæ ob id sunt obstructiones, dentur ℥. iiij. primum, quas si rectè confecerit postridie assumat ℥. vj. & sic diebus consequentibus augeatur si benè concoquat vsque ad libram vnam. A lacte hausto nec dormiat, nec alium cibum per quinque horas & potissimum vinum sumat, ne ipsum in ventriculo corrumpatur.

Interim fiant inunctiones, epithemata, regioni hepatis intemperiem corrigentia, roburque parti addentia: interdum etiam exhibeantur trochisci de eupatorio, de rhabarbaro de absinthio, & huiusmodi dummodo per febrem liceat. Fiat confectio in rotulis ex Diarrhodone Abbatis, ex trasandalis, ex diamargarirone frigido ac similibus provt magis peritissimo præsenti medico arriserit. Quæ omnia si non ex voto contulerint, totam spem in aqua ficuncellæ repositam esse iudicamus, de qua suo loco consulendum erit: cum & ipsa videatur aliquam in casu pati difficultatem, & eo magis cum ea non sit tentanda nisi sereno cœlo, & postquam sole incaluerit aër, & tunc potentissimum remedium futurum existimamus, nisi vt diximus, aliquid contingat quod tunc temporis prohibere possit. De ratione autem victus, non est vt aliquid dicamus, cùm probè eam institutam à præstantissimo viro esse putamus. Et hæc est nostra in hac re parum difficili sententia Deus autem facit vt Illustrissimo ac Nobilissimo Viro ita prosit, vt summis votis exoptamus.

CONSILIVM XXXIV.

Pro lue Gallica, arthritide, vlceribus prauis, œdematibus, elephantiasi.

RAdix quædam nuper tenuis, ac subcrocei coloris, ex india aduehitur, quam ego omnium Mediolani primus vidi: erat autem non absimilis glycyrthisæ tenuissimæ, rugosa scilicet (nam ea talis cùm siccatur euadit) & colore inter croceum & cinereum: sed gustus subamarus erat: odor vix sentitur. Vncia vna in lib. ij. aquæ colorem addit vini rubri turbidioris, odorem quasi grauem, amaritudinem non leuem, & summe prouocat sudorem. Partium est tenuium, crassarúmque: nam amaritudo in terreo constat, calida est in fine primi ordinis, sicca in secundo: epota cum tenui victu, scilicet pane biscocto, atque passulis, per dies 40. Gallicam luem plus iuuat quàm Cina, aut lignum, quod Sanctum vocatur. Expedit autem, vt sic etiam opituletur his, qui arthritide laborant, & vlceribus prauis, & his, qui ob pituitosum humorem laborant œdomatibus, aut morbis vltra hepar. In obstructionibus autem concauæ partis iecoris, & ventriculi mala coctione, non auderem hoc tentare, nisi forsan victus tenuitas nos à periculo tutos redderet. Quod etiam iecur confirmet, quodque lienem extenuet, quod incipientem elephantiasim curare possit, & hoc verisimile est Dantur decocti vnciæ sex in singulos dies summo mane, id est, hora diei secunda, tantundem horis ante cœnam tribus: tum cum cibo quantum volet. Permittitur autem sudare contextus pannis ab assumpto potu: verùm, vt sudauerit, liberior est, quàm in assumptione Indici ligni: neque enim prohibetur quin ad solita prodeat exercitia, nisi frigoris metu, vnde contectus pannis esse debet, & vitare infausta tempora pluuiarum, ventorum, & frigoris. Meminerit eius quod scripsit Hippocrates. Vbi fame laborandum non est: atque similiter cauendum, vt inquit Galenus, à sectione venæ: sic & à Venereis, ac curis nimiis. Singulis tamen decem diebus purgare conueniet corpus, cum catapotiis, quæ lentos humores & crassas feces expellere possint: qualia ex aloë, colocinthide, & eleboro componuntur. Alij præbent siliquam Indam cum diacatholicone: quod vt minus vtile est, ita magis tritum. Habet autem vim præcellentem inter sui generis medicamenta hæc radix, in emendandis capitis ac cerebri vitiis: seu ob tenuitatem, seu ob proprietatem quandam. Et quanquam hæc ita sint (candide Lector) non tamen tantæ victus tenuitati seorsum, præsertim purgationibus frequenter adhibitis, parum ad cùrandos consimiles morbos tribuerem. Quò fit, vt Gallicam hanc pestem inter frigidos affectus collocauerim. Sic humana solertia indies inuenit, quod iam inuentis merito præponi possit. Vidimus in claro viro Martino Chiaues Hispano post

modicæ quantitatis haustum (nam in eo periculum primò fecimus) crassam atque sanguineam materiam à naribus descendentem: ita vt propter os, quod inter medium est, miraremur, quanquam vlcera aliunde vsque ad os penetrantia, à descensu diuerterent. Constat autem Indicas res maiori præditas esse virtute, etiam pro qualitatum ratione. Sed de hoc à nobis in libello de Subtilitate dictum est. Nunc autem; quoniam ita sit, solùm intellexisse sufficiat. Quódque generaliter peregrina medicamenta plus agant: aër autem, atque cibi, ac potus patrij, ad vitæ vsum magis conducunt.

CONSILIVM XXXV.

Pro Mantuano lepràm patiente.

PRo declaratione huius morbi sciendum est, quod elephantiasis, lepra, scabies, impetigo, pruritus, leuca, & alphos quæ est vitiligo, fermè eiusdem sunt generis, differuntque tum magnitudine, tum propriis quibusdam differentiis & magnitudine, præsertim elephantiasis differt à cæteris, adeò vt sit carcinoma vniuersale: omnes tamen hi morbi conueniunt in quibusdam, in membro affecto: quia in omnibus cutis afficitur, & quod sunt fœdi & contagiosi licet aliqui parum, aliqui vehementer, & sunt omnes cronici & endemij, propagantutque à maioribus in descendentes, & ideo vocantur hæreditarij. Elephantiasis autem est morbus, qui numquam curatur: hic autem morbus non est elephantiasia, sed est lepra Græcorum: quod facilè dignoscitur, quia cum sit profundus, differt à scabie & alpho seu vitiligine: differt etiam à leuce, quæ est albaras Auicennæ, quoniam non est cum defœdatione cutis alba, imò potius tendit ad rubedinem, differt etiam à pruritu, quoniam ibi non est permutatio vlla in cute, quantum ad substantiam & calorem, aut formam: sed ab impetigine, de qua maior est dubitatio, quia impetigo est parua lepra: ergo cum hic morbus fit difficilis, debet appellari lepra & non impetigo; conueniunt isti affectus, quia ambo sunt cum pruritu profundi, serpunt, sparguntur circum circa, fiunt ex humoribus adustis: sed differunt in hoc propriè, quod impetigo fit ex serosis admixtis crassis, lepra ex crassis admixtis serosis, & hæc omnia colliguntur à Paulo Aegineta in initio quarti libri à primo cap. vsque ad 6. Fiunt ergo hi duo morbi (quoniam in horum alterum necesse est vt cedat affectus hic) ex materia crassa & melancholica, & serosa, exustis cutem inuadentibus, ac profundius se immergentibus tum sese in ambitum spargentibus cum pruritu. Aetius autem libro xiij. cap. 134. dicit, quod lepra fit ex tenaciore ac crassiore ac magis atro humore, & est magis aspera ad contactum, & pruritum inducit, & non penetrat, nisi cutem & squammas magnas gignit: & ideo potest vocari scabies maior: nam nisi hoc signo ab ea differt & licet circa hoc multæ essent dubitationes: quia tamen non librum intendimus componere, sed consilium conscribere, ideo properamus ad curam: tum eo magis, quod omnes autores in hoc concordant, quod iste morbus est sanabilis, & quod auxilia quæ vni conueniunt ex his affectibus, conueniunt omnibus. Et constat, quod talis morbus, vt dictum est, est elephantiasis minor, sed est vna regula generalis, quod quæcunque curant maiorem morbum, curant & minorem, si sint ad vnguem vnius generis, velut quæ curant comitialem, curant etiam incubum: ergo quæ curant elephantiasim, curabunt multo magis hanc lepram: & hunc morbum esse puto, de quo Moses agit in Leuitico, vbi videtur distinguere lepram, quæ est elephantiasis Arabum, à scabie & lepra Græcorum tribus signis, mutatione pilorum, & quod caro sit depressior, & quod morbus indies augeatur, tunc enim est elephantiasis: & si vnum horum signorum deficiat, tunc maximè attenditur incrementur & diminutio morbi, & quod caro ipsa viua appareat seu detegatur: ibi etiam facit duo genera lepræ, corrodens, & non corrodens: & locus ille verò est difficillimus, in vniuersum tamen etiam post curationem vult eradi pilos, & leuari vestes: & nemini dubium est, quod vbi morbus sit cutaneus, mundicies multum commodi affert. Scriptum est etiam in Deuteronomio. Curatote in morbo lepra, diligenterque operam date, vt eis quibus vos Leuitæ sacerdotes ex meo præcepto instruent, pareatis.

Igitur ad rem deueniam, cum omnis cura constet ex dignotione morbi, sed longè magis ex dignotione causarum, oportet causam scire ipsius lepræ: cum ergo causa sit humor crassus, & lentus, & melancholicus, item serosus exustus: sciendum est, quod si serosus sit atque abundet, tunc est cum pruritu maiore; sin autem materia crassa solum sit, pruritus minimus aderit, sed dolor, & sanies & fœditas maior: quicunque etiam morbus fuerit cum pruritu, facilius soluitur: vbi exiguus sit, aut nullus difficillimè: & hæc est causa, quod hic morbus non potuit ad hanc diem vsque curari: nam cum non vexetur magno pruritu materia est crassa, lenta & multa, tum quia à primordio vitæ, anno scilicet fermè quarto eum cœpit inuadere: tertiam causam esse oportet vel prauitatem humoris, vel valde fixam qualitatem in morbo, generante vel recipiente, vel vtrunque: omitto nunc regimen prauum aut aërem non aptum curationi.

Quæ autem suadent curationem fieri posse, sunt genus morbi: quod vt dixi, per se sanabile est: nam sola elephantiasis in hoc genere insanabilis est: deinde quia est iuuenis, annum agens vigesimum primum vel circa: & est terminus incrementi secundum longitudinem: deinde quia est pinguis, & satis bonæ temperaturæ, est etiam tempus vernum: & etiam quoniam non sunt tentata auxilia magnifica & præclara vsque nunc, neque omnia neque præcipua: & quoniam quædam inuenta sunt nostris temporibus

quæ

quæ à proprietate agunt & erant ignota antiquis, velut quæ illinuntur arteriis, his sex causis videtur omnino morbus esse sanabilis: quæ tamen ostendunt difficultatem, sunt prolixitas ipsius morbi: nam videntur iam decem & septem anni exacti, ex quo laborat hoc morbo: & etiam quia, vt dixi, caret pruritu, & quia serpit & est perfundus, propter quod volunt etiam leucen esse insanabilem: & quia curatus fuit diligenter, & non potuit sanari, licet non cum validioribus auxiliis, vt dixi: non enim omnia tentata sunt validissima auxilia, sed quædam solum: concludo tandem, quod Deo dante, sanabitur seruatis seruandis maxima cum diligentia, tamen & longo tempore, & licet reuertatur, tamen iisdem auxiliis occurrendo poterit ex toto sanari: & ita quod fieri non poterit in vna vice, fit in pluribus.

De causa patet, quod sunt duo membra: vnum, quod generat & mittit, & est iecur, alterum, quod recipit, & est cutis. Est etiam triplex cura vera, quæ sanat morbum & quæ fucata est tegens illum, & quæ mitigat ipsum: nam ipse conqueritur maximè, quod morbus ille ascendat ad collum & faciem, vnde deturpat eum. Ergo cura ipsa qualiscunque sit, per regimen victus, per topica vocata, & per medicamenta fit. Sed primum id videndum, postquam duo esse membra in causa diximus, iecur generans & mittens: & cutim quæ recipit. An igitur maius vitium erit in cute an in iecore? istud scire expedit, cum enim medicamenta parua esse debeant viribus, ipsius vitio, constat oportere nos scire quanta pars pertineat ad iecur, quanta etiam ad cutem.

Videmus enim in his morbis aliquando medicos frustra niti in mittendo sanguinem, in purgando corpus, in regimine ordinando, quæ omnia tandem parum aut nihil conferunt & in nihilum reducuntur. Adueniente autem aliquo qui cutem vnguento illeuit, sanantur: & contra, aliquando accidit vt multis medicamentis cutis illinatur, nec tamen sanatur æger, at purgato corpore & sola uictus ratione curantur. Rursus in aliquibus necessarium est vtrunque, oportet igitur scire quid maximè sit in causa. Istud autem maximè & facillime cognosceretur, si auxilia adhibita sciremus, & à quibus leuatus est morbus, & quæ nihil prorsus contulerunt. Clarum est autem, quod cum cutis, vt dicebat Galen. in libro de Morbis, nullas pene habeat vires, non attrahendi, non expellendi, non retinendi, non concoquendi, id non contingere proprie vitio cutis, nisi quatenus ipsa est læsa, & ob læsionem natura transmittit excrementa ad illam. Quomodo ergo medicamenta, quæ illinuntur, poterunt curare lepram, impetiginem, scabiem, cum (licet restitutis viribus) ipsa non possit repellere humorem noxium: sicut neque infans sanatus ex morbo, magno, non propter hoc poterit ferre pondera magna, quia non potest restitui vltra gradum proprij roboris? & ideo stat dubitatio magna, an scilicet materia quæ ibi redundat, transmittatur ex alio loco corrupta: an sit alimentum cusis, quod corumpatur & transeat in materiam coniunctam? Et videtur generaliter saltem, quod debeat esse materia, quæ transmittitur: quia alimentum non potest esse adeo copiosum, vt sufficiat subministrare materiam similibus morbis. Ex aduerso non curarentur medicamentis exterioribus adeò facile: & etiam quia vix fieri posset, vt tanta copia humoris redundante, aliæ partes intus non laborarent: & videtur ex his quæ scripsit Galen. in tertio Methodi de vlceribus, quod malus affectus in carne subiecta & in cute sit causa impedimenti sanationis & consolidationis in vlceribus: & ita dico de hoc morbo, in quo licet non appareat solutio continui manifesta, proculdubio tamen est occulta. Et etiam alia ratione persuadet, quia talis morbus serpit ad proxima, ergo fit vitio partis patientis potiùs quàm iecoris. Sunt & alia inditia, puta contagium & facilitas sanationis, quæ indicant esse vitia cutis potius quàm iecoris. Concludo ergo quod hic morbus maximam partem causæ habeat in carne subiecta, & in cute: sed principium tamen & originem in iecore, & si quis mihi obiiciat difficultatem sanationis, respondeo, quod etiam vulcera chironia difficulter sanantur etiam propter solius partis dispositionem: & maximè quia vt dixi, non sunt etiam sine vitio totius.

Deueniendo igitur ad victus rationem, manifestum est quòd cùm excrementa hæc sint tertiæ coctionis, partim scilicet quæ sunt loco alimenti ipsarum partium affectarum, partim secundæ, scilicet ipsius iecoris, & est humor transmissus per venas & arterias ad cutim, quasi naturâ decernente, & ideò verissimile est, quòd pars istius morbi semper maneat: & est illa quæ fit vitio cutis alia magnam mutationem recipiat, modò multum crescens, modò non, sed quasi in eodem statu permanens: constat alimenta quæ assumuntur, debere parum nutrire, & non multum: cuius tamen oppositum plerunque medici dum existimant, dum iuuare credunt nocent: similiter non debent esse temperata, vt communiter dicitur, sed contraria qualitati causæ morbi. Diximus autem, quod causa morbi est humor exustus serosus & crudus, ergo cibus debet esse exquisitè contrarius, & hæc est sententia Galeni in liro de Cibis boni & mali succi. In hoc igitur nihil melius est vsu ptisanæ hordeacenæ sine sale, & carnis testudinis: his enim duobus præsidiis tantùm curaui similem morbum in D. Francisco Gadio, ordinis S. Augustini ex ea congregatione, quæ Canonicorum vocatur, & quod appellabant illum Regem. Conualuit autem in sex mensibus, cum passus esset morbum biennio, adeò vt tæderet illum vitæ, nec postea vnquam rediit. Modus ergo ptisanæ talis est. Hordeum infundatur in aquam multam, xij. horis coquatur donec disrumpatur, tundatur, cribretur, coquatur cum iure pulli, vel testudinis: donec non amplius ampullas emittat, quod post tertiam horam vix contingere solet: id autem in vase terreo. Testudines antem in aqua diu coquantur cum modico aceti albi, croco & boragine, & perseueret

in huiusmodi cibo saltem per sex menses, interim tamē poterit vti perca pisce elixato cum eisdem. Item beta & malua in cibis, & lactuca: poterit etiam adhibere omphacium seu agrestam item succum aranciorum: poterit & vti carnibus pullorum cum plantagine assiduè, ita vt plantago ponatur in omnibus cibis, in quibus ingreditur caro. Caueat generaliter ab omnibus multum nutrientibus, & ideo ab ouis & lacte: solum caro testudinis, pulli, auiculæ omnes, hœdi etiam: caueat à caulibus & caseo, omnibus salitis, aromatibus omnibus, croco duntaxat excepto: piscibus nisi squammosis & paruis non vtatur, melle & saccharo, licet moderate vti: cancris vti potest proprietate potius quadam quam manifesta qualitate aut substantia conuenientibus. Vinum sit album, leue, clarum: sed si biberet aquam, longe melius esset, cuius est descriptio. ℞. liquiritiæ recentis ʒ. vj. radicis thamariscæ ʒ. ij. passularum ℥. iij. aquæ ℔. iv. coquantur ad consumptionem tertiæ partis, coletur & vtatur pro potu, & si vult dimittere liquiritiam, potest augendo quantitatem passularum & tamarisci. Est autem tamariscus arbor in Italia nota, nascens in ripis fluminum minuto folio, fructu & flore muscoso, id est, tenaci: & generaliter aqua in hoc casu cùm non attenuet, vino melior est. Circa somnum vtatur prolixo & nocturno, non diurno. Circa aërem eligat clarum, tenuem & calidum potiùs quam frigidum: dormiat non in pluma, sed super tomentum sericeum: mutet sæpe vestes & præcipuè indusia: non exerceat se à cibo, sed in mane solum, & si sudet, permutet lineum indusium, & interiorem vestem (quidam vocant diploidem) abstinet à coitu, nisi quantum necessitas vrget, & curet vt habeat beneficium ventris singulo mane. De fructibus conceduntur quæ ventrem soluunt, vt pruna, & cerasa: & quæ vrinas mouent vt fraga pepones & cucumeres, cocti tamen.

Quod ad intentiones curatiuas, primum ℞. succi cassiæ nouiter extracti ℥. v. origani, fumi terræ: seu fumariæ pulueratæ añ. ℈. ij. misce, & cum zucharo fiat bolus capiat per horam ante cœnam. Sequenti mane capiat ℥. ij. serapij ex infusione fumi terræ, cum aqua lactis, decoctionis fumiterræ, sequentibus autem diebus capiat infra scriptum. ℞. seminum sesami ℥. j. comedat cum modico panis, deinde bibet ℥. ij. sirupi acetosi simplicis, cum modico aquæ plantaginis & post viginti dies si vrina fuerit concocta, accipiat hoc medicamentum, ℞. confectionis hamech bene confectæ, & succi cassiæ añ. ℥. ß. sirupi depolipodio ℥. i. s. aquæ decoctionis infrascriptæ ℥. iv. misce, capiat in aurora, ℞. mirabolanorum nigrorum ℥. j. hypericonis, origani añ. ℥. s. sebestem numero xij. infundantur in ℥. xij. aquæ lactis, per decem horas, inde bulliant parum: coletur capiat calidum in aurora. Hoc peracto mittatur sanguis ex basilica brachij dextris, deinde sequenti die ex basilica brachij sinistri, extrahendo singulis vicibus ℥. viij. sanguinis. Post hæc bibat qualibet hebdomada semel hoc. ℞. seri lactis ℥. lx. epithymi ℥. j. hellebori nigri ʒ. j. cinamomi ℈. ij. mellis ℥. ij. infundantur omnia per duodecim horas, inde coquantur ad consumptionem tertiæ partis: coletur & bibat calidum: & cum assumit medicamentum vel hoc vel sequens, non comedat vsque ad horam vespertinam: sequenti autem die assumat hoc. ℞. succi brassicæ, aceti albi optimi añ. ℥ vj cedriæ ʒ. ij. hæc inuenitur Venetiis, sumat ergo tepidum in aurora & bis in hebdomada. Vbi autem exacti fuerint quindecim dies, ita vt bis sit repetita purgatio, quater verò medicamentum, bonum erit vt assumat ligni de coctum per quod vt spero, incipiet sanari: erit autem eiusmodi facile.

♃. ligni Indi rasi electi ℥. xv. radicis thamarisci minutim derasæ, sic vt schidia abiiciantur ℥. xvj aquæ. ℔. xviij. infundantur: horis xxiv. inde bulliant ad consumptionem medietatis in lebete ferreo & coletur, & de hoc capiat ℥. viij. aut saltem vij. singulo mane, calidum in aurora: vel hora vna post ascensum solis: & integet se pannis tenendo vultum sub culcitra, ita vt sudet. Interim verò bibat de hoc in mensa, sed frigidum, cum priores septem vncias, quantum potest ferre, calidas ebibere oporteat. Cibus verò sit panis, & vuæ passæ: panis quidem ad vncias quinque, passarum vuarum quantumlibet. Tum verò à frigore & exercitatione atque aliis quibus solent cauere qui decoctum hoc assumunt caueat: cum verò octo exegerit dies, fluxeritque sudor cum virium robore, suadeo vt octo horis à prandio, quatuor autem ante cœnam sex vncias calidissimi illius decocti assumat, ac denuò sudet, atque ita perseueret xxx non vltra dies, non minus autem quam xxv. His peractis cassia nigra purgandus est hoc modo.

♃. succi cassiæ nouiter extractæ ʒ. xj. cum modico succi fumi terræ & saccharo: fiat bolus, capiat ante cœnam. Bibat autem per annum ter, quater, sexies, in mense hanc aquam. ♃. sanguinis porci recentis. ℔. iv. plantaginis ℔. i. ranarum sine capite & cute ℔. j. ß. cancrorum chelas & caudas mundatas pondere ℔. ij. lapatij acuti, radicum cum foliis ℔. ij. destillentur omnia in vase secundum artem, & de hac aqua capiat ℥. iv. singulo mane, & sudet si potest: nam calidum præbibere oportet. Cæterum & ex priuatis auxiliis hæc duo sunt. Primum. ♃. viperas veras, cuius sunt quasi canini dentes: & abscissis capite & cauda, ad tres digitos coquantur in pauca aqua admodum, deinde contundantur, deinde cum furfure & farina pinsentur, gallinisque tribus aut quatuor edenda præbeantur: cumque id factum fuerit per quindecim aut viginti dies occisæ gallinæ, & exenteratæ, atque deplumatæ, coquantur iuxta mortem, & ius illud bibat, & carnes edat, & postmodum quiescat in lecto donec exciderint crustæ. Secundum præsidium est.

♃. Lapidis cæsarei (vocant lazuli) puri, & bene colorati ℥ j. teratur, & in pollinem reducatur, per linteum cribratus lauetur aqua vicies, deinde infundatur in aceto scillitico, optimè per tres dies: deinde expresso aceto, siccetur, deinde per tres alios dies in succo thamarisci:

thamarisci : inde expresso succo & siccato lapide, rursus infundatur in succo plantaginis eodem modo per tres dies, & de hoc sumat an. ℈.ij. ad ℈. iv. redigendo in formam boli cum oxymelite scillitico, & post bibat mulsæ ℥.iij. præparatur autem hoc modo ℞. mellis puri ℥.ij. aquæ.℥.vj. misce, bulliant ad consumtionem medietatis, despumando semper: coletur & capiat, vt suprà. Et rursus ex compositis, quæ intus assumuntur est decoctio Auicennæ huiusmodi. ℞. mirabolanorum nigrorum & citrinorum an. ʒ. ß. amis seu ameos & alsæ odoriferæ, id est, belzoi an. ʒ.v. aquæ ℥. xxxvj. vuæ passæ lotæ & mundatæ ʒ. vj. coquantur ad consumptionem duarum tertiarum cum ℥.j.ß. mellis puri : coletur & exprimatur & bibat totum, & continuetur quadraginta diebus. Conferuntur etiam catapotia, quæ vocantur pillulæ Indæ, & pillulæ cochiæ, est etiam facillimum auxilium, quod consulo vt faciat, & est hoc.

℞. viperas duas magnas, & abscissis capitibus & cauda incidantur minutim, & ponantur in olla cum sale, ita vt ponatur area salis, deinde area è carne viperarum, inde area salis denuò, atque ita alternatim imponendo etiam radices rumicis seu lapathi incisas minutim : deinde tegatur olla cum tegmine fictili, quale est olla, & cum creta concludatur, & ponatur in fornace lapidum, vbi lapides coqui solent per tres dies : inde extrahatur, & sal ille sit in vsu ferendo ipsum : & si non placet, sic dissoluatur in duplo aquæ, & abiecta omni fece siccetur, teratur & sit in vsu. Expedita purgatione xxxx. dierum vel assumptione aquæ ligni, deueniemus ad topica : nam in his autores omnes medicinæ, sanationis spem totam reponunt hoc modo.

Primum imponemus ipsum in balneo aquæ dulcis seu putei, apponemus quadraginta cucurbitulas, & non sit aër multum calidus : aut si nimio plures videbuntur, viginti, & postquam sudauerit detrahemus sanguinem ex singulis, secundum quod ferre posse videbitur, & postmodum inungemus hoc vnguento.

℞. Succi ocimastri, & est planta similis folio ocimi, nascens iuxta muros antiquos & sepes, folia habens similia ocimo, sed in ambitu serrata, flores purpurei, seminis capitula qualia hyoscyamo, radix torosa, vnde è genere galiopsis esse creditur, odor foliorum & seminis tetre: ex quo igitur succo pari pondere ceræ atque olei fit vnguentum, quo illiniri debet post balneum & cucurbitulas. Inde tertio die ad balneum redeat, & rursum illinatur vnguento, atque ita omnia peragantur quæ in primo præter cucurbitulas, vsque ad quinque circuitus: in quorum vltimo etiam rursus viginti cucurbitulæ applicentur, intermediis autem nequaquam. Semper autem ab inunctione lectum ingrediatur mundis linteis, & dormiat, quod si ferre non possit balnei teporem & cucurbitulas, modicum panis & martij panis comedat, antequam balneum ingrediatur : lectus antequam in eum se conferat, caleat, & bene tegatur.

Aliud vnguentum. ℞. scabiosæ, ellebori nigri, lilij, allij, lanariæ herbæ, corticis iuniperi, an. ℥.ij. terantur optimè, inde exprimantur, inde addantur aquæ vitis quæ solet excidere à ramis præcisis tempore martij ℥.j. styracis liquidæ ℥.ij. pomanæ ℥.iij. coquantur miscendo semper, donec redigantur in formam vnguenti : & dum remouetur ab igne, addantur lactis ficulnei ℥.ij. misce, fiat vnguentum, quo vngatur totum corpus loco prioris, vbi ex primo non sanatus fuerit. Aëtius putat adipem nigri arietis sufficere vel solum, quod non expertus sum. Verum nostrum hoc vnguentum est, quo ego cum quatuor sociis à scabie, quæ erat è lepræ genere, quam passus fueram xxvj. annis sum liberatus sine vlla purgatione, sine balneo, ita autem viximus vt ex proposito pro morbo contra medicamentum luctari velle videremur : erant mei familiares omnes adolescentes, ego quinquagesimum excesseram annum. Lugduni in caupona genio indulgebamus. Existimabam mihi turpe esse, quòd non scabie omnes, sed elephantiasi laborare videremur, crustæ præaltæ latæ vsque ad collum & caput ascendebant: verè illud dici poterat. Aliis medens, at ipse vlceribus scatens. Causa erat, quòd marinis piscibus, quos ego libentissimè edo, nec Mediolani copia est, assiduè vescerer, præcipuè verò asellis : qui cum recentes sint optimi succi, ita saliti sunt pessimi : nam id minimè absurdum est :. hœdina enim caro vt optima est, ita salita pessima.

Ergo visum est, vt aliquo auxilio occurrerem: fortè autem dum ascenderem in colle quodam, perspexi tithymalum : abundabat enim vbique excogitaui igitur è casu auxilium : fuitque huiusmodi. ℞. sulphuris viui ℥. ij. salis ℥. j. ß. lachrymæ iuniperi, qua vtuntur bibliopolæ, elebori albi an. ʒ.ij. succi tithymali ʒ. iij. aut etiam amplius : apponebam autem totam herbam contusam pondere ℥.j. olei è lini semine ℥. ſ. terantur exquisitissimè, inde coquantur super cineres donec redigantur in formam vnguenti, post exprimatur, & reiecta fece, inungantur statim, detersa aqua à balneo, sub poplitibus, & interiora cubitorum, & iuxta talum, & iuxta carpos manuum, & sub alis, & plantæ pedum, & loca omnia patientia in aëre calidissimo, seu iuxta ignem post cœnam, diu confricando loca, & copioso vnguento: inde ingrediatur lectum calentem, & tegatur pannis : hoc autem à prandio vel à cœna, fiatque alternis diebus donec ter fuerit vnctus, hoc neque purgatione, neque vitæ regimine indiget, adeò efficacissimum est. Forsan quæret aliquis, & iure, cur tamdiu distulerim sanationem hanc ? Causa fuit, quod morbus hic perpetutò variabatur, & quod mihi familiare est nihill agere donec cogar, tum propter multitudinen negotiorum, tum etiam propter consuetudinem: tum etiam, quia existimabam morbum hunc me præseruare à multis alijs morbis, quibus suspicabar me esse paratum propter diuturnarum hæmorrhoidarum spontaneam sanationen. Aliud physicum auxilium ex xij. libro nostro de Sub tilitate. Lauetur ter in balneo

balneo infantis primogeniti, quo balneo solent obstetrices abluere quicquid sanguinis est menstrui. Laudantur præterea cumminum Aethiopicum & syderitis herba in potu sumpta: atque hæc puto sufficere, etiam si multo grauior esset morbus. Si quis tamen ad validiora transire vellet, sudet in balneo sicco exerto capite cum suffumigo biruminis, salis, ligni cupressi, lachrymæ iuniperi, thure, betzoi, myrra, agallocho, rore marino, amaraco, styrace, santhalis, musco coniferarum arborum, lachryma eleni, ladano, cortice mali medici, & rosis, omnibus vel aliquibus.

CONSILIVM XXXVI.

De hydrope Ascite & Tympanite ex suppressione mensium pro nobili iuuene.

SVpposita dispositione præsenti, vt narratur scilicet hydrope ascitica, & tympanitica, ex retentione mensium cum accessione febrium quarumdam per circuitus in nobili iuuene, ætatis annorum XXV. Pro cura oportet considerare quòd ista omnia possunt reduci in vnam malam causam, & solam scilicet abundantiam crudi & pituitosi humoris: differunt autem hi vt patet apud Gal. 3. *de alimen.* nam hi obstruendo venas faciunt febrem loquendo de venis quæ sunt iuxta iecur. Et obstruendo venas vteri, Prohibent menses effluere. Et mala intemperie afficiendo Iecur, & etiam proximas partes membrorum naturalium generant etiam vtrumque genus hydropis.

Ex quo patet quòd euacuationes in hoc morbo, & prouocationes mensium intempestiuæ non solum non iuuant, sed egregiè nocent, & ideo præmisso prognostico quod iste morbus est difficillimus, & eò magis quod est contrarius ætati. *In morbis enim minus periclitantur ægrotantes quorum natura aut ætati, &c.* Dicebat Hippoc. Quia tum morbus consentit sexui, & habet causam manifestam, vt bene dictum est ab illo qui casum scripsit scilicet mensium retentionem: & etiam quia cura fuit tumultuosa, & non ordine certo facta: quia à diuersis medicis & non in vnum consentientibus: & quoniam tempus anni est opportunum pro hoc morbo: ideo dico quod si spes aliqua relinquitur quòd oportet vt seruet canonem hunc generalem, vt abstineat ab auxiliis incertis, & ab illorum multitudine: Nam auxilium vnum perperam administratum plus officit, quam quatuor bene adhibita iuuent, vt patet experimento in vlceribus exterioribus, in quibus plus nocet vnguentum vnum lacerans in vna die, quam consolidans iuuet in quatuor: & ita de dolorem prouocantibus respectu sedantium illum. Collocetur igitur in cubili exposito orienti soli perflato, & bene sicco & potius calido quam frigido. Et spargatur solum cum aceto in quo stetetit lignum indicum rasum & styrax calamita vocata & gariophylli infusi. Aliquando etiam adoleatur succinum bene odoratum, spargantur etiam absinthium folia citrangulorum, spica celsica, cuius copia maxima est in his regionibus.

Panis factus sit ex duabus partibus farinæ speltæ, & vna frumenti, & cum decocto florum lupi salictarij id est lupulorum, vel radicum eius & granis paucis fœniculi, & modico salis pinsi debet: & fiat pasta mollis, & bene fermentetur & bene coquatur: adeo vt sit leuissimus, & sapidissimus, & fiat pauca quantitas vt recentior sit. Potus sit vinum album odoriferum, leuissimum, flaui aut fului aliqualiter coloris, & in eo perpetuo cubebarum semina, seu fructus infusa maneant, Et cum videbitur nimis incalescere præter cubebas, addantur sonchi folia aut endiuiæ, & quantitas potus sit qualis illi præscripta est quatuor aut quinque vnciarum.

Fercula fiant ex pannico, & addatur modicum anisi quod in aceto albo fuerit per triduum: inde fuerit siccatum & puluerisatum: sed meliores erunt cubebæ cum panico infusæ, vt dixi, in aceto, anisum autem melius erit cum vtitur ptisana hordei facta non ex farina, sed ipso hordeo, aliud ferculum bonum. Capiat herbam paralysim, endiuiam, boraginem, petrosilium, folia fœniculi viridis, & coquantur in iure pulli: inde addantur passulæ nigræ bene lotæ cum vino albo, & cum linteo siccatæ, & duo vitella ouorum, & de hoc comedat cum modico cinamomi subtilis: sed non edat postmodum aliud quod nutrit. In aliis vicibus cum sumit ptisanam, vel panicum sumat auiculam hoc modo præparatam. Impleantur auiculæ passulis, aniso infuso in aceto albo, & siccato modicè, & seminibus iuniperi recentibus & vltimo comedat aues cum petrosilio, & dum coquuntur, ne siccentur assiduè, irrorentur pinguedine vituli, vtatur etiam acetariis quandoque ex capparibus, ex cichorio, & ex petrosilio & non aliis. Poterunt singulis horis passulæ nigræ vel albæ addi lotæ vt supra. Quoad fructus comedat pistacea recentia, & nulla alia; cura autem per medicamenta est vt vtatur clysteribus, non medicinis. Clyster aut efiat hoc modo. ℞. Soldanellæ, senæ, mercurialis viridis, radicum ebuli ann. m.j. radicem vnā filicis spicæ celticæ m. Coquantur in lip. iij. aquæ donec ad vnam redeant, & coletur. Et huic addantur salis communis ʒ.ij. cassiæ fistulæ ʒ.iij. mellis violati ʒ.x. succi ireos crudi ʒ.vj. quandoque loco eius euphorbij puluerizati ʒ. j. aliquando æsulæ præparatæ ʒ. j. addatur in decoctione, sed cum additur vnum non addatur aliud ex his tribus. Et in casu in quo euphorbium non educeret aquam, dimittatur. Sed vbi educeret aquam multam, sed ardorem inferret, fiat clyster ex oleo violaceo post, vt tollatur ardor.

Pro syrupis. ℞. Syrupi acetosi, de duabus radicibus, syrup. bysantini completi an. ℥.vj. succi mercurialis purgati ℥. ij. miscc & aromatizetur, vt dicunt, cum infusione spicæ indicæ, & modico cinamomi subtilis.

Quod si ex hoc syrupo aluus subducitur perseueret in eo, nam multùm iuuabitur: si non

non capiat syrupum infrascriptum.

℞. Syrup. bysantini completi, de duabus radicibus ann. ℥. v. j. succi huius repurgati ℥. ij. Misce. ℞. Foliorum apij vel petrosilij, radicum erithrodani, hoc est rubeæ tinctorum, foliorum agrimoniæ ann. m. j. (sint autem viridia omnia) & continuantur, & extrahatur succus. Perseueret autem in hoc syrupo per dies xv. & vltra donec prouocetur vrina hoc enim est intentum.

Pro purgatione non capiat nisi hoc vbi vrinæ videantur concoctæ, & ipsa sine febre. ℞. succi radium Ireos clari, sed qui non expertus sit ignem ℥. ij. & tardet cibum per VI. horas, & etiam parum postea comedat. Et si potest super dormire est melius.

Sequenti mane capiat hoc ℞. Mithridati ℥. j. sumitatum absinthij in puluerem radactarum ℈. j. cum modico syrupi de cichorea simpl. fiat bolus.

Quod si velit bibere aliquod post, bibat modicum aquæ cichoreæ, vel endiuiæ (quæ etiam melior est) destillatæ per nitrum aliter non & non transcendat vnciam, aut ad summum ℥. x. & vel si non habet lauet os cum vino granatorum, vltimo extra aplicetur sacculus hic, vel lauetur hac decoctione, inde applicetur sacculus. Decoctio. ℞. Radicum filicis, ebuli, genistæ agrestis, ann. m. j. Coquantur in lixiuio ad consumptionem duarum tertiarum: & coletur per linteum densum & cum hoc lauetur. Potest etiam lauari cum vrina infantis. Sacculus.

℞. Spongiæ minutim incisæ; stercoris capræ puluerizati lapidis pumicis, ann. ℥. ij. galangæ cardamomi, piperis longi cinamomi subtilis, castorei spicæ inde ann. ℥. j. absinthij sicci ℥. ij. salis nitri ℥. iij. fiat sacculus integens totum ventrem, qui quoties imponitur siccetur ad ignem, & cum lauatur linteo mundo, & e lixiuio nitido prius diligenter venter siccetur quam sacculus apponatur.

Quod si videatur aliquando ex vsu horum incalescere, dentur species tria sandalorum, vel diarhodon abbatis cum modico succi endiuiæ repurgati cum igne. Vel fiat bolus ex ipsis cum vino granatorum medij saporis, quantitas autem specierum sit ℥. j. pro vice.

Singulo autem die habent vel sponte, vel auxilio alui beneficium. Et si potest deambulet leniter. Et vtatur prolixiori somno: & si non potest dormire, vtatur inunctione ex oleo populeonis in pulsibus manuum pedum & capitis.

Cum verò paulo melius se habuerit, vtatur limacibus, iecore lupi recenti, vt à medico ordinabitur: interim non derelinquat petrosilium & pistacea. Ex his autem quæ conferunt multum, & sunt iucunda gustui est quod vtatur sparagis, & carduis in iure coctis cum petrosilio. Et ab omnibus aliis quæ hic descripta non sunt, abstineat, præterquam à cretano quam vocant basigiam, & fœniculo in aceto conditis ante cibum, nam his duobus vti potest, cætera, vt dixi, relinquat si chara est vita. Neque aliud super esse puto, nisi quod vbi cætera non prodessent sumere ebuli sicci folia in puluerem redacta, est optimum eadem cum corticibus citri & rutha superponantur ventri, vel Iridis, & chelidomæ radices cum oleo & lini seminis laudarem etiam potum lactis asinæ pastæ foliis ebuli pro hectica si qua adest, & hydrope simul incipiendo ab ℥. ij.

CONSILIVM XXVII.

De inuoluntario seminis profluuio.

IN dispositione hac quæ ab initio visa est leuis, cum fuerit fluxus inuoluntarius seminis per somnium, cui postmodum multa longè deteriora successerunt. Sed quæ notatu digna, sunt hæc. Primùm debilitas magna ventriculi: secundum hebetudo sensuum, & tam externorum quam interiorum: imò interiorum magis tristitia & dominium atri humoris, vnde melancholica cogitatio: quartò defluxus multæ pituitosæ materiæ à cerebro, imo neruis, crudæ provt humor crudus à pituitâ differt: quintò & vltimò debilitatio renum. Quæ omnia secundum Galeni rationem 6 *de Tuenda sanitate* conueniunt in tam diuturno defluxu seminis: nam cœpit iam per decem annos ab hinc exactos. Et cum iam agat annum vigesimum quintum relinquitur vt ex quindecimo vel decimo sexto cœperit. Quo fit vt nihil mirum sit deterius illum afflixisse. Nam in primâ ætate adolescentiæ, cum iuxta Hippocratis dictum. *In morbis minus periclitantur ægrotantes quorum ætati morbus congruit quam quibus non congruit:* sed huic ætati minime congruit morbus, quæ est initium adolescentiæ. In anno decimo sexto igitur necessarium fuit, quod præcesserit à validâ causâ. Et ideo tum ratione huius: tum ratione quod eâ ætate magis læduntur, quòd corpus nondum est perfectum, iuxta illud Philosophi in Problemate proposito quod *pueri habent odio eas cum quibus primò concubuerunt* dicit quia in ætate tenerâ vehementius à coitu offenduntur: Tum quia diu mansit: tum quia secum multas alias, vt docui, dispositiones traxit: vltimò quia ipso referente fuit in manibus Fernelij & Syluij regiorum medicorum, & virorum, egregiorum, constat his quinque causis morbum dici difficillimum. Attamen cum sit familiaris adolescentiæ vltimæ, in quâ nunc viget: & ætate mutetur iuxta illud Hippocratis. *Morbi grauissimi mutatione ætatis, regionum & victus liberantur*: nec sit offensa in aliquo membro principali notatu digna, imò fermè nulla eisque nunc nisi in cerebro: constat quòd stante robusta ætate, & quòd volendo parere, omnino liberabitur. Et quamquam posset celerrimè liberari, attamen consulo quòd melius sit sensim, & non repente. Quia velle retinere semen cum sit excrementum absque prohibitione generationis esset retinere materiam, quæ non solum, vt dicebat Galenus 6. *de tuendâ sanitate* faceret molestiam non paruam, sed & symptomata grauia, & similia veneno *sexto de locis*. Sed velle emendare temperaturam (dicebat Hippoc. 2. *Aphor.* plurimum atque repente euacuare,

cuare, calefacere, vel refrigerare, &c. periculosum & naturæ inimicum: hoc autem esset necessarium. *Quod plurimum*: quia plurimum recessit iam à temperamento, aliter morbus cessisset auxiliis facile: igitur cum auxilia quæ debent remouere morbum, debeant esse æqualium virium, &(vt dici solet) in gradu teste Galeno lib. *de arte med.* in communi intentione curatiuâ, constat quod oportebit multum siccare ac refrigerare: ergo si confestim fiat, non erit iuxta adductam Hipp. sententiam nec absq; periculo maximo. Sed nec etsi sensim fiat nisi cautè, nã, vt nos declarauimus supra illud Auicennæ, si Indus fiat secundum temperaturam Germani, aut morietur, aut grauiter infirmabitur. Omnis temperatura multum ab eo quod prius erat mutata, ingens affert vitæ periculum. Atque ita oportet in talibus procedere cautè, & non solum sensim, sed & ex ordine ad curam accedere. Et quia extremis morbis extrema debentur auxilia, vt testatur Hipp. *primâ aphor.* certum est quod dicitur extremus morbus, vel quia periculum minetur de vitâ, & hoc non nunc: vel quia difficilis curationis, & hoc hic conuenit. Cum autem morbus det inducias, tunc, vt dicebat Galenus 5. artis curat. debemus à leuioribus inchoare: igitur non statim sed cautè procedendo à leuioribus ad grauiora, reddetur cura aliquanto longior. Concludo igitur ex his quatuor, quoad prognosticum. Primum quod indigebit validis auxiliis, & per hoc solum curabitur: secundùm quod hæc auxilia non debent statim adhiberi, sed in processu temporis: tertiò quòd dato quod possit simul curari & breui tempore, quod non debet fieri: quartò & vltimò quòd morbus est & absolutè curabilis. Circa prognosticum secundò aut videndum est in quem morbum facilè declinaret vbi morbus non solueretur. Et manifestum est quòd in tabem. Primò propter malam nutritionem in quanto ob defectum scilicet nutrimenti: secundò in hydropem seu aquam inter cutem ob prauitatem coctionis: tertiò in imbecillitatem coeundi ob continuam emissionem seminis absque debitâ veneris coniunctione: quartò ad ardorem vrinæ vbi materiæ portio retenta putrescat: & hoc est frequens, & solet aduenire celerius: nam tria prima eueniunt iam senescentibus hominibus, vbi morbus non quiescat antea: quintò ad carnem superadditam in virgâ, indeque ad vrinæ suppressionem ob erosionem ab acuitate seminis; inde factâ consolidatione crescit caro & fit impedimentum in vrina. Cum etiam non liberè quandoque semen expellatur, gignitur lapis, sed hoc rarius.

Tertium est quod possit succedere perperam siccato defluxu, & certum est quod facilè perueniret ad tres morbos: scilicet dolorem & abscessum renum: ad comitialem morbum aut vertiginem: aut ad suppressionem vrinæ. Et hæc omnia clara per se sunt. Semper autem retento perperam semine iam consueto defluere fiunt tristitia, pigritia, & inappetentia.

Vt igitur loquamur de curâ, morbum oportet cognoscere prius. Non est autem morbum vt quidam putant defluxus seminis per somnum: nam ille est in genere symptomatis, vt a Galeno habetur *lib. de sympt. different.* relinquitur igitur vt causa defluxus sit morbus. Hæc igitur affectio teste Aetio *lib.* 11. cap. 34. ex Philagrio fit ob quatuor causas aut robur membrorum generationi seminis inseruientium, aut ob multitudinem, aut ob acuitatem, & caliditatem seminis: vltimò ob inediam vel mœrorem: sed cum mœror & inedia non sint res perpetuæ, relinquuntur tres causæ tantum, mihi autem videtur, vt non sit necesse adesse nimium robur, sed quandoque nimiam potius caliditatem, quia robur fit cum eiaculatione in glandulâ quæ est imo penis, quæ est similis acino vuuæ, sed in talibus plerumque etiam sine sensu emittitur & etiam pedetentim: Igitur ex solâ caliditate fieri potest: omnia etiam immoderata qualitas deiicit virtutem, vt habetur à Galeno 2. *aphor.* in expositione illius Aphor. *Quibus iuuenibus aluus humecta est*, &c. Et ideo possumus dicere cum Aëtio quod sint tantum tres, nam nimia caliditas instrumentorum est cum acuitate nimia seminis, & illius caliditate non debet poni debilitas instrumentorum pro vnâ causâ separatâ ab immoderantiâ caliditatis seminis. Sed nec robur instrumentorum erit causa separata à multitudine seminis: vbi enim multum semen ibi robur alicuius virtutis instrumenti illud generantis: nam si fuerit concoctum & densum erit attrahentis, & concoquentis, sin autem liquidum erit solius attractiuæ. Igitur tandem dicemus cum Galeno quod causa est triplex, vel multitudo seminis sola, & hæc erit cum robore instrumentorum seminalium: vel sola caliditas & acuitas seminis, & hæc erit cum solâ imbecillitate contentricis & robore expultricis: vel erit cum multitudine & prauitate seminis, & tunc erit calida & humida intemperies in membris seminis propter quas qualitates fiet attractio vehemens concoctio & expulsio plusquam debeat ipsius seminis. Per vasa & instrumenta seminis intelligo venas emulgentes, venas & testes.

Ad discernendam autem quænam sit causa non difficile experior: nam si semen copiosissimum est & non multum debilitatur, est à quantitate, si autem non multum & multum debilitatur, & semen est tenue, & accidit imbecillitas circa lumbos maximè & extenuatio, item in ventriculo, erit à mala qualitate: si autem multum semen erit & tamen etiam multum debilitatur, semen & vasa vtroque modo peccant. Sed cur magis in somno? quia tunc calor retrahitur, & ideo magis expellit tale excrementum. Accedit quandoque supinus decubitus aut pronus, à quorum altero renes, à reliquo incalescunt testes, quibus calefactis cogitur natura excernere tale semen. Ad hoc etiam facit imaginatio quandoque concubitus per somnum facta quæ solet esse causa huius. In cura igitur supposito propter pertinaciam morbi & ætatem iuuentutis, & detrimenta quæ consecuta sunt: quod peccet semen in qualitate plurimum, & in quantitate modicum: & quod sit cum sicca temperie testium,

ſtium, nam qui habent calidam & ſiccam intemperiem teſtium, maximè ſeminis effuſione offenduntur Galeno teſte *in arte medica*: Vnde occurrit dubitatio pulchra; cur non potius ſicco corde, vel cerebro debeant offendi quam ſiccâ teſticulorum intemperie ex effuſione ſeminis. Et diximus cauſam eſſe quod vehemens fit attractio ex tali intemperie. Et ideo corpus magis debilitatur, quo fit vt in calidâ & ſiccâ intemperie tali ſemen plurimum abundet & ſit tenue, quia non poteſt concoqui à calore naturali contra rationem calidæ & ſiccæ temperiei teſticulorum quæ habet paucum & ſpiſſum ſemen. Sed cum exuperat adeo intemperies, vt fiat profluuium, ſemen multiplicatur, & fit tenue aquoſum; commune autem eſt vtrique eſſe acre, ſed acrius quod eſt liquidum: igitur nec aptum veneri & multo minus generationi: tandem igitur concludo quod fit à calidâ & ſiccâ intemperie membrorum genitalium ſemen cum ſex conditionibus. Prima calidum; ſecunda aëre: tertia liquidum: quarta multum: quinta non aptum coitui: ſexta multo minus generationi: Ideo cum deſæuierit hic morbus perueniet ad coeundi impotentiam propter hoc quod virga minime erigetur. Ex quo patet quod cura per laminam plumbi & talia eſt inutilis & periculoſa licet laudetur ab aliquibus authoribus. Ex hoc propriè habemus detrimenta quæ ſuperius ſunt quaſi confuſè narrata; cum ſit hic morbus ſimilis diabeti, ſed in diabete profluit vrina: in hoc fluxu res vtilior ſemen, quod conſtat ſanguine & ſpiritu. Eſt igitur cauſa vehementia attractionis teſtium & vaſorum ſeminalium propter calidam & ſiccam intemperiem teſtium: igitur ex hac euenient propriè via hæc detrimenta. Primum eſt debilitas in cerebro: nam ſecundum Hippocratem *lib. de aëre & aquis* iuxta finem. Maxima pars, ſeminis à cerebro defluit, nimium igitur trahentibus teſtibus priuabitur cerebrum proprio alimento: & ita debilitabitur, non ſolum per accidens generando multam pituitam, & ſuperflua, ſed per ſe. Vnde gignetur hebetudo ſenſuum & ad motus quædam ſegnities & torpor: nam cerebrum eſt principium ſenſus & motus: inde amiſſio memoriæ, & quandoque ſequitur ad diminutionem ſubſtantiæ cerebri. Caneſcet ante tempus & viſus maximè debilitabitur: in ſe enim indiget tenuibus ſpiritibus & ſanguine. Sed hæc omnia ob vehementem attractionem teſtium conſumentur: inde etiam peruenit ad ſtuporem & detrimenta in auditu & in neruis.

Secundum detrimentum eſt quod ventriculus maximè debilitabitur, vt enim docuit Galenus *6. de adminiſtro anatom.* Ventriculus eſt factus ex nerueâ ſubſtantiâ quoniam concipere cogebatur materias duras ac ſiccas & contumaces, quâ etiam cauſâ ad concoquendum eas indigebat maximo calore: tum quia erant contumaces: tum quia ipſe exanguis. Igitur cum hic fiat maxima reſolutio caloris, oportet ventriculum, tum quia exanguis: tum quia plurimo indiget calore maximè lædi. Vnde ſequuntur duo mala. Primum corruptio humorum omnium & coloris ob vitiatam primam concoctionem: Secundum quod cibaria craſſa & frigida ferre non poteſt nec concoquere; ſed calida & tenuia cum multum ſeminis generent, augent principalem morbum, ex quo eſt poſitus inter Scyllam & Charybdim: Tertium detrimentum eſt macilentia & imbecillitas totius corporis, quæ prouenit ex duabus cauſis quarum vna eſt quod teſtes trahunt nutrimentum eius: altera quod prima concoctio vt dixi eſt vitiata: vnde non ſubminiſtratur debitum alimentum corpori; inde corpus ad Hecticam, vt dixi & hydropem præparatur. Ad hecticam parum comedendo & bibendo, & multum exercendo: Ad hydropem contraria omnia his agendo.

Hæc tot & tanta non ſolum imperitis medicis, ſed etiam ipſi videbuntur ſuperflua: illis quidem quia temere ad auxilia prorumpunt, non bene intellectâ naturâ morbi: vnde ex prauis peſſimas faciunt ægritudines: aut enim illas curando, alias nouas adiungunt diſpoſitiones præcedente quam curauerant, deteriores longè: aut nec omnino primâ ſanatâ alias adiiciunt. Ipſi verò, quia vellet inuenire aliquod vnum auxilium compendiarium pro curâ, vt vnam herbam, vel aliud ſimile, quæ appoſita exterius, vel ſucco aut cremore interius aſſumpto liberaret ipſum. Et hoc eſt propter malam conſuetudinem cum medicis habitam, in qua videt tentare illos diuerſa auxilia; vnum poſt aliud, quaſi ſperent vnum inuenturos quod habent proprietatem inſitam curandi eum. Et eſt ac ſi vellet ædificare domum & tentare primò cum lapidibus ſolis: inde cum ſolo ſabulo: poſt cum calce ſola, inde cum tignis, & demum non ſuccedente opere tranſiret ad mixtionem illorum ſine ordine, & miſceret ſimul omnia, & ſperaret conficere domum: & demum hoc nec ſic ſuccedente tranſiret ad ferrum, herbas, & carnes experiendo in illis an poſſet confici domus, quaſi prior materia non eſſet apta, & quod defectus proueniret ex naturâ materiæ, & non quia non proceſſum eſt ordine debito in extruenda domo. Et hic defectus maximè viget hoc tempore ob ambitionem medicorum imperitorum vnde dicebat Galen. *3. art curat.* 15. ignorantia medicorum eſt indelebile vitium, maximè ſi cum ambitione fuerit coniuncta. Alia cauſa eſt ægrorum importunitas, qui dum celerrimè volunt ſanari morbum in infinitum producunt, vnde melius multo eſſet in vno anno perfectè ſanari & tutò, quam dum volunt in quatuor diebus curari, producere morbum ad decennium, cum iactura corporis quæ ſarciri non poteſt. Nam quamuis perfectè curetur, & ab omnibus detrimentis quod ſpero fiet, vbi parere voluerit, attamen cum ſe crediderit reſtitutum perfectè ſanitati, & certè erit, non tamen erit reſtitutus illi eidem ſanitati ad quam perueniſſet ſi curatus fuiſſet perfectè in primo anno, in quo morbus incepit. De auxiliis autem à proprietate agentibus non contemno, imo exiſtimo ea eſſe neceſſaria, & ſcribam ipſa: ſed tamen nec tutò, nec forſan perfectè cura-

bunt,

bunt, nisi fuerint adhibita cum auxiliis rationalibus, & debito tempore adhibita, tum etiam constanti ordine.

Igitur vt à curationis indicatione exordiar, duplex hic exoritur ordo. Vnus à quo morbo incipere debeamus, num à causa vel ab eo quod magis vrget. Hic non habemus difficultatem quia causa, *id est*, defluxus seminis nondum creauit morbum adeo breuem vt ab illo progenito incipere debeamus: igitur initium erit à defluxu inuoluntario seminis, excepto quod ventriculus, vt dixi, ob imbecillitatem & frigiditatem exposcit calida & leuia concoctu, & propter crudos humores sicca. Et hæc omnia augent dispositionem. Secundus ordo est in tribus: in victu seu regimine sex rerum non naturalium: Secundò in auxiliis & medicamentis quæ à manifestâ qualitate conueniunt: Tertiò in his quæ à proprietate liberant hunc morbum.

Pro primo igitur humida omnia actu magis conueniunt quam sicca: & hoc quia debilitata coctione fit corruptio: & humida celerius ac facilius concoquuntur: igitur secundum, primum & secundum humida in potentiâ maximè iuuant. Patet quia causa morbi est siccitas, & etiam exsiccata sunt membra; & licet abundet pituita multa (dicebat Galen. *lib de Tabe*) hæc non prouenit propter temperaturam humidam sed siccam, quod expressè patet in senibus. Et hoc etiam voluit Auicenna, *prima primi doctrina 3. cap. 3. in fine.* Quare ex hoc concluditur præsidium singulare ad actum practicum, & est balneum aquæ tepidæ in omni tempore, & balneum aquæ frigidæ in ætate sunt vtilissima, & loci natationi in vmbrâ apti. Somnus prolixus est otium. Sed exercitatio magna mala, peior est vigilia & insolatio. Circa hoc ergo dico quod post assumptum cibum horâ septimâ ponat se in balneum aquæ tepidæ per dimidium horæ: deinde in aquæ fontis, si eam potest ferre sedendo & natando in ea per horam: sed prima vice incipiat per duodecimam partem horæ: post per octauam partem horæ: inde per quartam horæ: atque ita sensim ascendendo vsque ad spacium horæ, & est optimum auxilium in quo multum confidere debet perseuerando multis diebus, & reparabit bonum habitum, cessabit profluuium & melius concoquet, & habetur à Galeno 3. *de tuend. sanit.* Secundum præsidium, ex secundo Corolario, somnus debet esse prolixus, sed vt habetur à Galeno 6. *de tuenda sanit.* Naturalis est horarum nouem: ideo debet esse tantus, vel etiam prolixior, & hoc est per se clarum. Sed quòd in somno accidit pollutio, debet hoc considerari, vt dormiat super stratū ex paleâ triticeâ tenui: vel si est molestum ex alga, vel si hoc etiam non placet, super stratum ex stupâ sericea. Cottum verò seu Gossypium est malum, deterior cocto est lana: omnium autem pessima est pluma. Dormiat in conclaui sicco, sed moderatè frigido, & contentus sericeâ aut lineâ calcitra, nō autē laneâ, vel Gossypina.

Tertium Corolarium est quòd Ptisana hordeacea est maximum præsidium, loquor de verâ Ptisanâ, non autem factâ ex farinâ triticeâ: sed ex ea quæ fit ex hordeo secundum Galeni doctrinam. Ideo in hac sunt omnes intentiones, nisi quod aduersatur ventriculo iam debili existenti: difficile enim est, vt dicebat Gal. *in arte curat.* inuenire auxilium quod noxâ careat, & quod sit egregium: ob id ergo curabimus vt non noceat ventriculo, & hoc addendo puluerem mentæ siccæ, tenuum foliorū & sapam, & tunc habebit omnes intentiones quæsita vt videbitur.

Circa aerem ostendi alias quòd optimus aër est patrius, & quòd post ipsum aer contrarius. Aër igitur humidus & frigidus est optimus. Sed oportet cauere ne per aërem humidum intelligat vaporosum: hic enim minime conuenit; sed eligatur humidus hoc est, limpidus, clarus, & perflatus, & talis est montium, & collium qui spectant ad boream. Multum etiam facit olere ea quæ habent corrigere aërem, & est vt accepto cubiculo patente ab oriente & borea, & occidente, & manè apertis vtrisque fenestris ab oriente & occidente: post aperta ea quæ ad boream spectat, & aliis vsque ad noctem clausis. Roretur domus ex aqua in qua lignum santali per plures dies in puteo maduerit: Item spargantur folia vitis, salicum, & rosarum tam plantæ quam etiam foliorum: & adhibeantur suffumigia omnis generis.

Quoad cibos. Sunt boni omnes fructus nisi quantum nocent ventriculo: optimi tamen qui sedant feruorem vt crassa medulla citrangulorum quæ est mihi valde in vsu, tum Rhu, citonia seu cotonea, ribes, pruna, myrobalani recentes, berberis seu oxyacantha valde bona, tum poma acidi saporis: teste enim Galeno acida diuidunt pituitam, & crudos humores. Deteriora inter fructus sunt ficus, quia semen generant: vua quia inflat, & melones à proprietate. Vna tamen crispa seu spinosa quam Itali vocant roxelam, est optima. Nocent & pineæ fistici seu pistachia, & nux indica quam constat esse ex plantâ palmæ sui generis Dactyli, Amygdalæque in medio sunt, vt nec boni fructus nec mali nuncupentur. Bona sunt Pyra: mala fungi ac tubera & melongenæ. Nuces Auelanæ & Iuglandes mediocres. Persica, & Armenica seu crysomilla bona, vt contra mora mala, & vt generaliter dicam, omnes fructus acerbi aut austeri, aut acidi saporis, aut insipidi optimi: Amari, dulces, acres, & pingues mali: mixti autem ex his mediocres: quod iudicium est in oleribus: nam oxalis, & oxylapathum & endiuia, & lactuca, tum melissa & spinachia seu atriplex & blitum & caulos, nisi quod nocent atræ bili iam incipienti, sunt bona. Mala autem rapa, saluia, nasturtium: nec probo raphanum aut genus aliquod Aromatis nisi coriandrum & santalum & myrtum. Omnia igitur acria & amara præter rutam, nam ipsa est non solum bona, sed optima; confert ventriculo, atræ bili, flatui, seminis profluuio: omnia etiam odorata calida præter mentam mala sunt: menta verò est vtilissima: nam confert ventriculo & siccat profluuium seminis quasi à proprietate quadam: noxia

noxia est pastinaca, etiam atque Carotæ: vtilia inter legumina solæ lentes, reliqua noxia: vtilis est portulaca. Ex lacte non videtur aliquod vtile, nisi forsan ouillus caseus tener propter renes. Mala etiam sunt quæ ex farinâ conficiuntur.

Pisces omnes boni ac vtiles. Intelligo de marinis: nam hi qui sunt ex aquis dulcibus rarò fuerunt in consideratione. Probantur tamen tum ex his tum ex marinis qui quatuor habent conditiones. Prima quòd habeant squammam non cutim: secunda quòd sint in aquis claris ac mundis & ita ex profundo mari: tertia quod sint lati: quarta quod sint tenues in compositione ad latiformem. Eiusmodi inter marinos sunt Aurata, Arbor, Passer, Rhombus & multi alij: Inter pisces fluminum Persicus, Lupus, seu Lucius & Cepa; nec scio an vlli alij conueniant. Conueniunt tamen pisces, vt dixi, à toto genere. Ranæ non sunt malæ, quia tamen sunt neglectæ ab antiquis, & multis in locis prauæ & abominabiles, dimitto. Cancri autem sunt boni, & sunt qui carent caudâ: Item Gamari qui apud nos inueniuntur, & habent caudam sunt valde boni: præbent enim nutrimentum frigidum & humidum & putredini ac conuersioni in semen non satis paratum; sed nihil melius limacibus, habent enim quatuor singularia in hoc casu, vt nihil melius possit excogitari. Primum quod sunt frigidæ & siccæ, & resistunt seminis tum generationi, tum profluuio: secundò quod conferunt iecori à proprietate Galen. 8. *de composit. medicam. secundum locos cap.* 3. Tertiò quòd conferunt consumptis, extenuatis, hecticis, & ad hecticam paratis: quartò & vltimò quòd prosunt ventriculo Et quia sunt duræ coctionis, ideo iubet ter coqui. Ego non sum securus de tam multiplici coctione, quoniam amittunt vires; Ideo vellem vt eligerentur solùm teneræ & nuper collectæ in vepribus & locis humidis. Post sunt Testudines quas maximè probo; & sunt mirabiles pro cibo proprietate quadam occultâ, maximè Stagnorum & Paludum.

Inter carnes pro nunc probarem leporinam, Capreoli, Apri, & Suis iuuenis in agris, non harâ nutriti: item Arietis iuuenis tum hædi. Dimittatur vitellina & auium. Et si fit auium sturnorum & perdicis erit melior. Ex præparationibus assata super prunas est bona, post in veru, non vtatur frixâ nec elixâ, nec in iure condita. Inter carnes, Ericij caro optima est, non edat nisi semel in die carnem propter tres causas. Primò propter ventriculi imbecillitatem: secundò ob multitudinem nutrimenti: tertiò ob præceptum generale medicorum: nam ob primum non potest concoquere: non enim caro in valido ventriculo concoquitur ante duodecim horas; in imbecilli verò vix in viginti: quomodo igitur transibit in nutrimentum? & tunc cum non transit, fit semen, & augetur causa morbi & cruditates. Dato etiam quod concoqueretur, nimis nutriret. Licet autem edere passulas alia vice vt in mane, & carnem vt in sero. Ad hanc tamen mutationem victus transeat sensim, ne repentino transitu offenderetur imbecillus ventriculus.

De vino eligat album, non rubrum aquosum, & addatur etiam modicum aquæ, & si vellet per aliquot dies abstinere ab eo & vti aquâ chalybeatâ in quâ Rhu & Berberis decocta essent, non esset malum.

Pro ferculis cucumeres cocti, & cucurbitæ & lactucæ optima sunt in acetariis probantur quæ dicta sunt. Abstineat à capparibus. Oua nullo modo probantur, vitet ea. Oleum etiam est inutile: auget enim semen, & labefactat ventriculum: mel pessimum: sal non omnino malum, vt nec acetum, nec sapa, sed tamen moderatè his vtatur.

Circa somnum dormiat super laterum alterum semper, vt etiam Paulus docet, non supinus vnquam aut pronus. Circa motum, exercitetur ante cibum, & cum confirmatus fuerit ad sudorem vsque. Circa euacuationem prodest sæpe cum frigidis ventrem lenire, ita tamen vt ventriculus non lædatur, Et hoc fit sic. ℞. diaprunis non solutiui ℥.iij. Capiat in mane cum ℥.ij. aquæ borrag. factæ vel per vitreum Alembicum, vel per viam decoctionis, & tardet cibum horis tribus. Idem confert, si fiat cum conserua prunorum eodem pondere: Item si cum saccharo violato, sed melius rosato facto cum rore, cuius quantitas soluit ventrem, & est in vsu Mediolani: & vidi ipsum in morsellis & est optimum.

Circa animi symptomata, generaliter omnia quæ exhilarant animam iuuant: superius enim diximus quod ex solo timore quandoque vel etiam tristitia hoc contingit: ideo lætari & iucundo esse animo confert: & maximè propter atram bilem, quæ iam vrget eum.

Sed quoad ea quæ medico pertinent, caderet vna dubitatio: an hic morbus iure debeat dici cum materia? & respondeo, vt alias docui, quòd non omnis morbus, qui est cum materia debet dici materialis, sed quando materia est causa, sed hic non est causa: ideo non indiget purgatione merito materiæ: Indiget autem ratione magnitudine morbi 4. *art. curat. cap.* 6. Sed an venæ secandæ? Respondeo non, cum sit macilentus & sanguis ad atram bilem conuersus: in quartana enim non mittit sanguinem Galen. *primo ad Glaucon.* sed hoc facit non quia sanguis ater, nam huius merito mitteret: sed ratione materiæ extra venas existentis. Igitur concludo quod vbi venæ tumore & tensione indicent de plenitudine, tunc oportet mittere, aliter autem non. His visis vbi mittendo sanguinem appareret niger, tunc perseuerarem in mittendo vsque ad ℥.xij. ex venâ iecoris seu nigra: aliter vbi sanguis appareret tenuis, illico sisterent. Sed est quasi impossibile quod stante multitudine sanguinis, quòd sit clarus, aliter esset absque atra bile. & ideo sufficit nobis vnum signum tantum scilicet plenitudo venarum aut inanitas. Si igitur sit plenitudo, non est abstinendum à sectione venæ, & copiosa sanguinis eductione: vbi verò sint exiles aut minime plenæ, non est mittendus sanguis. Solum igitur considerabimus venarum plenitudinem; ex quo colligo vnum vtile, quod vel non est mittendus sanguis,

sanguis, vel est mittendus copiosus. Nec debet præcedere purgatio, vbi sanguis mittendus sit, quia sanguis mittitur solum ratione magnitudinis morbi, non humoris propriè peccantis. Igitur vel statim & multus sanguis erit mittendus, vel nullo modo, nec post nec paucus scilicet. Atque hic erit ex venâ iecoris vbi sit educendus, & non aliter: quia quærimus auersionem, & quia non mittitur ratione materiæ morbi, vt dictum est. Quo stante, seu misso, seu non, accederem ad purgationem totius corporis generalem. Et hoc duabus ex causis, imò tribus: tum quia atra bilis & pituita abundant: tum quia morbus est difficilis curationis, ideóque magnus: tum quia non debemus vti auxiliis propriis ante purgationem generalem corporis, aliter non possent auxilia prodesse, & maximè aqua Thermarum, quæ in maximâ quantitate sumenda est. ℞. igitur cassiæ nouiter extractæ ℥.v. pulueris rosarum & folior. senæ ana ʒ.j. puluer. berberor. ℈.j. Cum saccharo fiat bolus. Capiat ante cœnam. Sequenti die aut in mane capiat ℥.iij. fumiterræ repurgati & recentis cum ℔.I. ß. aquæ lactis, & tardet cibum per horas quinque. Inde comedat solum panem infusum in iure carnium, & iecur Gallinæ vel Pulli pro prandio. Sequentibus autem diebus capiat hoc. ℞. oxysacchar. syrup. de succo acetosæ, syrup. de fumoterræ, *id est*, de succo eius ana ʒ.vj. aquæ decoctionis berberorum, sumach & coriandrorum ℥ iij. Misce, capiat per quinque dies vel vj. Post capiat rursus hanc purgationem. ℞. Succi cassiæ recent. ʒ. v. agarici trochiscati cum maluatico ℈. ij. senæ folior. puluerizat. ʒ.ß. berberor. ℈.j. Cum saccharo fiat bolus. Capiat ante cœnam. Inde die sequenti succum fumiterræ cum aqua lactis tardando cibum vt supra.

Post hæc accinget se ad assumptionem aquæ Thermarum. Et interim dum accipit has purgationes & aquam Thermarum, vtatur regimine infra scripto, & non aberret ab eo.

Primum siue assumat syrupos, siue medicinam, seu aquam, inambulet à secundâ horâ diei in qua debet surgere, in viridario in vmbra, vel alibi vsque ad quartam horam: ita tamen vt non fatigetur, nec exponat se soli, vento, vel imbribus. Et si non posset ob imbres, spacietur in sala longa: demum quiescat aliquantisper: & post assumat cibum, qui erit pullus conditus cum agrestâ & iure. Et vtatur etiam illo iure, & bibat vinum album lymphatum: & capiat tantum de pullo, quod possit esse concoctum hora vigesima secunda in qua cœnet. A prandio autem iocetur, & ludat, nec studio aut deambulationi operam det. Idem victus in cœnâ conuenit, sed plus edat de pullo, cætera paria: abstineat à potu aquæ: nisi dum lymphatum vinum. Ab omni alio cibo, penitus à potu post cibum: à vento, frigore, venere. De somno, dormiat post prandium, vbi male in nocte dormierit. Et cum hoc sentiat se exoneratum aqua aut syrupo, aut medicina quam suscepit, aliter autem nullo modo.

Pro assumptione aquæ facta purgatione vltima dicta die, sequente in mane postquam surrexerit, capiat ℥.v. aquæ Thermarum de villâ tepidè aut saltem non frigidè: inambulet vt dixi supra. Conditiones aquæ sumendæ sunt tres. Prima quòd ipsa sit paucis ante diebus extracta, & si posset fieri in eadem die esset melius: inde vtilius esset vt sumeretur in loco proprio balnei, vt multi faciunt. Et ita erit absque odore & sapore malo. Quod si haberet alterum horum esset corrupta ob vetustatem & est perniciosa. Sed inuenitur quæ est alterius anni & tamen non male olet. Hæc vt par est offendit & non iuuat. Sapor eius, quando est bona & recens, est vt alterius aquæ fontis, sed subsalsus adeo vt vix percipiatur salsedo, & color eius est vt aquæ fontis vix ad citrinum declinans, ac tam parum vt nisi ab experto percipiatur. Odorem nullum habet cum est frigida: cum calefacta est iucundum sed tam paruum vt vix sentiatur. Secunda conditio est vt non colligatur post pluuiam, nisi post tertiam diem, redditur enim perniciosa, & hydropi generandæ apta. Tertia vt seruetur in loco frigido perflato, in ligno, lapide, sed optimè in vitro. Vasa autem quibus colligitur, in eodem fonte, non aliter lauentur.

His visis ad ordinem redeo prima die sumptis vnciis quinque secundâ die, octo; tertiâ die duodecim in duabus vicibus scilicet vnciis sex pro vice, interim parum deambulando: quarta die vnciis octodecim in tribus vicibus: quinta die vnciis viginti quatuor in quatuor vicibus: post sextâ die vnciis triginta in quinque vicibus: septima die quadraginta in sex vicibus aut septem aut etiam paucioribus: octauâ die sexaginta: nonâ die octoginta in quatuor vicibus, vnciis viginti pro vice: sumat tepidam vel saltem non frigidam: decima die vncias centum: die vndecima centum & viginti in quatuor vicibus interponendo spatium quartæ partis horæ inter assumptionem: die duodecimâ vnc. centum & viginti die decima tertia tantundem: die decima quarta vnc. centum & quadraginta. Et hæc est maxima quantitas: die decimâ quintâ & decimâ sextâ tantumdem: die decimâ septimâ vnc. centum & viginti: & ita perseueret vsque ad dies viginti vnum: post die vigesima prima vnc. octoginta: die vigesima secunda vnc. sexaginta: die vigesima tertia vnc. quadraginta: die vigesima quarta vnc. viginti: die vigesima quinta & vltima vnc. quinque, & postmodum quiescat.

Interim obseruet quod ab initio potus, numquam vsque in finem assumat prandium donec emiserit totam ferme aquam ebibitam. Solet autem emitti quatuor modis: per vomitum, & hic modus à principio non est malus: præsertim si secum ducat multas materias: cum autem perseuerat est malus: secundus est per aluum: & hic est vtilis, sed tamen in hoc casu melius est vt reddatur aqua per vrinam vt plerumque solet: quartus est per sudorem, hic non est adeo frequens in hac aqua, nec adeo bonus.

Epotâ aquâ, vtatur eodem regimine per proximos sequentes viginti dies. Et hæc dicta sint de his quæ pertinent ad medicinam. Nunc venio ad auxilia singularia, & optima

in

in hoc casu. Et primum est vt abstineat perperpetuò ab equitatione, nihil enim est illa deterius,& potius se exerceat deambulando, & post ludendo pilâ cum fuerit confirmatus. Secundum est stratum ex rosis,salicibus, vitice,floribus,foliis, ac semine. Tertium est vsus Periclymeni seu matris syluæ quæ ab aliquibus probatur, & est herba copiosa ascendens in sepibus & lucis vbique Papiæ. Sed ego non auderem vti eâ, quia inducit sterilitatem. Quartum est optimum & singulare ponere testes in aqua frigida sæpe: & cum aqua incalescit permutare eam. Et magis si fuerit aqua ferrariorum fabrorum in qua solent extinguere ferrum in puteo refrigerata. Quintum est potus eiusdem aquæ assiduus,tollit enim hunc morbum,si ab omni alio potu deinceps abstineamus. Sextum est vsus mentæ syluestris. Est herba in pratis nascens similis ex toto mentæ,nisi quod habet folia pilosa. Hæc comedatur assiduè in acetario. Et vbi lædatur vsu frigidorum,vtatur postmodum rutâ quæ est valde bona,sed sumatur ante cibum. Septimum est vsus lactucæ cum aqua frigida in mane. Octauum est gestare lapidem annexum collo ita quod carnem tangat, qui vocatur Topazius, sed verè est Chrysolitus antiquorum, vt declaraui in libro de subtilitate. Hic igitur magnus & orientalis hoc facere potest proprietate sua. Tentarem etiam gestare lapidem illum quem vocant Chrysolitum & vulgariter Pyradoctum, sed est lapis tener,qui solus inter Gemmas à Limâ tangitur. Nonum est nymphææ radix & semen, tum semen violæ albæ, & semen seu hederæ fructus. Refrigerant ista omnia non parum teste Aëtio *lib.* 11. *cap.* 34. Decimum est camphora, siccat enim multum & tollit semen. Et nisi esset quod odor eius deiicit appetitum esset res optima in hoc casu. Vndecimum sunt succi rerum frigidarum exterius super testes appositi, vt Portulacæ, Semperuiui, Plantaginis, Solarij vmbilici veneris, sanguinariæ, Tribuli lacuum, musci aquatici, Perdicij, Mandragoræ, Alterci, Lactucæ veteris, & succus etiam Cannæ recentis, & succus cucurbitæ & cucumeris. Duodecimum est quod incessus nudis pedibus tollit hoc. Sed quia non licet,ideo dico quod apponere soleas ex pelle canis prodest:quia tamen hoc est extra artem, non vterer eo. Decimum tertium est semen Cannabis seu sparthi, calamintha,cyminum, bdellium. Decimum quartum est magnum & potens, cicuta cum semine super testes emplastrata. Et debet continuari viginti diebus. Et scias quod materia sedantium hanc pollutionem contingit aut ob congelationem,& hæc fit à frigidis vt cicuta præcipuè: Secundò aqua frigida vt dixi: tertiò aqua lactis acetosa facta & valde acetosa, & hæc iuuat etiam in potu: quartò ex omphacio seu emplastro vuæ acerbæ,& melius labruscæ:quintò ex portulacâ, sed vt dixi nihil melius cicuta.

Secundus modus est vt siccetur, & hoc fit cum rutâ,vitice, calamintha, ormino, lentibus,mentâ. Tertius est vt tollatur attractio, & hæc est vera cura, quia per hanc corpus non solum non læditur, sed egregiè iuuatur. Præterea est cura propria, & fit cum refrigerantibus & humectantibus, ideóque cum eisdem cum quibus prima cura. Ideo talia vt cicuta & portulaca multum iuuant. Oportet autem interdum miscere secundum genus vt non lædantur membra à superfluo frigore.

Decimum quintum auxilium est lapis Aëmatites hispanus, qui est valde durus subtilissimè puluerisatus, & sumptus cum aquâ lactucæ per dies quindecim a ℈. ij. ad ʒ. j. sumptum singulis duabus vicibus cum aquâ lactucæ. Aliud expertum. ℞. Folior.cum semine existentium in flore nenupharis seu nymphææ ʒ.j. syrup. de papauer. ℥. j. aquæ lactis acetosæ vel aquæ lactucæ ℥. ij. misce & continua per quindecim dies. Aliud semin.coriand.sicci ʒ.iij. Infundantur in aqua lactucæ ℥. iiij. per horas viginti quatuor & cum modico sacchari capiat in potu continuando per septem dies. Diligenter autem aduersatur ne vllum horum auxiliorum fiat ante assumptionem aquæ Thermarum, neque dum assumitur, neque etiam post vsque ad octo dies à fine assumptionis aquæ Thermarum:ante enim assumptionem essent inutilia hæc, aut cum periculo dum autem aqua assumitur & vsque ad octo dies, post essent vtilia,sed cum maximo periculo. Rursus tardando initium nimis & vltra dies viginti, esset adhuc inutilis. Et hoc totum est clarum, & obseruandum summâ diligentiâ. Hoc enim est quod verè dixit Hippocrates prima Aphorism. *Occasio autem præcep.*

Ex expertis autem compositis est hoc nostrum valde potens. ℞. olei nenupharini,de menta,rosati ana ℥.j. camphoræ ʒ. ſ. semin. lactucæ ʒ. ij. vnguenti populeon. ℥. ſ. misce & fiat per formam linimenti ex quo vngatur à summitate virgæ vsque ad renes à parte inferiore tota regio cum testiculis. Aliud per os singulare ad hoc. ℞. semin. lactucæ & folior. flor. nymphææ cum semine interiore ana ʒ. i. ſ. coriandri seminis recent. ʒ.j.semin.rutæ,fol.mentæ semine viticis ana ℈. ij. semin. papauer. ʒ. iij. crystalli lapidis chrysoliti margaritar. ana ʒ.j.folior. rosar.ʒ. ij.cum syrupo nenupharino misce fiat opiata de qua sumat ad quantitatem nucis cum vadit dormitum. Et ista sufficiunt pro cura principali.

Pro annexis autem quæ sunt atra bilis, debilitas ventriculi, amissio memoriæ & abundantia pituitæ, consumptio corporis & malus color, sufficiat vsus frequens huius medicamenti quod confert principali morbo,& habet omnes alias intentiones. ℞. Limaturæ chalybis puri viginti quatuor vicibus cum aceto, & totidem aliis cum aqua elotæ ℥.ij.margaritar.hyacintorum orientalium aquæ marinæ, lapidis saphiro um oriental. chrysolit. ana ℈. ij. puluerisentur hæc omnia subtilissimè & siccetur limatura in furno optimè:post misceatur cum pulueribus super scriptis: inde addantur seminis borraginis ʒ.ij. folior. melissæ recentium in furno siccator. ʒ. iij. fol.senæ sine stipitibus ʒ.x.ellebori nigri montani ʒ.j. Quibus iunctis capemellis despumati ℔.ij.succi rosarum, succi fol. borrag.ana ℔. j. Coquantur succi

cum melle donec consumantur succi & semper despumetur: post addantur dicto melli Succi fol. apij Succi folior. melissæ ana ℔.i. & coquantur simul donec consummantur Succi & despimentur. Vltimo addantur eidem melli Succi fumiterræ Succi pimpinellæ ana ℔. i., & coquantur vt supra ad consumptionem succorum. Vltimo despumato melle ab his Succis addantur pulueres super scripti & cum ℨ. ij. croci fiat opiata. Et quia erit difficile habere ℔. i. succi pimpinellæ sufficit addere ℥. iiij. eiusdem. Istud si sumatur bis in hebdomada in sex mensibus totum absumetur & curabit ipsum ab omnibus dispositionibus supra scriptis. Et cum hoc si fuerint aliquæ reliquiæ morbi curabit eas, & ipsum exhilarabit, & bonum colorem reparabit & memoriam naturalem restituet & debet sumi ℥. i. pro vice cum ℥. ij. aquæ infra scriptæ ℞. vini albi aromatici & aquæ fontis ana ℔. iiij. misce & in his infundantur melissæ m̄. ij. folior. apij m̄. ß. folior, borrag. & papauer, & pimpinellæ ana m̄. i. folior, mentæ habentis folia rubra & angusta m̄. ß. fiat infusio tribus diebus, deinum in vitreo vase destilletur, & colligatur aqua, quæ etiam per se multum iuuabit, sed longe plus cum medicamine supra scripto.

CONSILIVM XXXVIII.

De Gonorrhoea, aliisque Symptomatis.

IN casu isto, amice præstantissime, in quo est symptoma exiens mutatum, & in qualitate, vt recte sentis, quòd verisimile sit non totum esse semen, imò nec forte vlla pars, verum postquam profluit per illa loca, verisimile est vt sit semen impetfectum: sed hæc imperfectio ostenditur cousque vt non sit: terminus enim eius est humor crudus, vt benè dicis, cum omnino subterfugerit actionem vel ratione moræ quæ nulla sit in his locis, vel multitudinis ex qua actio impediatur, aut ob debilitatem membrorum iam facta impressione humoris extra naturam, vel quod verisimilius est ex omnibus, & vt video ad vnguem assentior tuæ sententiæ quòd ex frigida intempene ventriculi & per errores vitæ militaris & aulicę inciderit in hunc morbum, renibus atque iecore (addo etiam vasis seminariis calidis) & cum hoc etiam mala compositione id est, nimia latitudine meatuum & vasorum seminalium, quoniam materia multa per ea trahitur, & tales dispositiones sunt difficiliores quoniam principium mutari non potest vt in intemperiebus. Vt sint sex causæ in vniuersum, frigiditas ventriculi, mala ratio victus & principuè ciborum crudorum & vini potentis atque vigiliarum, & verisimi est quod etiam veneris ante: nam cum agat prope quinquagesimum annum, & labor sit quatuordecim annorum, relinquitur vt esset annorum trigintas ex vel circiter cum inchoauit, & ideo in summo vigore ætatis & concumbendi: & tertia est calor iecoris: quarta renum: quinta longitudo meatuum: sexta longitudo morbi & impressio ex ea facta Ex his omnibus. Tertia & quarta facilis sunt curationis: secunda est in sua potestate: Prima etiam fermè, licet non prorsus. Sexta indicat de difficultate non tamen quin possit curari. Et indicium quod possit curari est vt possit concumbere, licet enim profluuium sit citra tenstionem virgæ, fieri tamen posset vt cum hoc virga tenderetur, quæ si tenditur aliquando valde & cum robore morbus est sanabilis: si prorsus non tenditur omnino insanabilis, & quanto propior vni vel alteri (video te valere iudicio) ita erit vel non sanabilis vel exparte aut difficulter vel facile: si enim impressio præualuerit, aut latitudo meatuum magna fuerit, parum profecui sentiet: si ambo, nullum. Est etiam aliud aduertendum quod si violenter sanetur incidet in alios deteriores forsan morbos è quibus sunt comitialis & podagra propriè, aut lapis in renibus, vel vesica: & eo genere etiã sunt febres longæ & hydrops, & hoc non minus est consideratione dignum quàm priùs, & præsertim quod adsunt quatuor causæ concordes longitudo morbi cum copia materiæ, & defluxus per loca angusta & longa, natura licet paulo latiora, exitus materiæ ab initio vel defluxus humoris & longitudo ipsius morbi, & regio frigida & consuetudo multi cibi & potus, ex qua fit necessario vt corpus non nutriatur, nisi ex spuma pinguedinis, quod terreum autem est non mutet, si ergo parum dederis accẽdetur calor assuetus copiæ cibi, & non nutrietur corpus quia modicum mutatur: si multum hærebis vt prius.

Propterea cum in omnibus sit quoddam optimum quia est pessimum, & quod maximè recedit à pessimo id optimum est: ideò etiam insanabilibus imo etiam in malo vtentibus regimine, est quippiam optimum non simpliciter, sed in eo genere, & sub ea conditione. Intentiones ergo generales sunt præparatio ad coctionem, refrigeratio iecoris & renum, & testium: euacuatio materiæ presentis: auersio à loco: confirmatio membrorum principalium: ne incidat in alium morbum. Pro ventriculo igitur minuat quãtitatem ciborum & vtatur alimentis minus solidis, pane leuissimo, oriza bene cocta, & panico, & milio, carnibus auicularum, pedibus animalium, maxime vitulorum cum aceto præparatis. Omittat caseum butyrum, pisces crassos aut non squammosos. Sint ergo lati squammosi, tenues, non parui valde, neque magni. Vtatur iure attenuante nostro. Ros marinus, vuæ passæ, acetum potest addi coriandrum, croci parum quandoque omphacium. Si non displiceret in hoc casu viticis semen, menta omnino hæc, vel cum iure tenui id est, pulli vel simili vel cum aqua & oleo vt nil edat sine hac præparatione. Non prohibeo talem & quoniam competit regimen extenuans pingues, folia linguæ auis, & est genus fraxini & dietamnus albus non Grecorũ sed ille officinarum scilicet folia non radices essent valde vtiles. Vtatur autem somno longo, puluinari ex gosipio supra ventriculũ posito. Pro refrigeratione

renum

renum quæ refrigerant iecur, peculiariter autem aqua frigida sæpe imposita super locum, & aqua lactucæ destillatæ & plantaginis tempore æstatis in puteo refrigeratæ. Iecur autem mungatur cum vnguento santalino: fiat œnanthe cui iungatur etiã vnguentũ roseum, & mista cum aceto modico. In his omnibus obseruemus ne obstructio accidat in iecore, & ideo vtatur sero & capparibus ex aceto. Caueat tamen ab apij generibus propter multa & etiam à fœniculo, & breuiter adsit attenuatio & incisio: impulsio nulla seu prouocatio. Testes quoque refrigerentur cum aqua frigida, auget enim calorem innatum & temperet auferendo qualitatem prauam: deinde inungantur oleo roseo pigmentariorum. Purgetur autẽ materia præparata cum pluribus, sed optimos esse reor pastillos de violis qui cõstant ex manna & violis & turpeto, seu pithyusa cum modico gingiberis, hoc repetito medicamento sœpius alleuiabitur morbus, & diuertetur materia à loco & est familiare & innoxium si recte paretur: post deueniat ad medicamenta potentia, hoc est, assumptionem aquarum thermarum ex natura ferri vel argenti, tum etiam æris. Mutet rationem victus paulatim etiam ad arctiorem regulam quàm quæ proposita est (est enim descriptio faciendorum nõ modulus) vt caueat ab omni vino potenti, & sit paucum, & dilutum aqua chalybeata. Post hæc deueniat ad diuertentia, & fiant fontes primum in brachio dextro, si non, in sinistro etiamsi non iuuant, occludantur, & fiant sub genu in parte domesticâ aut syluestri prout commodius videbitur. Inde conuertat se ad astringendum meatus illos & impositione testium vt dixi in aquã frigidam, cauendo prorsus ab equitatione, sed & pedes iri itinere à cibo semper, ante cibum autem non nisi leuibus vtatur ambulationibus citra conuersionem. Caueat ab insolatione & à ventis: nam calidi & humidi replent corpus & caput: frigidi & sicci constringunt materias. Similter ponat super renes laminam auri ponderis vnciæ vnius latam & longam palmo, aut saltem argenteam puram, & sint in eis lapides quos vulgus vocat topazios: sunt autem orientales aurei coloris & splendidi, ac duri, & verè vocantur Chrysoliti: plurimum enim hoc iuuabit. Puluis noster ad hoc & ad membra principalia cõfirmanda ℞. saphirorũ orientalium etiam si non sint valde cœrulei, modo sint perspicui, lapidis Chrysoliti, eius de quo dictum est lapidis lazuli orientalis optimi loti uicies cum aqua, postquam redactus fuerit in pollinem an ℈. ij. smaragdorum orientalium & lucidorum ℈. j. foliorum mentæ rubræ paruæ & odoratæ viridium & siccatorum in furno citra vstionem ʒ. j. margaritarum orientalium ʒ. ſ. sacchari albi ʒ. iij. redigantur omnia in pollinem ita vt sint læui gata. Et de hoc capiat ante cibum per septem horas semel in mense ʒ. ſ. vsque ad annum, cum modico aquæ rosaceæ id est ℥. ſ. aut minus vel aquæ lacturæ.

Quod verò petis de clysteribus in hydrope, auctoritatis Rasis non memini, aliàs forsan ab aliquo audiuisti, imò in Ascite uiuata est mulier ex clysteri facto ex iure in quo decocta fuit radix cucumeris agrestis & melle rosaceo. Dixi tamen quod cura hydropis Ascitis debet fieri per prouocantia vrinam quia materia est in loco in quo difficilius educitur per aluum propter necessitatem motus conuertiui, nam necesse est vt sic trahatur à ventre ad iecur aqua illa: deinde à iecore ad ventrem & hoc est difficile. At postquam tracta fuerit ad iecur facile transit via recta ad renes & uesicam. Vale.

CONSILIVM XXXIX.

In retentione Menstruorum,

Oblata est nobis dispositio Magnificæ Dominæ Sgismundæ Tobolæ ætatis annorum XXVIII. quæ diligẽti indiget perscrutatione, tum propter subiecti nobilitatẽ, tum quia plura inuicẽ sunt complicata, sunt enim in ea non naturales exitus menstruorum, ratione quantitatis, coloris, & temporis, est namque color niger, quantitate diminutus etiam tempore postponens vt in pluribus, est etiam tristitia fere assidua & interdum animi defectio, & appetitus magna diminutio, cum aliquali ventris stipsicitate, & aliquali corporis demacratione, & motus plurimus, qui continue in regione stomachi tactu sentitur, & interdũ scabies in ambitu totius, eo scilicet tempore, quo menstrua retinentur, & interdum sanguinis exitus per venas hæmorhoidas, & interdum cursus matricis, Quia autem in omni ægritudine, vt voluit Gal. de *constit. art. Med. cap.* 13. & 14. Primo ponendæ sunt intentiones curatiuæ: 2. an sit possibile curatiuis intentionibus satisfacere, ne tentetur impossibile. 3. inuenienda sunt præsidia quibus curatiuis intentionibus satisfiet, & eorum aptus vsus, & ratione temporis, & ratione quantitatis, vt vult Gal. 7. *de morbis curand. cap.* 7.

Intentiones curatiuæ, vt vult. idem Gal. 9. *de morbis curand.* sumũtur vel ab ægritudinis essentia, vel à causa ægritudinis, vel à naturali corporis temperie vel ab aere nos continente, vt igitur nos ordinate procedamus, primo complexionẽ suorũ membrorũ principaliũ & ex consequenti totius corporis ex signis inuestigabimus: secũdo ægritudinẽ & causam: ex signis & accidentibus inquiremus: Tertio intentiones omnes curatiuas dicemus: Quarto de prognostico disputabimus An possibile sit intentionibus curatiuis satisfacere.

Quantum ad complexionem credimus eius cor esse frigidæ complexionis, quod ex pulsu tardo & raro & anhelitu pulsui proportionato, & ex nuditate pilorum in pectore, & pectoris etiam aliquali paruitate, & ex assidua tristitia & ex frigiditate extremorum quam dicit se continuè sentire, manifestè concluditur, & ex aliquali etiam pulsus duritate, & ex totius corporis siccitate, seu demacratione cor esse siccum arbitramur. Cerebrum

brum verò & si ex sensuum operationum principalium perfectione arguere possumus esse temperatum, ex calore tamen faciei satis rubicundo, & venis in oculis apparentibus, & colore capillorum versus nigredinem tendente & aliquali caliditate in partibus capitis tactu percepta, & ex eius superfluitatibus per palatum, & nares concoctis existentibus, aliqualiter tamen ad calidum declinare iudicamus. Quantum & humidum & siccum non apparet in eius cerebro notabilis lapsus.

Epar parum ad calidum declinare percensemus: tum ex venarum quantitate, tum ex colore rubicundo, ex quo cholera rubra potest significari, quæ merito corporis ipsius cordis frigidi non potest toti communicari tum ex scabie in ea aliquando apparente, aliquam adustionem significante, quæ cum sit merito cordis frigidi: ergo remanet ne sit merito epatis calidi. Et quia in ea est sanguis densus & tota corporis habitudo est sicca, iudicamus etiam epar ad siccum declinare. Et quia cor magis est frigidum, quam epar calidum, ideo iudicamus totum corpus esse absolutæ frigidæ & siccæ complexionis. Et quia multa ex aliis signis sumi possunt, ex multitudine humoris melancholici in ea multiplicati, postquam sua ægritudo incepit quæ iam decem annis principium habuit, arbitramur ante ægritudinem eius naturalem epatis complexionem magis fuisse calidam, & cordis minus frigidam, & quia ipsa satis pinguis & carnosa erat ambas complexiones tam epatis quam cordis, minus siccas extitisse credimus, & fortasse ad humidum declinasse.

Quantum ad secundum. Ægritudo huius magnificæ est in rubrica de retentione menstruorum, intelligendo retentionem menstruorum pro omni ablatione diminutione & corruptione, exitus eorum, in ea enim diminuta exeunt, non in suo tempore & in calore nigro. Causæ retentionis menstruorum, vt docet Gal. 5. *par. aphor.* 5. & Auic. 2. *tertij tract.* 3. *cap.* 25. sunt vel ex parte matricis, vel ex parte humorum, vel ex parte virtutis. In hac magnifica Domina non credimus fieri retentionem menstruorum debilitate virtutis expulsiuæ, cum aliquando virtus sanguinem illum expellat per venas hæmorrhoidales quod est difficilius quam si eum expelleret per venas à naturâ ad hunc finem ordinatas, & cum etiam aliquando virtus sufficiat illum expellere ad cutim, cum sibi aduenit scabies. Non etiam credimus hunc morbum fieri vitio matricis, eo scilicet quod matrix nimis se coarctet, vel nimis sit exsiccata, quia in ea pluries talis retentio post partum euenit, quo tempore constat matricem esse satis ampliatam, vt habetur à Gal. Reliquum est igitur quod talis retentio sit vitio humorum quod contingere posset vel ex sanguinis paruitate, vel ex humoribus grossis, viscosis, obstruentibus vias & orificia venarum matricis, vel ex crassitie, vel viscositate humorum in ambitu totius existentium: vnde tardius fluant & postponantur menstrua. Non credimus in ea fieri retentionem ex sanguinis paucitate, tum quia venas habet satis plenas, tum quia natura non expelleret sanguinem per venas hæmorrhoidas, nec superfluitates ad cutim, cum sibi adueniat scabies, relinquitur ergo quod hæc retentio fiat ex crassitie humoris retenti in venis matricis, & in ambitu totius, quod clarè cognoscitur ex nigredine venarum, & ex multa nigredine sanguinis menstrui exeuntis, & ex tristitia quæ est in ea: verisimile est etiam in venis matricis esse obstructionem ex humoribus crassis & viscosis, cum aliquando cursum matricis materierum albarum visu clarum patiatur, & etiam dominante humore melancholico in corpore ex cruditate pituita multiplicatur, & propterea egregij medici, cum medicinas componunt pro humoris melancholici euacuatione aliquid admiscent, quod etiam pituitam euacuet. Ex his manifestè constat quod hæc ægritudo est obstructio quæ lædit operationem naturalem eam diminuendo, ex consequenti hæc ægritudo est in compositione, ex hac humorum crassitie & obstructione. Humor etiam melancholicus in ea multiplicatur in ambitu totius, quod ex signis prædictis colligitur, & habetur à Gal. 3. *de locis affectis cap.* 7. vbi declarat quòd quando retinetur sanguis qui per partes inferiores fluere solet, multiplicatur humor melancholicus in toto, præcipuéque dum retinentur menstrua post partum vt habetur ab eodem *in lib. de Atra bile*, *cap.* 8. quia in prægnatione fœtus nutritur ex meliore parte sanguinis retenti, deterior autem pars reseruatur ad partem & tunc debet euacuari, qui si retineatur replet vt plurimum corpus humore Melancholico nigro, & ideo mulieres cum in partu non purgantur, fiunt ad melancholiam paratæ & cor exsiccatum infrigidatur, & tenebriores spiritus fiunt, & epar simul alteratur, vnde prouenit debilitas concoctiuæ assidua illa tristitia & interdum animi defectio. Nam vt inquit Auic. *tractat.* 1. *fœn. & de viribus cordis cap.* 4. sicut multitudo spirituum & illorum subtilitas & claritas ad lætitiam apparet, ita paucitas eorum & crassities, & turbulentia ad tristitiam faciunt, ex his patet in hac magnifica domina etiam aliam ægritudinem esse scilicet malam complexionem frigidam & siccam, in corde & spiritibus.

Corporis autem demacratio euenire potest vel ex diminuta concoctione vel ex tristitia quia vt ait Auicen. 1. *de viribus cordis cap.* 6. sicut lætitia fortificat calorem naturalem, & facit dilatationem spirituum in toto corde, vnde sequitur attractio nutrimenti ad omnes corporis partes, ita tristitia facit debilitatem caloris naturalis, & facit coarctationem spirituum in toto corpore, vnde nec bonum fit nutrimentum nec ad membra transmittitur. Ex hoc etiam quod nutrimentum non penetrat ad membra, potest accidere appetitus illa multa diminutio, quæ etiam potest esse propter pituitam in stomacho multiplicatam, ob concoctionis debilitatem, aut propter intemperiem in stomacho impressam, ex multo humore melancholico à splene ad ipsum transmisso, qui aliquando deiicit appetentiam, licet aliquando eum intendat,

dat, vt vult Gal. *quinto de locis affectis cap. vult.* Ista etiam corporis demacratio & appetitus prostratio insequi posset causam positam à comentatore Alexandrino de mente Gal. 3. *Epidimiorum com.* 23. scilicet suffocationem caloris innati factam ex sanguine menstruo retento. cursus autem matricis sequitur debilitatem concoctionis & multiplicationem pituitæ: quod autem in ea multus humor melancholicus à splene ad stomachum eius expellatur, manifestè cognoscitur ex excrementis quæ nigra ferè expellit, vnde etiam colligi potest multiplicationem humoris melancholici in ea existentis, non fieri propter debilitatem attracturæ splenis.

Ille verò motus pulsationis qui in ea regione stomachi tactu sentitur, credimus quod sit motus arteriæ abortæ in dorso existentis secundũ sententiã Gal. *in introductorio pulsus cap. primo in principio* dicentis, quod in extenuato corpore si quis tangat ventrem sæpe percipit motum arteriæ quæ est secundùm dorsum, non enim possibile est quod motus ille tam continuus & tam ordinatus à ventositate proueniat, posset tamen quis existimare talem pulsum esse arteriæ splenis, quia splen est membrum satis arteriatum habens magnas arterias vt dicit Gal. 4. *de vsu partium cap.* 15. sed quia ille pulsus ad ictum est maior in triplo vel quadruplo, quam pulsus bracchij, ideò non videtur quod possit esse pulsus arteriæ splenis, tum quia si esset pulsus arteriꝫ illius enim æqualiter percepisset quando erat prægnans sicut & nũc, quod tunc non faciebat. Quod autem ea magis percipiatur talis pulsus quam fortasse in altera plus extenuata, posset esse ex maiore repletione suæ arteriæ vel aliqua in ipsa super calefactione, ex qua eius arteria altius eleuetur.

Scabies autem illa quæ sibi interdum aduenit, & similiter sanguis hæmorthoidalis clarum est quod prouenit à virtute expellente sanguinem superfluum, retentum, aut sanguinis superfluitatis. An autem humor melancholius in ea multiplicatus sit naturalis, vel adultus. Credimus ipsum pro maiore parte esse sine adustione, cum iam dictum sit ipsam esse à prædominio frigidæ complexionis & etiamsi in ea esset multa adustio, non solum in ea tristitia causaretur, sed iracundia, & aliqua audacia. Non negamus tamen quin aliqua sit adustio quæ ex longa retentione, ex epatis caliditate fieri potest quæ ex scabie quandoque significatur vt ait Auic. 7. 4. *trac.* 3. *cap.* 6. ex his omnibus manifestæ sunt ægritudinis causæ & symptomata quæ in hac magnifica domina cernuntur, nec credimus ipsam esse ponẽdam in rubrica melancholiæ mirachie, vel alterius quia in omni melancholico morbo vt ait Auic. *pr.* 3. *tract.* 4. *cap.* 18. debet esse corruptio operationum virtutis sensitiuæ interioris, modo ista videtur perfectas habere operationes sensitiuas, nec in ea reperitur eructatio acetosa, nec nausea quæ vt ait Auic. in talibus est inseparabilis

Quantum vero tertium spectat, cumplura sint inuicem complicata quæritur, à quo incura sit incipiendum, & quæ debeant esse primæ intentiones exequendæ ad quod respondemus secundum sententiam Gal. 7. *method. cap. penult.* quod quando plura sunt inuicem complicata, si aliquid est, à quo maximè, immineat periculum, ab eo est incipiendum: si vero nihil tale existat ab eo est incipiendum quod habeat rationem causæ respectu aliorum & sine quo alia curari non possunt, & quia diximus quod illa obstructio & humorum crassities quæ faciunt indebitunt exitum sanguinis menstrui sunt causæ omnium aliarum dispositionum, ideò prima intentio curatiua erit remouere crassitiẽ, obstructionem & humorum viscositatẽ quod fiet cum subtiliantibus & incidentibus secundum Gal. sententiam 3. *artis med. cap.* 94. dicentis, obstructio est ex earum ægritudinũ genere, quæ quidem ex lentis & crassis humoribus fit, vna & ipsa habens intentionem morbo contrariam, dico autem apertionem: causæ vero salubres sunt abstergentia & incidentia remedia.

Secunda verò intentio curatiua erit curare malam complexionem factam in membris, & in spiritibus humore melancholico in corpore multiplicato, quæ cũ sit frigida & sicca intentio erit calefacere & humectare, & præcipuè cor ipsum.

Tertia intentio curatiua erit sit post curationem obstructionis, & malæ complexionis aliqua syptomata fuerint relicta, illa remouere, & licet ægritudo sit accidentium causa, plus sit ægritudini quam accidentibus attendendum, tamen secundùm sententiam Gal. 12. *methodi cap.* 1. aliquando est accidentibus prius vel ex æquo primo attendendum sicut morbo, & hoc est quotiescunque accidentia vel virtutem prosternunt, vel morbum augent, & quia in casu nostro illa tristitia virtutẽ debilitat, nam debilitat calorem naturalem, vt dictum est de mente Auic. & causam morbi auget faciendo multiplicationem humoris melancholici, ex hoc etiam debilis sequitur concoctio, quæ virtutem debilitat non multiplicando sanguinem & spiritum, sicut deberet multiplicare, his duobus accidentibus æque primò & in omni tempore huius morbi debemus attendere.

Intentiones verò in remouendo tristitiam & causando lætitiam sunt multiplicatio spiritus clari, & subtilis vt voluit Auic. quod supra dictum est: intentio verò in confortando virtutem concocticem stomachi erit, malam complexionem in eo introductam remouere, cum rebus substantiam stomachi vnientibus. Erunt igitur omnes intentiones curatiuæ ab ægritudine, & eius causis sumptæ, aperire orificia venarũ oris matricis, & attenuare humores grossos. Et incidere viscosos, & in omni tempore ægritudinis multiplicare spiritus claros, & subtiles eos reddere, & vigorare concoctionem, ab innaturali verò corporis, & membrorum complexione sumitur indicatio supra quantitatem alterationis faciendo: in tantum enim membrorum supercallefactum infrigidari debet, donec reducatur ad naturalem complexionem quòd fieri non posset nisi natura-

lis complexio cognoscatur, ideo voluit Gal. *9. metho. cap.* 15. & 8. eiusdem *cap.* 1. & *vult.* quod quando membrum frigidum naturaliter est habens morbum calidum debet amplius infrigidari quam si membrum natura calidum habeat illum morbum calidum. Ideo cum in casu nostro cor sit natura frigidum,& habens temperiem frigidam, minus debet calefieri, quam si fuisset calidum naturaliter, epar autem si ad malam complexionem frigidam deduceretur in processu huius ægritudinis, cum naturaliter sit complexionis calidæ vt supra diximus maiori indiget calefactione:tamen hactenus non videtur epar lapsum ad frigidum respectu temperati, cum appareant signa suæ caliditatis, vt supradiximus, aër verò continens si sit temperatus, induat similia esse exhibenda,si verò sit in calido vel frigido vel humido vel sicco distemperatus significat contrariorum exhibitionem vt inquit Gal. *octauo de morbis curandis cap.* 9. Ex his apparet intentionem curatiuam à naturali complexione sumptam esse. Primò quòd cor sit calefaciendum,non tamen multa intenta calefactione, cum sit lapsum ad simile 2. quod quo ad aerem attinet in hyeme aere vtatur calidiore,in æstate verò minus calido.

Quantùm ad quartum spectat clarum est omnem complexionem posse permutari nisi sit hectica tertiæ speciei, aut marasmus, seu siccitas in substantia membrorum inducta quæ remoueri non potest aliter posset senectus prohiberi,&spasmus ex siccitate proueniens curari, vt ait Gal. *in lib. de Tab. cap.* 4. & 5. ex consequenti clarum est malam complexionem in hac magnifica domina posse sanari cum non sit aliqua de supra dictis incurabilibus,humores vero & crassi & viscosi quod possint attenuari, non est dubium,& ita quantū ad prognosticum credimus ipsam certissime posse sanari,tacemus ad quas ægritudines sit parata propter retentionem menstruorum quod clare potest videri in Auic. 2.3 *tract.* 3 *cap.* 1.

Nos nunc primo ponemus regimen in sex rebus non naturalibus 2. ad medicinalia deueniemus, & in primis insistemus circa cibum & potum, quia ergo intentio nostra est reddere humores fluxibiles, & prohibere multiplicationem humoris melancholici, ideo debent vitari cibi omnes gignentes humores crassos & viscosos multiplicates humores melancholicos: ideo vitentur omnia cibaria depasta siue elixa, siue frixa, & omnia legumina risum millium panicum, omnes carnes, crassæ, vt bouinæ, caprinæ, & ceruinæ, & porcinæ ac agninæ omnia capita quadrupedum, omnia viscera & interiora eorum,capones impinguati in caueis detenti, quia sunt maximè contrarij indigentibus humorum subtilium multiplicatione vt testatur Gal. *6. de sanitate tuenda*;Euitentur carnes auium, in aquis degentium, lac, caseus, & omnia quæ lacte constant, oua dura quocunque modo sint cocta,pisces lacunares omnes non squamosi sicut anguillæ,tinchæ, lampredæ,& pisces valde magni, esto etiam quod sint squamosi, euitentur testacea omnia, sicut sint cancri, ostreæ & limacæ, euitentur fungi & tubera, vinum dulce, vinum nigrum & crassum, nouum & turbidum, euitetur cuiusque cibi magna repletio, & ciborum multa diuersitas, euitentur caules omnia etiam salsa de carne animalium valde exiccata & terrestricata: euitentur herbarum extrema tenera, cum sale & aceto composita, & precipuè cum sint merito salis & aceti exsiccata. Hæc omnia vt voluit Gal. *3. de locis affectis cap.* 1. humorem melancholicum multiplicant. Panis conueniens sit ex frumento mundo à rebus extraneis bene coctus in clibano, bene fermentatus factus in michis, non in placentis per tres aut non plures dies quam quatuor, quia ex farina longo tempore seruata panis factus humores crassos gignit, eo quod pars subtilis eius resoluta sit, caro conueniens est caro pullorum & pullarum gallinarum iuuenum,& caponum exercitatorum & omnium auium quæ comedi consueuerunt, in aquis non degentium, caro hædi lactantis,& caro vituli, & si ab omnibus fere concedatur Gal. tamen siue quicunque author ille fuerit, in tractat *de sol. cont. cap.* 13.dicit quod generat humores crassos & propterea laudamus vt minor eius sit vsus. Conceditur etiam caro veruecis, pisces conuenientes sunt parui vel squamosi non valde magni, marini vel de flumine petroso, conceduntur oua sorbilia, tremula,& fercula ex ouis facta non tamen valde coagulata, oleum & butirum, & alia vnctuosa non conueniunt in regimine generante tenues humores vt dicit Gal. *in lib. de tenuante victu, cap.* 3. ideo eis parum vtendum est, & potius larido vtendum.Ex herbis comeditur fœniculus petroselinum & calamentum maiora, & serpillum, hyssopus, & blytis, spinachia, borrago buglossa,melissa, & interdum tempore calido cichorea, scariola, teneritas lupulorum, asperagorum, & cynera siue carciofani conceduntur interdum, permittitur etiam pastinaca syluestris & domestica licet Auer. *2.collig.cap.*44. dixerit omnes herbas naturaliter declinare ad humores melancholicos exceptis lactuca & buglosa, Gal.tamen. dicit *in 2. de alimentor facultatibus cap.* 49. omnia olera dare parum nutrimenti, & aquosi & subtilis. Aromata autem sint zinciber,piper, cinamomum sinapis & huiusmodi.Acria autem sicut allia, cœpe,porri,& raphani & valde salsa si multum frequentētur adurūt sanguinē, & siccando ingrossant, & in choleram nigram cōuertunt,quare frequens vsus eorum est vitandus, aliquando tamen in parua quantitate licet eis vti pro humorum subtiliatione, potius quam pro nutrimento. Nec etiam vtendum est salsis substantiam mollem habentibus, vt anguillis, siue alicibus: fercula fiat ex herbis concessis, vel ex farre, vel ex brodio cicerum, vel fascolorum, vel ex pane & carne concessis;ex fructibus conceduntur, amygdalæ, ficus recentes bene maturi, & sicci, pinei, passulæ enucleatæ, poma decocta, tollerantur melones optimi, pruna bene matura, & cerasa ante prandium tempore calido, sed in parua quantitate, saccharum, & mel conceduntur, & eis melius est vti non cum aliis cibis,

cibis, quia non transeunt, & faciunt epatis obstructionem, vt docet Gal. *in lib. de tenui diæta, cap.* 6. Vinum sit clarum mediocriter vinosum album nec valde, dulce nec stipticum.

Quantum ad Animi accidentia euitet timorem, tristitiam & sollicitudinem toto posse & ideo vestes suæ & annuli sint delectabilis coloris, aspiciat res delectabiles & iocosas, audiat cantus delectabiles & instrumenta musicæ & in summa omni conatu euitet tristitiam, & lætetur ludendo, & videndo res gratas scilicet viridaria, possessiones & huiusmodi delectabilia.

De motu & quiete, fugiat otium & quietem multam, habeat exercitium temperatum, moderatè factum post completam primam & secundam concoctionem & sit exercitium pedestre vel equestre per loca clara, amæna, viridaria, & si venationibus delectatur illas sequatur, & oportet vt euitet frictiones duras, asperas, desiccantes corpus, & omne balneum minerale, & siccum de stupha, competit ei fricatio mediocris vt membra fortificentur in attrahendo nutrimentum, & conuenit ei balneum humectans temperatè calidum ex sola aqua dulci, vel ex aqua decoctionis maluauisij, camomillæ, borraginis, addendo aliquid melissæ, vel aqua decoctionis extremitatum, & capitis castrati, addendo etiam aliquid ex supradictis, & à balneo fiat inunctio cum oleis humectantibus sicut oleo amygdalarum dulcium. Oportet vt euitet vigilias superfluas, & moderatè dormiat: somnus non sit multum prolixus nec in ieiunio factus, & sit in nocte, aut in mane, ante tertiam, & non in meridie: aer suæ habitationis sit clarus, subtilis, temperamento vicinus, vel parum ad humidum, & calidum declinans, caueat ab aëre crasso, obscuro, nebuloso, & fœtido, imo in eò sint boni odores pomorum vel florum delectabilium.

Accedamus modo ad medicinalia, in primis pro remouēda oppilatione quæ radix est omnium malarum dispositionum in ea, cum oporteat prius remouere crassitiem, vel viscositatem ab humoribus, possumus hoc dupliciter facere, vel humores crassos & viscosos educendo, vel potentibus medicinis eos attenuando, sed quādo obstructio fit propter multos & crassos humores ab euacuatione incipere debemus antequam fortibus subtiliantibus vtamur secundum Gal. Doctrinam XI. *de morbis curandis à cap.* 4. *vsque ad* 10. & etiam quia stante humorum crassorum multitudine, si acutis medicinis, & vehementer subtiliantibus vtemur, potius sanguis adureretur, & in melancholiam conuerteretur, & sic humores crassi multiplicarentur, quod possit multitudo attenuari vt colligitur à Gal. vel ab eo authore *in tractatu de dissol. cent. cap.* 2. Et propterea ait Hippocrat. quinta *part. aphor.* 36. mulieris menses de colores, nec per idem tempus semper venientes, purgationem indicant esse necessariam, Gal. in commento dicebat, quod quando humores crassi in causa sunt, duplici modo possumus eos euacuare vel educendo, vel eos subtiliando, certum itaque habemus euacuationem esse moliendam; sed cum dupliciter possit fieri euacuatio, & cum venæ sectione, sanguinem crassum educendo; & cum pharmaco, contingit dubitatio, quæ harum in hoc casu magis conueniat. Dixit enim Constantinus *octauo suæ practicæ cap.* 5. *& in epidemiis* 3. 168. *lib.* 6. Fœmina cui per menses erant ablata menstrua, & facta erat multum macida, & appetitum perdiderat, quam cum vidi tribus diebus sanguinem minui & in primo die lib. 1. 5. in 2. 2. in 3. vncias octo, & hoc facto paulopost frigida rediit vt fuerat, item omnes præstantissimi medici in retentione menstruorum phlebotomiam saphenæ iuuare, & effectum intrusum facere, dicunt, remota tamen obstructione prius per crassorum humorum euacuationem ideo arbitramur salubrius esse prius facere euacuationem crassorum humorum & per octo vel decem dies præsente mense sumat hunc syrupum in aurora.

℞. Mellis ros. colati, oxymellis simpl. syrup. de pomis descriptione saborregis, ann. ℥. ß. aquarum buglossæ, fumariæ & melissæ an. ℥. 1. Deinde accipiat per horam ante lucem, medicinam infra scriptam procurando vt dormiat duabus horis, vel circa post assumptionem, & post sex horas assumpto pharmaco capiat ℥. 6. aquæ buglossæ calidæ cum ℥. 1. Zucchari. ℞. Agarici electi & bene mundi, zinziberis puluerizati ℈. j. oxymellis ℥. s. incidatur agaricus, & prius inuoluatur cum oxymellite: deinde infundatur in hac decoctione, & post horas decem fortis fiat expressio, cui addatur diacatholicon, diasenæ ann. ℥. s. & fiat Potio. ℞. Polypodij quercini epithimi an. ℥. iij. asari ʒ. ij. folliculorum senæ ʒ. j. florum cordialium, passularum ann. ʒ. ij. Decoquantur in libra vna aquæ lactis vsque ad totam consumptionem quæ expressio tota absoluatur in dissoluendo & infundendo totam medicinam, quam pro humoris melancholici & flegmatici in hac dispositione aliis præeligendam esse duximus, quia præter hoc quod agaricus & lapis lazuli cum eis diasena ingrediatur prædictos humores euacuet primò proprietatem habet lætificandi, & confortandi cor, vt ait Auic. *in tractatu de viribus cordis*, & hoc supra diximus esse intentionem in omni huius ægritudinis, tempore & quia vt vult Mesuë *in cap. de soda frigida* ab humore melancholico, medicina non debet recedere à gradu medicinarum incolumium, nec debet simul & semel multa euacuatio talis humoris subito fieri, die sequenti post assumptum laudamus vt assumat hunc syrup. ℞. De succo Buglos. ℥. 1. s. Aquarum buglos. ℥. ij. melissæ ℥. 1. misce & immediatè ante syrup. sumat ʒ. ij. diamusij dulcis & ℥. s. Zucchari buglossati, vel ℥. j. mithridati, vel theriacæ si modo sit antiqua & ad minus decem annos transierit, vt virtus opij qua nunc non indigemus, sit valde diminuta, de quibus dicit Auicenna *in tractatu de viribus cordis cap.* 4. nulla medicinarum compositarum æquiparatur eis, in temperando complexionem humanam, & in confortando & lætificando cor, auferendo tristitiam, quibus maximè indigemus in præsenti cura vt dicit Mesuë

loco

loco supra citato *de soda frigida.*

Euacuatio humoris melancholici non debet subito & semel fieri sed pluries & per interualla, & ideo ponendæ sunt medicinæ humoris melancholici quibus vti possit, laudamus itaque præcipuè tempore hyemali vt capiat ℈. iiij. pilular. indar. aut de lapide lazuli & immediate post sumat ℥.viij. aquæ lactis, præmissa tamen præparatione, vel cum syrup. suprascripto, vel infra ponendis. Laudamus etiam vt aliquando sumat de iure Galli antiqui secundum artem decocti, in cuius ventre in decoctione ponatur polypodium, epithymum, passulæ cum modico salis: dicit enim Auic. 2. *canon. cap. de carne: ius Galli decrepiti est bonum colicæ & ægritudinibus melancholicis*, & Mesuè dicit cap. *de iure Galli* quod cum polypodio & epithymo deducit melancholiam. Laudamus etiam interdum vsum pulueris senæ cum zinzibere, cinamomo & tartaro, & solet magistraliter præparari, qui puluis potest etiam exhiberi non præcedentibus syrupis. Laudamus etiam euacuationem cum lapide armeno, si reperiatur, vel cum lapide lazuli, hoc modo correcti. Primo lauetur trigesies in aqua fontis post decies in aqua rosata & post, decem vicibus in aqua florum & radicum cordialium vt dicit Mesuës in *cap. de lapide armeno*, modus exhibitionis horum lapidum sit talis: primo capiat libram vnam aquæ lactis, succi pomorum dulciũ libram scil. passularum ℥.j. liquiritiæ recentis ʒ. ij. florum borraginis, buglossi ann. ʒ. j. bulliant omnia vsque ad consumptionem tertiæ partis: decoctionem tamen secundum artem facta, deinde fiat colaturæ in aqua ponantur lapidis armeni vt supra loti vel eo deficiente lapidis lazuli ʒ. ij. & fiat potio quæ non exhibeatur nisi præcedentibus digestiuis. Potest etiam interdum vti decoctione polypodij, vel folliculorum senæ cum brodio carnis, vel cum aqua lactis etiam non præcedentibus syrupis.

Et quia post euacuationem humoris melancholici factam, intentio est orificia oris matricis venarum aperire & sanguinem subtiliare, & ipsum versus regionem matricis prouocare post sex vel octo dies assumpto pharmaco laudamus phlebotomiam saphænæ pedis extrahendo sanguinis ℥. iiij. vel circa: & altera die sequenti fiat venæ sectio ℞. saphæna pedis sinistri, quantum huiusmodi venæ sectio valeat constat authoritatibus supradictis, & à Rasi *9. continentis cap. 6.* qui præter alias authoritates adducit etiam authoritatem Galen. *6. Epid. comm.* 2. qui etiam adducitur à Constantino vt supradictum est. Per aliquot dies post, laudamus syrup. hunc nisi forte ex prædictis forent euacuata ℞. syrup. de calamento montano & fluuiali ℥.j. s. facti scilicet ex succo eius aquæ decoctionis calamenti & pulegij ℥ iij. misce & præparetur syrup. calamenti, eo modo quo syrup. de succo endiuiæ & de aliis succis fieri solet. Calamentum si assiduè sumatur vt dicit Gal. *6. de simplicis med. distin. 6. cap. 2. & quinta aphor.* 33. maxime facit ad menstruorum purgationem, ponit sabianam mentam calamentum fluuiale, quod est mentastrum, & calamentum syluestre quod est nepeta, seu herba gatta, ponit etiam pulegium allatum cassiam ligneã, & cinamomum, quibus diuersimode & in pluribus decoctionibus, & aliis modis vti possumus, in prouocatione menstruorum; quod si ex dictis syrup. menstrua non prouocantur per duos vel tres dies simul etiam cum syrupis & ante accipiat ℈.j. & ʒ.j. trochiscorum de myrrha descriptione Rasis ad hanc intentionem etiam laudamus, vt vtatur syrupo de artemisia qui præparetur iuxta infra scriptam descriptionem, ℞. artemisiæ m. ij. pulegij, salamenti Mentastri, origani, melissæ, parietariæ, sauinæ, maioranæ, capillorum veneris, chamædrios perforatæ, chamæpitros, matricariæ cum floribus centauriæ maioris vel minoris, Rutæ, betonicæ ann. m. j. Radicum apij fœniculi, petrosilini asparagi brusij saxifragiæ enulæ, dictami, cyperi, rubeæ tinctorum ireos pæoniæ ann. ʒ. j. seminis iuniperi, leuistici, petroselini, apij, anisi, nigellæ, Carpobalsami, cocti, assati piretri, cassiæ ligneæ, Cardamomi, calami aromatici, valerianæ ann. ℥. ij. conquassentur & infundantur in aqua fluuiali per diem & noctem: postea decoquantur ad aquæ mediocris consumptionem & tunc deponantur ab igne & dimittantur, donec aqua tepuerit, & tunc ea manibus in ea aqua fricentur: postea colentur, & colaturæ addatur mel & saccharum quantum sufficit, & succi pomorum lib. 1. Et fiat syrupus. Item laudamus vt fiat syrup. simplex de pomis ex succo pomorum dulcium, & Zuccharo, dimisso succo pomorum acetosorum ex quo simul fieri solet communiter, & hoc vti poterit simul cum oxymellite, vel melle rosato primo digestiuo ante medicinarum infrascriptarum solutiuarum assumptionem hoc etiam solo syrupo interdum posset vti cum aqua melissæ in intentione humectandi & confortandi ad supra scriptam intentionem scilicet prouocandi menstrua, & sanguinẽ versus regionem matricis.

Conueniunt ventosæ siccæ in parte domestica & in pectine, & similiter frictiones fortes, & ligaturæ conueniunt in cruribus, & partibus inferioribus, similiter etiam edere in hoc balneo, ℞. sabinæ, iuniperi, saluiæ, rutæ, rubiæ tinctorum, parietaria, serpilli, floris roris marini, artemisiæ, maluæ, caprifolij, berberi, calamenti, mentastri, radicis asparagi & brusij añ. m̃. ij. bulliant in aqua, & ipsa sedeat in vase in quo dicta sint posita cum herbis, & attingant vsque ad partem vmbilici, & quia quandoque sanguis est fluxus ad matricem, & venæ matricis sunt clausæ, ideo opus est tunc ponere aliquid in matrice quod aperiat orificia venarum, prima ergo intentione conuenit mercurialis, vel contusa, vel subtiliter incisa ligata in petia lintea subtili & posita intra collum matricis, & debet poni cum filo subtili ligato in peria illa vt possit libere extrahi, conuenit etiam ad hoc pharmacum quod apud vulgum dicitur Giten. Ligetur ——— in panno ligneo subtili, & ponatur ad intra collum matricis, Valet etiam mithridatum cum Mastice, sic, Mitridasij ʒ. j. Masticis ℈.j. & supponatur.

Et

Et fiat etiam hoc nasale. ℞. Gertianæ, Pulegij an. m. ij. migellæ ℥. j. conterantur subtiliter, & confice cum pulpa ficuum siccarum pinguium, & cum succo mercurialis donec fiant sicut pasta exsupponatur. Aliud nasale ad id ℞. Bocnbuum siue lanam, succidam, in succo matricariæ & theriacæ simul mixtis, intingatur & supponatur, item ℞. radicum ireos, vel erilæ intingas in melle, & supponas, item ℞. Tripheræ magnæ sine opio ʒ j. farinæ orobi, migellæ ℥. j. pulueris rubiæ tinctorum ʒ ß. succi rutæ ℥. j. misce & supponatur cum bombace: item fiat sacculus in forma digiti, & impleatur puluere nigellæ, & intingatur cum oleo irino, & supponatur, alia multa, & fortia à Medicis ponuntur, sed hæc credimus sufficere; Et si ista suppositoria facerent ardorem, madefiat panis in aqua rosata cum albumine oui oleo rosato violato aut lacte & supponatur.

Quantum ad generationem lætitiæ & cordis confortationem attinet, quod semper in hac cura diximus esse faciendum, est vt multiplicentur spiritus & clarificentur à fumis, & vaporibus melancholicis mundificentur; mundificatio ergo spirituum fiet cum rebus bonis & multi nutrimenti, ex igitur quæ supra posuimus in regimine sex rerum non naturalium, & ex omnibus medicinis, quæ sua aromaticitate confortant descriptis ab Auic in suo tractatu *cap. de viribus cordis* pro spirituum clarificatione laudamus vt continuo vtatur puluere setæ & margaritam, & vt seta possit bene puluerizari modicum comburatur vt præcipit Mes. *in descriptione diamusci dulcis*: pro mundificatione spirituum a vaporibus melancholicis laudamus vt assiduè vtatur melissa, & buglossa, quarum proprietas est cor confortare & lætitiam facere mundificando spiritus à vaporibus melancholicis vt voluit Auic. *in tractatu de virtutibus cordis*, & quia pulueres interdum cum difficultate sumuntur, possumus ex puluere margaritam & setæ & succo melissæ conficere pilulas...... addendo modicum syr. de pomis. simpl. si oportebit, & eas exhibere, vel ante syrup. vel ante cibum. Valet etiam ad hanc intentionem Theriaca, & Mitridatum & diamuscus dulcis, & amarus, electuarium lætificans Conciliatoris, electuar de Gemmis, & si alicuius istorum timeretur excessiua caliditas præcipuè tempore æstatis docuit Auic. *tractatu 2. de viribus cordis cap. 4.* faciendam esse Decoctionem eorum in sufficienti quantitate succi pomorum dulcium vsque ad spissitudinem ad hanc etiam intentionem valebit vsus diabuglossati diaboraginati, cum fragmentis cordialibus, vt placeret, vt sicuti fit diabuglossatum ita etiam melissam cum zuccaro condere, & ea condita cum puluere margeritarum & setæ utatur.

Valent etiam sacculi & epithemata in regione cordis, sed nunc nobis magis placent Epithemata propter eorum subtilitatem, & maiorem penetrationem & hume ctationem, ideo posset vti hoc epithemate.

℞. aquarum buglos. & melisse an. ℥. iij. succi pomorum dulcium ℥. iiij. bonalbi & rubei doronij pulueris setæ combustæ an. ʒ. j. ß. florum boraginis, buglosi, an. ʒ. j. pulueris gariophillorum ℈. ij. vini albi subtilis odoriferi ʒ. j. ß. puluerizentur puluerizanda, & misce pro epitmate cordis, ex eisdem vero pulueribus sine liquor bus fieri poterunt sacculi pro confortatione cordis, pro concoctiua stomaci, vtatur post euacuationem vnguento Gal. ad vitia stomachi commendato addendo ei parum pulueris Gariophillorum vt potentius sit in calefaciendo, & vti debet aromatico rosato & passulis in quibus est proprietas confortandi epar. Alteratio malæ complexionis & aliæ omnes intentiones curatiuæ facilè componi possunt ex ingeniis supra scriptis.

CONSILIVM XXXX.

De Sterilitate pro nobili muliere.

Circa dispositionem hanc quæ est sterilitas in iuuene annorum XXiij. vel circa cum sit iam quadriennio nupta, cum quodam tumore seu grauitate in parte vteri dextra, quæ quidem grauitas etiam quandoque adiungit sibi dolorem: & vltra hoc adueniunt menses paulo tardius quam conueniat: videntur hæc tria ab vna pendere origine primò scilicet mala intemperie frigida & humida, vt dicebat Gal. 5. *aphori* 62. quia dicit non secus impedit conceptum fieri quam in solo humidiore quia extinguitur genitura. Vnde etiam ex hoc generatur humor mucilaginosus qui aptus esset facere abortum secundo vel tertio mense etiam quod conciperet. Et hoc docebat Gal. 45. *aphor. eiusdem particulæ*: ex quo menses fiunt minores & tardiores vt colligitur ab Hippoc. *in primo de morbis mulieribus*: vnde etiam grauitas illa ex humore illo mucilaginoso. Et dolor quandoque quia vt ibi dicebat Hippoc. conuertitur in flatum, & erumpunt flatus quorum retentione fit dolor. Ideo causa est manifesta humor scilicet mucilaginosus genitus ex intemperie mala, qui postmodum conseruat eam vtpote similem.

Causa autem huius humoris potest esse quadruplex: aut ex cerebro; ipsum enim est metropolis. *vt dicebat Hippoc. lib. de carnibus*, frigidorum & lentorum humorum: secunda potest esse secundum opinionem saltem Auicennæ qui tenet pituitam in iecore generari. Tertia potest esse ventriculo. Et hæc est opinio Gal. & concordat etiam cum Auic. sed Auic. vult esse causam causæ: quarta potest esse ex vtero: hæc autem est certa quia morbus est per essentiam seu per se: nam perpetuam sentit tensionem & tensio illa ostendit & per viam causæ, & per viam signi esse malam intemperiem frigidam & humidam in vtero confirmatam. De aliis tribus non est magna differentia inter eas nisi in opinione defendenda quia plerumque hæc omnia ortum habent à ventriculo, & ideo quoad curam & prognosticum parum

parum aut nihil faciunt permutanda. Et hæc de morbo & caulis eius.

De Prognostico dixit Hippoc. *libro de locis in homine* in vltimis verbis quod mucosi mentes plerumque senibus fiunt: cum igitur hæc sit in uenis, erit morbus difficilis iuxta illud 2 *Aphor.* 34. in morbis minus periclitantur ægrotantes, &c. secunda causa est quia vterus generaliter excipit excrementa: ideo perpetuò humectatur.

Et cum cura sit exiccatio ideo difficilis est cura: maximè cum ex situ male se habeat: prona enim sunt omnia vt ad eum locum decurrant. Tertia causa est quia membrum exangue est debile & vterus est talis cum sit neruosus: & omnia membra debilia difficile curantur teste Gal. Sed quod adducit spem est iuuentus non inquantum iuuentus, quia sic indicat de contrario, sed inquantum coniuncta robustis viribus. Secunda indicatio est quòd facile possunt applicari remedia. Sed est dubitatio forsan vtrum esset dislocatus vterus propter illam tensionem perpetuam & quia quandoque dolet. Sed hoc non videtur nisi sit ex relaxatione vinculorum quæ vocant cosiledones: sed tunc erit eadem. Dimitto nunc difficultatem tactam à Gal. *in lib. de multitudine* de differentia inter tensionem, grauitatem & tumorem, quia cum sint eiusdem generis tempus & cura & solertia medicorum ostēdent morbi magnitudinem. Ideo concludo quod erit morbus difficilis curationis non tamen impossibilis. Quoad sterilitatem tamen solum vbi esset defectus in viro, manifestum est quod nec posset curari nec remedia quicquam ad illam attinerent. sed potius ad virum. Et in viris plerumque talis dispositio est omnino incurabilis. Et si modo curatur, curatur mutatione ætatis. Vnde contingit sæpe quod iuuenes steriles procreant multos filios in senectute, & causam huius declaraui in lectionibus artis medicæ. Dico igitur quod spero proculdubio quod curabitur, & concipiet, & pariet filios, modo defectus non sit in viro, liberabitur plenè ab omnibus incommodis.

Circa curam modus consistit in quinque in victu, in medicamentis, in his quæ foris applicantur, in suffumigiis: nam vt dicebat Gal. in *primo super librum de humoribus*: mucosus humor suffumigiis & medicamentis in aurem instillatis si in cerebro peccet maximè curatur. Ideo dico quod per suffumigia & glandulas, & ea quæ exterius infunduntur curari eam conuenit. Victus igitur debet præcedere vt Gal. *lib. de attenuante victu in primo in cura morborum diuturnorum qualem docuimus esse istum.* Vitet igitur omnia in genere quæ vel nimis alunt vel generant lentum aut frigidum humorem, vt sunt pisces omnes aquæ dulcis & inter marinos omnes pisces valde magnos præcipuè Thunnum mugilon. Vtatur, si vult, aurata & arbore & piscibus petrosis quæ cum sint sex generum vt à Gal. 3. *de alimentis*, dicitur tria solum inueniuntur nostra ætate quæ cognita sint.

Similliter vitet omnes cibos ex farina, vt itria, lagana, crustas tortarum, & talia: similiter placentas & generaliter omnia confecta ex farina vel non fermentata, vel non exacte cocta, vt pultes & ptisanam. Deuitet tertiò illa quæ fiunt ex lacte vt colostra, caseum, butirum, & lac ipsum. Quartò carnem omnem porcinam: præhumida enim est, item ouillam, item vitulinam & iuuenci & bouis: item auium quæ in mari vel aliis aquis degunt vt anatum, anserum: oportet autem super omnia omnis carnis vitare multitudinem: vtatur autem moderate carnibus auium omnium paruarum tum phasianorum, perdicum, turturum, columborum, agrestium, vel quæ in columbariis inueniuntur: item hædinis leporinis capreoli, pullorum maximè masculorum.

Vitet quinto omnia quæ sunt valde acria, porros, allia, cepas, scalongias: item melongenas, rapam & rotundam & longam quam vocant quidem nagum: item cucumeres, melones, pastinacam, tam domesticam quam agrestem, quam quidam vocant carrotam. Poterit vti cerasis dulcibus non acidis, prunis, ficubus, & vuis, & persicis moderate, ita etiam pistaciis, amigdalis, iuglandibus, pineis, auellanis, super omnia autem vtatur pastulis, melle, aceto, sale. Oleum hoc in casu copiosum inutile est. Vti potest inter condita, de citro, & minutalia, & liquamina, & pulmētaria in quibus muria, anisum, piper, zinziber coriandrum, amomum, galanga, cinamomum gariophillum insint. Super omnia & origanum, & sal & oliuæ. At inutilia sunt & periculosa fungi, & boleti, & malua, & carui, & sparagi propter prauitatem succi aut causas quas dicemus. Sal vtile valde in hoc casu quo condiri possunt omnia cibaria. ℞. garyophillorum minutorum, origani añ. ʒ.j. zinziberis, calami aromatici, piperis longi, & nigri an ʒ. ij. coriandrorū præparat. ʒ.ij. foliorum melissæ siccæ fæniculi ad ℈. iv. salis communis lib. ß. salis ammoniaci ℥.j. Misce omnia simul, siccentur & contundantur, iuuant inter herbas saluia, & herba paralysis, betonica, agrimonia, melissa, amios. Dimittere oportet petrosilium, vti potest moderatè atriplice, beta, cichorio intybo, menta, caulibus.

De potu. Aqua omnino inutilis est sed nec vina alba conueniunt ante purgationem, sicut nec nigra postquam curata fuerit, rubra autē sunt mediocria. Potest vti citrangulis sed limunia dimittat. Ouorum multitudo noxia, & ex his sola vitella, albumina autem pessima.

Et scire oportet quod si ipsa vtatur leguminibus, cochleis, hoc erit pessimum, sed deteriora sunt ex leguminibus, genera cicerum quia prouocant & phasellorum ob flamum, & cruditatum: sic etiam cancri sunt inutiles. De rauis autem non dico quia pauci vtuntur: ostrea & conchilia mala, testudines bonæ. Lentes optimæ inter legumina. Hæc diffusius scripta sunt, quoniam si nimis prouocantibus, aut flatuosis, aut crassis cibis, aut malo regimine in multitudine cibi, deueniet ad fluxum vrinæ, aut scirrhum, ex quo postmodum moriatur, quia ratio authoritas & certum experimentum, ita est docet, adeo vt nullam tandem viderim quæ curata non sit,

&

& post quadragesimum annum & ante quinquagesimum ad hæc non peruenerit ambo, vel eorum alterum. Ideo etiam circa sex res non naturales vtatur postquam curata fuerit deambulatione & exercitio brachiorum: nunc autem vitet exercitationem præter lentam deambulationem. Morbus enim hic, vt dixi, tametsi leuis nunc videatur cum non curatur ex genere est pessimorum. Et quia sunt reliqua quæ ad res non naturales pertinent dimitto: quia non est mens mea in hoc consilio loqui nisi de rebus valde necessariis & magnæ vtilitatis, vt sunt cibus potus & medicamenta aut de rebus dubiis velut de exercitatione, quidam dicunt non debere omnino exerceri membra: quidam dicunt debere.

Circa curam autem oportet incipere à purgatione vniuersali hoc modo. ℞. succi cassiæ recent ℥.v. specier. hieræ simpl. ℈. iiij. succi liquiritiæ ℈. ß. misce & cum saccharo fiat bolus. Capiat ante cænam: sequenti autem mane. ℞. syrup. de stæchade oxymellis simpl. ann. ℥ j. aquæ decoctionis origani, saluiæ, betonicæ ann. 9. ß. misce. Caperem autem ex infrascripta decoctione ℥iij. vsque ad iiij. ad summum & superdormiat per horas duas, si potest & capiat per sex dies & donec materia videatur præparata: demum accipiat hoc quod est mirabile. ℞. lactis capræ nigræ lib. vj. Coaguletur cum lacte ficus: & post capiatur serum seu aqua, & bulliat apud ignem, & despumetur perpetuò donec veniat ad quartam partem: post in residuo quod debet colari diligentissimè infundantur agarici electi ℈. ij. turbit electissimi ℨ. ß. corticum citri ℨ. j. betonicæ melissæ folia an. m. ß. Coquantur post infusionẽ horarũ septẽ lento igne & hoc parum: inde coletur & bibat tepidum in aurora, sed melius in prima hora diei: deinde tardet cibum & hoc septem horas: demum capiat solum vnum vitellum oui, & bucellam panis cum modico vini aromatici, & post quiescat: & post quinque aut sex horas cænet.

Inde reuertatur ad syrupos & ad hoc auxilium, quod si parum purgaret quod non credo addatur quantitas Turbith & remittatur agaricus: si autem nimis purgaret in prima vice minuatur quantitas agarici & dimittatur tandem quantitas turbith. Et hoc quia turbith est medicina suprema in purgando vterum & acetabula vteri & expertissima. Quod si prouocaret vomitum non propter hoc turbetur, neque desistat: in hoc enim casu melior est purgatio per vomitum quam per secessum, nihilominus in secunda purgatione oporteret minuere agaricum, & elige ipsum optimum, & super omnia ritè purgare à festucis. Et si non sufficit secunda purgatio peruenire ad tertiam. Et cognitio in hoc erit ex quatuor. Primo multitudine materiæ euacuatæ 2. ex siti multa iuxta illud Hippoc. *Qui in medicamentis purgantibus, &c.* 3. ex lenitate vteri quam sentiet cum debilitate totius corporis: 4. quod paruum sedimen apparebit in vrina. Dato casu quod non posset haberi capra nigra loco huius capiat pilulas cochias & aggregatiuas hoc modo scilicet.

℞. Pillularum cochiarum aggregatiuarum ann. ℈. j. turbith electi præparati ℈. j. Reformantur pilulæ tres. Capiat post mediam noctem reformentur autem cum vino odorifero, & si sit calidæ temperiei cum succo citranguli sed hæc non est adeo bona purgatio vt præcedens quæ fit cum aqua lactis capræ nigræ. Obseruetur tamen eadem. Post hæc purgetur seu curetur cum aquis thermarum Porretæ in agro Bononiensi: vel ex illis quæ scriptæ solum à nobis in secundo contradicentium vbi commodum sit. Aliter sumat decoctum ligni sancti ex aquis thermarum. Eliquitur quæ purgant vterum & sunt scriptæ ibi, vel per locum à simili aliter vtatur decocto ligni indici & hoc mihi tantum placet, vt aqua thermarum. Oportet autem vt ista purgatio fiat mense augusti, vt mense septembris possit accipere aquam ligni & sudare copiose: hoc enim est extremum auxilium vbi sudet. Et si sudant vtatur passulis per octo dies & pane tantum bis cocto, sequentibus octo diebus in mane passulis, & pane in sero: pane & auicula alternis diebus: vltimis octo diebus vtatur pane & passulis in mane, & pane & auicula in sero: sufficit autem, vt vtatur hoc regimine diebus viginti quatuor & post subito vtatur auiculis mane & sero temperatè, pane, & albo vino moderatè: & vtatur hac inunctione ab vmbilico pubem vsque, & à lateribus ex collocinthidæ purgatæ à corticibus & azillis ℥. ij. vini albi aromatici ℥. xx. olei de citro pigmentariorum & optima redolentis ℥. v. Coquantur simul, & hoc donec vinum consummatur post coletur diligenter & vtatur. Et si oportet etiam madefiat lana hoc oleo & pro pessario in vulua vtatur: purgat enim vterum mirabiliter, & est expertum valde & facit descendere mucilaginosam pituitam & sedat dolorem & resoluit omnem flatum: continuetur hoc quindecim diebus alternando, & hora inunctionis sit matutina, alias si faceret vt quidam stolidi medici, faceret descendere cibum crudum ex ventriculo.

His peractis fiat ceratum hoc super locum grauitatis in sumine & è directo loci patientis: & hoc post inunctionem.

℞. Asphalti seu bituminis iudaici in aceto maluatico vel in aceto & maluatico infusi per tres dies ℥. ij. vnguenti marciaton. ℥. ij. diaphylon sine lachryma seu sine gummis ℥. ij ceræ propolidis ℥. ij. æsipi humidæ ℥. j. ammoniaci ℥. v. j. infusi in lacte per tres dies dissoluantur omnia lento igne & cum modico olei laurini & ℨ. vj. medullæ ceruinæ redigatur in modum cæcati non admodum tenacis, quia medulla & oleum impediunt: hoc cerato, vt spero, curabitur locus intra mensem, addito solum suffumigio infrascripto quod debet fieri cum vult ire dormitum vel ante cœnam alternis diebus.

℞. Croci ℨ. ß. laseris seu belzoi sine ligno ℥. ij. thuris ℥. i. ß. Galbani ℨ. ij. castorei ℨ. ß. elaterij ℈. ß. misce fiant suffumigia.

Hic peractis oportet obseruare vt qui vult generare non comedat nec masculus, nec fœmina rutham aut calamintum: aut mentam: hæc enim prohibent generationem. Caueant etiam ne biberint aliquid quod

quod prohibeat generationem, vt sunt sudor mulæ, & mater sylua, & alia multa, vbi adesset hæc suspitio, purgentur assiduè cum la[illegible]e asinæ copioso tam vir quam mulier & in quo sit modi cum castorei, & suffumigentur ambo artemisia.

Quæ autem faciunt ad generationem sunt hæc. Primo comedere semen mercurialis assiduè 2. radices satyrionis 3. quod vterque comedat vteros leporum pulverizatos & etiam caprearum: 4. est eboris scobs 5. est semen heselis: est enim potens vocant vulgares semen sileris montani 6. Est vt vir comedat testiculos hircorum sæpe & Gallorum, multum enim iuuat 7. est Triphera magna data cum vino decoctionis radicis mandragore: vel melius, in quo infusa fuerit radix absque decoctione 8. est conditi flores rorismarini longo vsu. Aliud ex florum rorismarini corticis mori, corticis nucum, nucis muscatæ, ligni cupressi mundati ann. ℥. iij. puluerisentur omnia simul, & de hoc capiat mulier partem nonam, continuè agendo per nouem dies cum modico vini maluatici & est potens 10. est melissa: 11. est porrum sæpe comestum ideo pauperes plus generant propter illius vsum 12. est semen & radix peoniæ 13. est semen vrticæ sæpius sumptum in potu 14. est vsus ouorum perdicis 15. est sazenea Mesuè cuius descriptio est hæc.

℞. Piperis nigri & longi, castorei, myrrhæ, galbani, costi, cinamomi, doruci, assari, croci, serbæ, quam vocant valerianam radices myrobalani & est Ben profumariorum, opij ann. partes æquales excipe melle & fac sazeneam. Quod autem ponitur valde bonum est, vrina elephantis, si posset haberi, sed quia difficile est eam seruare & etiam quia non est res ciuilis ob fœditatem, posset destillari in vase vitreo diligenter, & dari nescienti mulieri 17. est exercitatio multa vtriusque tam viri quam mulieris & ob id etiam & est secunda causa cur pauperes plus generent filios diuitibus & certe in hoc & nono auxilio & primo, tertio & decimotertio est maxima spes: & præcipuè quia hæc ambobus tam viro quam mulieri conueniunt. 18. sunt pineæ 19. diacyminum. 20. est puluis ossis capitis humani in potu datus 21. est coagulum leporis 22. puluis radicis filipendulæ. Hæc autem multa docui vt per experimentum cognoscantur, quia aliquando vna res iuuabit in vno, alia in alio, elegi autem præcipua & experta.

Sciendum est autem quod tunc maximè cura conuenit contraria in muliere, quia debet vti prouocantibus menses & ad hoc conferunt trochisci de myrrha, ius cicerum rubeorum cum croco, castoreum & aristrolochia, & alia quæ prouocant menses vt vinum absinthites, Antidotum ex lacca, Antidotum ex anacardo. Sunt & galliæ muscatæ & alefanginæ, & rutha mulieri in hoc casu est vtilis, licet nec viro nec postquam conceperit, conueniat: sic artemisia & pulegium & petrosilium & generaliter quæ bene olent & menses prouocant. Ex pessaciis autem & suffumigiis primum & principale est Moschus 2. zibetum 3. est semen balsami, 4. sandaracha quam ego docui vocari auripigmentum rubrum à barbaris & pharmacopolis 5. est compositus succus cyelaminis, nitrũ rubrum, mercurialis pulpa colocynthide, ann. parum ij. myrrhæ par. Confice cum decocto seminis lini. Itẽ insedeat in decocto hoc. ℞. Pulegij, saluiæ, artemisiæ, cardamomi aristolochiæ; fœnigræci, caricarum, cubebarum, anethi ann. m. radicum iridis ʒ. j. Coquantur cum magna quantitate aquæ, & insedeat mulier. Aliud fellis & coaguli hædi, leporis, capreoli an partes æquales cum sanguine agnino & pinguedine, ac cerui medulla fiant pessaria. Aliud valde bonum, limus ille ac sordes quæ vesicæ, fellis capreoli & hyrci colligitur effuso felle & cum musci gr. iij. misce & liniatur virga & fiat pessarium mulieri. Aliud & constat ex bitumine, pilis leporis, pecore bouis, rutha, cupressi ramentis, & est efficax valde 10. est Principis, crocus, myrrha, mastix, spica, castoreum, & moschus, fiat pessarium, laudantur & bdellium serapinum, item allia sicca vel humida in oleo sesamino cocta donec dissoluantur. Amomum est etiam valde bonum & ego vidi illud delatum ab Epidauro, & Malabatrum:

In omnibus istis pro habendis filiis obseruanda sunt hæc quandoque præcepta. Primum vt ista auxilia suffumigiorum pessariorum, & balneorum fiant mensibus desinentibus, & prima ac secunda die tum tertia post finitos menses: sucundum vt vir permittat mulierem prius mittere semen, & vt illa celeriter emittat iuuat titillatio inter anum & vuluam cum digito & postquam senserit illum emisisse, ipse postmodum emittat. Tertium vt illico finitis mensibus vtatur venere cum illa & ante ipse abstineat per octo saltem dies à venere, à potu multo, à cibo plurimo: exerceatur etiam moderatè, & dormiat in duriore strato, vt semen magis condensetur: & ipse non adeò facile emittat ipsum, sed mulierem expectet, quæ vt dixi ipsum præueniat. Quartum est Pauli & est turpe, dixit enim ille quòd mulieres facilius concipiunt ex concubitu à parte posteriore, credo quia semen facilius in acetabula effunditur, est tamen res mali exempli, & forsan vetita à lege. Quintum est vt vir imaginetur tunc formam pulchram infantis, hoc enim facit vt semen fit robustius ex imaginatione plus effunditur de spiritu. Et dicunt quòd suspendere ex corde cerui, brachio sinistro, iuuat ad conceptum.

Est autem obseruandum vt emisso semine protinus extrahatur virga, & mulier resupina quiescat in latus declinans, super quo solita est dormire & super dormiat illico si potest: hoc enim facit multum ad concipiendum.

CONSILIVM XXXXI.

Pro viro difficultate generandi laborante.

IN casu difficultatis generationis adducuntur quatuor rationes quarum prima est paruitas testium ex quo patet membrũ principale oblæsum esse in magnitudine. Secunda est quod semen sit adeo tenue vt non appareat vestigium in linteis & hoc habet magnam rationem: qua dicebat Galenus *in 2. artis medicæ*, calida & sicca temperies testiculorum maximè fœcunda etiam crassissimum habet semen. Tertia quia celeriter eiicit ipsum semen, atque eo non videtur posse iungi semini muliebri sine quo non fit generatio. Et licet de hoc sit dubium vt *2. contrad. tract. 6. con. vltima*, attamen constat quod vix potest fieri. Quarta est quod ipsi testiculi ab ipso coitu perfrigerantur: ex quo significatur oblæsa temperies testiculorum, & maximè à frigiditate quæ est qualitas maximè generationi contraria. His stantibus duo quæruntur, an generatio sit possibilis: Secundò si potest generare quonam pacto ad generationem possit præparari. Pro primo dico clarè quod hæc faciunt difficilem generationem sed non impossibilem: quia causa sterilitatis est potius ex proprietate quadam in semine quam ex qualitatibus manifestis: nam multi senes generant, quorum semen est valde frigidum, & vix possunt exercere venerem. Et videmus quod multi calido semine non generant. Præterea ego vidi hominem qui à latronibus belli tempore captus stetit suspensus cum testiculis per horas tres, & tamen nunc habet quinque filios masculos & duas vel tres fœminas. Præterea vt voluit Gal 5. *aphor.* ex Platonis sententia generatio fit maximè ob proportionem vt in vtero frigido sint testes calidi, vel contraria ratione: & ideo dico quòd tenuitas non obstat seminis, tamen est impedimentum maius ex his quatuor. Quia generatio non fit nisi adhærente semine & semen non adhæret, nisi quia tenax. Ideo paruitas testiculorum non est nisi causa tenuitatis, & paucitatis seminis: si enim incidat in fœcundum vterum, proculdubio poterit generare vbi non obstat aliud. Causa illius frigiditatis est, quia testiculi calefaciunt scrotum, vnde factâ multâ emissione seminis cum parui sint exinaniuntur, scrotumque frigidum inuenitur. Par est enim testiculis paruis parua inhærere seminaria vasa, Propterea scito Illustrissime Vir quod causa generationis non est in testiculis sed in vasis etiam secundum medicos. Vnde magis oporteret quærere causam à nasis quam à testiculis. Igitur testiculi paruum possunt præbere argumentum generationis aut sterilitatis. Sed oportet semen potius considerare, & non est dubium quod candidum cum quibusdam grandinibus quod diu subsilit calidum & spumosum, & pingue, & multum facit ad generationem. Item quod emittatur magno impetu: quod membrum virile breue sit. Hæc omnia ad fœcunditatem faciunt. Contraria ad sterilitatem ex causis manifestis: nam vt dixi, potius hæc ex quadam pendet proprietate quam ex alio. Nam muli vix generant & tamen equi habent humidius semen mulis & generant: & asini frigidius mulis habent semen, & ipsi asini generant: muli non.

Quamobrem difficile est hoc reducere in primas qualitates. Sed dicet aliquis quonam pacto celeriter semen eiiciet cum hoc sit signum caliditatis, secundum Galen. 2. *Artis medicæ*, & tamen ad sunt reliqua signa frigiditatis. Et ideo respondeo quòd stat testes & vasa esse calidæ temperiei quoad gradum, non tamen posse bene concoquere semen quia sunt cum paucitate caloris naturalis. Et ideo istud fuit necessarium pro curâ id est ad hoc vt fœcundus reddatur. Sed relinquitur dubitatio alia: & est quomodo sit potens in venere. Dico quòd hoc prouenit merito flatus à quo fit erectio virgæ. Primum igitur quæsitum est quod potest generare, & quod posset obuiare vtero tali quod multos haberet filios.

Secundum dictum est, quòd generabit plerumque & facilius puellas quam pueros. Et hoc est quia primò semen tenue hoc facit iuxta Galeni sententiam: Secundo quia fœmina est vt masculus obesus, vt habetur à Philosopho: ideo qui quoquomodo sunt oblæsi, & vbi semen est imbecille fœminæ generantur longè facilius quam masculi. Tertia ratio est quia est frigidum non virtute sed quantitate. Et ideo fœminæ generatiuum cum fœmina sit masculo frigidior. Quartò quia cum celeriter emittatur, multum habet de parte serosâ, & ideo quibus eiicitur semen ex sinistro testiculo, in his contingit fœminarum generatio. Sed dicet quispiam, quomodo igitur masculi? Dico quod est vna vis apud Hippocratem & Galenum 5. *aphor.* omnibus his quatuor validior paribus acceptis. Et est quod semen cadat in partem dextram vteri, vel sinistram: igitur poterit generare etiam masculos, sed erunt debiliores longè fœminæ ob causas dictas.

Tertium dictum adueniente senio magis fiet fœcundus. Patet propter tres causas imo quatuor. Primò quia fiet semen siccius, propterea quod senium est siccitatis parens & excrementa sunt similia temperamẽtis membrorum: & siccum est magis fœcundum & etiam masculorum generatiuum humido, etiam quam fœminarum. Igitur fiet in senio fœcundior & masculos facilius generabit, quàm in iuuentâ. Secundò quia tardius emittet semen, & ita obstabit tertiæ causæ generationẽm impedienti. Tertiò quia rarius concumbet, & ita diutius semen in vasis concoquetur, quare fiet magis fœcundum, & masculorum etiam generatiuum quam in iuuentute: calor enim resarciet tempore, quod præ imbecillitate supplere non potest. Ideo est apud nos prouerbium. *Qui raro coeunt, sæpe generant.* Causa est concoctio seminis, quæ ad generationem non solum facit, sed etiam masculorum.

Dico in comparatione ad iuuentutem. Non dico quòd in senio absolutè generaturus sit plures masculos quam fœminas: hoc enim forsan verum non erit, potest tamen & hoc esse in senio, sed non credo. Imo credendum est etiam quod in senio potius fœminas quàm masculos generabit. Quarta causa est quoniam intemperies calida tolletur, nam omnis immoderata intemperies actum deiicit prope virtutis, vt docebat Galenus. Sed dicet aliquis. Quomodo si temperies est calida, semen est tenue. Respondeo quod calor bene facit ad crassitiem, sed plus impedit humidum & pars aquosa quæ tenue semen reddunt. Ex hoc igitur patet cur multi senes, & maximè tales hac temperie qua ille patiens præditus est generant in senio & non in iuuentâ, & propter id sæpe putant se deceptos, quamuis vxores pudicissimas habeant. Et si dicas in senio fit minor calor naturalis: igitur minus poterunt generare, ob id Aristot. negat quod vltra 70. annum vir possit generare. Respondeo. Calor certè imminutus parũ impedit, quia parua est imminutio in primo senio, sed reliquæ causæ multũ adiuuant ad generationẽ. Ideo tales fiunt fœcundi in senio, qui in iuuentute erant steriles. Sed dices, quomodo, si non expectet emissionem fœminini seminis generabit? Dico quod hoc contingit auxilio casus, auxilio victus & medicamentorum, & ætatis, vt dixi, nam cùm ad senium peruenerit, serius emittet semen, & ideo etiam facilius mulier vel cum ipso, vel ante ipsum, vel post illico emittet. Et hoc ad generationem sufficit. Casus etiam facit vt in frequenti coitu contingat non rarò mulierem ex imaginatione celerrimè & ante virum semen emittere: & ideò multi cum vxoribus generant qui cum aliis mulieribus numquam potuerunt. Et hoc contingit quia cum vxore contingunt ob longam consuetudinem multæ ac diuersæ formæ coitus, quarum vna tandem est apta generationi, & ita generat. Ideò dici solet quòd etiam imperitus toties potest iaculari, quòd casu scopum attingit, quem vix qui arte præditus est, attingere potuisset. Nam frequentia operationum in longo tempore præsertim multùm possunt. Hic loquor de frequentiâ in longo tempore, non in breui, nam vt dixi superius, hæc potius obstaret.

Quoad auxilia igitur quædam sunt inemendabilia, vt frigus illud consequens, sed hoc est potius signum quam causa sterilitatis ideo cura ei non debetur. Item paruitas testium, nam ea etsi impediat generationem, non tamen curari potest cum sit à naturâ, & in ætate adultâ: nam in pueris curari potest, minus tamen quam magnitudinis excessus. Quæ igitur curari possunt & ad hoc faciunt, sunt in triplici genere. Quædam tardant venerem: quædam semen cogunt crassiusque reddunt: quædam à proprietate generationi ipsi conferunt. Quæ conferant generationi à proprietate duo sunt, imaginatio valida in horâ concubitus & antè. Vnde belluæ magis generant quam homines: & ex hominibus maximè ruricolæ, minime Principes: & magis in nocte quam in die propter somnolentiam homo enim non distrahitur cogitationibus. Item homines pugnaces magis generant imbellibus. Et plures ob hanc causam in primo congressu, & in defloratione Virginum generant, quamuis etiam obstet motus. Et hoc ob validam imaginationem: generatio enim maximè obedit imaginationi: vnde etiam ex illa sola membrum virile erigitur, quidam semen emittunt. Secundum est ex auxiliis naturalibus, semen mercurialis, vterus leporis, siccata: testiculi omnes, maximè apri, & veretrum Tauri ac Cerui ad fœcunditatem si edantur, vel puluis horum bibatur, generationem non mediocriter iuuant. Item omnes radices quæ testiculis similes sunt, vt triorchis, satyrion, & tales multum faciunt.

Ad seminis crassitiem valet, si cibis vtatur crassioribus carne apri, fabis, caseo non salso. Abstineat ab aromatibus omnibus: à vinis potentibus: Exerceat se non multum, sed tamen ad sudorem vsque, id est sic vt sudet: tenue enim quidquid est aquosum in sanguine resoluitur. Dormiat non in plumâ, non in cotto, sed duris lectisterniis vt ex stupâ sericeâ. Talia sunt commodissima. Pelles non ferat, saltem super renes, & quod maximum est, rarò concumbat: & cum vult concumbere, spectet spontinam tentiginem: & non quærat pulchras mulieres primò: Et cum concumbit tunc bis saltem aut ter in vnâ nocte concumbat. Cum enim cum muliere, quam non amat, concumbit, tunc non adeo celeriter semen emittet. Et hoc erit ad regimen tertij. Caro autem suilla ad crassitiem seminis, etiam suis domestici multum confert. Item parum de carne comedat, & ab acribus caueat, vt sunt allia, fœniculus, serpillum, porri, eruca. Sed pro tertio scilicet pro seminis tardâ emissione, si cum intromittit, imaginatus fuerit metum aut rem tristem, aut turpem mulierem sibi subiectam: aut se esse in aquâ vel talia, paulatim ac sensim tardabitur emissio seminis: impossibile enim est semen emitti, imaginatione adeo occupatâ. Iuuat & retrahere paululum membrum vt humidum aquosum prius seminis exeat. Paulatim igitur, quod expertus sum in aliis, ad tarditatem quam volemus, reducetur. Ex his verò quæ à proprietate conferunt, sunt renes & testiculi herinacei siccati & in potu sumpti.

CONSILIVM XLII.

In causâ retentionis vrinæ, &c.

SVppositis illis quæ candida fuere in causa retentionis vrinæ. Prætermissâque prauâ compositione callosâ, quæ parum aut nihil ad victus rationem spectat. Manifestum est tria circa hoc esse consideranda. Primò ne materia illa generetur in ventriculo, vel in liene, vbi generari solet & hoc quidem tria requirit consideratione digna. Primo vt cibi sint quales infra dicetur. Secundò quod huiusmodi cibi sint facilis concoctionis. Tertiò tandem si in aliquo horum deficiat

deficiat, ſuccurremus vt nil vel parum noceant: tria in primis circa hoc animaduertentes ſcilicet ne generaret lapis in veſica: deinde ne flagrantia vrinæ ſubiret,& tertio ne aperiretur aliqua vena, qua ſanguinem educeret. Et hoc eſſet longè deterius. Flagrantia enim vrinæ eſt magis moleſta, lapis verò eſt moleſtus & periculoſus:ſed non adeò nec tam citò vt prior: Secunda vero principalis eſt ne in renibus huiuſmodi materia generetur, patet enim ipſam ibi generari:nam (inquit Hippocrates) vbi dolor ibi affectio:nulli enim fermè ſunt qui vrinæ flagrantiam patiantur, quia eorum origo à renibus oriatur & ratio eſt quoniam renes ipſi longe ſunt pluribus affectionibus ſubiecti,nec non inuoluti magis quàm veſica ipſa. Tertia eſt alui durities quæ præter multas affectiones generales, tantundem per ſe in hoc caſu lædit. Primo enim generatur illa fex terreſtris. Secundo ob ſuam duritiem comprimit veſicam:vnde fit retentio vrinæ, & de hoc ſatis.

Deueniendum eſt modo ad ciborum proprietates & dico quod tria conſiderare oportet ſcilicet qualitatem ciborum,quantitatem, & modum eos præparandi. Et quoad qualitatem conſiderare oportet rem ipſam & eius ætatem, ob id dico vitandas eſſe radices cuiuſlibet generis,& braſſicas, & cibos omnes ex farinâ, & caſeum & omnia acria, ſicuti ſunt alliæ,cæpæ,porri,& ſimiliter omnia dura vt ſunt caſtaneæ, auellanæ, amygdalæ, & ſimilia, nec bibat etiam vina potentia & ſi vult bibere bibat ea optimè diluta, nec ſint nigra:nullum animal agreſte eſt bonum,præter aprum, nullum animal antiquum nec nimiâ magnitudine præditum vti ſunt boues & quamuis iuuenes, nullum animal enectum & macilentum,nullum in loco anguſto pinguefactum ſicut ſunt ſues in ſtabulis vitam degentes,& capones caueæ Nulli etiam piſces magni vt ſturiones non mediocres, mala ſunt omnia ſalſa, & carnes ſalitæ tum etiam piſces & album oui & fructus illi qui vocantur melongianæ ſeu mala inſana.Piſces etiam qui carent ſquammis, ſicuti ſunt Anguillæ, Tincæ, omnes piſces lutoſi,& qui in aquis non fluentibus degunt, & piſces non recentes omnes ſunt praui. Optimi ſunt gobbij & piſces marini mediocres lucij,piſces,perſici fructus poſſunt edi ante prandium ſicuti ſunt ceteſia dulcia, pruna, ficus, vua, perſica mala, Armeniaca,ſed non pepones, nec pyra nec cotonea. Oliuæ tres ob cauſas nocent propter duritiem tum etiam quia aſtringunt: & quia craſſum exhibent alimentum.Secunda regula eſt vt cibi ſint optimè cocti & plerique eorum qui ſunt coquendi, longè ſunt præſtantiores cocti quam crudi; ſicuti ſunt lactucæ, endiuia, cichoreum, pruna, perſica. Poma nec cruda nec cocta ſunt bona. Tertio eſt quantitas quæ quanto leuior tanto melior, vtiliorque, ſi ex vna tantùm ſpecie comedetur tunc enim homo minus comedit & ſolum quantum ei ſufficit, nec naturalem cogit appetitum:vſus ſucci limonum in omnibus cibis & betæ ante prandium & paſſularum ſemper vtilitatem præſtant. Adeſt etiam acetum album non valdè acutum &,ſi ſuccus limonum noceat ſtomacho, poteſt & addi aliquid ſacchari.

Circa renes igitur oportet ipſos refrigerare & mundificare,& hoc proculdubio fieri debet & tuto. Oportet etiam vt deuitet immenſos labores:à prandio quieſcat:corpus lubricum reddat. Secundò vt ſæpè illos inungat iſtis duobus oleis cum aquâ violarum ablutis. Oportet igitur ſeorſum accipere ℥. iij.olei violarum crocearum & ℥.iij.olei violacei communis & etiam ℥. j. ſ. olei roſati etiam ſeparatim,& ſi eſſet de illo pigmentariorum eſſet longè præſtantius ipſa ſepties vel octies abluendo cum aquâ violarum: deinde ſe inungere.Et notandum quod tempore æſtiuo accipere oportet tres partes olei violacei communis, & vnam violarum crocearum:& hyberno tempore facere oppoſitum:tempore vero intermedio, ſcilicet temperato inter æſtatem & hyemem accipiantur pondera æqualia,& quando percipit calorem addatur plus olei violacei, & quando dolorem plus olei crocei. Si verò percipiat renes imbecilles, additur plus olei roſati abluti ſicuti ſuperius dictum eſt: tum etiam ſi ſentiat renes prægrauatos, comedat parum in mane,ſicuti eſſent carnes capreoli ſeu auicularum: ſeu comedat lactes vitulorum duo tantum ouorum lutea: In veſperi vero comedat ℥.iiii.ſeminis melonum mundatorum & in lac redactorum cum modico iuris non pinguis & aquæ fragrorum, vel peponum auxilio balnei detractæ.Et hoc continuando per quinque vel ſex dies, donec percipiat renes omninò ſine dolore,& ſine aliquâ grauedine, & caliditate, & in hoc caſu iuuabit ablutio pedum ante cænam cum aquâ tepidâ dum ventriculus eſt omnino vacuus, diu ibi crura permittendo, & leuiter deorſum fricando.

Verum quia diximus nihil boni fieri poſſe, vbi non adſit beneficium corporis pro hoc itaque accipiat ℥.ii. vuuæ paſſæ ablutæ,prunorum ſiccorum non vitioſorum ac mundatorum ablutorumue ab ℥. iii. vſque ad iiii. bulliant in iure non ſalito & macro, donec ſint optimè diſſoluta & hæc pro cænâ cum pane comedet & nil aliud, & ius illud bibat ad pondus ℥.viii.eſt & alia via breuior & eſt accipere duas vel tres vncias conſeruæ prunorum ante cænam & cæna ſit parca. Accipiat etiam betas matrem violarum quæ in iure bulliant, eis addendo mercurialem maluam & ſemper ℥.ii.olei recentis amygdalarum dulcium & cum pane eas comedere & ius bibere.Iubeat etiam extrahere mucilaginem ex ſebeſten ita vt ſint ℥.vi.mucilaginis, & de ipſâ accipiendo ℥. ii. pro vice continuando per tres dies & addendo & tantundem aquæ violarum ſeu mucilaginis.

Quantum ad tertiam intentionem ſcilicet quod generata huiuſmodi materia non poſſit lædere, nec facere maiorem retentionem nec flagrantiam vrinæ nec lapidem hunc,iubebit fieri ſyrupum.

℞. Oxilapathi id eſt foliorum eius,foliorum ſaxifragræ, foliorum vrticæ, foliorum vmbilici veneris,ann.libras duas. Extrahatur ſuccus ad quantitatem cuiuſlibet libræ addatur

tur succi limonum aceti albi acuti valdè an. ℥. iiii. adeò vt sint tres libræ succi ex omnibus herbis, addemus vnam libram aceti & vnam libram succi limonum & cum libris quinque sacchari de modera purgati fiat syrupus secundum artem. Et de hoc capiat ab ℥. f. vsque ad iii. singulo mane sine aliâ aquâ, vel cum exigua quantitate aquæ violarum vel borraginis vel endiuiæ & tunc capiat tepidum continuando per tres vel quatuor dies. Et post assumptionem vel dormiat vel se exerceat.

CONSILIVM XLIII.

Pro vlcere in collo vesicæ.

IN curatione vlceris in collo vesicæ quod apparet ex situ proprie & dolore in pectine & materia quæ mingitur saniosa, contingunt duas difficultates. Prima quia non adfuit sanguis. Secunda quia non adest fœtor & causa de sanguine credo quod latuerit interdum & quod sit in parte neruea vbi dolor est magnus & sanguis paucus aut nullus. Et causa quod non adsit fœtor est quia tempus est frigidum valdè & ideò sanies quæ expuitur ex pulmone cum sit membrum adeò sãguineum & calidum si non fœtet nisi posita super carbones quanto minus in vlcere vesicæ & maximè vbi neruea est. Intentiones sunt duæ necessariæ & duæ vt plurimum necessariæ sunt detersio & exsiccatio sicut docet Galenus in tertio Methodi & detersio debet fieri iuxta multitudinem materiæ vt idem docet, nam si minor fiat vlcus reddetur sordidum, si maior particula colliquabitur. Exsiccatio autem pro natura membri in qua considerantur temperatura, ætas, & membrum nam caro cordis est siccior carne iecoris & cartilago ligamento & ligamentum carne. Duo vero non per se dolor & eschera: dolor autem plerumque adest propter naturam membri sensilem & vrinæ acrimoniam & magnus valde. Sed si magnus sit dolor & perseueret indicat certè vlcus adesse & supposito lapide: quoniam non potest dolor esse vehemens quin sit læsa compositio seu substantia membri & etiam quia dolore perseuerante aut materiæ corruptæ cum sanguine affluunt, & ita exulcerant locum aut non affluente sanguine locus refrigeratus breui exulceratur. Alterum est eschara quæ vlceri paruo succedere solet magnis autem vlceribus plures sicut videmus exterius. Quidam dicunt oportere tolli escharam si debet sanari vlcus, dico quod hæc ratio non est vera, nisi quando sub eschara est charitas in quam postmodum fluit sanies quæ erodit partem subiectam & prohibet consolidationem, & facit dolorem si sit magna & sanies acris & locus sensilis, secus nos videmus quod pleráque vlcuscula superinducta eschera seu crusta subtus sanantur.

Pro curatione ergo oportet instituere rationem victus & curationem per medicamenta, superius inferius etiam, & ratio victus consistit præcipuè in purgatione, in refrigeratione renum, in motu & quiete in eo vt seruetur lubrica aluus (nam ex astricta aluo locus incalescit, putredo augetur, retinentur excrementa comprimitur vesica, & cum postmodum aluum deiicere oportet coguntur musculi quinti paris vesicam constringere vehementius, vnde & dolor augetur & vlcus aperitur.) Demum cibus & potus. Pro purgatione ergo quæ debet esse valida tum quia locus est remotus, tum vt corpus benè siccetur. Igitur. ℞. Pillularum de benedicta ʒ. j. reformentur pillulæ tres cum aqua vitæ capiat ante cœnam quæ sit leuis aut quod melius est post primum somnum, & repetantur sæpius donec fuerit exquisitè purgatus. Pro refrigeratione renum vtatur aquâ rosacea & violacea & aceto pari portione, & si oportet addatur succus vitri vel plantaginis, & vestes aperiantur. Pro mollitie alui vtatur clesteribus ex oleo rosaceo hoc est optimo vel si non oleoamygdalino, dulci recenti in cibit & matre violarum, qua nihil melius admistâ borragine, & vuis passis, & hoc ad refrigerandum iecur & coquantur in iure carnis. De motu & quiete oportet vt manè demissâ aluo & purgatâ vrina, exerceat se, & etiam si exerceret brachia solum vt in iaciendo lateres vel poliendo chartam, vel circumagendo mollam pistoriam. A cibo autem si cogatur exercere se deambulando, tunc non sumat mane nisi panem & pineas aut panem & vuas passas, sine potu & in modica quantitate, aut si cum potu pauco & aquâ suâ de qua dicemus, & neque ante cibum nec post cibum scribat aut pronus sedeat, sed & stare diu incommodum est quia calefacit renes & retinet materiam in vesica iuxta locum dolentem.

Cibus sit ptisana ordeacea & lac seminum peponum & pineæ ablutæ & mater violarum in ferculis, & marciapani cum seminibus peponum & cucumeris & pineis, & vuæ passæ dulces & fructus palmarum sunt valde boni, & aqua chalybeata, & comedat auiculas paruas & pedes vitulorum & saccharum violaceum, & nunquam bibat vinum potens in tota vita neque vinum cum comedit saccharum vel mel, & comedat radices serpentariæ maioris coctas sub cineribus & pentaphylon scilicet folia & hippurim Et lac aquæ sed in fine curæ: Potus eiusmodi sit.

℞. Aquæ fontis lib. 20. ligni Indi rasi optimi ℥. ij. Hippuris m̃. ij. corticum pinearum, cupularum glandium contritarum subtilissimè ann. ℥. ij. infundantur horis 24. & post bulliant in olla noua ad consumptionem tertiæ partis, inde coletur & de hoc capiat pro syrupo ℥. vj. singulo mane vacuata vesica, & supercumbet pronus & etiam prouocetur sudor. Et pro cibo addatur de isto syrupo ad libitum.

℞. Cupularum glandium interiorum corticum pinearum ann. lib. 5. succi Hippuris, & si non possit haberi aristolochiæ ℥. viij. coquantur cupula glandium & pinearum in lib. vj. aquæ donec redeant ad ij. inde coletur aqua

aqua vt remaneat clara & addatur ſuccus & poſt ſacchari optimi clarificati ad pondus & decoquatur donec fiat ſyrupus in bona forma, de quo capiat ad libitum cum ſua aqua dum prandet & cœnat.

Poſt ℞. Boli armeni orientalis, lapidis hæmatitis crudi, cornu ceruini vſti, Thuris ſuccini, ſeminis alchechingi, coralorum rubrorum, liquiritiæ ſiccatæ, in furno. ann. ℥. iii. Dactilorum cum ſuis oſſibus lib. 1. ſarcocollæ ℥. 10. cupularum glandium ſeu calicum corticum pinearum interiorum ſingulorum ℥. iiij. Aluminis rochæ ſeminum apij, Pauci, petroſelini, cucumeris, peponum, portulacæ, Indici, ann. ℥. j. ſ. muniæ electæ mellis an. ℥. ij. ſ. radicum ſymphiti ℥. iiij. aqua vitæ duarum coctarum lib. iij. omnia contuſa ſimul miceantur & ponantur ſub fimo equino per ſocto dies, ita vt incaleſcant vehementer addendo ſucci Hippuris condenſati lib. 5. radicis ariſtolochiæ & ſucci centauræ ann. ℥. iiij. inde deſtillentur omnia per cineres aut per balneum mariæ & demum cum leui igne, & ex hac aqua bibat cum aqua halicacabi ʒ. ij. Item iniiciantur poſt euacuationem vrinæ ℥. j. pro vice & aliquando cum vino albo & melle ℥. i. aliquando ʒ. ij. ab initio. Exterius autem applicetur emplaſtrum eiuſmodi ℞. Stiracis calamitæ ℥. j. ſarcocolle ℥ j. ſtercoris aſinini ℥. j. ſ. ſucci Hippuris quantum ſufficit Indici ʒ. ij. aquæ prædictæ ʒ. ij. Miſce ad formã emplaſtri & deraſis pilis ſuperponatur pectini & ſuperius parum & cum fuerit incommodum inungatur locus ex illa aquâ: inde linteum madidum lineum ſuperponatur duplicatum: Et ſuper illud linteum aliud quadruplicatum ſiccum: deinde corium. Aliquando verò vtatur eo emplaſtro confecto cùm gummi elemi ita vt ſemper aliquid ex his tribus ſuper locum habeat. Accipiat etiam cum prædicta aqua ʒ. j. muniæ electæ. Aliquando accipiat ʒ. ij. electuari cyphicum eadem aqua aut in bolo cum ℈. j. muniæ aut ʒ. j. & ℥. ij. aquæ halicacabi. In aqua verò quæ iniicitur addantur pompholygis Cypriæ (& eſt quaſi ſpodium metallicum, & ſi leuigatus puluis. Aliquando etiam purgetur cum cartatio Imperiali: ſi benedicta non ſufficiat: Item aliquando vtatur huiuſmodi potione.

℞. Seminis Apij ʒ. 20. ſpicæ nardi ʒ. j. tuſa coquantur ex lib. ij. aquæ ad conſumptionem medietatis & de hoc capiat ℥. ij. ſ. poſt bolum huiuſmodi. ℞. Pinearum g̃. 20. ſeminis cucumeris g̃. 40. amyli g̃. 12. ponderis contundantur & fiat bolus, & hoc valet pro dolore.

Poſt in fine ſcilicet triginta diebus exactis aut quadraginta vtatur lacte equino ſumendo ℥. iij. ſingulo mane vſque ad iiij. & tandando cibum quinque horis poſt comedat parum de rebus prædictis, & etiam iniiciat de prædicto lacte per ſe vel cum melle roſaceo ad abluendum vlcus: inde imponatur aliquid ſupradictorum aut aqua infraſcripta.

℞. Pompholygis, ſtibij in pollinem redactorum ann. lib. j. lapidis ematitis crudi Hiſpani lib. j. deſtillentur & poſtmodum de hac aquâ imponatur ad quantitatem ʒ. j. cum ℥. ij. liquoris infraſcripti. ℞. centauræ minoris gariophylato ann. ℥. iij. radicum & foliorum apij ℥. vj. foliorum oliuelæ ℥. ij. fiat ſuccus exprimendo ſub turculari & quod reliquum eſt deſtilletur, & aqua illa erit pro vſu etiam, & bonum eſt ſi poteſt vt fiat pro quadruplo, & ſi addatur aliquando ariſtolochia longa radices & folia eodem modo: & experiri vtroque modo bonum erit. Inſtilletur etiam aqua deſtillationis corticum fabarum per balneum mariæ extracta & in magna quantitate.

CONSILIVM XLIV.

De Calculo veſicæ.

Accidentium quibus affligitur Illuſtriſſimus Dominus Ægrotans primum eſt acerbiſſima, iugiter contriſtans ſenſumque alienæ, & pungẽtis rei exhibentis perceptio, ea in parte qua muſculus ceruicis veſicæ obducit meatum vrinarium antequam porrigatur in penem, citra tamen grauitatem aliquam, acerbioremque eſſe tum cum ab externo aliquo obuio, aut interno comprimitur. Alterum ſenſus eſt moleſtus & inſuauis, effigiem præ ſe ferens ardoris, protentus in longitudinem meatus vrinarij vſque ad extremam penis glandem, nempe quam inſuauiſſimè ſollicitat & maxime omnium idque aſſiduè. Tertium contentio partis ſub pene. Quartum immodica expellentis facultatis veſicæ proritatio: expellentis intelligo facultatis non propriæ ſed communis: agnoſcenda autem in ea eſt duplex naturalis actio: & priora hæc ad functiones vitiatas referunt. Quintum lotium turbatum quod perſæpe tale durat, interdum paulò poſt clarum & perſpicuum redditur, colore album, lacteum, contenta varia ſunt viſa, perpetuò corpulenta & viſcida pertinaciſſimè cohærentia, non putria, fundo matulæ non tota tamen, quòd eorum ſit non minima pars diſſolubilis, putris, additur eiſdem nonnunquam tantillum puris: commiſcentur nonnunquam carunculæ ſubrubiæ & putres: interdum ramenta, ferocius ſæuientibus cruciatibus, aut ſtatim lenitis ſquammoſa, arenulæ tum albæ tum ſubrubæ per dilucida tamen interualla, & hæc ea ſunt quæ ſpectant ad excreta in quibus quantitas, qualitas, tempus, & modus eorum declaratur, ex quibus profectò colligo ſedem vnam eſſe affectam, cuius cauſa præcipuè auxilia deſiderantur paſſionem vnam & morbum: male affectam partem veſicam ipſam, cuius vitiata eſt expultrix functio, partim læſa facultate, partim ab externo obiecto. Morbus eſt calida & ſicca intemperies cum affluxu materiæ eiuſdem qualitatis acrioris nimirum ſalſæ pituitoſæ, cum commixtione bilis amaræ quæ colligitur vitio facultatis coctricis in familiare ſibi alimentum agentis, ſed prolici tum caloris tum doloris cauſa, atque in eam ipſam protrudi tanquam imbecilliorem partem ab his in

in quibus progigni consueuerunt ventriculo ve & cerebro ac vniuerso ferè corpore, quod sanguidiusculum esse cęseo. Auxiliorum quæ in hoc affectu conueniunt. Primum est lenere dolorem si partis cruciatum adimere non valeamus, habet enim ratione & vrgentis & causæ. Vrgentis quidem virium gratia, causæ sine qua non, collatione aliorum quæ propulsanda sunt 2. imminuere materiam quæ corpulenta & quanta 3. attenuare incidere, detergere, & temperare. 4. auertere & euacuare ea ratione qua in partem agitur & non quietur. 5. corrigere vitia partium à quibus generant excrementa hæc, atque eas firmare si possibile sit, rectamque victus rationem instituere.

Pro euacuatione ac auersione laudo mannam & mel rosaceum solutiuum. Pro lenitione laudo emulsionem seminum melonum, maluarum eltheæ cum aquâ violacea ad quãtitatem quinque vel sex vnciarum cum ʒ.ij. sacchari albi, laudatur & ad hoc serum lactis stillatitium per balneum mariæ sumendo lib. xvj. Mannæ optimæ ℥.ij. sem. infrig. malorum ℥. iij. sem. altheæ maluam ℥. ij. dacilor ℥.iij.

Laudatur insessus ex seto lactis in quo ebullierint siue potius efferbuerint malua, altheæ, & viole.

Quæ detergunt & extenuant sunt aquæ nostræ stillatitiæ cum seto lactis.

Quæ auertunt sunt agaricus rhabarbarum, vel catapotia ex masticbinis pillulis quę aganum recipiunt ℈. ij.& thabarbarum ℈. j.

Quæ partes labefactatas primogenio corrigunt ac corpus roborant, sunt decoctum chinnæ siue cyanamum stillatitium cuius vsum maximè commendo non tantum ob causas quas dixi, sed etiam ne maior lapis in vesica fiat.

CONSILIVM XLV.

De motus imbecillitate in vtroque genu.

QVamuis in narratione nõ videatur peti nisi simplex auxilium dispositionis pręter naturam, & opinio circa causam eius, quia tamen ista non possunt absolui perfectè, nisi ostendamus naturam ipsorum symptomatum, & vt fides habeatur dictis, & ex fide pareat consiliis quibus recuperet sanitatem. Breuiter primum recitabo quæ scripserit, namque super his inuẽrio symptomatum habetur, & ex illis morbi, ex morbis autem & rebus naturalibus causæ, & ex causis curandi methodus: neque sufficit scire speciem horum, sed singulorum magnitudinem. Igitur offertur vir natus quinquaginta octo annos, cerebri calidi & sicci atque robusti secundum naturam, vt enim audiui, est egregius Iurisconsultus, quæ peritia non solùm constat ingenio & iudicio, vt philosophia & medicina, sed indiget magna memoria: habere autem tres operationes principales cerebri validas ostendit illius membri robur non leue, & bonum temperamentum, & præcipuè compositionem bonam, siquidem operatio facit cognoscere formam. Quia autem talia studia calefaciunt cerebrum, tum ob vigilias, tum ob motus spirituum, tum etiam quia trahunt copiam illorum ad cerebrum ipsum, ideò ventriculus destituitur coctione propria. Et ob hoc dicebat Celsus, quòd studiosi laborant imbecillitate ventriculi. Cerebrum autem interim, tum ob calorem innatum, tum aduentitium trahit, & sanguinem & vapores plurimos ad se, vt testatur Galenus *in libro Artis medicæ*. Vnde redditur imbecillius in dies & plenum excrementis, & maximè in constitutionibus austrinis: & tamen si amplæ sint viæ (hoc autem de excrementis narium est quod voluissem scire (per ætatem robustam natura commode fert, sin autem nasus astrictus sit, deterius afficiuntur. In vniuersum ætate inclinante, & maximè in aere Romano, lauta mensa, multitudine curarum, exercitio immoderato, vel magnitudine, vel paucitate, vel insueto, vel inordinato, velut à cibo assumpto, vel post inædiam, vel vigilias, non potest deriuari tota materia ad loca aperta, quia neque cerebrum potest benè se constringere, sed remanent sordities quibus initia neruorum & sensuum vitiantur, inde hebetudines audiendi vel videndi, aut tinnitus in auribus, aut imagines in oculis, vel torpores in tactu, priuatio olfactus & similia. Vnde concludo ex his duo, quæ sunt necessaria ad curationem, primum. quod adest duplex intemperies, calida & sicca naturalis, & calida & humida præter naturam: secundum, quod si non fuisset institutio rationis victus melioris quæ secuta est, iam cecidisset in deteriorem dispositionem. Proponitur inde cor calidum satis, & leuiter siccum, deinde hepar calidum, cuius indicio est, vt bene dicitur, venarum latitudo & copia bilis, sed diuersimodè: nam latitudo venarum est semper & solum signum calidi iecoris secundum naturam, verùm abundantia bilis flauę præsertim est signun calidi iecoris, & secundum naturam, & secundum habitum acquisitum, & secundum intemperiem præter naturam, sed illa quæ est facta à iecore calido pręter naturam, est semper bilis pręter naturam. Solùm restat dubitatio de caliditate per habitum acquisita, & dico quod verisimile est ob alui astrictionem quæ successit, & etiam quia naturales intemperies nisi eis obuiam eamus solent pręternaturales generare. Præterea quia ventriculus erat imbe cillis, non enim recepisset ea excrementa quæ postmodum reijciebat per vomitum: secus cum membra valida, vt inquit Galenus & Princeps, soleant transmittere excrementa sua ad membra debilia, & ideò cogitur iecur coquere alimentum crudum, & ita bifariam incalescit ratione laboris seu pugnæ & antiperistasis, & obstructionis. Tales etiam vtuntur cibis delicatis, qui omnes fermè calidi sunt, ex odoratis enim quamuis aliqua sint frigida, nullum tamen ex his iucundum est gustui, vt rosæ, santhali, violę, myrtus: sed etiam dulcia & pinguia omnia calida sunt.

Con

Constituta temperatura, & tempore quod est æstatis initium maximè Romæ, si Galeno credere volumus, adsunt duo symptomata pro quibus petit auxilium, nam de tinnitu nil quærit nec queritur. Primum est imbecillitas motus in vtroque genu, sed maior in sinistro, & cum ambulauit, & cum conatur ambulare, perseuerando in ea scilicet ambulatione, adeò vt sequatur tremor illorum & consistendi impotentia, absque dolore tamen. Secundum est, stupor in pedibus tantum & in sinistro magis, vt pars ea manifestè magis læsa sit, & erat prius in planta pedum, nunc autem occupat totos pedes sed magis sinistrum, & stupor hic est etiam cum grauitate eorum. Est autem stupor eiusmodi in quo sentiat stuporem ipsum, non quòd sensus sit stupidus, nam si tangatur sentit exquisitè & tangentem, & qualitatem manus, & est de genere eius quem patimur sedentes, aliquando ita vt musculi coxarum valde comprimantur, vt in attricto etiam vinculo, de quo dicebat Princeps. Cumqúe effunditur ad membrum sanguis aut humor alius plurimus, quare oppilant transitus, & huius plurimum est à sanguine. Et propter hoc cum permutatur situs eius, & remouetur, & recedit ab eo quod ad ipsum est effusum, redit sensus. Et dico quòd læsio est in sensu, & motus est quintuplex, attonitus morbus, resolutio, paraplexia, stupor & stuporis sensus. Licet Princeps confundat stuporem cum stuporis sensu: nam attonitus morbus, est totius corporis priuatio, sensus atque motus: resolutio dimidij corporis priuatio sensus & motus: paraplexia vero vnius membri priuatio, sensus & motus: adeò vt sint differentiæ subiecti: stupor autem est diminuta paraplexia, aut resolutio, aut attonitus morbus. Sed rarissime potest esse diminuta paraplexia eo quòd si dimidium afficiatur totius corporis stupore, fieri non potest quin sit paraplexia, eo quod illius medietatis aliquod membrum magis remotum à cerebro, & à membris calidioribus, vtpote tibia, aut pes priuabuntur motu & sensu, ergo erit paraplexia cum stupore, & non stupor solus. Erunt igitur duo morbi, subiecto, & qualitate differentes: paraplexia, perfecta priuatio in vno membro solo, stupor in medietate, quamuis etiam hoc rarò accidat: stupor autem in toto corpore, sine paraplexia aut etiam paralysi, nunquam accidit, quoniam, vt dixi, partes aliquæ necessario destituentur sensu & motu, quoniam seu sit causa stuporis obstructio, seu imbecillitas, seu quæuis alia causa, si alia esse possit, omnino decumbet affectus & vitiabit aliquam particulam, & in omnibus his sensus imminuitur. At verò cum percipit stuporem oportet vt primum sentiens, seu vehiculum quod est neruus non sit impeditum, & etiam quia non sentiret pondus: ergo impedimentum est in eo quod mouet, & non in neruo, mouet autem musculus: mouetur autem membrum, puta crus & pes: vehiculum est neruus qui est illæsus, & hoc est principium curationis, quoniam si neruus esset læsus participaret cum cerebro, & ita oporteret curare cerebrum aut saltem maximè, nunc autem oportebit curare membrum fermè solùm, quoniam læsio est in musculo, & est etiam verisimile, quoniam, vt dixi est eiusdem generis cum stupore, qui fit ex incommoda sessione, ille autem statim curatur & perfectè, quia causa non est in vehiculo, hic neque perfecte, neque statim & tamen non est in vehiculo: ergo differentia est in materia, cum in illa sit sanguinea & plena spiritibus, ideò dissolui potest in momento, hic non potest cum sit crassa, & cum paucis spiritibus: vnde sequitur etiam quod ex medicamentis calidis diffundetur hic morbus & dilatabitur, non tamen augebitur stupor, nisi corpus fuerit plenum & immundum. Hoc igitur est discrimen inter stuporem, & sensum stuporis: quoniam in vero stupore est etiam sensus grauitatis, sed ratione imminuti sensus, non aliorum neruorum, quia neruus qui non mouet non potest sentire graue & leue, ex eo quod hi sunt affectus potentiæ & impotentiæ: & propter hoc in vero stupore erunt partes magis difficiles ad motum & verè grauiores, sed sensus grauitatis erit minor quam in sensu stuporis, qui est quinta species, vbi erit motus robustior. Erunt igitur tres ordines stuporis sensus, ex sanguinea materia, qui est leuissimus stuporis sensus, à materia pituitosa crassa qui est difficilior, & stupor, qui est difficillimus. Quomodo autem neruus sentiat pondus, quod est ex musculo, si esset perfecti sensus, & moueret, igitur perfectè moueret, si autem non mouet, non potest percipere pondus. Dicendum igitur tandem, quod læsi sunt nerui motus, qui sunt in musculis, & illi sentiunt pondus, sed nerui qui sunt in cute non sunt læsi, sed in vero stupore sunt etiam læsi ipsi: & hæc est differentia exquisita stuporis sui à vero stupore, & est vt dicamus quòd materia est infusa per carnes musculorum, non autem sub cute, nerui autem profundi sunt crassiores, & propter ætatem calor est imminutus: ideò non potest transire in vaporem, neque ascendere ex centro ad circumferentiam, neque attenuari, & ideo in attenuatione periculum est maioris stuporis: & non esset mirum, quod in sanatione partis inferioris, & recuperatione motus, pars exterior incideret in stuporem. Ideo in hoc considerare oportet, primum robur motus, quia istud est ptincipale, inde leuitatem membri, demum sensum, vltimo sensum stuporis, nam vbi hic adesset, & reliqua tria benè se haberent, scilicet vt moueret facilè membrum, sentiret ipsum leue, & non sentiret stuporem, quod fermè necesse esset, quia si sentiret membrum leue, ergo vis mouens esset valida, igitur non perciperet stuporem. Rursus sensus hic ponderis est, quoniam & læthale omnino, sicut carcinoma & attonitus: huius autem sunt duæ species, læthale quòd citò perimit, non tamen citò sanescere potest, velut morbus attonitus dictus: & læthale, quoniam quod mouetur, difficile mouetur, ideò videtur graue, in eo vero quod mouet, parum mouet, & in eo quod sentit, multum sentit, quia graue valde ei videtur: igitur hoc contingit, quoniam in eodem

lem neruo hæ duæ operationes diuersis modis fiunt, scilicet sensus per solam illuminationem, sicut dicit Galenus *primo de Locis:* vires autem motrix non perficitur nisi per spiritus, vndè in æstate eædem vestes, non solum calidiores, verumetiam si calor molestia nos non afficiat, grauiores videntur quam in hyeme, ideò non sat perspicuè Galenus, ibi eam differentiam declarauit, propter id coactus sum cum non parum in rem faceret.

Quibus intellectis dicendum est de causis, sed illas inuenire facilius erit si modum quo morbus inuasit docuerimus, quamquam in hoc secundo loco desiderarem tempus, quod pro initio morbi censetur, verisimile est autem fuisse, vel finem autumni præcedentis, vel hyemem, autumni quidem propter prauitatem, autumnus enim est occidens & hora à meridie vsque ad occasum, & ætas à quadragesimo anno ad sexagesimum, & atra bilis, & morbi ex genere attoniti, conueniunt secundum Hippocratem. At verò si ad caloris imbecillitatem ad pituitamque respicimus pertinebit ad hyemem, præterea quia non videntur facta magna auxilia, vt si æstas intercessisset verisimile sit multo plura peracta fuisse, incœpit autem præcedente alui duritie per aliquod tempus & motu nimio, vnde debilitata sunt genua & læsio contracta est, quo facto dum vellet descendere ex rheda impegit, & ob imbecillitatem cecidit, & post duos aut tres dies crus intumuit, quo tumore resoluto calidis fomentis, erat autem œdematosus, aucta est imbecillitas, tumor apparuit in pedibus. Postmodum rursus cum curaretur imbecillitas crurum cum fumo panis feruentis, imbecillitas quidem euidenter minor facta est, sed tumor superauctus. Hic ergo causam non arbitratur esse materiam, sed potius resolutionem spirituum. Vt ergo hanc propiorem venemur, tres alias remotiores referamus, primam quod iam pene triginta annis contraxerit luem Indicam, secundam quod pateretur vomitum fermè alternis mensibus, quam præcedebat morsus ventriculi, atque hic cessauit, sed neque de hoc (idque tertium est quod scire optarem) tempus noui, id verò ex bono regimine, nihilo minus dicebat Galenus *quarto de Tuenda sanitate*, quòd id indicium est corruptionis humorum in corpore cacochymo, suppressam esse aliquam euacuationem diuturnam, quod etiam attinet ad tertiam causam scilicet suppressionem hæmorrhoidarũ iam quadriennio ante factam: nam licet victus ratio multũ prosit ad differendum noxas, tum etiam vt non adeo acres euadant nihilominus fieri nullo modo potest, vt si longa fuerit solita euacuatio, & præsertim materiæ corruptæ, quale verisimile est per vomitum similem excerni, quin in grauem incidant dispositionem: atque id est diligentissimè animaduertendum, cum forsan ex hoc magna curationis pars pendere possit: id verò sic demonstratur, quoniam licet sublata sit ob victus temperantiam materia quæ morbum efficit, cum tamen intemperies illa non prorsus sublata sit paulatim coaceruatur, & ideo deterior fit longe quam antea, quoniam per longam moram magis corrumpitur, & deteriores efficit morbos, & colligitur pars prima sententiæ huius à Galeno *quinto de Tuenda sanitate*, altera parte *ex sexto Epidemiorum*, qare talia corpora purgare necessarium est, tum maxime quod præcessit vestigium luis Indicæ: istud tamen de hæmorrhoidibus non est semper verum, tametsi Hippocrates de illis dixerit, A diuturnis sanato hæmorrhoidibus periculum est aquam inter cutem, aut tabem aduenire: sed est verum solum in materiebus corruptis, & velut in fistulis ac vomitibus periodicis, quando sunt cum morsu, & ratio est, quia dato quod fierent solùm ob multitudinem cibi & potus, si materia esset bona posset dirigi per diarrhæam quia materia quæ non est corrupta, non potest dirigi ad ventriculum, posset benè ibi generari ex prauitate alimentorum citra omnem iniuriam ipsius ventriculi, vt habetur *secundo de Temperamentis*, de illa bile porracea, de qua dubium non est, quod generatur in ventriculo, & eiicitur per vomitum: sed cum transfunditur à iecore tunc vix fieri potest, vt non sit mala intemperies in eo, ad quam corrigendam non sufficit ratio victus ratione quantitatis, ratione qualitatis forsan posset sufficere: quia talis ratio victus pertinet ad curationem perfectam, non solum ad custodiam. His intellectis, dubium est, an causa prima, id est proxima, sit imbecillitas ex paucitate spirituum? an obstructio? an vtrunque? & pro opinione sua, sunt duæ rationes quas adducit, bonæ: prima, quod initium morbi fuit à nimio motu, & ideò ex resolutione, & etiam quia videtur imbecillis ad rem Veneream, cum temperatura non esset alienus ab ea operatione: possumus etiam id coniectari ex ætate. Verum tamen ex resolutione sola non potest accidere talis morbus quamuis Princeps videatur velle hoc de stupore in morituris: alia est causa quia morituri habent corruptionem temperiei: præterea quid profuisset fumus panis feruentis in resolutione spirituum: credo bene quòd imbecillitas sit con causa, quia, vt ego aliâs declaraui, operationum animalium vitium nunquam fit, neque à sola imbecillitate, neque à sola multitudine humorum, quia videmus athletas multo plenioris habitus, nihil tale pati & morientes ex resolutione vera, velut & fame & senio, quamuis hoc secundum rarò accidat, non pati eiusmodi morbos, qui pertinent ad animalem functionem cum nullo spiritu aut valde exiguo, velut vertigo, stupor sensus, defectus rationis, amissio etiam memoriæ. Concludo ergo quod talis stupor fit ex imbecillitate ob resolutionem spirituum, coniuncta cum intemperie, vel mala compositione, vel vtroque: & hoc est verisimile magis, quia postquam cecidit è rheda intumuerunt partes, ergo materia eò delata est, & fuit resoluta à calidis, ergo pars tenuior & exterior. Si ergo successit stupor, non ob aliud, nisi, quia pars terrea intus remansit, & ob id in prima curatione successit maior imbecillitas & stupor: in secunda autem exsiccatis neruis, & sublata parte materiæ, imbecillitas sublata est magna ex parte, sed materia attenuata ad intima penetrauit, & magis dilatata est, vnde

stupor

stupor auctus est, circa quam morbi originem instituemus auxilia.

Circa curationem factam cum ritè omnia excogitata sint, illud de China quod non profuerit non est admiratione dignum: nam vt erat maximè opportuna ad exsiccandum humorem citra calefactionem, ita exiguntur tria, vt corpus sit benè præpurgatum à materiebus crassis, & hoc quia ipsa purgat per sudorem, & sudor non purgat materias crassas, præsertim terreas, dicebat Galenus *tertio Prognosticorum*. Secundo, quia indiget vel humore valde tenui & bilioso, vel valentibus viribus cum tempore valde calido: aliter natura nimis fatigatur & corpus exsiccatur, & vigiliæ subeunt. Tertium est, quod oportet vt sudor facilis & multus proueniat, ideò difficile est vt ista omnia concurrant, & indiget magna præparatione corporis. Ideò deuenio ad ea quæ mihi succurrunt, præmittendo prædictionem quæ est necessaria, & est huiusmodi.

Prædictio ergo est præmittenda ob duo. Primum, quia vbi non posset sanari, omnia auxilia potentia deteriorem efficiunt conditionem, quod multi medici nescientes, quamuis egregij, perdunt amicos suos. Secundum, quoniam vbi curatio longa sit, æger nisi ei prædictum fuerit, putat medicum errare, & afficitur tristitia, nec eidem ad vnguem obsequitur, & ita in posterum superueniente debito tempore, nec tum potitur voto suo: atque vtinam istud non esset nimis frequens, plurimi enim qui sanarentur in quadraginta diebus, medicis nescientibus eum terminum, aut morbi difficultatem non intelligentibus aut adulantibus, cum viderint priorem terminum superuenisse, & magis sæuire morbum quam antea, non parent medicis, & ita non sanantur, neque in quadraginta diebus, nec multo pòst, cum plerique etiam pereant, & calumniam subit medicina. Accedit his commodis, alia necessitas prædicendi, quoniam oportet vt medicus præcognoscat si debet prædicere: præcognitio autem habebit easdem vtilitates, & vnam per se, scilicet institutionem rationis victus, cuius meminit Galenus. Propterea dico, quod morbus est natura sua longus, duo enim sunt genera morborum longorum imò verius tria, sanabile, vt quartana, sanabile atque læthale, vt lienis scirrhus & regius morbus, & abscessus in præcordiis (dico autem specie non numero solum, nam hoc mihi sufficit ad declarationem mentis meæ) & læthale omnino, sicut carcinoma & attonitus: huius autem sunt duæ species, læthale quòd citò perimit, non tamen citò sanescere potest, velut morbus attonitus dictus: & læthale quòd tardè perimit, & si sanari posset adhuc esset diuturnum, vt carcinoma: & similiter secundum genus bifariam diuiditur, aliud quod ex transmutatione solùm interimit, velut stupor & resolutio: aliud quod sine transmutatione, vt ascites & febris lenta: dico ergo breuiter, quod hic morbus est ex prima specie secundi generis, quoniam est necessario, vt declaratum est ex prima specie tertij generis, secundum morbi substantiam, vt declaratum est, quia est ex genere attoniti. Sed est ex prima specie secundi generis, imò forsan primi verius, si illud diuidatur, quoad diuisionem generis læthalium & non læthalium, quia non est læthalis: & ita concludo quod est ex genere sanabilium per se, & prolixorum ac diuturnorum: sed per transmutationem ex genere læthalium. Ex quibus colligitur vera prædictio tota, & primum quod cum dicat Hippocrates, quòd dolores renum & vesicæ in senibus non sanantur. Et Galenus ibidem: & etiam super eo grauedines & raucedines, quod morbi longi non sanantur in senibus, aut valde senibus etiam alij, non intelligit nisi de his qui genere secundo, id est, quo distinguuntur morbi læthales, & non læthales secundum magnitudinem, & non substantiam comprehenduntur: sequitur secundò, quod cura erit longa valde & difficilis. Tertiò sequitur ex his quod oportebit ægrum prorsus parere, & in nullo delinquere, & medicum vti summa diligentia quæ ambo ex scriptis coniicio futura, modo velit credere his quæ à nobis iam demonstrata sunt.

Secundum genus prædictionis est, ad quem morbum tenderet, vbi sinistrè curatio procederet, & dico, quod ad alterum duorum, scilicet vel ad resolutionem, quia est ex eo genere, & hoc est secundum minus, vel ad albam pituitam seu nigram, & hoc vt plurimum propter familiaritatem ætatis & rationis victus, & conditionis hominis, & membri patientis, quæ omnia simul concurrunt in hoc genere, seu ad hanc morbi transmutationem, & etiam plurimum refert id quod prima transmutatio non etiam est ad id quod per se interimit, nam resolutio non numeratur inter morbos læthales, nisi postmodum transeat in attonitum. Ex quibus colligo tandem quod oportet habere oculum dextrum ad morbum in curando, & sinistrum ad morbum, in quem pronus esset decidere, maximè, vt dictum est, leucophlegmatiam, concludendo curam generalem quatuor regulis.

Prima quod oportet, vt dixi, curare ita morbum præsentem, vt semper habeas rationem eius, in quem pronus esset cadere vbi aberraretur. Secunda, & est Hippocratis *in sexto Epidemiorum*, vt ne quid erres, & hoc propter tres causas, prima quia vt dicebat Galenus *decimo Artis curandi*, minimus error in difficillimis morbis mortem afferre solet, si sit ex eo genere, aliter noxas affert insanabiles. Secunda, quia plus damni affert vnum auxilium perperam adhibitum, quam sex rectè adhibita: quoniam æger amittit fidem in medico cum videt illum errare. & ita fit ei inobediens, vnde omnia in posterum inuoluuntur atque turbantur. Est etiam præceptum Galeni in *libro de Prædictione ad Posthumum*, quod debemus cauere in potentibus viris ab omni auxilio quod suspectum sit, vel quia anceps, vel quia potens, & etiam quia medicus debet curare tutò, vt dicebat Galenus *iuxta finem methodi*, & etiam propter decus. Tertia regula est ex his quæ dicta sunt nota, scilicet quod debemus curare paulatim, quia non solum, quæ longo tem-

[tem]pore extenuantur corpora tardè reficere oportet, vt dicebat Hippocrates, & quia Aphorismus tenet in aliis causis ab extenuatione, sed etiam quoniam illud quod diximus de curatione morbi læthalis cum auxilio potenti: quod deducat morbum ad deterius, verum est, sed etiam & illud quod qui velit sanare morbum celerius, quàm natura eius ferat & conditio ægrotantis, aut retardat curationem, aut alium morbum parit non minus malum eo quem curat. Quarta est ex Galeno *libro de Attenuante victu*, quod in morbis longis oportet semper adhibere rationem victus, quia vel non sine illa sanari possunt: vel si possunt tamen cum illa celerius sanantur, vel quod si possunt sanari sine illa, non tamen adeo perfectè, neque facilè: aut enim coguntur vti medicamentis validis, aut aliis auxiliis, quæ naturæ humanæ sunt infensa: adsunt molestiæ, vigiliæ, dolores, tædia & aliquando febriculæ: inædia nihil habet molesti, nisi hominis luxui dediti impatientiam, & etiam quia talis inædia est facilis, cum sit magis ratione qualis quàm quanti, & demum quia multi morbi & multi ægri, vt testis est Galenus, ea sola sanantur. Hæc volui dixisse generaliter, quia, vt dicit Auerroës optimè, *scientia Dei est perfectissima, quia comprehendit propria per intellectum generalium.*

Incipiendo autem à potu, ego abstinerem à vino si fieri posset, & vterer aqua decocta huiusmodi. ℞. aquæ libras quatuor, bulliat ad consumptionem quartæ partis, inde addantur sacchari de madera vel mellis ℥. ij. bulliant parum, & post addantur floris rorismarini recentis, & siccati in furno ℥. ij. & ferueat parum, post remoueatur ab igne, & statim immittantur cinnamomi electi ℥. j. ſ. & imponatur cooperculum, finito refrigerari: hæc habet plura commoda, & est vtilior ventriculo quàm vinum, & non acescit in ventriculo, & etiam quia vina Romana sunt potentia, vt audio, & aquæ sunt prauæ, in quibus non sufficit quod sint coctæ nisi etiam aliquid addatur ad correctionem, vt censet Oribasius. Et si misceantur vina cum aquis, in quibus coctum sit aliquid, corrumpuntur. Et si non, vtatur vino pauco, albo, leui, claro, quod puto erit difficile inuenire: & sit potus pro ratione cibi solidi, quia diluto cibo, qualis est sorbitio, nullus potus debetur. Panis sit leuissimus, fermentatus, bene coctus, & valde recens, modo non calidus, nihil glutiat nisi mansum diligenter, & ideò lentè edat. Carnium nulla bona, præter hœdinam & auium grana comedentium: meliores sunt paruæ, & ex magnis perdices, pulli, phasiani, galli, paui, quos vocamus pauones Indos: ex his tria tantum commoda sunt, musculi alarum, & est caro candida earum, iecora, cerebrum. Ex piscibus, marini solum molles, in quibus comprehenduntur saxatiles, gobius & passer. Ex oleribus, cichorium & rosmarinus, & lupus salictarius, quamuis non sit tempus, quia exigitur tenellus, & borrago vel buglossum, quamuis Galenus refragetur, radicum nulla prorsus, folia melissæ edi possunt, radices cichorij & buglossi, coctæ sub cineribus, admittuntur (non aliter:) præparantur cum sapa, aceto, passo, sale, oleoque: præparationes reliquorum ciborum sunt, veru, patina, cratis, elixa improbantur, nam in patina iurulenta bona sunt, sed, vt dixi, pauca caro aut auicularum: fugiat oua, caseum, tanquam proprios inimicos, sed & quæ fiunt ex lacte vel ex farina, & omnes cibos valde permixtos & embammata, quæ vocant, sapores, sed & mel & saccharum, si potui vini vtatur, malè enim conuenit inter ea, secus, potest: fercula panis iurulentus, aut panis lotus, oriza bene cocta, ex fructibus vuæ passæ Creticæ & Græcæ paruæ, ficus etiam possunt admitti, atque hi soli ex recentibus appensi tamen per vnam diem & cortice detracto, pistacia & pineæ, sed recentes, candidæ, & in rosacea aqua diu infusæ. Bellaria quoque marciapani seu tortæ, amygdalinæ dulces, & flores citri conditi, & similium, & rorismarini probantur, & maximè ipso vtente potu aquæ. Præterea asparagi cocti, & cardui tam qui cyneræ vocantur quam candidi, cocti admittuntur, crudi nequaquam: fugiat oliuas & dactylos prorsus, etiam in vniuersum ratio victus sit attenuans, pauci alimenti, paucorum excrementorum, facilis coctionis: thyrsi seu cauliculi fœniculi ante cibum boni sunt: non edat nisi fame præcedente, & vacuo ventriculo, & purgata aluo, antequam induat vestes: deiiciat aluum more nostro, quo vtuntur principes multi & proceres, canalis crassitudine digiti medij longitudine palmi maioris ex plumbo albo, quòd stannum vocant, eo modo conflati, vt in lancibus mensarum solet, æqualis vndique, sed in apice paulo angustior, in rotunditatémque quandam desinens, leuis admodum, foramine paulo angustiore (propter inclinationem) quàm ab altera parte, conflatur plastica arte seu statuaria tubulusque adaptatur ab imo ad summum, inde in libram butyri vncia salis tenuissimè triti, benè miscetur, licet autem augere vsque ad duas, ita vt non sit proportio sexta, nec minor duodecima, impleturque canalis, & immittitur, tubuloque compresso butyrum exprimitur, intra quartam partem horæ fæces prolicit absque molestia, & in posterum etiam vsus ad aluum molliendam commodus est: vbi deiecerit, fiant frictiones maxime in brachiis, paucæ admodum inferiore parte, nisi prærpurgato corpore, corpus autem præparetur cum melle rosaceo & syrupo de betonica, & de stœchade, aut de hyssopo, nonnihil adderem aliquando scillitici oxymellitis, purgarémque in singulos quinque dies, aut septem huiusmodi purgatione, aut consimili, ita vt esset vna purgatio in plures partes diuisa. ℞. Rhebarbari maturi optimi ℥. ij. agarici electi vt nil ad perfectionem deficiat ℥. iij. succi betonicæ, succi rorismarini, succi saluiæ ann. ℥. j. repurgentur & infundantur rhebarbarum & agaricus, lignis diligenter detractis parte meliore in puluerem redacta, & siccentur in Sole aut caldario, quod vocant

cant æstuarium aut stupham, postmodum tantundem succi superponatur, ac denuò siccetur, demum superponatur succi scillæ decoctæ ℥. j. & denuo siccetur, inde addantur cardamomi subtilis, spicæ inde an ℈. j. mastichis noui, albi, mollis ℈. iij. & cum melle rosaceo fiat pasta pro catapotiis quæ seruetur in membrana inuncta oleo ex glande vnguentaria: seu de ben vt vocant, & membrana in vase vitreo contecto ritè alia membrana: vsus est ex ʒ. j. vsque ad ʒ. j. ſ. in catapotiis tribus, quæ reformentur cum syrupo de cichorea completo. A frictione & vestibus indutis exerceat se quantum natura fert, & pedes & voluptas in aëre libero, si liceat: cubiculum sit orienti expositum, aër apricus, somnus prolixus: neque audiendi sunt qui metam in illo ponunt, vt causa enim bonus est modo continuus & horis debitis, extendi enim potest ad tertiam diei partem. Hippocrates: Somnus atque vigilia vtroque modo magis facta malum. Viuat lætus & quantum licet sine curis.

De topicis auxiliis palàm est, quod non debent adhiberi nisi exquisitè purgato corpore, dicebat Galenus: iisdem auxiliis sanaui homines eodem modo purgatos diligenter, quibus illi iam antea læsi videbantur: ergo in his adhibere conuenit, quæ auocent ad summam cutem, quæ quoque attenuent, quæque molliant, generis, nam palàm est Galenum duo genera emollientium docuisse iuxta ea quæ concreuerunt, quæ enim à sicco humida, quæ à frigido sicca omnia calida? in hoc igitur calidis & siccis velut thure ammoniaco, therebentina atque similibus, calida verò & humida, olea, pinguedines, medullæ, fomenta humida, velut oleum vulpinum, oleum ex catulis, conferre posset ob siccitatem temperaturæ illorum, & ob proprietatem quandam: nihilominus calidis & siccis, ac tenuibus insisterem, siccare enim neruos moderate crudo humore imbutos, deinde expurgatos vtile futurum puto, in eo genere sunt fomenta ex vino potenti, minimè acido, cum odoratis saluia, roremarino, betonica, matre sylua, castoreo, cinamomo, atque huiusmodi: in eodem genere est oleum cinamomi destillatione exceptum, item fotus ex luto, & ex fumo aquarum calidarum, fonte nascentium, in quibus alumen & sulphur, & sal, & nitrum dominantur. Sal enim perutile est articulis & neruis, astringit, siccat, auocat ad cutim, roborat, itaque vt ex pluribus vnum conficiamus, auxilium. ℞. Therebentinæ orientalis, lachrymæ ammoniaci, sarcocollæ ann. ℥. j. ſ. thuris ℥ iij. belzoi & gummi elemi, & storacis calamitæ ann. ℥. x. cinamomi ℥. ij. pyretri ʒ. x. ligni aloës, botri ʒ. vi. castorei ℥. i. ligni rorismarini, foliorum lauri, corticum arantij exteriorum, scobis ligni cupressi, ann. ℥. ij. salis ℥. iij. vini maluatici ℔. vi. sepeliantur in fimo per octo dies, in vase vitreo bene concluso, inde detractum bulliant in eodem vase in balneo Mariæ per tres dies, post destillentur, & separentur partes prima aqua, secunda aqua, inde oleum rubrum, postea oleum nigrum, demum fex ex fæce accensa seu calefacta vehementer foueatur locus, scilicet à fumo & si fieri potest vt citra læsionem exsudet hoc erit optimum. Deinde leniatur locus aqua ardente prima, aut secunda, si prima minus prosit, & si nec hæc suffecerit, oleo rubro, hoc enim quamuis sit oleum, exsiccat non parum: locum autem foueat lupina pelle ex catulo lupi, nihil enim melius, purpura etiam iuuat sed non adeò. Interdum cum morbus erit leuior, sufficiet fouere locum ex salis quarta parte, & furfuris tritici quadruplo. Illud verò saluberrimum sit consilium ita necessarium, quàm etiam tutum & vtile, & quibusuis modis vrina prouocetur, fœniculi vsu & cretani marini, & capparibus sale conditis in cibis, quotidiano autem vsu etiam cum sanus fuerit syrupo, & hysopo Italico, & si non sufficiat, ex Cretensi, aut etiam Ægyptio: hoc enim non solum ad securitatem morbi vt sanetur, verumetiam ad roborandum caput, & neruos ac sensus: tum ad securitatem ne in vllum genus hydropis vnquam incidere possit: tum verò ne in obstructiones aliquas, & vt pectus quòd in senibus grauari solet nullo incommodo vexetur, vtilissimum erit. Neque vereri oportet illius caliditatem, cum si ritè peragatur negotium, plus educturus sit flauæ bilis atque atræ exustæ, quàm quòd excalefacere possit: & si omnino vel tantillum excalefaceret vsus seminum melonum, quæ & ipsa vrinam proliciunt, temperare liceat, quinetiam cichorij decocti in patella & in furno, aut si radices sint liceat sic, vel sub cineribus madefactas præparare atque edere cum vuis passis rubris, quæ ex Placentia deferri solent: illæ enim meo iudicio ad temperandum calorem iecoris optimæ sunt: vbi velit vti syrupo eo. Secus nigris vtendum est, quia sunt magis temperatæ, magisque prosunt naturæ proprietate. Si vinum bibat pimpinellam infundere vtile est: rosmarinus cibis quibuslibet & iuribus addatur: iura quoque cochlearum & testudinum nemorearum naturæ proprietate sunt vtilissima, de copia autem cibi matutini aut vespertini omnino sequatur vsum: quodcunque enim ex his melius proponatur, mutatione longæ consuetudinis, deterius fit. Hæc sunt quæ mihi vtiliora visa sunt, nec secus efficere poteram, si vel incolumitati suæ consulere vellem: nam potius fuisset non scribere, quam ita scribere vt in diuersum sensum trahi posset, vnde & ei iactura pro beneficio & mihi vituperatio pro laude subsequeretur: omnia autem & iudicio peritissimi sui medici subiecta sunt, & executioni quod & si quicquam quod tamen non spero, aut dubium in interpretando relinquatur, aut in opere imperfectum, rescribat, nam iuxta vires nostras illius saluti ac iusto voto non deerimus.

CONSILIVM XLVI.

De sinistri cruris contractione.

ALexander Fabrias Cesenates ætatis XXXV. annorum, patritius vir calidi & sicci temperamenti, imbescili ventriculo, praua victus ratione ad XXVIII. annum vsus, in malum habitum, antea cum peruenisset. Iam penè XXX. exactis ab hinc mensibus ex, frequenti intempestiuoque veneris vsu, Tumore in interiore sinistri femoris parte. Circa Iunij initium, dum ruri per aliquot dies fuisset, correptus est. Paribus fermè iudiciis Calidorum frigidorumque humorum, vt scirrhosus phlegmon dici posset, lenita aluus, attenuata viuendi ratio, præparati humores cũ anodynis, nec astringentibus spes resolutionis, aut suppurationis appareret, admotis validioribus suppuratus & incisus: prodiit prælaudabile ad quartum vsque: inde deterius in dies factum ad vltimum prauitatis deuenit, & cùm eo, vt par erat vlcus contumax & malignum, vnde etiam febris vigiliæ, imbecillitas, & exsolutio, & cibi ingens fastidium, & lenitione alui alternis diebus & mutatione emplastrorum bis singulo die fatigabantur. Interim doloribus intollerabilibus affligebatur: adeo vt his omnibus conclamatus haberetur. Refectus tamen iuribus & bonis cibis; ac frictionibus moderatis partium vlceri adhærentium ipsi loco robur addentibus, & per interualla purgatis; humoribus noxiis pus correctum, febris emollita, motus restitutus, caro & habitus rediere. Verum discedente Medico, dum duntaxat de Epuloticis cogitaret, Chirurgus vlceri adhibet lixiuium & acetum acre, quorum vsu dolor, ex eo inflammatio, ex qua febris & vigiliæ in mense octobris excitatę sunt, adeò vt breui redierit ad pristinam calamitatem. Accessit insuper alia præter hæc, vt siccatis neruis ac vinculis sensim septimi & octaui ac noni partiúmque adiacentium musculorũ primũ, sinistrum crus, inde consessũ etiam dextrum ipsum quoque contraheretur. Cuius causam fuisse primum aceti ac lixiuij infusionem in vlcus, manifestè coniectari licet, primùm ex caliditate ac immodica siccitate aceti, quod in tertio est ordine, secundò quod antea moderatis conualuerat: tertio ex causis, quibus in melius commutatus est, teste Hippoc. Aliam causam ex influxione humorum humidorum in propinquas partes musculis patientibus, id quoque ratione tumoris infectis illis. Tertiam qua non solùm contractæ sed incuruatæ partes illæ fuere, concursum humorum calidorum frigidorúmque ad membra illa veluti imbecilliora, expressámque materiam tenuem in loca angusta, crassam in intimis retentam. Verum auxilio balnei. B. Mariæ in via flaminia, emollitis musculis partibusque eorum, crus dextrum confestim rediit ad statum suum, sinistrum etiam melius se habuit etiam imminuta deformitate, sequenti anno accepit sarzam pariliam, ex qua iuuatus est, adeo dodrante minor incuruatio facta sit. Æstate transactâ, & luto B. Barthol. in agro Patauino & vinaceis vlus est prorsus vtilitate nulla. Vnde in eam connecturam venire est, causam mali fore siccitatem immodicam, decurtatus autem sinister est pes, scilicet dum dextri planta incumbit solio æqualiter. Qua-propter demum restituta magna ex parte habitus & carnis extenuatione, nec non mala nutritione, cum tamen crus imbecille breueque, atque operationi propriæ prorsus inceptum, & vt verisimile à contactione, à siccitate, à nutritione propria, non vitio alimenti transmissi meritò auxilium supremum petitur. Adiectæ praetetera sunt causæ dicimus quod ex his quæ enarratæ sunt cum sit siccitet immodica in loco necessario, illa sibi associat frigiditatem: 5. *de tuenda sanitate*, ad quam sequuntur imbecillitas nutritionis & virtutis mouendi, atque ideò rursus motus, adeò vt imbecillitas, motus ab eadem causa, scilicet siccitate trifariam accidat diuersis causis: pro se primo à siccitate contrahente neruum vt fiat durus, velut in coriis & funibus à siccitate refrigerante membrum, frigiditas impedit motum, quia motus fit à calore à frigiditate, & siccitate impediente nutritionem, & vtraque hoc modo extenuat carnem.

Quæsitum secundum cum crus sit decurtatum & ideò impediat motionem, per se est morbus & quoniam impedit etiam stationem (Plinianum hoc) seu στάσιν Græci aliquanto melius etiam cur morbus, an idem, non laboro; sed dubium non est, quod cum non possit stare rectè seu opportunè nec possit moueri, omne enim quod mouetur aliquid stans præsupponit vt Aristoteles docet: igitur erit etiam causa morbi quia motum impedit, eo quod prohibet stationem. alia causa est siccitas quæ contraxit, & siccitas acquisita ineptos musculos reddit motui, & ita erit secundus morbus. Quæ verò contraxit (vt dixi) est causa: inequalitas verò crurium impedit aut corrumpit motum: igitur hic erit tertius morbus, & cum verisimile sit vt dixi, refrigeratum crus, cur ob siccitatem & refrigeratio impediat nutritionem seu conuersionem alimenti, in membrum, & etiam motum debilitat: igitur frigiditas erit duplex morbus, & vna causa morbi, eoquod prohibendo bonam nutritionem vitiat motum, ideo erunt iam quatuor causæ morborum & quinque morbi. Tertia dubitatio est, quomodo siccitas superflua efficiat lapsu temporis frigidius, membrum, hoc enim sane necessarium est, vt etiam docebat princeps & Galenus *sexto de tuenda sanitate*, quod & alibi repetit dicens siccitatem in ætate crescente augere calorem, in decrescente frigus. Quoniam excrementa adauget, à quibus corpus refrigeratur. Calor enim qui concoquit & nutrit, idem est substantia cum humido vt dicebat Galenus & ideo siccus non bene concoquit est, enim igneus; naturalis verò (vt aliâs dixi,) cœlestis. Alia causa quod siccitas prohibet nutritionem ob duritiẽ & magis resoluit humidum

midum innatum in quo eſt calor (vt dixi) fraudatus ergo bifariam corpus, refrigeratur, etiam præter excrementum ab intemperie ſicca cum Galenus videatur vnum tantum modum aſcripſiſſe pro cauſa.

Quartum quæſitum cum morbi in compoſitione ſint quatuor, teſte Galeno, in quantitate, numero, ſitu & forma: forma autem quadrifaria dicitur figura, aſperitas & lenitas, in meatibus, & concauitate: palam eſt quod eſt in quantitate, tum ob breuitatem, tum extenuationem aliquam ſaltem admodum paruam, in figura quoque ob curuitatem & etiam in ſitu, cum deberet angulos alios facere quam facit: hæ tres ſpecies ſunt manifeſtæ, veriſſimile eſt etiam in meatibus, illos obſtructos fore, ſed vbi maior, minor ceſſat dicebat ille: contentus ero illis tribus: liquet ergo morbos hos eſſe ſex: nã loco curuitatis & contradictionis ponantur eorum genera magnitudo figura & ſitus mutata habebimus ſex morborum ſpecies, eaſque multiformes & longè plures ſi ſpeciatim diuidantur.

Quintum eſt cum morbi habuerint originem à defluxoine humoris: & illa fuerit bilis & pituitæ, an ſoli illi humores peccauerint? & reſpondeo quod neceſſe eſt vt vel admiſta ſit atrabilis, quæ ſolet facere morbos inſanabiles, aut quòd erratum fuerit in cura: licet enim materia fuerit mala & multa, ſola tamen non conſueuit efficere morbos qui ſint prorſus inſanabiles, niſi errore aliquo admiſſo. Et vtcumque ſit, Cum reliquæ omnium morborum inuictorum, ſicut quartana ad alias febres, in aliam bilem terminentur, ita eſt de hoc: ſolum reſtat vt ſciamus an ab initio fuerit permiſta, & videtur quod non ob colorem loci & facilitatem reſtitutionis adhibitâ curâ meliore recidiua (ita enim eam appellare liceat) fuit ex valida & euidenti cauſa: Nunc verò veriſimile eſt abundare in venis, ob tot morbos & tam diuturnos, & triſtitiam & vſum ab initio morbi intempeſtiuum ventris & mutationem ætatis ſanguinem plurimum, atrum in venis colligentis. Quod ſcitu ad curam maximè neceſſarium eſt, ſimiliter oportet ſupponere malum habitum, in venis & in humoribus, vt ſi non ſit morbus, fit tamen morboſum corpus cum cacochymia.

Sextum dubium eſt, an defluxio illa fuerit per dorſi ſpinam à cerebro? an à iecore & quod ex conſequenti membrum maximè fuerit ab initio affectum maximè lien propter ſiniſtram, hoc enim neceſſarium eſt in curatione & cautelâ ad medendum, vtrum licet Hippocrates meminerit huius defluxionis, quæ à capite per ſpinalem medullam, nihilominus ſiquis conſideret modum phlegmonis ſchirroſi, & modum generationis phlegmonium, intelliget, non ex ſpinali medulla ſed ex venis factam eſſe inflammationem. Per venas intelligo etiam arterias, inquit enim Galenus, primùm arteriæ venæque opplentur, ex quo ceſſat prima dubitatio, ſcilicet an phlegmones, & inflammationes fiant à ſolo ſanguine venali, an ab vtroque, ſcilicet venali atque arteriali? alia dubitatio eſt an quia fuerit à ſiniſtro latere, an facta fuerit à venis venientibus à liene, vel à iecore, vel ab vtriſque? & dico quod à venis, à iecore venientibus ſolum, quoniam lien nutritur ex venis, portæ & non cauæ, ſed accidit vt liene & præcordiis ſiniſtris tumefactis fiant abſceſſus œdemata, inflammationes, phlegmones, ſcirrhi, carcinomata ſecundum rectum in parte ſiniſtra magis, quam in dextra: quia pars illa magis incaleſcit tumefacta à ſanguine calido, & ideo magis trahat: ſecundò ob tranſumptionem & communicationem partium inuicem. Tertiò quoniam eodem impetu quo fertur materia à iecore ad lienem eo tendit in eandem partem totam, & ſimilis eſt, hoc eſt virulentus, ſordidus, fætulentus, & ater: ſi verò inflatio & tumor frigidus fuerit, putreſcit & reſudat & ita inficit ſanguinem magis ex illa parte quam ex alia. Ideo dico quod veriſimile eſt lienem fuiſſe plenum aut imbecillem, & ob id inflammatam fuiſſe partem: Quamuis perſæpe accidat eſſe tales affectiones compoſitas ex deſtillatione per ſpinam dorſi, & inflammatione, quod in hoc caſu non eſt abſurdum exiſtimare, namque ſupercalefactæ partes illę à ſanguine iam inflammato trahunt à cerebro per ſpinalem medullam, & fit dolor ingens, ſupra modum ſolius inflammationis, & in hoc caſu oportet omnino iecoris habere rationē, & etiam cerebri ſi videbitur & certè ſpinæ dorſi habenda eſt cura, ob contractionem & incuruationem: curuitas enim eſt contractio immoderata, vel ob illam, vtpotè quod oſſa non contrahuntur, ſed nimirum attracta ab vno latere, curuum efficiunt membrum. Colligamus ergo dicta nam præterita non efficiunt indicationem, curuitas neſcio quanta ſit in cruribus & contractio, atque breuitas manifeſtiſſima, in crure & pede ſiniſtro: & locus exſiccatus: ſcilicet nerui & tendones: nam partes carnolæ ob naturam ſanguineam & humidam non ſunt adeo contractæ, vt videmus in coriis comparatis lanæ, & in hac contractione & incuruatione adſunt magnitudo mutata, & ſitus, & figura vt ſint quatuor: Præterea atrophia aliqua quam neceſſe eſt conſequi ad malam temperiem vinculorum, vt in proprio ſubiecto & partibus carnoſis adiacentibus, multo minorem ob conſenſum, necnon imbecillitas, motus & paucitas ſpirituum, & paruo calore recepto in inſtrumento motus, vt ſint ſex.

Quæritur ergo ſeptimo loco an ſit ſpes ſanationis, hoc enim cognoſci antea oportere docet Galenus: non ſolum ad medici excuſationem, ſed etiam ad vtilitatem ægri, ne euertamus illum ſpe ſalutis, immota enim ad latus vnum, dum mouetur, aut cadunt, aut in partem aliam quam deſideramus inflectuntur, neque hoc ſcire ſimpliciter ſufficit, ſed vt ibi dicebat Galenus, præſtat ſcire quantam partem ſanitatis adipiſci poſſumus, & reſpondeo quod tria ſunt, quæ poſſunt oſtendi. Primum non poteſt ſanari perfectè: patet, quia eſt contractio à ſiccitate in ætate ſicca, & iam adulto corpore, & in membro ſeminali & magna eſt, & in membro magno: ergo non poteſt perfectè reſtitui: aliter

daretur retrocessus in ætatibus. Secundum poterit hic morbus minus se habere & ad meliorem conditionem reduci. Quoniam gaudet priuilegio secundæ partis aphorismi primæ particulæ, & est satis robustus quoad ætatem, & fuit deductus ex longe deteriore statu ad præsentem: & etiam quoniam in omni causa & conditione naturali est pessimum & optimum: sed per mediocria auxilia, manet in eodem statu: igitur per optima poterit in melius mutari. Alia ratio est quoniam causa fuit violenta & error, & tales omnes aliqua ex parte in melius traduci possunt, & ex experimento hoc in me ipso didici: qui cum me iactassem ex carpento currente, dum timerem periclitari, offensus sum digito annullari dextræ manus adeo vt sit malè laxatus, & fracta etiam cutis & inflammatus: item auriculari etiam, sed non adeò, & medio ita vt supremus articulus sponte decideret, nec posset erigi, & iam agebam annum LXVII. & cum non curassem nisi inflammationem, postquam hæc omnia remanserant, non aliud adhibui auxilium desperans ob ætatem posse sanari, & tamen post sex annos, iam nunc ab eo tempore exactos, medius digitus erigitur adeo, vt conualuerit vltimus articulus: minimus etiam nisi quod paulatim inflectitur ad annularem, annularis qui contractus erat, & deformabat manum, ac etiam inutilem reddebat, tam ad continendum res tenues, maxime pecunias, elongatus est, & deformitas tota, pene abiit adeò vt nisi intentè aspicienti non pateat, & etiam ad continendum pecunias, & eiusmodi multo melius se habet. Tertium quantitatem vtilitatis scire non licet hoc dixit Galenus locis adductis iam, solum illud animaduertendum, quod ex ætate procedant in melius, tamen cum corpus sit siccius videtur non adeo debere permutari. Cum crescat proportio ad id quod restat differentiæ à naturali statu: ea ergo paribus interuallis minor facta proportionem auget; exemplum habes à latere. Ex his concludo ob multa, velut vsum, consuetudinem; anni tempus medicamentorum vim plurimum sperandum.

Octauum quæsitum est circa ordinem intentionum curatiuarum & est quod cum sint euacuatio corporis præparatio, purgatio, confirmatio iecoris, lienis & cerebri, nec non ventriculi: victus ratio: totius corporis in melius transmutatio: inde localia: ad quem scopum prius debeamus tendere? quibus validiora auxilia adhibere? & in quibus magis perscrutandum? adeo vt sint tres differentiæ ante validiora, & magis continua, vt sint nouem, sed de ordine sex primorum non est dubitandum.

3. 10. 7.
3. 7. 4.
3. 4. 1.

Ergo si apparuerit tumor venarum, aut rubor in corpore; ex quorum vna sanguinis abundantia: ex altero humorum æqualis in sanguine copia, facta prius frictione in corpore, sed in inferioribus partibus læuissima, & clysteri adhibito, si aluus astricta fuerit, mittemus sanguinem ex basilica dextri brachij à vj. ℥. ad xij. neque enim multum sanguinis detrahere tum ob morbi longitudinem, tum qualitatem iuuat, si non sufficiat lenire aluum cum cassiæ fistula hoc modo.

℞. Succi seu floris cassiæ orientalis benè pinguis ʒ.vj. electuarij alhanif ʒ.iiij. vel loco eius ℥.ij. specierum eius absque turpeto, vel quod melius est electuarij nostri ʒ. iiij. misce & cum saccharo fiat bolus. Electarium igitur nostrum quod conuenit illi omni tempore & est absque custodia. ℞. Mirabolanorum Citrinorum & Indorum ann. ʒ.vj. copularum ℥.ſ. terantur subtilissimè & infundantur in oleo amygdalino recenti per dies tres in caldario serpha: & post lauentur aqua violacea cum saccharo optimè & denuo infundatur in oleo amygdalino dulci recte per tres alios dies, iterumque lauentur eodem modo in aqua violacea cum saccharo & post tres dies, tertio inde ℞. huius pulueris ℥. ij. Radicum polypodij recentis ʒ. j.ſ. Radicum turpeti recentium, Italicarum scilicet, ʒ.ſ. hæ radices contundantur & infundantur in lib. j. vini vuæ passæ benè dulcis per vij. dies & singulo die coquantur seu potius incalescant in balneo mariæ per horas duas: demum extrahantur radices & adiungatur puluis suprascriptus præparatus: insuper vero addantur florum violarum ℥. ligni aloës optimi ℥.iii. mastiches anisi ann. ʒ.ii.ſ. apii spicæ nardi, garyophillorum an. ℈. ii. pulueris rosarum maturarum & collectarum, alias cum rore ex quibus fit syrupus rosaceus solutiuus Drachm.ſ.aut Drachm.ii. ex sacharo candido, ex eodem syrupo, Zuchari de medera purgati q.s. misce, & apud ignem lentum super prunas, fiat electuarium possumus & loco rosarum vti mercurialis, ita vt hæc tria sint mobilia, re & quantitate turpetum, rosæ, & mercurialis, cætera non ita. Licet & ʒ.i.ſ. radicis Iridis Illyricæ addendi.

Euacuato corpore, præparetur cum syrupo de testudinibus nemoreis de cichorea & empatorio hoc modo.

℞. Syrupi de testudinibus, de cichorea ann. ʒ.vi. de empatorio vsuali, non agrimonia ʒ. ſ. iuris decoctionis huius ℥.iii. (sit autem ius pulli) & sumatur valdè calidum.

℞. Fumiterræ, lupulorum, betæ, cichorii, endiuiæ, ann.m.ſ. pimpinellæ, borraginis, capillorum, vener. ana, pugillum vnum iuris pulli libras iii. coquantur post infusionem sex horarum ad consumptionem tertiæ partis, & coletur, & de hoc capiat vt suprà continuando per sex aut septem dies: post hæc deueniet ad purgationem cum Diacatholicone & electuatio alarif communi hoc facto cum turpeto: aut addito, loco alarif rhabarbaro à ʒ.i.ad ʒ. ii. post, si non sufficit repetatur & purgetur cum confectione hamec, aut electuario de psyllio Antagnanæ, & cassiæ fistula adiecta.

Pro confirmando iecore vtatur electuario hoc per XX. dies aut simili.

℞. Foliorum betæ capillorum vener, fumiterræ, luporum, borraginis, cichorei, pimpinellæ, eupato iii. ann. ʒ.iiii. terantur, & exprimatur succus & cum tantundem sacchari purgati reducatur in formam syrupi bene cocti, cui adderetur specierum Aromatici nardini ℥.ſ. confice electuarium.

Præterea

Præterea esus petrosilij, myrnii, absinthij, Romani, seu murans, si eius adsit copia macis. confectio diacubebæ, diacurcumæ, triasantalorum ius limaciarum, iecora testudinum & oua illarum, scilicet nemor eacum, iecora pullorum & anserum, & piscium iecorariorum bottrix appellatorum, astuci, sed præter omnia vuæ passæ: referunt de auellanis etiam sed non ausus sit experiri. Piscatia magis tuta sunt, ex quadrupedibus partes optimæ sunt, lingua, lumbi, pulmo, carnes glandosæ, pedes, mammæ, cerebrum, ætate iuuencula & humida quidem vt castrati, & sues ad annum, vitulus bimestris, hædus post mensem, ex speciebus apes, sus agrestis, cuniculus, castratus, & dumtaxat vitulus: auium partes, cerebrum, iecur, auiculæ omnes: omnes aues magnæ iuuenes vt galli, paui, pulli, phasiani, perdices exceptis quæ longo sunt rostro qualicumque, præterea quibus caro fusca colore est, vt sturni: & à victu scilicet, ex granis legumina nulla bona, imò valde mala fabæ phaselli, ciceres, lentes, oriza bene cocta bona est, & ptisana hordeacea, nisi quod parum nutrit, pisces omnes nutriti in aquis currentibus aut lacubus claris, aut alto mari (quos vocant pelagicos) boni, modo sint mediæ ætatis, lati & tenues aut squammosi aut carnis mollis. Astacorum ius bonum, non adeo cancrorum caro si sit valde cocta, radicum nulla præter cichoreum & rapam bene cocta: herbarum paucæ valde bonæ, quoniam acres excalefaciunt nimis iecur: inodoræ mali alimenti minus malæ endiuia, malua beta & asparagus, brasica, & amaræ omnes atram bilem gignunt, odoratæ exurunt sanguinis sichores, lactucæ ob id etiam malæ borrago melissa admitti possunt vt cibi medicinales. Absinthium murale, aut nocet multum si non moueat si mouent tanto vtilius velut aluum aut vrinas flauas, fructuum nullus horæus, punica & persica, sed cocta poma, pyra, cotones non laudantur, sed nec admodum mala, ex ferculis ptisana, panis qualiscumque coctus, & vt dictum est oriza, panis ex iure, caro virulenta, aut etiam assata: inde tusa aut diuisa & flagellata ac denuò in patina cocta bona, oleum, sal, saccharum sapa moderata bona, omphacium malum, & acetum deterius, & limonia & quæ sunt eius generis, lupuli in cibis valde boni medicamenti loco, rosmarinus, saluia melior & ferri potest. Surculi nulli boni præter asparagorum, & maluæ, & cornicula cichorei, cyprinorum partes, latrocinium iecur maximorum præcipuè & partes circa caput & oculos: ex dulcibus aquis etiam trota, salmar, sed meliores perca & lucius & quæ sunt leuiora vt dixi & candidioris carnis, frixa plerumque mala atque eo magis quod pauci coqui frigere norint: oua recentia cum solo pane aut ferculis bona lacticinia vt caseus & butyrum ac recocta periculosa: oua cum carne, piscibus, fructibus, lacticiniis mala: aromata alia mala mel malum, fungi & itria ac similia mala cucurbitæ deteriories cucumeribus coctis, crudis, non adeo malæ exercitatio moderata, alui deiectio, cibus & potus moderatur, & à cibo quies, animi lætitia, cubiculum ad

orientẽ versum bona vt & in aprico spatiari.

Post hæc deueniendum est ad corporis bonum habitum reparandum ne inter medendum aliquid occurrat quod impediat, aut quod in deterius vertatur, ex confluxione totius corporis, & hoc fieri potest cum exhibitione cænæ eo modo quo descripta est à nobis in libro artis paruæ iam addito à nobis, & hoc per dies X X. post hoc decernerem ad lac asininum aut caprillum, ita vt non sentiret noxam nec coagulationis in ventriculo, nec flatus: sed acciperet ℥. ſ. à prima die & adderetur ʒ. ſ. vltra die ascendendo ad ℥. iij. in quindecim diebus, & consisteret in illa quantitate per vj. dies vel octo, deinde diminuendo per dimidium vnciæ in vj. diebus aliis desineret. Post ortum solis sumat cibum post sextam horam, ouum, aut ferculum ex iure, vel modicum panis cum ala pulli iuuẽculi assata, & si tulerit hanc lactis assumptionem, erit illi commoda multum & vtilis: aliter oportebit vt in cura cautius agat. Ergo post vij. horas à prandio sumat cænam cum ea ratione victus præscripta & interim poterit incipere ab hoc balneo aquæ tepidæ hoc modo facto.

℞. Aquæ fontis ℔. X X I I. vini albi potentis admodum (prout solet inueniri cesene) lib. iiij. camomillæ florum m. ſ. caput vnum castrati radicum altheæ ℥. iiij. rorismarini m. j. radicum bupthalmos ficuum siccarum ann. ʒ. ij. coquantur ad consumptionem medietatis fermè, & ex hoc lauetur per sex dies, post repetatur & addantur ossa cruris vituli duo contracta, foliorum lauri m. j. & eodem modo fomentum paretur, & post coctionem inungatur locus & totum crus à coxa vsque ad pedem medullâ ceruinâ per sex dies, postea reuertatur ad idẽ tertio & inungatur crus idem cum hoc vnguento. ℞. Arungiæ porcinæ recentis ℥. vi. distilla ter saltem, aut quater donec remaneant ℥. iii. vel circa medullæ cerui ʒ. ii. misce & inungetur locus & totum crus & spina dorsi inferior ex calido & inuoluatur linteo calido madefacto cum adipe asini per vii. horas. Inde lauetur cum vino decoctionis saluiæ betonicæ rorismarini stæchadis & matris siluæ ac radicum granorum & alcheæ: post alios sex dies repetatur reficiendo balneum bis & post vngatur ante prandium & ante cænam, & sit calidum & primò fiat lotio cum vino: post balneum, & vltimò inungatur post xviii. dies à lotione cum vino fiat balneum totum ex vino pro medietate ex lib. xiii. & lib. xiii. aquæ in quibus incoquantur hæc scilicet.

℞. Bdellij, ammoniaci medullæ cruris iuuenci foliorum lauri ad ʒ. x. & insuper adsit os quod continet illam, bituminis iudaici fecis plumbi vsti ann. ʒ. vi. radicis buphtalmi, radicis altheę, liliorum alborum ann. ʒ. i. ſ. stæchadis, betonicæ, cyperi, radicum saluiæ, rorismarini an. m. ſ. coquantur ad consũptionem tertiæ partis, & ex eo addito oleo de croco ad lib. ſ. fiat balneum hoc vnguento.

℞. Axungiæ porci præparatæ vt suprà medullæ cerui, pinguedinis asini ann. ℥. i. ammoniaci electi dissoluti Drachm. ſ. fæcis olei de croco Drachm. vi. misce optimè in

mortario, & fiat vnguentum, & cum eo vngantur loca supradicta, & extendatur crus manibus & pes quantum potest: & dum tenditur, inungatur, & hoc sensim quantum licet sine dolore. Et ligetur vt maneat elongatum & hoc bis in die sine dolore, & semper consideretur quomodo extendatur, quomodo intumescat, & coleretur, quomodo fiat robustius, quomodo melius dormiat, appetat cibum, quomodo gaudeat auxilio, & contra si intumescat cum dolore, desistat donec dolor abscedat, & quotidie demittat aluum, & quando non demittat, vtatur hoc clysteri, vel etiam si parum demittat.

℞. Sabinæ, foliorum lauri, foliorum centaureæ, betonicæ, stæchadis, rosarum, camemeli, matrissiluæ, verticæ syluestris, quæ non pungit radicum galiopsis ann. m.s. coquantur in lib. iiii. aquæ & lib. ii. vini ad consumptionem medietatis: coletur & erit pro tribus vicibus, accipe ergo tertiam partem, cui adde mellis rosati Drachm. ii. salis ℥.i.s.olei amygdalini amari Drachm. iii. misce calefiat, & fiat clyster, post L X. dies stante eodem regimine, atque præsidiis, vbi non tantum prosint quantum velit, cæteris non mutatis, sed solo vnguento vtatur hoc pro illo.

℞. Vnguenti Martiaton vnguenti Agrippæ ann. ʒ. i. s. olei laurini Ammoniaci electi ʒ. v. gummi olei de centaurea ann. ʒ. vi. elemi recentis ʒ. vi. pinguedinis asini, pinguedinis annatis ann. ℥. i. castorei optimi ʒ. iii. medullæ, cerui, medullæ vituli ann. ʒ. v. fæcis olei de croco mellis anacardi ann. ʒ. ii. misce, & fiat vnguentum diutissimè agitando. Quod si neque per hæc omnia intentum assequatur in principio mensis Iulii, vel etiam vsque ad medium collocet tabulam vnam crassam trium digitorum, ex ligno nucis benè siccam altitudinis quinque pedum, latitudinis duorum, itavt stet erecta & possit circumuerti, & sedere queat crure extenso vsque ad spinam dorsi vt à solis radiis incalescat citra calorem aliarum partium pectoris capitis, & spinæ dorsi, & maneat ibi per tres horas & pes & totum crus sinistrum, & vsque ad spinam dorsi inungatur hoc vnguento infrascripto calido & manibus calidis.

℞. Acanthi cyclaminis radicum scilicet, & liliorum etiam alborum singulorum ℥. vi. hæc in lixiuio eodum coquantur, donec dissoluta fuerint, inde addenda sunt, vnguenti vocati Agrippæ Butyri, ciræ nouæ, inexpertæ ignem, vnguenti ex althea, olei mirthini singulorum ℥.... vnguenti marciaton olei ex lauri baccis, pinguedinis gallinæ singulorum ℥. i. feruenant hæc cum illis denuò simul, iunganturque his medullæ cruris vituli, sepi vrsi, pinguedinis equi singulorum ℥. ii. s. croci ℥. i. & in mortario diu miscendo confice vnguentum, inungatur membrum tecto à sole capite tribus mensibus continuis semel in die sub diu.

Quod si nec his, adhibe ceratum magnum ex lapidibus super totum crus, & tibiam, & pedem, & etiam super partem spinæ dorsi, & debet deferri per totum annum & singulis octo diebus permutari, recipit autem Alabastri orientalis cuius copia inuenitur Romæ, & pyritidis an. lib. iii. vrantur in lateraria fornace, sic vt transeat in calcem, pro qualibet libra huius pulueris non experti aquam accipe cerati oxicroci lib. vi. liquefacito addito modicum olei abietis & ℥. ii. gummi elemi recentis: reficito in forma ceratum.

Sunt præter hæc collaudata, quædam ab aliis mirificè, adeps leonis post quam vrsi: inde oleum vulpinum ritè factum sed pro balneo: inde pinguedo melis & felis: & humana. Princeps laudat, imò esse tollit radicem plantæ similis arundini ex qua in Affrica fiunt hastilia, sed non est inanis vt arundo: & vocatur Alcanna, & si commodum esset transmutare se in aërem calidum & siccum ac purum valde esset bonum & maximè propter radicem illam, & balsamum indiæ occidentalis cuius est copia multis in locis, est etiam vtile, sed multo vtilius hoc dissoluantur ranæ magnæ in furno, in olla noua, inde accipe lib. j. illius pinguedinis. colophoniæ sarcocollæ lacrimæ laricis, Galbani, asse fœtidæ euphorbij cineris lignorū ficus, picis Græcè styracis liquidæ, caudæ alliorum sandarachæ librariorum, thuris, masticis, serapini, opopanacis. bdellij, añ ʒ. ij. ammoniaci, lachrymæ abiectis añ. lib. s. putrefacito sub fimo omnia XX. diebus, inde adde castorei ℥. iij. mellis, anacardi ℥. iij. destilla & extrahe elementa proderit, aqua & oleum rubrum, & oleum nigrum: & fex etiam luti loco: sed cum butyro mista. oleum etiam hypericonis completum est vtile, & omnia eiusmodi debent immisceri cum butyro vel adipibus, aut medullis vel oleis, aut ex pinguedine cetaceorum factis, omnis enim adeps qui in oleū sponte transit, oleum efficit in vltimo emollientium. Galenus autem rem hanc in quatuor ordinibus collocauit, admonens tamen de duplici genere emollientitum calido & sicco, quod in congelatis solum vtile est & ideo non in isto casu: altero quod calefacit (& oportet esse tenue & valde & humectat: in primo igitur ordine est medicamentum ex colophonia butyro & cera candida: in secundi fine ex oleo & suillo adipe veteribus, & argenti spuma: quod si illa duo fuerint recentia, erit in initio tantum, in tertio ammoniacum, Bdellium Galbanum sepum taurinum, aut hyrcinum, styracem. Quod si addas propolim & medullam accedet ad quartum. In fine omnium, quod constat ex bdellio, sepo vitulino, iridæ ammoniaco añ. ʒ viij. opopanacis, Galoani, cachiyos, styracis, thuris añ. ℥. j. piperis Grana XX. ceræ, terebentina añ. ℥. vini & fecis olei irini. Q. S.

CONSILIVM XLVII.

Pro præseruatione à doloribus iuncturarum & de cura & præseruatione à dolore in ischiade.

PRo præseruatione à doloribus iuncturarum euitandi sunt omnes cibi hi infra scripti: legumina, cibi de pasta, risum, milium, panicum, carnes crassæ, bubulæ, caprinæ, ceruinæ, leporinæ, carnes omnes porcinæ, carnes agninæ, capita quadrupedum, viscera & interiora eorum, capi in domo impinguati, & aliæ aues eodem modo in caueis detensæ & impinguatæ: aues omnes in aquis degentes, lac, caseus, & omnia quæ ex lacte fiunt, pisces omnes lacunales, & squameis carentes, anguillæ, tinchæ, lampredæ cancri, gammari, ostreæ, ranæ, testudines, oua quocunque modo indurata, fungi, tubera, radices omnes exceptis pastinacijs, cibi conuenientes sunt infra scripti panis factus sit ex bono frumento de proximo molito, bene coctus in clibano, bene fermētatus, mediocriter salitus in michis non in placentis, mundus à cortice exteriori adusto, non plurimum quam duorum vel trinum dierum, caro conueniens est caro pullorum, Gallinorum iuuenum & caponum excercitatorum, omnium auium quæ sunt in communi vsu & quæ non degunt in aquis: columbi gregatiles, caro hædi, oua sint sorbilia, recentia non frixa sumuntur, albumen dimittatur, butiri olei, & laridi vsus pro condimento temporibus frigidis: & frigida vitelli & temporibus calidis, asparagi & artichiochi conceduntur: Piper, zinziber, cinamomum, crocus, garyophilli sinapi tempore frigido, & in parua quantitate conceduntur: fercula fiant ex herbis concessis vel ex ouis nō duris vel ex pane, vel ex carnibus supra concessis. Acetum & aceosa sunt euitanda nisi in parua quantitate pro appetitus excitatione, & sit acetum passulatum, salsis in parua quantitate vt licet, ante cibum pro expurgatione phlegmatis à stomacho & præcipue salsis habentibus substantiam mollem, ad eandem intentionem vti capparibus cum aceto passu lato & oleo & Zucccharo & melle conditis ante cibum, mellis & zucchari conceditur vsus. Quantum ad potum euitetur vinum dulce, vinum crassum nouum, turbidum, sit autem vinum album vel mediocre in colori & mediocre in potentia & subtilis substantiæ.

Fiat vniuersalis totius corporis purgatio bis in anno vere scilicet & autumno, vel saltem fiat semel in anno ineunte vere vt infrà.

℞. Syrup. rosati recentis, Mellis rosati, Oxymellis simph. — añ. ℥. 5.
Aquarum Betonicæ, Endiuiæ, Luæ. — añ. ℥. 1.

Misce capiat quinque vel circa & sequent. mane infra scriptam medicinam.

℞. Rhabar. lecti & bene mundi ʒ. iji Spicæ parum, Vini aromatici parum.

Infundantur secundum artem in aqua endiuiæ, & post horas decem fiat fortis expressio cui addantur mannæ electæ ℥. j. muccharij rosati ex multiplici infusione ℥. ij. trochiuer de violis sine scammonio ʒ. j. & fiat potio quam capiat in die electa, quo ad aspectus luminarium post cœnam per horas nouem & post assumptam medicinam dormiat per horam, cum dimidio vel circa, & tardet prandium per sex horas, sequenti die in mane capiat brodium pulli cum zucccharo alia sequenti die capiat syrup. infra scriptum.

℞. Syrup. rosari recentis ℥. j. ß. Aquarum endiuiæ ℥. ij. Betonicæ. ℥. j. Misce post tres aut quatuor dies ab assumpta medicina capiat ʒ. j. mithridatij antiqui, aduenienti autumno poterit similis purgatio hoc excepto quod rhabarbarum infundatur in decoctione ista.

℞. Polispodij, Folliculos senæ, Sciechados, Passularum, Liquiritiæ mundæ. — añ. ʒ. ij.

Recoquantur in s. q. aquæ lactis secundum artem & fiat colatura, in qua Rhabarbarum infundatur & reliqua fiant vt supra scriptum est, ita sint quo ad præseruationem: quo ad curam euacuationes faciendæ, doloribus instantibus relinquuntur præsenti medico: super loco doloris fiat emplastrum ex tribus partibus aquæ quarta parte aceti & furfure frumenti q. s. simul decoctis quod moderate calidum applicetur loco dolenti, donec dolor satis remissus sit, quo tempore inungatur locus ex linimento infra scripto.

℞. Pinguedinis vituli ℥. iiij. Salis vsti. ℥. ij. Olei communis. ℥. j. s. Misce & fiat lenimentum, dolore verò quasi ex toto remoto inungatur locus cū infra scripta decoctione.

℞. Pinguedinis tauri ℥. iiij. olei rosati antiqui ℥. j. ß. misce & fiat linimentum, & si non inueniretur pinguedo tauri capiatur pinguedo bouis.

Pro præseruatione à dolore in coxendica quæ sciatica nuncupatur, debet seruari eadem ratio & in victu, & in potu, & eædem purgationes faciendæ sunt vt supra: adhibenda tamen sunt diuersa localia quæ antequam ponantur, dico prius quam si vere vel autumno tempus satis frigidum esset, post syrup. sumptos loco medicinæ possent sumi infra scriptæ pilulæ.

℞. pilular. cochiarum ʒ. j. ß. cum vino conformentur pilulæ numero quinque, post quarum assumptionem vtatur eodem regimine quod supra scriptum est, seruandum esse post medicinas, super loco doloris applicentur infra scriptæ inunctiones.

℞. Olei masticis, Olei de violis citrinis, Olei spicæ, Olei decosto, Olei vulpini. — añ. ℥. j.
Ceræ ℥. v.

 Misce

Misce vt fiat linimentum molle.

Item ℞. Olei de euphorbio ℥.iiij.

Ceræ. ʒ.j. Misce & similiter fiat linimentum.

℞. Pinguedinis Tauri ℥.iiii.

Salis vsti ℥.ii.

Olei Antiqui ℥.i.ſ.misce.

Pro inunctione loci dolentis vtatur his inunctionibus modo vna, modo alia, & in ea magis continuet quam magis profuturam inueniet.

CONSILIVM XLVIII.

Ad tinnitum aurium & in muliere etiam habente diminutionem mensium.

PRæsupposita cóplexione totius biliosa Illustrissimæ Dominæ & ætate annorũ XXXVI.cum Tinnitu vel sibilo in vtraque aure, sed magis in sinistra per duos annos iam præteritos eam assiduè vexante, & proinde scribatur morbum per essentiam in capite esse,cum aliquo tamen consensu à matrice ob aliqualem mensium diminutioné quoniam flatus longo tempore perseuerans non nisi à diminuto calore naturali ac ex humoribus crassis ac lentis solent prouenire.

Pro curatione abstinendum erit ab omnibus cibis flatuosis crassis,ac viscosis, quare cibi euitandi omnes infrascripti vtendum autem aliis infra declarandis. Aceto & acetosis moderatè vti poterit,salsis etiam moderatè, asparagis, ex fructibus conceduntur ficus & vuæ perfectè maturæ, tam recentes quam siccæ, amygdalæ, Auellanæ & fistici siue pistachij: abstinendum quoque à quacunque inunctione vel lotione capiti facta quæ vapores possit ad intra caput retinere, & eorum exitum prohibere, facta totius corporis euacuationi vt infra dicetur, vtendum est frictionibus totius corporis mane ieiuno stomacho vt materiæ à capite diuertantur,vtendum quoque similiter longis deambulationibus mane ieiuno stomacho: somnum euitet diurnum, nocturnus sit moderatus, nec septem horas vel circa excedat, procurandum est vt quotidie excrementa vacuentur:vtatur lotione capitis singulis decem diebus facta cum decoctioue verbenæ in æstate: in hyeme autem cum verbena & menta post debitum regimen in victu mense Septemb. proximo, transacto æquinoctio per octo dies ob illam mensium diminutionem, censeo mittendum esse sanguinem in saphenis per quatuor dies ante consuetum tempus, mittendo prima die vncias quatuor vel circa ex saphena dextra: sequenti die tantundem ex saphena sinistra præmissa tamen ventris lenitione ante missionem sanguinis, vel cum clystere vel cum cassia sicuti medico præsenti videbitur:subinde fiat infrascripta purgatio.

℞. Mel. rof.

Oxymell.simpl.

Syrup.de lupulis ann:Drachm.5.

Aquarum betonicæ Drachm.ii.

Borraginis Drachm.i.

Misce & capiat septem vel circa sequenti die summo mane capiat infrascriptas pilulas.

℞.Pilularum cochiarum,ʒ.i.5. cum vino informentur pilulæ numero quinque post quas dormiat per horam cum dimidio: tardet cibum horis septem & leue prandium capiat, die sequenti summo mane capiat Drachm. viii. brodij pulli cum Zuccharo, vtendum est postea infrascripto caput purgio per aliquot dies mane.

℞.Succi rad.ireos.

Succi rad. artamitæ.

Succi bliti.

Olei ireos ann.Drachm.5.

Elaterij ℈.i. cum modico ceræ fiat linimentum molle quo inungantur nares ad intra,altius quam fieri possit.

Vtendum quoque masticatoriis per aliquot dies in primis mastice, postea mastice cum zinzibere simul, quibus factis deueniendum erit ad localia auribus immittenda quæ vario modo componi solent & in primis.

℞. Ellebori albi.

Castorei.

Costi,an.ʒ.ii.

Rutæ.

Salis vsti.

Piperis longi,an.℈.ii.

Euphorbij ℈.i.

Succi raphani.

Succi porri,

Olei nardini.

Olei cammomillæ.

Olei Aneti.

Olei de amygdalis amaris,ann.Drachm.i.

Coquantur omnia ad ignem simul ad succorum consumptionem & fiat colatura quæ in aures instilletur & sufficit facere medietatem pro vice.

Item ℞. Garyophillor. seminis porri ann. ℥.i,misce ℈.ii. dissoluantur cum aqua maioranæ vel rutæ quæst. 5. & instillentur in aure.

Item ℞. Cinamomi aristolochiæ rotundæ ann. ʒ. i. subtilissimè puluerizentur & cum melle despumato & aceto ann. q. 5. fiant in forma vt possint in aures instillari.

Item ℞. Corticis rad. Ellebori nigri, radic. Ireos ann. ʒ.i. subtilissimè puluerizentur & cum oleo amygdalarum amararum, & aceto ann. q. 5. fiant in forma vt possint in aures instillari.

Item ℞.Castorei,salis vsti ann.ʒ.5.Dissoluantur similiter cum melle & aceto ann. q. 5.

Item ℞. Ellebori albi ʒ.i. Castorei, satis vsti ann. 5. dissoluantur cum melle & aceto & fiat vt supra.

Item ℞. Ciminum subtiliter puluerizatum cum oleo laurino vel amygdalarum amararum ambo instillentur.

Item ℞. Centareæ minoris rad.cucumeris syluestris ann. ʒ.i.subtiliter puluerizentur & cum melle & aceto vel oleo laurino aut amygdalarum amararũ instillentur vt supra.

Item

Item ℞. Ellebori albi, Castorei, ann. ℥.i. Croci ʒ.ii.ʒ. salis vsti ʒ.ij. dissoluantur omnia aceto & vtendum est vt supra.

Illud animaduertendum est in istis localibus quòd quæcunque medicinæ suprascriptæ, in tinnitu aurium valentes si cum oleo aliquo dissoluantur mitiores erunt, fortiores si cum melle, vino, adhuc fortiores si cum aceto, & ita fortiores cum aceto acri ac demum fortissimo cum aceto accerrimo, secundum ergo quod patiens tolerabit poterunt illa localia fortiora & debiliora applicari & hæc omnia prudentiæ ac limitationi præsentis medici committuntur, similiter sanguinis missione ac purgatione & localium administratione vtendum erit in vere subsequenti. Interdum autem inter has duas fortiores purgationes vtendum est vel pilulis de hiera simplici vt pilulis masticinis, vel pilulis de tribus compositis Rhabarb. agarico, & aloe æquis portionibus cum melle rosat. capiendo tres post cænam, quum ad somnum conuertitur: semel in hebdomada aut bis secundum quod proficuum inuenerit.

CONSILIVM XLIX.

Pro Germano quodam iuueni laborante morbo gallico & stillicidio vrinæ ac suppressione.

OBlatus est mihi casus iuuenis germani & annos natus triginta tres vel circa cerebri calide ac ad humidum vergentis cordis calidi & parum sicci, iecoris calidi & humidi, ventriculi fortis & à temperamento parum distantis, renum calidorum & similiter testiculorum calidorum ac siccorum & quia scribitur humiditatem totius esse admodum carnosam, totius corporis temperatura statuenda erit calida & humida supra temperatã: quanto enim totum corpus magis carnosũ est supra mediocre tanto humidius iudicatur. Qui in ætatis suæ anno decimo nono passus est, vt scribitur morbum gallicum cum immoderato membrorum exteriorum dolore, subinde post vana medicamenta adhibita dissenteria laborauit cum sæuissimis torminibus & cruciatibus, quam sequuta præter modum est diarrhæa in cuius cura ab initio medicinæ admodum restringentes adhibitæ fuerunt, vnde mox post restrictum veneris profluuium à febre continua cum accessionibus ordinatis correptus est, durauitque vt scribitur tres menses perpetuos cum vomitu cholerico linguæ arriditate & aliis quæ huiusmodi febres comitari solent, in cuius curatione, empiricus quidam medicinam potabilem exhibuit tantæ quantitatis & tam violentam, vt maximam omnium virtutum prostrationem reliquerit, & vt vix per duos menses integros aliquid virium æger reassumere potuerit, post febrem remotam ardor vrinæ subsequutus est vehementissimus: post ardorem stranguria seu dyssuria id est, vrinæ stellicidum, cum intensis doloribus: deinde ischuria id est vrinæ suppressio subsequuta est dolore multo intensiore quam antea senserit vnquam, quæ nullomodo remoueri potuit nisi syringæ beneficio, in cuius remissione dolor magnus subsequutus est, & sic postea per aliquot annos semel mense cruciatus ex stillicidio & retensione vrinæ sensit molestissimos: per quatuor postea annos cepit mitius habere, & quamuis non tam sæpe vt consueuit, affligatur, quando tamen illa accessio aduenit per decem, & quandoque per plures horas, vrina in totum supprimitur cum maximo & laboriosissimo mingendi desiderio & conatu, pro cuius sæuæ dispositionis cura nihil fuit hactenus & apud Germanos & apud Italos non tentatum quod conuenire creditum sit: inter omnia tamen auxilia syringa iniecta præ cæteris contulit & quandoque antequam vrina procedat, magna pars phlegmatis in substantia & colore spermati non dissimilis exiuit, quo expulso cepit melius habere, eaque opilatio non tantum vrinam retinet sed spermatis exitum etiam in ipso actu venereo impedit: quotiescunque paroxismi tempore necessitate vrgente syringa per virgam imponitur, magnum obstaculum circa collum vesicæ reperitur adeo vt raro liceat cum syringa ad vesicam penetrare. Ex syringæ etiam iniectione statim permanat vel libra media vel integra sanguinis quo emisso incipit vrina progredi: patitur quoque æger timorem & tristitiam iamdiu perseuerãtem semper enim futuras accessiones: quibus tam misere affligitur, timet, & exinde valde tristatur, hæmorrhoides quoque magis quam antea & prominent & inflantur, atque etiam citrinum aliquid eis resudare videtur.

Huius stillicidij ac retentionis vrinæ varij varias dicunt esse causas. Sunt qui putarunt propter imbecillitatem vel virtutis attractiuæ renum vel expulsiuę iecoris nihil aquosæ humiditatis ad vesicam demandari: dixerunt alij opilationem meatuum in renibus vel à calculo, vel à pituita factam vrinam ad vesicam descendere non posse. Dixerunt alij lapidem vesicæ in causa esse, crediderunt alij naturam nimia sanguinis plenitudine grauatam ad hunc locum sese deonerare & venas illas tam paruas quam magnas replere, quæ repletæ nimium tenduntur & intumescunt, vnde dolor sequitur, & ad locum læsum exinde: sequitur attractio & ob id neque vrinam egredi, neque syringam ad vesicam vsque penetrare posse, adducunt pro argumento quod semper tempore accessionis ex impositione syringæ magna sanguinis egreditur quantitas, post quam subsequitur vrina. Item corpus ægroti à prædominio sanguinum. Putarunt alij pituitam viscosam, & tenacem in locis illis facere hanc opilationem cum dicat ægrotus, se sentire descensum humorum à nuca per spinam dorsi ad regionem renum, & post hanc sensationem frequenter fieri hanc opilationem, tum quia ex modico egerendi conamine, aliquando magna pars pituitæ quam ipse dicit spermati in colore & substantia persimilem per virgam eiicitur, Putarunt alij hanc opilationem

lationem potissimũ fieri vel à caruncula vel à verruca, vel re simili non longè ab eo loco sita: vbi syringa in vesicam ingreditur, ex eo quod nocumentum continuè perseuerans in egressione vrinæ sensitur: semper enim etiã extra tempus paroxysmi vrina non progreditur sine dolorosa sensatione, & maiori ex parte diuisim & biffide exire cernitur, atque carunculam ortam existimant ex loci excoriatione quæ ab vrinæ acuitate, vel ex syringæ iniectione fieri potuit.

Hæc sunt quæ de dispositionibus & causis scribuntur in hoc difficillimo casu, super quo consilium petitum. Causam stillicidij vel suppressionis vrinæ esse virtutis renum attractiuæ vel iecoris expulsiuæ, imbecillitatem autem in renibus à lapillo vel pituita opilationem ab excellenti Doctore qui casum scripsit euidentissimè reprobatur, ea ratione quod in syringæ immissione semper vrina profluit, quod fieri non posset, si vitio renum aut iecoris vrina ad vesicam non deflueret, neque tantus conatus vrinam emittendi sequeretur si ad vesicam non deflueret.

Dicentes resolutionem vesicæ siue virtutis suæ expulsiuæ imbecillitatem esse in causa quod vrina non reddatur, manifestissimè reprobatur, quia ex sola compressione manibus pectine facta præcederit vrina absque syringæ immissione, tum quia nec tantus foret emittendi vrinam conatus aut dolor. Dicentes causam esse lapillum in vesica contentum viam vrinæ obstruentem, ex eo damnatur quod licet syringa sæpe fuerit in vesicam iniecta, nunquam tamen lapillus deprehensus est.

Neque scribuntur adesse signa vesicæ calculum indicantia quæ à Gal. *primo de loc. affectis* ponuntur. Vrina scilicet aquæ similis in qua subsident sabulosa quædam: assiduè pudendum scalpere, idque vel laxum, vel intentum præter modum. Neque dici potest meatus vesicæ ex grumo seu sanguine coagulato obstrui, cum suppressionem vrinæ non præcedat exitus sanguinis, sed potius manationem multi sanguinis præcedat vrina. Neque dici potest meatum illum vesicæ à pure obstrui, cum numquam apparuerit quantitas notabilis puris crassi obstruere potentis, restat ergo quod meatus ille obstruatur vel à tumore præter naturam vel à caruncula, aut callo ibidem innato vel crasso lentoque humore: nõ enim aliter obstructio fieri posse videtur cum clare colligatur à Gal. *primo de loc. affectis* cum dicit, trifariam cõstringi posse meatum illum, aut enim corpus ipsius in tantum tumorem præter naturam attollitur vt meatus inde occupetur: aut aliquid ei præter naturam vt vel caruncula vel callus innascitur: au à re quapiam obstruitur vt lapide vel grumo, vel pure, vel crasso lentoque tumore: quare cum ex dictis constet meatum illum obstrui non lapide non grumo non pure, relinquitur vt secundum quod dictum est quod obstruatur vel à tumore præter naturam, vel à caruncula vel callo, vel crasso lentoque humore & iis quidem, vel aliquibus, vel omnibus.

Credidit excellens Doctor qui casum scripsit ad esse carunculam, vel quid simile meatum illum obstruens, ea ratione quod continuè in exitu vrinæ nocumentum sentiatur, & quod diuisim vel biffide magna ex parte exeat vrina. Verum quod in exitu vrinæ semper nocumentum percipiatur id ex alia causa quam ex caruncula contingere posset, sicut ex vlcere vel ex mala loci dispositione, vnde fit vt in vrinæ transitu dolor causetur sicut sæpe numero ardor in exitu vrinæ percipitur. Et si caruncula illa non adsit quod etiam vrina diuisa biffidaque procidat, arguerit potius obstaculum in via propè summitatem penis quam in ceruice vesicæ: solet enim illis in quibus caruncula meatum ceruicis vesicæ obstruit vrinæ sæpe procidere subtilior admodum consueto, quod forte posset in hoc ægrotante continger. Quod si ita erit statuendum erit carunculam vel quid simile causam esse illius nocumẽti continuò in exitu vrinæ percepti, non tamen esse causam totalem suppressionis vrinæ quæ interdum cum maximis doloribus, & cruciatibus accidit.

Quod ad tumorem præter naturam attinet quia in *apho. 36. 6. particulæ* dixit Hipp. *difficultatem vrinæ vena secta iuuat, secarem vero interiores.* Gal. in commento vult difficultatem aliquando ex inflammatione, aliquando ex multitudine materiæ prouenire, licet in hoc casu non scribatur adesse phlegmonem, verisimile tamen est adesse sanguinis multitudinem ex qua venæ tam paruæ quam magnæ repleantur & ceruix vesicæ tumescat: & exinde meatus ceruicis vesicæ cõprimatur & semel vel cum caruncula vel cum aliquo humore crasso obstruatur, id quod ex eo cognosci potest quod stante vrinæ suppressione ex immissione syringæ in vesicam notabilis sanguinis quantitas egreditur: cum quia ægrotus sanguineæ complexionis existit, ac ex eo quod tanta adsit stimulatio & cõatus emittendi vrinam, quod à sanguine calido & acuto & bilioso magis prouenire potest, quam ex alia causa, & proinde existimandum est periodicè hanc suppressionem vriuæ euenire, cum natura multitudine sanguinis biliosi aggrauata periodicè ad locum debilem materiam expellit vt clare colligitur à Gal. *2. de different. febr. cap. vltimo*, vbi causas periodicationis examinat, & sicut videmus podagram & alios huiusmodi morbos periodicè euenire magna ex parte ex multitudine materiã generante, quæ in determinato temporis spacio solet aggregari, non negandum tamen est in causa huius morbi etiam esse humorem crassum ac lentum, cum scribatur aliquando notabilem copiam pituitæ ex modico egerendi conamine per penem eiici, ad quod etiam non negat Excellẽs Doctor qui casum scripsit, & maximè cum referat ægrotus sæpe accidere vrinæ suppressionem, quando prius sensit descensum humorum à nuca per spinam dorsi ad regionem renum. Hæc de naturali complexione, morbo & causis.

Quantum verò ad curam attinet. Primo eliciendæ sunt intentiones curatiuæ, 2. inuenienda sunt auxilia & eorum vsus tam ratione temporis quam ratione quantitatis, vt à Galeno colligitur *de constitut. art. med. cap.*

*cap.*13. 14.& 7.*meth med. cap.*3. Intentiones omnes curatiuæ vt voluit Gal.9. *de morbis curandi cap.*14. sumuntur vel ab essentia vel causa morbi, vel a naturali complexione, vel ab aere nos ambiente, quia vt ex dictis constat, morbus principalis est obstructio meatus colli, vesicæ, & causæ sunt vel humor crassus aut lentus, vel multitudo sanguinis ad locum illum decumbentis vel caruncula aut quid simile. Intentiones curatiuæ erunt prohibere generationem multiplicium humorum crassorum & viscosorum: 2. prohibere periodicam transmissionem multi sanguinis a toto ad partes vesicæ: 3. prouidere vt caruncula illa, si sit, vel auferatur, vel taliter disponatur vt minus quam possibile sit transitum vrinæ impediat, & quia periodica illa multi sanguinis transmissio ad partes vesicæ fieri solet ex plenitudine totius corporis, ex subtilianti verò diæta duo obtinebuntur, primum quod humores crassi & viscosi non generabuntur, 2. quod corpus non tantum replebitur: manifeste concluditur quantum ad regimen in cibo & potu ordinandam esse subtiliantem diætam, quare descendendo ad particularia: euitandi sunt omnes cibi infrascripti à frequenti vsu ac multa quantitate aceti, acetosorum & salsorum abstinendum est, pipere, cinamomo, garyophillis synapi, tempore calido omnino abstinendum est, in tempore vero frigido modicè vtendum: allium porrum, & cepæ omittantur, mellis & Zucchari vsus conceditur. Quantum ad potum euitetur vinum dulce, vinum crassum, vinum nouum, & turbidum: sit autem vinum album, vel mediocre in colore ac mediocre in potentia & subtilis substantiæ. Ex fructibus ficus & vuæ bene maturæ tam siccæ quam recentes non prohibentur, & similiter amygdalæ & Auellanæ.

Ad prohibendum periodicam illam sanguinis transmissionem ad vesicam, mittendus erit sanguis ineunte vere ante consuetum tempus suppressionis vrinæ ex vena quæ intus brachij dextri, quam Arabes basilicam appellant: quantitas sanguinis extrahendi mensuranda est, ex plenitudine, virtute, habitu corporis & consuetudine, & proinde relinquitur iudicanda præsenti medico: non minorem tamen quantitatem extrahere quam sex vel octo vnciarum, post sanguinis missionem per quinque vel sex dies purgare corpus vniuersali purgatione, quæ omnes humores respiceret, & maximè eum qui plus dominari videbitur; sicque præscribi poterit. ℞. mellis rос. syr. de succo endi. oxymellis syr. ann. ℥.ſ. Aquarum lupulorum endiuiæ & borraginis ann. ℥ i. capiat sex vel septem: die sequenti capiat infrascriptam medicinam. ℞. Rhabar. electi & bene mundi ℥.ij. spicæ parum minutim incidantur & aspergantur vino albo odorifero: deinde infundatur in decoctione descripta, & post horas decem fortis fiat expressio, cui addantur syrup. rosat solutiui ex multiplici infusione drach. iii. electuarij lenitiui Drachm.5. ℞. Polypodij folliculorum senæ stæchados passular. liquiritiæ, epithimi ann. ʒ.iii. Decoquantur secundum artem in 5. q. aquæ lactis caprini & fiat colatura pro supra scripta medicina,

Adueniente autumno omissa sanguinis missione fiat purgatio cum simili medicina & syrupis præter hoc quod loco electuarij lenitiui ponatur diaprunis non solutiui. Et quia ægrotus passus est morbum gallicum, vt scribitur, ac ad prohibendam periodicam illam transmissionem ad partes vesicæ inanire corpus & repletionem prohibere multum adiuuat. Iudicarem etiam sumendum ab ægroto post missionem sanguinis & purgationem in vere factam decoctionem ligni guaiacini per 40. dies, cum diæta & modis quibus solet in cura morbi gallici administrari, quæ etiam sumi posset in mense Septemb. proximo post factam purgationem, & quia variis modis solet ea decoctio præparari, censeo in præsenti casu non esse faciendum cum vino, ne materiæ ex virtute vini ad vesicam deriuentur, nec puto timendam esse huius ligni caliditatem: cum enim species hebeni existimatur esse & de hebeno dicat Gal. quod calefaciat nihil aliud addendo, intelligendum est quod hebenus sit calidus in primo gradu: consueuit namque Gal. de calidis in primo gradu dicere quod calefaciant & de calidis in 2. dicere quod calefaciant manifestè, in 3. dicere quod calefaciant vehementer, & de calidis in 4. quod adurunt ex decoctione quoque facta in tanta aquæ multitudine caliditatem illam primi gradus remitti non dubitamus; quare decoctio ipsa parum calidum declinabit, supponimus namque quod in decoctione vna libra ligni capiatur ex duodecim libræ aquæ, decoctioque fiat ad medietatis cōsumptionem, & facta colatura addatur tantundem aquæ & fiat secunda decoctio similiter quæ pro potu simul cum cibis reseruatur in hac decoctione sumenda, diæta obseruetur tenuis tanta tamen quanta ab ægroto possit tollerari, quia vt scribitur, solet à valde tenui diæta multum lædi.

Quod ad aquas thermarum attinet quæ sponte calidæ nascuntur, censeo ab eis omnino esse abstinendum, cum aquæ omnes minerales faciant vrinæ difficultates vt habetur ab Auicenna 2.*can. cap. de aqua. & à Rasi* 29. *continentis eodem cap.* id quod ab Hipp. acceptum est *in tractatu de regione aere & aqua*, cuius sententiæ ratio potest esse quod omnes aquæ minerales sunt exiccatiuæ, & licet materias in viis vrinæ existentes educere valeant, vias tamen illas exiccatas & restrictas relinquunt, quare facilius tunc ex crassis humoribus vel caruncula vel sanguinis multitudine obstrui possunt. Quod verò ad medicinas vrinam prouocantes attinet, quamuis varij modi sint prouocationis vrinæ & mouendo ac impellendo materias ad vias vrinæ sui proprietate sicut de cantaride dicitur ab Auic. 2. *can. cap. proprio* & à Gal. 5. *simp. med. cap.* 22. & fortificando virtutem renum attractiuam, vt vult Auerr. 2. *colliget cap.* 20. & separando subtile sanguinis aquosum à crassiori parte sanguinis, quemadmodum lac in suas partes diuiditur (vt inquit) Gal. 5. *de simp. med. cap.* 12. & quia in sui absentia fit aquosa abstersina & vrinam mul-

tiplicet sicut semina communia frigida melo & cucumeres, censeo in principio suppressionis vrinæ nullo pacto his prouocantibus vrinam, vtendum esse, quemadmodum in principio phlegmones renum vel vesicæ nullomodo his diureticis vtendum sit, vt clare habetur à Gal. 13. *meth.* cum dixit aut vrinas mouere cum renibus aut vesica sit ægrè, cum verò aliquandiu processerit, remotaque fuerit obstructio ex plenitudine sanguinis ad illa loca deriuati, si videbitur materiam lentam ac crassam esse, non prohibetur tunc vsus diureticorum & quia innumeræ ferè sunt tales medicinæ à Dios. & Gal. adductæ, & debiles mediocres ac fortes & fortissimæ, relinquam earum electionem præsenti medico, quia secundum quod materia crassior aut viscosior adfuerit subtiliores fortiores conueniunt medicinæ, abstinendo tamen semper ab his quæ humores ad vesicam deriuant. Incipiente verò prædicta suppressione vrinæ præmissa subductione ventris cum Clystere, mitterem ego sanguinem ex saphæna & extraherem sufficientem quātitatem prout medico adstanti videbitur, quod aliquibus forte magis placebit mittere sanguinem ex basilica, id non prohibeo, subinde exhiberem ℥.vi. olei rosati, amygdalarum amararum recenter facti ieiuno stomacho, abstineremque per quinque vel sex horas à cibo post assumptum oleum. Quod si tunc vrina non processerit accederem ad immissionem syringhæ sicut cæteri. Multa alia scribi potuissent sed hæc puto satisfacere, præcipuè quum adsit præsens medicus eximius qui poterit addere & minuere secundum quod videbitur.

CONSILIVM L.

De Arthritide identidem recurrente pro Illustrissimo D. Cosmo Centurione:

TEmperamentum à prima constitutione ambitus totius calidum fuit à Medicis constitutum, in passiuis temperatum satis, ad siccum tamen vergens potius, neque ab hoc dissentiunt partes principes est confirmatum (ventriculo excepto, quem frigidum, atque humidum fortasse sæpius fuit decretum) pars vnaquæque sicuti & totum sua obtinuit signa, totius caliditas non immensa, atque temperata siccitas, ex eucrasia ad gracilitatem vergente, ex symmetria in omnibus temperaturam huiuscemodi innuentibus, ex colore colligi vtique potest partium capitis externarum signa inspicientibus sese produnt; parenchimatis autem cerebri, sensuum vigor somnus haud grauis, atque sæpius interruptus, virtutum principum omnium vis, capillorum nigrities temperaturam calidam atque siccam testantur. Secus autem ex excrementis colligitur quamplurimis, per capitis meatus exeuntibus, atque ex articularibus affectibus iamdiu antiquatis Illustrissimum Dominum vexantibus, nisi quis asserat excrementa, aut saltem excrementorum materiam aliunde transmissam esse, quo fiat vt cerebrum humidum per accidens reddatur, quod absonum à ratione neutiquam debet videri, in corpore calida atque sicca potius temperatura insignito, hepate, atque corde non dissidente, & ventriculo oppositis qualitatibus prædito: Hepatis temperamentum vel ex latitudine venarum atque ex copia sanguinis biliosi potius in iis redundante elicitur. Sicuti expulsus magnitudine, frequentia, atque velocitate, vnaque cum ad iram procliuitate, & ad actiones repentina propensione cordis temperaturam animaduertere licet; ventriculi postremo temperamentum, appetitus vehementior, atque à coctione dissimilis palam facit proculdubio.

Non abs re hæc in medium attulisse videbor, si temperamentum tale à nobis constitutum atque temporis processu ad quampiam dyscrasiam redditum, qualitatesque intensas magis in dies acquirens, primas obtinere ex causis morbum de quo verba fiunt constituentibus probare conabor. Morbus igitur, quo Illustrissimus Dom. vexatur, articularis est, atque vigesimus quintus agitur annus, quo eum est adortus, cum ipse decimum nonum attigisset: Hunc morbum tempore autumni, hyemis, atque veris sæuire experientia iam didicimus, cum in æstate latitare prorsus videatur, cui præludium quoddam anteire obseruauimus, quod nil aliud est quam saltus quidam inter somnum Illustrissimum Dominum sæpe atque sæpius excitantes, qui sine dubio futuræ inuasionis fidem præstant oculatam, per dies circiter octo ante: In inuasione dolores articulos obsident modo hos, modo illos, vt iure merito arthritidis differentiis ferè omnibus siue speciebus, laborare sit statuendum; quos quidem dolores concomitatur febris symptomatica haud ita leuis per interualla, quam synochum sine putredine appellamus, vnaque cum efferuescentia, siue ebullitione succorum in capite existentium, vt ex eius relatis licet colligere; sed quod magis augit animum est quod frequenri animi interclusione, in inuasionibus vexari sese asserat, suffocari, & faucibus premi quandoque affirmet. Neque prætereundum, euacuationes, quas natura de more per capitis meatus molitur, omnes subsistere ante articulares dolores, in declinatione verò consuetos prodire, & pituitosa excrementa effatu digna per secessum extrudi. Lubens non omiserim toto ferè suæ vitæ decursu, dum recta valetudine fruitur, tempore matutino cum expergesit, tussi quadam, siue screatu infestari, quam sequitur excretio per os pituitosi, crassi, viscidi, atque lenti succi, qui, ni fallor, ternam drachmam non excedit, quam crassitiem ex diuturna mora in trachea, siue faucibus contrahi in nocte facilè potest probari; quod vtique iugem, atque perennem distillationem à capitis partibus intimioribus nobis persuadeat, & à qua omnia tædia, morbos, atque symptomata ortum ducere cuiuis patere existimauerim. Parcat Fernelius asserens, partes capitis extimas tantùm, & extra caluariam

positas

positas originem esse arthritidis, è quibus superuacaneus humor per sūma corporis sub cute deorsum decumbit, cuius sententiam refellere non ausus essem, nisi a Capiuaccio, atque aliis magni nominis viris omnino fulciretur, qui antiquorum medicorum freti auctoritatibus affirmant, vias decumbentis humoris esse venas, & arterias, & ni fallor, cæcos amphractus, præter spatia media inter cutim & carnem; ad cuius decubitum, vt ligamenta possit replere, duo requiri asserebat Galenus, eius copia, & articulorum imbecillitas: copiam adesse affirmant excrementa quamplurima à capite exeuntia; de articulorum autem imbecillitate naturali nihil est quod ambigamus, si Illustrissimi Domini totam gentem percunctemur antiquitus tali morbo laborantem. Humor autem morbum faciens quisnam sit multis nominibus sanguis biliosus est nuncupandus: talis est eò quia temperamentum naturale, & ad aliqualem dyserasiam redditum est aptum ad eius generationem, ex festino motu, & tandem ex anni constitutione frigida, cum *hyeme & vere sint calidiores*, & si non lateat, frigidum esse inimicum neruis, vt concausa, quodque eos imbecilliores reddere possit. Humorum copiam talem in corpore ad caliditatem & siccitatem dyserasiato adesse ex his colligitur; ex praua victus ratione in calidioribus eduliis, ex generosi vini potatione, ex assumptione sæpè sæpius aquæ vitæ, ex iteratis denique curis, quibus ipse est addictissimus; symptomatum causas arthritidem concomitantium, saltus scilicet, synochæ febris, ebullitionis in capite, animi interclusionum ex spirituum accensione principia neruorum vellicante, vnde saltus oriri pro certo habetur, & ex eorum accensione febrem synocham, quique in capite succos exagitantes, eos ad efferuescentiam cogunt, tandémque innatum calorem circa præcordia ad aliqualem igneitatem adigentes, sunt in causa & animi interclusionum, atque suffocationis, cum euentatio sit calori impar; quæ omnia cum articularem morbum subsequantur, statim vt ei prospectum pro viribus erit, ex his conualiturum Illustrissimum Dominum omnino est affirmandum. Scopi igitur morbo articulari sunt dirigendi, qui cum sit tristis sensatio partium neruosarum, articulorum, à sanguine potius bilioso ligamenta comprimente, ob eorum naturalem imbecillitatem. Hinc fit vt tristis sensatio sit sedenda, vt sanguis biliosus sit minuendus, vt articuli ex parentum semine imbecilli, sint corroborandi, qui postremus scopus tanquam impossibilis à Medicis relinquitur, sicuti primus fortasse inutilis, de tertio verò non ita ausim dicere, cum ei satisfiat sanguinis eiusdem missione, adeo (& menstri simile videtur) vt quotiescúmque illa exequutioni mandatur, dum materia quàm maximè turget, omni tempore symptomata omnia statim delitescant. Hucúsque conuenimus. Verùm quod facessit negotium, est, vtrum ad arthritidem arcendam crebris sanguinis & per secessum euacuationibus vti liceat. Qui quouis modo venam tundendam esse aiunt, innituntur sententiæ Gal. lib. 11 Meth. innituntur quin etiam scopo à copia desumpto, & ob id alacrius admittendum sanguinem sese accingunt. Qui verò secus sentiunt, in medium afferunt experimentum admonens Illustrissimum Dominum & venæ sectione sæpius, & pharmacis vsum esse verno, atque autumnali tempore, & nihilominus ab eadem morbi magnitudine perpetuò fuisse vexatum, ac si nullæ euacuationes fuissent adhibitæ. Addunt (atque id magnifaciunt) ex crebra sanguinis missione temporis processu corpora frigefieri, quo fieri posset vt tophacea tandem arthritis reddatur; ea tamen lege id non sanciunt, vt nullo vnquam tempore fieri debeat, sed tantùm in sæuioribus arthritidis inuasionibus (quæ semel, aut his quandoque in anno Illustrissimum Dominum adoriuntur) non in leuibus venam tundendam autumant, Non itidem de pharmacis asserentes, quæ omnino explodenda sanciunt, freti aphoristica sententia. *Quo natura vergit per conferentia loca.* At locus conferens magis debent censeri partes corporis extimæ quàm internæ, ergo, &c. Quod vtique probant ratione ea quod distillationes, quæ consueuere arthritidem parere (à cuius cruciatu non enecantur ægri) si thoracis, ventriculi, aut aliorum viscerum partes fortasse petunt, omnes earum medio ferè occidant, atque eò magis quòd clismata in Illustrissimo Domino & si leuia fortioris pharmaci vicem subeant. Quod omnino praxi confirmatur. Qui aliter sentiunt aiunt, pharmacum nunc exhibitum posse imminentem accessionem arcere, licet non arthritidem absolutè, quod etiam illis condonandum est, vt sæpè sæpius in Illustrissimo Domino experientia didicimus. Quid autem detrimenti afferat, vel ex eo colligitur, quod natura à pharmacis crebrius exhibitis posset assuescere ad motum contrarium, ad deponendos nempe succos in intimioribus partibus, ex quibus mors, atque eò magis, quòd viscera à pharmacis labefactari soleant, & ob id paratiora reddantur ad fluxiones suscipiendas, quæ si fortè in visceribus detinerentur, vt fieri quandoque solet, mortem esse præ foribus nullus est, qui ambigat, quod omen in Illustrissimo Domino (cui ego sum addictissimus (auertat Domin. Optim. Maxim.

CONSILIVM LI.

De dolore iuncturarum.

PRæsupposito dolore iuncturarum iam multis annis inueterato in genibus, & pedibus & cubitis & in manibus, in quibus iam durities in nodis fieri inceperunt a materia mixta ex pituita & bile, cui forte aliquid sanguinis admiscetur in homine quadragenario calidi cordis, & sicci iecoris, frigidi, ac humidi ventriculi, & existente virtute ventriculi digestiua debili; Vnde pituita cruda multiplicatur, si quidem pituita non alibi quam in ventriculo necessariam habet generationem ad mentem Gal. *in tractatu de atra bile cap.* 8. Dicam in primis quid agendum sit in præseruatione, subinde quid in curatione. Quantum ad primum, euitandi sunt omnes cibi infra scripti, legumina, cibi de pasta, risum, milium, panicum, carnes crassæ, bibulæ, caprinæ, ceruinæ leporinæ, carnes omnes porcinæ, carnes agninæ, capita quadrupedum, viscera & interiora eorum, capi in domo impinguati, & aliæ aues in caueis detentæ & impinguatæ, aues omnes in aquis degentes, lac, caseus, & omnia quæ ex lacte fiunt: pisces omnes lacunales, pisces omnes Squammis carentes, Anguillæ tinchæ, lampredæ, cancri, cammari, ostreæ, ranæ testudines, oua quæunque indurata, fungi, tuberæ, radices omnes exceptis passinacis.

Cibi conuenientes sunt infiniti, panis factus sit ex bono frumento de proximo molito, bene concoctus in clibano bene fermentatus, mediocriter salitus, factus in michis non in placentis; mundus à cortice exteriori adusto, non plurium quam duorum aut trium dierum.

Caro conueniens est pullorum & pullarum, gallinarum veruecum & caporum exercitatorum omnium auium quæ sunt in communi vsu & quæ non degunt in aquis; columbi gregatiles, caro hædi, oua sint sorbilia, recentia non frixa, sumantur vitelli & albumen dimittatur. Butyri, olei & lardi vsus pro condimento ciborum conceditur: olera quæ sunt in communi vsu conceduntur, calida temporibus frigidis; & frigida temporibus calidis, Asparagi, cynaræ conceduntur, piper, zinziber, cinamomum, crocus garyophilli sinapi tempore frigido & in parua quantitate conceduntur, fercula fiant ex herbis concessis, vel ex herbis non duris, vel ex pane, vel ex carnibus super concessis. Acetum & acetosa sunt euitanda nisi in parua quantitate pro appetitus excitatione, & sit acetum passulatum, salsis in parua quantitate vti, licet omni cibis pro expugnatione pituitæ à stomacho & præcipue salsis habentibus substantiam mollem, sed ad eandem intentionem vti licet capparibus cum aceto passulato, & olei & zucchara conditis ante cibum: à fractibus abstinendum esset. Si quos autem manducare affectaret, ficus & vuæ bene maturæ virentes & siccę amygdalæ, pistacia non tamen nisi parum admitti possunt, diacitoniton cum pipere & zinzibere constitutum, similiter admittitur, mellis & zucchari conceditur vsus.

Quantum ad potum abstinendum est à vino dulci, crasso, nouo, & turbido, vtendum verò albo vel mediocris coloris, & potentiæ mediocris ac substantiæ subtilis.

Fiat vniuersalis totius corporis purgatio bis in anno vere scilicet & autumno, vel saltem fiat semel ineunte vere vt infra.

℞. Syrup. rosat recentis.
Mellis rosati. an. } ℥.ß.
Oximelli simplicis.
Aquarum betonicæ.
Yuæ. an. } ℥.j.
Endiuiæ.
Misce, capiat quinquies vel circa & sequenti mane capiat infra scriptam medicinam.

℞. Rhebarb: electi & bene mundi ʒ.ij.
Spicæ nardi parum.
Vini aromatici parum.
Infundantur secundum artem in aqua endiuiæ & post horas decem fortis fiat expressio cui addantur.
Mannæ electæ ℥.j.
Mucchari rosat solutiui ex multiplici infusione rosarum ℥.ij.
Trochiscor de violis sine Scammonio ʒ.j.
Fiat potio quam capiat in die electa. Et post assumptam medicinam dormiat per horam cum dimidio vel circa & tardet prandium horis sex.

Sequenti die in mane capiat brodium pulli cum zuccharo. Alia sequenti die capiat syrup. infra scriptum.

℞. Syrup. rosati ℥.j.ß.
Aquarum endiuiæ ℥.ij.
Betonicæ ℥.j.
Misce, post tres aut quatuor dies ab assumpta medicina capiat ʒ. j. mithridatij Antiqui.

Adueniente Autumno poterit fieri similis purgatio hoc excepto quod Rhabarbarum infundatur infra scripta decoctione.

℞. Polypodij.
Follicutorum senæ.
Stæchados.
Passularum.
Liquiritiæ mundæ. an. ʒ.ij.
Decoquantur ʒ.q. aquæ lactis secundum artem & fiat colatura in qua Rhabarbarum infundatur, & reliqua fiant vt supra scriptum est.

Et quia potissima causa doloris iuncturarum solet esse ventriculi indigestio totis viribus succurendum est, vt stomachus bene digerat, posset itaque inungi ex vnguento facto ex oleo spicæ masticis cum modico ceræ: pellis etiam leporina super stomacho posita die nocteque detenta digestionem potenter iuuat, ad idem quoque multum confert si cibum & potum, quem in die naturali accipit ita diuideret, vt tertiam partem in prandio cum aliquibus ventrem mollientibus acciperet, & duas partes in cæna, Quantum verò ad curam doloribus instantibus in regimine, victus stet cum sola panatella

tella bis in die cum aqua decocta cum modico Iuleb ; rosati , abstincto à vino.

Euacuationes faciendæ doloribus instantibus præsenti medico relinquantur.

In principio dolore instanti super eius loco fiat emplastrum ex tribus partibus aquæ, quarta parti aceti & furfure frumenti q. s. simul decoctis , quod moderatè calidum applicetur loco dolenti , donec vsque ad horas quinque vel sex amoueatur.

Item fiat emplastrum ex tribus partibus aquæ & quartæ parti aceti , & farina lupinorum q. ß. simul decoctis quod moderatè calidum dolenti loco applicetur , nec vsque ad horas quinque vel sex amoueatur.

Duo supra scripta emplastra consueuerunt potenter dolorem remittere duabus vel tribus applicationibus. Alia tamen fieri possent & primo ex plantagine lentibus decoctis pane & oleo rosato in hunc modum.

℞. Foliorum plantaginis.
Lentium bene decoctarum in aqua.
Medullæ panis. añ. q. s.

Contundantur simul, & cum oleo rosato fiat emplastrum lene quod loco dolenti similiter applicetur; vel ex sapa seu vino decocto, oleo rosato , fiat vnguentum molle loco similiter dolenti applicandum:si verò magna sentiretur in loco dolente caliditas ex farina hordei cum oleo rosato & aliquo ex succis frigidis vt sunt succus semperuiui solatri, portulacæ , endiuiæ , Poligani , Iusquiani, Papaueris rosarum , fiat emplastrum quod loco dolenti similiter applicetur , tepidum, aut frigidum , vel ex farina hordei cum mucilagine psillij q. s. fiat emplastrum vel ex oleo rosato & cera cum aliquo ex succis dictis fiat vnguentum molle , loco similiter dolenti applicandum Potentiora tamen & vtiliora ad remittendum dolorem sunt primo duo emplastra scripta quæ continuentur donec dolor satis remissus sit , quo tempore inungatur locus ex linimento infra scripto.

℞. Pinguedinis vituli ℥. iiij.
Salis vsti ℥. ij.
Olei communis. ℥. j.

Misce , & fiat lenimentum molle , dolore verò quasi ex toto remoto inungatur locus cum infra scripta decoctione.

℞. Pinguidinis tauri. ℥. iiij.
Salis vsti. ℥. ij.
Olei Antiq. ℥. j. ß.

Misce , & fiat lenimentum ; & si non inueniretur Pinguedo Tauri capiatur pinguedo bouis.

CONSILIVM LII.

Ephemeris siue vitæ ratio pro Reuerendissimo D. Archiepiscopo Sancti Andreæ D D. Ioanne Amulthon.

QVamuis ex generali consilio satisfactum C. Tuæ esse crediderim idque muneris absoluturus sit egregius tuus medicus Casanatus , ne tamen in vllo deesse tibi videar , quandoquidem ex præscripto in patriam redire cogor , pauca hæc in ordinem diuinum in gratiam tuam memor beneficiorum tuorum , & quod principium preces præcepta sunt , redegi. Initium ab hora qua expergiscitur sumendo , quod in æstate sit gratia exempli hora sexta , scilicet more proprio à nocte media : primum explorandum an sufficienter dormierit id ex tribus habetur indiciis : primum est à debito horarum spacio , quod Galenus sexto de tuenda sanitate (cap. 5.) horarum existimat nouem. Nunc omissis omnibus disputationibus solum necessaria & clarissima & absque dubitatione in medium adducam. Quod si quis rationem reposcat , eam postmodum reddam. Igitur vt ad propositum reuertar : secundum signum perfecti somni est capitis leuitas & alacritas. Cum enim somnus fiat ad reparandum spiritum animalem qui in cerebro continetur manifestum est quòd spiritu animali reparato comode somnus cessat. Tunc verò necesse est vt caput alacre ac leue sit, & sensus ac mens negata reparatis spiritibus. Quod si secus homo se habeat indicium est etiam si horis debitis dormieric non satisfecisse somnum. Tertium indicium est à ventriculi coctione : nam cum ventriculum concoxisse senserit indicio est dormisse satis. Hæc enim est secunda vtilitas somni , scilicet concoctio cibi in ventriculo. Cum igitur nondum natura finem propriũ assecuta est , si antea cesset somnus non satisfecit. Porrò quonam pacto concoxisse se sentiet in ventriculo?id erit cum neque grauitas vlla in ventriculo nec ructus aliquis sed quasi vbi sit ventriculus penitus ignoret, leuem se sentiat. Quod si vel caput adhuc graue , vel ventriculum non concoxisse animaduertat , non surgat omnino. Sed vel dormiat vel quiescat saltem. Nihil enim proficere potest surgendo : nam si exerceatur , pessimum est, cum crudus adhuc sit cibus in ventriculo , hoc enim nihil est deterius , vt in libro de cibis boni & mali succi Galen. docet.Nec si quiescat quicquam proficiet. Nihil autem melius esse somno intelligat nec excogitari posse. Nam cum tribus maximè indigeat , bona coctione ne humor ille crudus abundet, & vt possit impinguari: somnus si quod aliud,coctiones iuuat , vt quarta Aphorismorum (Aphor.67(Galen. docet , ob id ad instaurandum corpus quicquam melius somno esse potest , & ad minuendam materiam quæ morbum facit.Hæc igitur duo quæ à coctione perfecta reparantur somnus exhibet, vt nihil melius illius diuturnitate esse possit nec excogitari : Horũ adduco plures hac in causa authoritates, quoniam cum sint innumeræ , & neque aliud Galen. dicat , primum quod somno vel hac sola causa prolixiori esset indulgendum. Secunda est totius corporis humectatio vt etiam habetur quinto de tuenda sanitate (cap.3. in principio) Manifestum est autem quod habitus hic senilis prorsus est, seu ad macilentiam respicias, seu ad humidi inutilis & crudi abundantiam. Tertia est quod omnia membra per somnum interius res suas reparant , dico pulmo & cor, vt ha-

betur in sexto de vulgaribus morbis (lib. 5. Com. 10. Et ideo concludo, quæ nihil sit illi melius somno prolixo, quem si non consequatur, quiescat, & si potest dormiat donec ventriculum liberum sentiat & sensus vegetes & caput leue. Vnum hic non possum prætermittere, quamvis præter ordinem, quod Galen. docebat Decimo artis curatiuæ dicens (cap. 11.) Si error vel minimus committatur in his qui exitiali morbo laborant omnia his subuertit: Sed si rectè & ad amussim omnia peragantur spes est sanationis etiam in deploratissimis morbis. Quamobrem id dixi quod multi cum medicinæ sint imperiti, sperant esse quædam auxilia ad tales morbos, quæ(etiam si quispiam nihil seruet eorum quæ præcipiuntur, sed duntaxat medicamen præscriptum sumat (possint sanare. Quod quidem verum esse non nego in his, in quibus vires validæ sunt, sed vbi fuerint profligatæ, caroque absumpta, ne Æsculapius quidem, nisi seruata in omnibus cum ad amussim regula, tales sanare possit. Accedit quod etiam in huiusmodi viris maiora etiam præsupponimus persæpe pericula quàm sint, vt non solum valida auxilia, sed neque mediocria audeamus experiri. Conabitur igitur reuertentes ad seriem singula vt debent & pro tempore fieri, describere.

Igitur vt ad rem reuertar, somno nihil melius est illi, vt qui etiam requiescere cerebrum faciat & reficiat ipsum, vt Galenus docebat primo de symptomatum causis(cap.8.) Et dum bene dormit sciat spem superesse sanationis, nec propinquæ mortis subesse periculum. Hácque sola causa quod satis bene dormit, ad hanc vsque diem superuixit. Quod si illum amiserit, vel errore medici, vel culpa sua, vel casu, intelliget sententiam nostram, quod absit, nimis veram fuisse. Igitur vt hoc de somno concludam, quærat somnum copiosum atque quietem vbi somnus non suppetit. Primum igitur quod quærendum est, est somnus. Neque enim sufficit scire quæ sint necessaria, sed quæ magis necessaria. Vt si contingat iacturam fieri, sciat quæ minus periculi ac detrimenti sint allatura.

Vbi quieuerit quod satis est aut dormierit, fricetur, frictio autem cùm hîc duos obtineat scopos: scilicet vt carne impleat, & vt materiam tum à capite tum à pulmone reuocet, in quibus hæ duæ intentiones concordant, in his oportet sequi regulam, vbi discrepant medium tenendum est. Igitur ordo talis erit vt in consilio de puero morbo comitiali laborante Galenus recitat (cap. 3.) Primum quidem crura, inde brachia, pòst pectus & venter fricanda sunt: Sed dum fricatur pectus, tunc duo etiam simul fricare debent & crura. Scio ibi Galenum docere vt à brachiis incipiamus, scilicet laborante solo capite. Sed cùm hic laboret pectus ne quicquam ad i lud deriuetur, tutius est à cruribus ipsis incipere post ad brachia ind ad pectus, sed cum pectus fricatur fricentur simul & crura. Adeò vt ibi Galenus quinque statuat qui hominem simul fricent dum caput fricatur, vnus dicit caput, duo pectus & ventrem & duo crura, quæ ratio tenere debet vbi in Celsitate sua pectus sit fricandum. Ea ratio docet vt caput dum fricatur etiam adhibeantur cruribus ita vt frictio crurium ante omnes incipiat, & cum capitis frictione quæ vltima esse debet finiatur. Atque hæc de ordine. Quòd verò pectus sit fricandum docet Galen. quinto de tuenda sanitate(cap. 3.) vbi vult quod membra debilia & infirma sint quotidie fricanda.

Modus autem frictionis medius sit inter omnino molle & durum, & in fine modica dura adhibeatur. Galen. hoc docebat & causam eius sexto de tuenda sanitate (cap. 8.) Nam ex illa dura clauditur cutis, ne calor possit exhalare. Modus autem fricandi est cum cutis contraxeris ruborem. Demum inungantur oleo Amygdalino dulci immixta pice, hoc enim Galenus ibi docet esse vltimum ad reparandas carnes in his qui gracili sunt habitu. Pectus tamen pice & oleo non est inungendum, sed oleo amygdalino dulci. Oportet etiam maximè iuncturas inungere ne siccentur, cum ibi sint solum membra sicca, scilicet ossa & cartilagines in senibus etiam docebat Galen. Quinto de tuenda sanitate (cap. 3. in princip.) oleum inunctum post frictionem carnes reparare.

Est mihi necessarium secundò ab ordine digredi, propter vehementem vtilitatem rei. Et est altera ex causis qua curari non potest, nam ex prima inueteratus est morbus, corpus extenuatum, dum Celsitas tua confidit posse solo auxilio medicorum, nec à negotiis vacando curari. Hæc quod cùm humida videatur hæc affectio, & tota plena humore crudo, siccis indigere existimatur, tum ratione quòd sicca humidis aduersantur, tum quòd à siccis videbitur iuuari potiùs quàm ab humidis: cum tamen Galen. sententia in quinto de tuenda sanitate doceat(cap. 8.) senes qui plurimis abundant pituitosis excrementis(qualia hic sunt)licet videantur à siccis iuuari ab initio, & illis iure sicca conuenire, ab eis tamen successu temporis irreparabili damno lædi. Ideo consulit perpetuò humidis vti, ob id igitur cum iam de senibus constet, in morbo facile celsitas tua tum ob experimentum, tum ob falsam rationem decipi posset. Error enim qui ab humidis prouenit paruus est, à siccis autem inemendabilis, quod intemperies sicca prorsus non curetur. Et ob id etiam diebus canicularibus pessimè habet.

Ex quo colligo quod falsa cura vt quæ fit per violentas purgationes, per abstinentiam potus omnino, & per sicca cibaria, videbitur illi vtilior, quàm vera, quam nunc tractamus, à qua primum necesse est videri prius lædi quam iuuari.

Tertium est (vt ad ordinem reuertar) vt facta frictione deiiciat aluum, & hoc sponte, si potest, vel si non potest, cum leui clysteri ex mercurialis succo vel decocto cum blito & cum oleo rosato quandoque, quandoque etiam violato & melle violato solutiuo, vel rosato, & modico salis. Denique vt sit clyster leniens & mitis, cum non sit spes hanc materiam per aluum trahendi: Et alio quin acres non possint nisi turbare corpus, & agitare materiam, & exsiccare, quæ omnia

sunt

sunt præter propositum. Quòd autem non possint trahere experimentum docet. Causa autem, ingenue fateor, mihi occulta est, cum in aliis etiam leuiora fecerint. Nec quis mihi obiiciat quod superius adeo clysterea laudauerim, quia ibi supposui quòd educerent: cum non educunt amittunt nomen & diffinitionem clysteris. Verum beneficium alui, vt docet Galenus in libello de enematibus (Sect. 1.) plurimum iuuat caput, & illud alleuiat. Et ventriculum expurgat. Et dicebat Auenzoar ad Regem scribens, quod lenitas alui conseruat hominem à quibuscúmque morbis. Et Galenus sexto de tuenda sanitate dicit, quod qui humorum crudorum abundantia vexantur, nullum vtilius præsidium experiri possunt ipsa alui deiectione. Hæc igitur ad horam vsque octauam finientur. Quartum est vt bibat ℥. i. aquæ suæ limatiarum vsque ad Drachm. ii. destillatæ cum radice altheæ, portulacæ foliis atque plantaginis, cum modico sacchari. Et sit aqua illa tepida & pro ientaculo. Quod si capiat eam etiam ante deiectionem nihil refert, dummodo non ante frictionibus. Inde pectat caput leuiter cum eburneis pectinibus.

Quintum est vt exerceatur in aëre libero, nisi sit omnino malus, iaculetur arcu, eat & inambulet, aliquid etiam alta voce legat, cum suauitate tamen. Et ideo dicebat Galenus. Quinto de tuenda sanitate (cap. 2.) Non exercitari autem imbecillas partes solis senibus persuadeo. Sit igitur exercitatio cum voluptate, & sit bene contectus pannis ac pellibus, citra omnem grauitatem. Diebus autem pluuiosis & flatuosis valde exercitetur loco à vento & pluuia remoto. Postquam verò diebus serenis fuerit exercitatus, reuertatur si placet cum equo. Sextum est vt singulis octo diebus lauetur caput lixiuio valde calido per spatium octauæ partis horæ antequam exerceatur, & post alui deiectionem. Et subito superfundatur aqua frigida in quantitate librarum paruarum quinque, inde siccetur cum linteis non calidis. Nec vereatur illius vsum, qui quamvis non iuuisse videatur vsque nunc propter materiæ abundantiam, & quia insuetus est lotioni capitis, attamen successu temporis confirmabit cerebrum: Sed non faciat nisi singulis octo diebus.

Septimum, quod est maximi momenti, est vt singulis diebus, cum exit è domo, deuoret grana duo masticis, inde dum exercetur masticet etiam alia grana ex eo, sed eligatur recens, albus & mollis, & faciet illum expuere maximam quantitatem pituitæ: & non comedat, donec senserit siccum ventriculum & os ipsa pituita. Et hæc est vera deriuatio, quia illa quæ est per nasum non potest haberi. Et licet aliquis posset dicere quod est super membrum læsum: dico quod membrum læsum est pulmo. Et si quis dicat quòd hæc est periculosa: Respondeo dupliciter: primo sicut dicebat Galenus (capite decimo.) Decimo Artis curatiuæ (illius sententiam ad verbum referre volo.) Necessarium arbitror Thucydidis consilium agentes aliquid vel periclitari. Ideò cum errhina nihil aut parum admodum iuuent, nec videamus quo tanta multitudo inflecti materiæ queat. Præstat tentare quam omnino certo exitio nihil agendo dimittere. Sed neque in hoc experimento leuis spes est, aut vllum periculum, cum possimus vt libet quando volumus nos retrahere: Et absque iactura. Persæpe verò imò maiori ex parte contigit in istis morbis adeò contumacibus, vt salus prouenerit vnde minus iure sperandum erat. Et ob id soleo omnia moderate experiri, vt nemo à multis annis de me conquestus sit, plures autem præter spem sanati sint. Propterea non omnibus datum est adire Corinthum. Itaque modo mastice, modo thure posset vti & glyciriza. Sed ego non amo nisi mastichen, quod plurimam saliuam confestim & absque labore educat. Nam nihil aliud meo nomine experiri volo.

Educta maxima quantitate sputi, hora nona prandeat cum qua si siccum os habuerit, comedat ab initio epar pulli vel testiculos cum gr. ii. Gingiberis aut tribus. Inde comedat panem suum iuri immersum, sed prius ius ipsum exprimat: inde bibat parum valde ad duas vncias vini albi odoriferi: Et post comedat de pullo asso vel elixo, & masticet optime & bibat parum valde & potest bibere vsque ad quinque vices, ita tamen vt non excedat in summa vntias decem vini. Et si potest minus satiat. Et valde bonum est in hoc casu colluere os ipso vino si nimis sitit. Vsus autem faciet vt paruo contentus sit potu. Nam potus fermè ex consuetudine pendet. Et hoc est octauum.

Nonum est vt à decima hora vel antequam iam pransus erit, quiescat ab omni negotio & deambulatione, sedeátque audiens iocos, videns ludere & musicam. Post duodecimam negociis incumbat, ita tamen vt ipse nullo modo scribat aut molesti quippiam audiat. Et hoc vsque ad quartam horam.

Ab hora quarta ascendat equum, & eat ad aërem liberum per horam, nisi tempus sit omnino malum, & habeat societatem gratam cum qua colloquatur. Et numquam deambulet nisi ieiunus & in mane. Reliquo tempore sedeat & quandoque etiam cubet super lectum vestitus dum audit causas. Et, vt dixi, duabus horis ante cœnam equitet, sed non se arcu exerceat. Hora septima non sit extra domum quia est crepusculum. Vndecimum est quod cœna debet esse vt prandium, sed aliquanto leuior, & non fiat nisi hora septima vt sit spatium horarum saltem nouem vel decem. Et vt appropinquat tempus accessionis, cœna semper sit leuior. Et vinum minori quantitate. Semper autem ante cœnam sumat cochlear mellis purissimi: nam ipsum aduersatur crudidati, detergit ventriculum lenítque pulmones. Et senibus maximè conuenit.

Sæpius autem cœna sua fiat ex lacte solo

caprillo

caprillo recenter mulcto & pane. Nam vsus lactis debet esse somno succedente, vt ratio docet & etiam Valescus de taranta & multi alij: licet quidam decepti à quadam authoritate principis (cap. de cura hecticæ) contrarium sentientes multos adduxerint in errorem, me reclamante. Et nunc viuit. Reuerendissimus Archiepiscopus Mediolanensis senex annnorum lxiiij. Io. Angelius Aricimboldus, quem honoris causa nomino, qui duas perpetuo aluit capras, quarum lacte multis iam ab hinc annis vsus, cum sit valde macilentus, fueritque semper: cui optimorum medicorum vsus lactis est persuasus. Itaquè nihil melius est ad reparandum vires & carnem producendam victu, ipso lacte caprillo Quinto de tuenda sanitate (capite septimo.) Melius hoc etiam est lac asinæ, de quo suo loco dicam. Quod autem lac diutius absque vtilitate sumpserit, meo iudicio, causa est, quoniam sumebat lac & in copia, vt non posset concoqui ante horam cibi, vnde auctis excrementis fiebat maior difficultas spirandi, à qua cor accendebatur, quo accenso corpus suum extenuabatur magis in dies quam aleretur. Et præsertim quod multum dabat & absque somno vel si somnus adhibebatur, erat brevis pro quantitate lactis assumpti.

Post cœnam vigilet dimidia hora aut ad summum vna, ita vt octaua hora vadat in lectum, vel octaua cum dimidia: Et possit quiescere in lecto per horas decem. Et dormire nouem si potest. Decubitus sit pronus & in aëre satis frigido, & caput laneo integumento leui & solido cooperiatur. Et in die modicus sit ignis in cubiculo, nocte autem nullus. Et si sit ex lignis erit melior.

Hæc igitur sunt vnius diei generalia præcepta communia. Restat vt dicam de diebus alijs primo quo ad tempora: Et sumamus primo tempus veris vel autumni, in quo est dies duodecim horarum & nox tantundem, tunc ibit cubitum hora octaua, & surget septima, & curabit se vsque ad nonam, inde nona exibit, decima reuersus pandebit, quiescet vsque ad primam à meridie, ideo bonum erit vt habeat exactissimum Horologium & grande, nam omnes principes in Italia habent & etiam plura & bona. A prima hora ad tertiam negocijs operam dabit vsque ad sextam, post cœnabit leuiore cœna ad septimam, inde, vt dixi, hora octaua cubitum ibit.

Tempore hyemis cum dies est nouem horarum, surget nona hora, curabit se vsque ad decimam: vndecima prodibit & exercebitur, duodecima prandebit, quiescet ad secundam, audiet rogantes vsque ad quintam, inde se recipiet: Et loco equitationis audiet legentes vel iocos, vel ludet, ita tamen vt non irascatur vllo modo, ludus enim conuenit exhilarando animum, sed vbi irascatur, nihil potest esse deterius. Imò dico quod omnes animi affectus læti boni sunt: Tristitia & ira mala sunt, sed deterior est ira. Hora itaque nona exacta cœnabit, decimaue, post horam ibit in lectum.

Pro tempore autem accessionis varianda est ratio: & est vt ab accessione neque cibum vllum omnino sumat neque surgat, & perfecte dimittat finiri accessionem. Et hanc puto fuisse causam cur sit afflictus multum in his accessionibus, quia in quibusdam sumpsit cibum nondum peracta tota accessione. Non constat quod ex tali cibo nocetur multum absque auxilio, & non solum nocetur pro illa accessione sed pro sequenti. Nam quod non iuuetur palam quia adeo prolongatur accessio & aggrauatur, vt quicquid vtilitatis habuerit ex cibo, id totum, & præter id etiam multum quo ad vires & pinguedinem & carnem, amittat. Quod verò noceat pro accessione præter experimentum est ratio manifesta: quia cibus ille adeo impedita natura non omnino concoquitur, & ibi manet & obstruit & grauat & impedit respirationem. Est etiam vnum aliud, quod pars illius materiæ quæ descendit à capite etiam peruenit ad ventriculum, & omnino impedit coctionem. Quod autem impediat & augeat sequentem accessionem ostendo, quia cum natura sit impedita, cibus ille trahente iecore propter calorem trahitur crudus, & etiam immixtus materiæ quæ ad ventriculum descendit, & ita impedit pro alio cibo succedente & male afficit omnino. Et hæc fuit causa principalis qua persuasi vti apophlegmatismis. Igitur pro tota accessione sufficeret modicum mellis & ius galli veteris purum sine aliqua additione. Et hoc propter diuersitatem magnam quam tempus accessionis habet. Vellem autem vt gallus in ℔.xxiiij. aquæ coqueretur vsque ad consumptionem nouem librarum, & etiam decem fermè absque sale. Peracta accessione fieret clyster certa ratione, ne quid ventriculo ingeratur donec quicquam ex materia morbi omnino in illo superest. Post accipiat vitellum oui cum granis ij. gingiberis & pane in iure infuso pauco, & colluat os vino solo. Post septimam horam poterit sumere copiosiorem cibum. Et hæc de cibo.

Quantum ad reliqua dum laborat sedeat in lecto, & in fine augmenti accessionis, non antè, dormiat ita reclinato capite, vt saliua effluere possit. Statim etiam cùm sentit accessionem, euomat cibum pennâ in os iniectâ. Nam ex hoc mirabiliter iuuabitur, & præsenti auxilio. Pòst statim applicentur vincula brachiis & cruribus cum loro molli, atque teneantur per quartam horæ partem. Inde ablata iterentur. Quod si posset noctibus suspectis parum aut nihil comedere in vesperi esset optimum, in mane autem melius comedere. Hæc auxilia sunt potentissima, & radix maxima curæ. Morbo declinante somnus prolixus & longissimus est vtilissimus. Fenestræ quoque maneant apertæ, & cum flabello & sine igne penitus.

Modus lactis asinini sumendi.

Tempore autem lactis asinini, notandum est quod ipsum debet assumi vel valde paucum, vel multum. Si multum purgandi causa, & tunc non oportet vt superdormiat, quia

quia cum ſit debile medicamentum nihil purgaret, imò natura conaretur ipſum alimentum tranſmutare, & cum non poſſet laboraret in irritum. Nam ſomnus execrationes retinet, ſecundo de victu in acutis (Com. vlt.) Si paucum, inuenio apud Auerroëm ſeptimo collectaneorum, menſuram eſſe quantitatem vntiæ cum quarta ab initio inde procedere ad ternas circiter vntias, & ſumpſit à Galeno decimo Methodi (cap. 11.) Sed in magna quantitate proceditur ad duodecim heminas. Quarto de victu in acutis (com. 19.) Hemina vntias habet octo, vt in libro de ponderibus à Galeno habetur. Vt tota quantitas ſit vntiarum X C V I. Sed in parua licet adhibere ſomnum, imò eſt neceſſarius. Dabitur autem hora ſexta vel vbi tempeſtiuius quinta à drachmis decem vt dixi vſque ad metam mediocrem & vt præſcripſimus ſufficiet ſomnus ad decimã vſque horam: tunc enim plane erit concoctus. Eſtque ſolus hic vere modus lac dandi vtiliter. Sic enim neque grauat, neque replet, neque corrumpitur: refrigerat, humectat, nutrit, pulmonem lenit, & ventriculum detergit. Quod autem eo in ſpatio concoquatur aliàs ex Galeno docuimus. Ab hora xi. curabitur clyſteri, frictionibus, exercitatione, & reliquis, ita vt exeat xii. panem cum teſticulis & iecore pulli comedet, vel iecur tantum & panem iuri infuſum: ita vt concoxiſſe poſſit hora ſexta vel ſeptima. Reliqua vt ſuperius dictum eſt agentur: ita tamen vt duas ſolas horas negociis impartiatur, hiſque leuiſſimis. Conſiderandum præterea ſi ructus moueat, vel ſi liquida deiiciat, quæ duo ſunt argumenta corrupti lactis. Alere præterea aſinam oportet auena & tuſſilagine ſpinoſiſque arbuſtis, qualia ſunt roſæ & rubi ſummitates. Ipſum vero lac biberè ſtatim mulctum ſic vt in cubiculum introducatur. Aſina vero humaniſſimè tractanda, & loco aprico & patenti alenda, & concludenda vbi non frigeat.

Cum vero aſſumet deſtillatam illam aquã ex decocto Indici ligni cum prouocantibus vrinam, ratio omnis victus ea eſſe debet quæ dicta eſt: Sed modus hic ſeruandus erit. Primum oportet illum purgare non exquiſite, neque enim tuto licet ſed cum caſſia vocata, & modico hieræ ſimplicis: hoc modo gratia exempli: Succi caſſiæ nouiter tractæ ℥.ſ. hieræ ſimplicis ʒ.iii. vel loco eius ſpecierum hieræ ſimplicis ʒ. i. cum ſaccharo fiat bolus: capiat ante cœnam. Prius tamen præparetur materia cum puro oxymelite cum cibo & ante cibum ſumpto. Sed quia hæc eſt ephemeris, ideo dico quod prima & ſecunda die capiet in mane loco aquæ limatiarum: oxymellis, ſ. ʒ. i. & cum cibo cochlear vnum ante cibum, poſt comedet pulpas pulli abſque iure cum pane & bibet modicum vini albi odoriferi. Poſt duos dies ſumet ante cœnam caſſiam.

Modus capiendi aquam diſtillatam.

Igitur mane ſequenti capiet ℥ ii. aquæ illius deſtillatæ calidæ, & cooperiet ſe optimè, donec vel ſudet vel mingat. Et hoc loco aquæ limatiarum, ſed capiet hora quinta: hora autem octaua ſurget & curabitur regimine communi, & ita vſque ad prandium. Prandium erit panis biſcoctus & pulpæ pullorum iuuenum aſſatorum, & de aqua illa quantum vult. Poſtmodum ſi non multum biberit, bibet hora quinta vntias v. & cooperiet ſe in lecto. Et accipiet calidiſſimam quam accipit loco ſyrupi: Sed illam quam accipit loco potus cum cibo (Hora autem ſeptima cœnabit) capiet frigidam, nihil iuris nihil alterius potus ſumet omnino, ſed erit cœna ad vnguem ſimilis prandio. Erit pellibus contectus, toto die nihil aget niſi confabulari: Si cœperit mingere plurimum, procuIdubio ſaluus erit: Si ſudare eſt aliqua ſpes ſalutis. Si neutrum, profectò erit dura omnino cura. Singulis octo diebus purgabitur cum eodem medicamento abſque Syrupo vllo ſeu oxymelite. Credat autem qui ratione vti vult, quod hoc eſt ſupremum auxilium, niſi quod quandoque in illa aqua quæ pro ſyrupo accipitur bis in die poterit infundi radix vna Apij inciſa infruſta. Tempus mingendi eſt inter diem XX. & XXIII. Ita enim experimentum docet, quo ſuccedente poterit, ſi nihil alind patitur, perſeuerare ad lx. vſque aliter ad xl. ſaltem diem. Interim verò vtatur magis etiam quàm antea & maſtichis granis ſupra dictis & aliis apophlegmatiſſimis, quia materiam crudam multum attenuant. Dimittere autem capitis ablutionem non oportet, ſed ſuo ſtato tempore lauare cum lixiuio & frigida etiam.

Nunc ſolum reſtat vt declaremus quod ventriculo aliquid ex priore materia continente, non poterit vnquam ſanari, niſi prius tota euacuetur quam quicquam edat: Dicebat enim Galenus quinto de locis: At quia coctionis opus in partibus ab ore inferioribus fieri nemo negat, neceſſe eſt hanc ipſam partem cum male diſpoſita fuerit cruditatum cauſam eſſe. Cum videlicet vel ob inordinatam alimentorum ingeſtionem aut multitudinem aut qualitatem homo concoquere nequit. Et rurſus quinto de vſu partium: Quidam cum tribus menſibus non concoxiſſet propter pituitam multam in ventriculo congeſtam, vomitu facto ex raphanidibus, curatus eſt. Reliquum eſt vt quatuor verbis omnia colligam: Hora igitur ſexta experrectus ſi non concoxit, quieſcat: Si concoxit, fricetur totus, primo crura, inde brachia, inde pectus & venter, inde caput, nunquam ceſſante frictione crurium molli linteo & frictione media ac ſuaui non concitata. Poſt pectus oleo amygdalino dulci inungatur: Reliquum ex oleo eodem pice addita. Poſt deiiciat aluum ſponte, vel clyſteri vel ſuppoſitorio. Et eodem tempore capiat ʒ. i. aquæ ſuæ limatiarum cum ſaccharo, vel parum ante. Inde pectat caput: Et hoc ad octauam vſque horam vel ante etiam, inde prodeat inter ſeptimam & octauam in aëre libro pedibus deambulando, ſagitandoque, & interim ſi errhina non omnino educere videantur, maſticet maſtichem, ſputum emittendo donec ſentiat ſiccum os, & grana duo deglutiat ſingulo die, & voce elata vtatur. Domum inde eques reuertatur. Hora nona

prandeat, sumendo prius pulli iecur cum granis duobus gingiberis, inde panem iuri infusum iure prius eiecto, & quasi expresso: Post alas pulli assati, bibendo parum & sæpius de vino albo leuique. Inde à prandio omnino sedeat vel super lecto recumbat ad duas horas integras, & habeat Horrologium pro hoc. Post per tres horas vsque ad quatuor scilicet inter tertiam & quartam à meridie, audiat quos placet: hora autem quarta perfecta prodeat bene pellibus leuibus contectus eques ad aërem liberum: hora sexta domum redeat, inter quam & septimam cœnet leuiore cœna quam prandio. Quippiam semper mellis ante cœnam lambendo. Et sæpe lacte solo caprillo cum pane, nihil vini bibens. Hora octaua vadat dormitum, decumbat pronus. Die modicus perpetuo è lignis interluceat ignis. Cubiculi fenestræ à sexta hora vsque ad duodecimam maneant apertæ, inde declaudantur. Nocte nullus ignis.

Vbi senserit accessionem euomat, inde ligentur crura & brachia, in fine augmenti dormire incipiat, sumat mellis modicum & ius galli purum sed non multum antequam dormiat, nec cibum ante clysterem: Primus cibus sit vitellum oui & modicum panis in iure infusi, cubiculum pateat & flabellum quasi perpetuo vt aerem frigidissimum possit inspirare adhibeatur. Edimburgi pridie. Idus Septembris anni 1552.

CONSILIVM LIII.

Victus Regimen pro Illustrissimo Cardinali Morono.

Diuiditur consideratio in fugienda, & agenda, seu eligenda. Quæ præcipuè fugienda, sunt vigiliæ, mala ratio victus, in cibo & potu, curæ, & alui durities. Vigiliæ extenuant corpus, & malam coctionem faciunt, corumpunt humores, & seipsas augent: pessimæ autem sunt, cum homo non dormit, pòst, cum non horis tempestiuis: tertio loco, quæ sunt cum somno interrupto. Et horæ somni sunt nouem, secundum perfectionem, aut secundum consuetudinem, vel iuxta, & debet esse somnus in cubili temperato, & locus, in quo dormit, mihi placet, & plus dormire debet, cum antea vigilauerit, vel cum oppressus fuerit curis, vel cum multum comederit, & plus solito: & cum non potest dormire, quiescat in lecto vsque ad secundam horam diei Et vbi aberrandum sit potius in multitudine, quam paucitate errare oportet: & si dormiat matutina hora, etiam melius erit in hac sua dispositione. Verùm primus somnus est illi magis necessarius, fugiat frigus, calorem vehementem, omnem laborem corporis, quo fatigetur. Melius est decumbere, quam sedere: & sedere, quam ambulare, & ambulare, quam stare. Vbi non dormierit, minùs comedat, & minùs se exerceat, non irascatur, non tristetur, non timeat. Id cogitet, moderationem affectuum prodesse sibi, & aliis, & Deo placere: discrutiari mente, vanum est, inutile sibi, aliis damnosum, sapienti turpe: qui res humanas debet metiri pro inconstantia sua. Et ideò à curis debet, quantum fieri potest, & laboribus, & audiendis contentionibus abstinere, si vult superuiuere: nam vel sic agendo, non erit facile, euadere à difficultatibus, & recuperare pristinam sanitatem, & bonum habitum. Sed præter omnia, cum dormire vult, ablegет prorsus omnes curas, & per quatuor horas post cibum assumptum, omnino nulli negociationi operam det. Hoc verò malum, eo deterius est, quod videbitur non nocere ei, & postmodum repente illum euertet, quod Deus non faxit.

Quòd ad lenitionem alui, illa est necessaria, non solùm ob purgationem sanguinis, & ventriculi, & intestinorum, & venarum mesaræi, & exonerationem iecoris, & quia fæces duræ lædunt locum: verùm magis ob id, quòd cum fæces durescunt necesse est, vt magno nixu expellantur: vnde ob eum materia impellitur ad locum: & hoc est semper malum, sæpe etiam periculosum: vt ergo aluus lenis sit, multa fuere commemorata auxilia, inter quæ aliqua non sunt tuta, licet sint certa, alia non sunt certa, licet tuta: videtur autem maximè obseruandum, vt ventriculus bene concoquat, & vt humores boni gignantur. Propterea malua, & brassica non videntur esse vtiles, quamvis sint certa: vuæ passæ autem sunt tutæ, sed non certæ: tutum ergo & satis certum est comedere mixta in cibis. Saccharum etiam lenit ventrem, & pinguia iura, & nihil est certum in hoc, quia cõsuetudo tollit vim lenentium: & propterea ego vterer cassia saccharo condita: illa enim non fallit. Clysteria quoque ex oleo, & melle irritant aluum, sed debilitant iecur: sine melle autem augent vlcus, & putrefaciunt illud, & propterea ego vterer clysteribus ex oleo rosaceo, & aliquando imponerem radicem sanamundæ, seu gariophylatæ. Quæ irritant, & non leniunt, nocent: vt sal, saccharum, clysteres etiam ex mulsa cum saccharo rubro: ita vt in mulsa decoctæ sint rosæ, lenit aluum cum modico olei rosacei: laudarem etiam pro lenitione alui, vt vteretur mirobalanis nigris conditis, aliquando chebulis cõditis. Et credo meo iudicio, quòd sint tantò meliores aliis omnibus auxiliis, quantò difficiliores inuentu. A iuribus abstinerem, & oleis: labefactant enim ventriculum, & oportet permutare auxilia, & ex paucis efficere multa per variam vicissitudinem. Verùm in hoc erimus præsentes, sed de his hactenus: posset, enim Romam ire. De ratione victus. Vitare primùm oportet omnia cruda, vt nulla sit exceptio in hoc, nihilominus quia cauere non poterit, quin aliqua edat cruda. Ideò in his oportet, tum in omnibus, obseruare quantitatem numerorum, & qualitatem. Ergo vuæ passæ, si bene mandantur, & maximè creticæ magnæ tenuis corticis, & sine arillis, sed non adeò leniunt ventrem, vt nigræ, & non vtatur xanthinis: sunt enim vt sorba, & pleraque alia meliora specie, quã re: tam enim sunt exsuccæ, quam mundiores: ambo genera, si benè mandantur, sunt vtilissima:

lissima: secus damnum afferunt, quia non concoquuntur: sed si concoquantur, vtilissima sunt: leniunt aluum, nutriunt iecur, emendant sanguinem, fraenant bilem. Post sunt menta, mellisophilon, bipinella, quae cruda edi possunt. Et ex fructibus aliquando ficus bene maturi, sed post diem ab hora, qua collecti sunt, & similiter vuae pendulae maturae, & pruna eius generis, quae vocantur mirabolana: ipsa enim prorsus carent noxa, si matura fuerint. Sed caueat ab omnibus prunis siccis, etiam coctis, sunt enim inimicissima ventricu.o De coctis autem primùm ex carnibus vtatur auibus, comedentibus grana, velut perdicibus, pullis, phasianis, columbis, etiam turricis, sed qui nondum expleuerint plumam, & valde coctis turdis, merulis, etiam coturnicibus: intelligendo per eas, quales caueat, a turture, sturno, & auiculis paruis: nam sunt pecuniae sumptae foenore, nisi cum aegrotaret, bonae etiam sunt gallinae Indicae, sed alae tantum: fugiat aues versantes circa aquas, aut in coenosis locis, aut paludibus, & habentes rostra acuta. De carnibus quadrupedum: vitulina in modica quantitate valde, & vt sit valdè tenera, fugiat omnes carnes agrestes: haedina elixa, & agnina assata: caro etiam ericij est mirabilis, & valde vtilis. Ex piscibus omnes Pelagij vocati, non solum petrosi, sed etiam gobij, asini, pasceres, hamiae, ambrae: praeterea sturiones iuuenes, quos vocant porceletas, & pereae fluminum: reliqua omnia, non solùm pisces, sed quae degunt in aquis, mala sunt, praeter iecora ranarum, sed etiam ab illis abstinerem: probantur iecora testudinum, & oua. De lacticiniis nullum bonum in hoc casu, nisi fortè lac asininum, sed loco medicamenti: de quo non est sermo hic. Ex conditis, quae fiunt cum saccharo artocreae, ex pistaciis bonae sunt. Item ex auellanis, sed valde bene attritae, & coctae, & albae, & colatae. Modum docebo, si oportebit: nam pauci norunt facere. Caueat ab oliuis, amygdalatum etiam est satis bonum, vitelli ouorum sunt etiam boni, sed non debent misceri. De leguminibus non est, vt habeatur sermo: de radicibus nulla est bona: de acetariis probant cappares cum vuis passis, & cinamomo valde bono: sapa etiam valde bona, acetum nisi exiguum & pro condimentis dimittat omnes cibos ex farina, & panis sit leuis, benè coctus, & fermentatus. Ex herbis probatur beta: inde attriplex, post spinachia. Satis dixi de boragine, flores etiam buglossae: Aromata nulla vtilia sunt, ferimus cinamomum, & crocum ante cibum, vel in medio cibi. Ex vinis optimum est maturum, album, tenue, odoratum: quod tamen difficile est inuenire propter dissidium leuitatis, & fragrantiae. Quae autem in summo prauitatis sunt, fungi, cucumeres, limunij, aqua cruda, multa, mala, anguillae, pisces lutosi, non squammosi, melongenae seupoma, insana, allia, coepae, porri, bulbi, seu quis vocet ascalonias coepas, portulaca, gingiber, piperis copia, sal multus, vel medio oris, paucus bonus est, cancri, cochleae. Declinant autem ad malum ostrea, chamae, & conchae, haleces: sed si recentes essent, laudari possent: sardae, & similia sale condita mala, minùs malae aquae. Valde malum est etiam potu multo vti vel multo melle, vel deambulare, vel equitare, vel carpento vehi à cibo, quin etiam stare, eo tempore, sicut & studere, scribere, exponere se alterutri crepusculo, maximè hyemis tempore, & autumni.

CONSILIVM LIV.

Victus regimen, pro magnifico Aemilio Maluetio.

PHilosophorum praestantissimi dicunt, Deum cuncta intelligere modo vniuersali: ideóque optimè, quod eiusmodi cognitio perfectissima sit, quamuis, qui eam experti non sunt, secus videatur: attamen res ita se habet, & quod vniuersalis cognitio pura sit, & aeterna, & immensa, & per causas: vt contra specialis confusa, obscura, incerta, & caduca. Iam verò maximè in hoc exemplo id optimè vnicuique, euidens futurum esse arbitror. Namque cum dispositio haec sit, humor crudus, tenuis, abundans, quem falso pituitam quidam appellant, familiaris senibus, non eius est generatio, qualem plerique putant, scilicet ab humida intemperie, quae pituitosum excrementum generare solet, crudum minimè: verùm quia circa hoc alij quidem dubitant, alij Galeni authoritatem exposcunt. Vt vtrisque satisfaciam, vna ratione operam dabo: etenim constat Galenum *prima Aphoris. com.* 14. & 15. dicere, calorem naturalem idem esse cum humido innato, eundemque causam esse omnis coctionis, eius defectum cruditatum. Si ergo cruda gignuntur à defectu caloris naturalis, & à priuatione humidi, fiunt sicca: ergo intemperies propriè non generat crudum humorem. Idem *in quinto de Tuenda sanitate cap.* 8. clarius, & *in libro de Tabe cap.* 3. senes *inquit*, cum siccissimi sint, plurima tamen excrementa humida gignunt. Vnde medici malè siccis opus esse putant: quinimo si coacti sint, vel medicamentis, vel cibis siccis vti, statim ad humida transire debent, vt noxam illatam corrigant. Idem post *in eodem quinto cap. vlt.* Calida & sicca intemperies, si plurimum excellat, tantò abest, vt melius concoquat, vt multò etiam deterius caeteris id possit, cum concoctio à calore humido, non sicco, fiat. Dinstinguendum igitur est, quoniam humida temperis plurimum alimenti humidi gignit, non crudi, sed imperfectè cocti, qui fame, laboribus, venere, vino, somno, in sanguinem, & bonum alimentum transeat: sicca verò neutiquam vtilis quicquam generare potest, vt vix Iuppiter ipse in vtile commutare ipsum possit. Est autem id triplex: nam siccum, vel cum calido immoderato iungitur, & sic excrementum humidum tenuissimum generat: verum quòd statim dissoluitur, & euanescit. Vnde opinio nata est falsa & perniciosa, calidam, & siccam intemperiem valde non generare cru-

dum humorem : quod falsum est : multum enim differt, si dicamus non generari crudum humorem, aut statim genitum dissolui. Quinimmo vidi homines, in quibus tanta fuit caliditas, & siccitas, vt nihil expuerent, nihilque emungerent, vt etiam de Antonia Drusi refert Plinius *lib. 7. cap. 19.* & quod magis mirum est, de tota gente Persarum: vt author est Xenophon. Memini me vidisse Paulum Canobium patritium Mediolanensem, virum septuagenario maiorem, qui per medios imbres, & niues rigidas, detecto capite ambulabat, non sine risu plebeiorum, nescio an ambitione quadam, an calore, & siccitate, vt ille, dum se excusaret, referebat, is tamen lapillos in renibus genuit perpetuo, & ex attonito morbo mortuus est: qui affectus non sine crudis excrementis gigni possunt. Interest autem inter non generare, & genitum statim absumi, quod qui non generant, benè, & rectè, & integrè valent, nec corpus dissoluitur: at si gignatur, & statim dissoluatur, nihilominus dolores, aut flatus, aut inquies sæpè hominem afficiunt, membraque laxantur, turbatur mens, ruitque homo, in senectutem delabitur. Reliquorum duorum modorum vnus est, cum siccitati frigiditas iungitur, tunc humor crudus, crassus, ac lentus generatur, si quidem frigidi est condensare: si vero caliditas siccitati iungatur: fit humor tenuis. Veruntamen neque membra pariter affecta esse possunt, vtpote ventriculis, tenuem, iecur crassam generabit: neque tempora, vt æstas, & hyems, neque ætates, neque constitutiones aëris, neque ratio victus, neque casus similia esse possunt, vt constantia generentur: quinimò modo tenuis, modo crassa, modò media, modò mixta ex vtraque, vt partes quædam tenuiores sint, quædam, vt ita dicam, crassissimæ. In vniuersum ergo causæ duæ sunt generationis crudorum humorum: imbecillitas caloris naturalis, & mala coctio.

Ex quibus sequitur, quòd quatuor sunt intentiones in huiusmodi casibus: quæ, prima est, vt humor non generetur: secunda, vt statim genitus dissoluatur, tertia, vt si dissolui non possit, euacuetur: quarta, vt si nec id liceat procuremus, vt minimum noceat, atque omnes hæ intentiones manifestæ sunt, præter secundam, quam medici, aut parum prospicientes, aut nimium ambitiosi, laudare solent. Vnde exercitium imperant, rem quidem præsenti saluti accomodatam, sed similem pecuniæ magno fœnore acceptæ, exercitium enim in huiusmodi hominibus, quandoquidem natura sicci sint, vt demonstrarum est siccitatem auget, & ideo calorẽ naturalem minuit, coctionesque debilitat, & auget crudum humorem, quem minuere distinaueramus. Vnde primũ, quamuis in præsenti melius valere videantur, vbi paululum iuterquieuerint ab exercitatione, statim offenduntur, deinde eo perueniunt, vt etiamsi exercitantur, offendantur, & sine exercitatione suffocentur: qua conditione nihil est deterius, senescunt ante tempus, & variis morbis opprimuntur, obcœcantur obsurdescunt, membra debilitantur adeò, vt breuiter dicam, exercitium non conuenit, nisi in natura humidis, quos licet dignoscere, quoniam pingues sunt, & carnosi, & bene cõcoquunt, dormiunt, non quantũ satis est, verum puerorum more plus satis, quam cõueniat, in omnibus viuaces, rubicundi satis sed non flammeo colore, voraces, inconstantes. Ergo tantum absit, vt huiusmodi exercitationem laudem, quin potius vehementer illam vitupero, cum qua, nec sine qua viuere fœliciter licet: & sine incommodo appello exercitationem pila ludum & armorum & talium, non deambulationem, quod si medicis non credis, saltem Poetæ fidem habeas, qui sic inquit.

Forsan quis obiiciet illud Hipp. *6. Epid. par. 4. Tex. 22.* Exercitatio salubris nõ saturari cibis, promptitudo ad labores, verum Hippocrates per exercitationem salubrem nullo modo intelligit vehementem illam pilæ minoris, aut mediæ, aut maioris neque armorũ, neque lucta, sed eam quæ conuenit ad excitandum calorem naturalem, & ad consumẽdum excrementa tertiæ coctionis, nõ autem secunda: illam enim, quæ duo habet ea commoda, non solum pueris, & adolescentibus, sed etiam iuuenibus, & senibus, imo decrepitis necessariam fore arbitror: cuiusmodi est optima illa fabrorum lignariorum, vnde nulli magis longæui huiusmodi viris inueniuntur, quosdam accepi ad centesimum quadragesimum annum accessisse: eiusmodi est etiam hortulanorum, sed non adeò salubris. Fabrorum lignariorum, multimoda, dolare, terebrare, secare, scindere, clauos figere, applanare, pondera eleuare, neque grauis, neque celeratio, nec quod tractatur, nisi salubre corpori, & ramenta, & schidiæ, sicca, & bene olentia, nec puluerulenta: cui succedit labor eorum, qui torno vasa fingunt: sed longe inferior, ac posterior hortorum cura, quod hi in libero aëre degant, & victu sinceriore vtantur, ad quod alludit pulchre virg. *in Moreto de suo Simulo:* Simulus exigui custos pauperis horti.

In vniuersum, dispositio vestra ad vnguẽ senili persimilis est: frigida, & sicca, intemperies cum aliquali caliditate iecoris, excrementis crudis multis, tenuibus, macilentus cum pauco sanguine, moderatus in moribus, & prudens, quietus: & ob id cura senum regi debet, eaque proferri vita poterit vltra triginta annos cum facilitate, vbi aliam viam ineamus, & communem, vix poterit protrahi vita per decem annos integros. Illud mirum satis est, quòd si quis nos malè curet, etiamsi in vltimo senio simus, aut alia conditione, superfuturi tantum per annum, aut per duos annos, eum medicum, qui sic peccat, tanquam imperitum abhorremus, & fugimus, detestamurque grauiter, cum tamen iactura errati illius tam parua sit in his, qui tam grauiter delinquunt, vt eorum facto maxima pars vitæ pereat, atque optimæ, & dulcissimæ ac honestæ nullã curam adhibemus, non eos fugimus medicos, multóque minus damnamus, ô insaniam humanam, id euenit longa consuetudine multo pluris æstimandi præsentia, contemnendique futura, tanquam fieri possit,

vt

vt id tempus numquam eueniat. Sed si hæc ratio exercitationis non moueat quempiam, illud cogitet, quod a Galeno præscriptum est, *quinto de Tuenda sanitate (cap. 12.)* Porrò attendendum diligenter est, cum ex segniore vitæ ratione ad exercitationes se transferunt: illico enim fluxionum tentantur morbis, nisi priùs sint vacuati, quàm exercitationes adeant. Quicquid enim in corpore concretum, & crassum in humoribus fuerit, aut etiam modicè frigidum, id statim in spiritum vertitur, ac funditur. Itaque etiam verè tales naturæ maximè his morbis patent, qui ex plenitudine oriuntur: quales sunt, cynanchæ, destillationes, quos catarrhos vocant, hæmorrhoides, sanguinis profluuia, articulares morbi, ophthalmia, peripneumoniæ, laterum compunctiones, reliqui denique omnes, quorum genus est phlegmone. Quare etiam occupare per veris initium sanguinis detractione: oportet autem per incisam venam, aut scarificandis malleolis. Quòd si ita inaniri recusent, purgando medicamento sunt non simplicis facultatis, sed quod trahere, & flauam bilem, & pituitam, & serosa excrementa possit. Eant modò, & laudent suam præclaram exercitationem quam Galenus in huiusmodi hominibus, qui pituita abundant, adeò damnat: quo fit, vt filius vester non alio magis prematur, quanquam ego, antequam cogitarem de hoc, perlibenter concesserim. Docuit nos exemplum temporibus nostris Aloysij Cornarij patritij Veneti, qui ad XCVIII. annum peruenit, cum esset imbecillissimæ naturæ: non vsu exercitationis, verum continentia victus. Sed & exempla veterum Sanctorum, & Philosophorum, quorum plurimi secundum sæculum ingressi sunt, non suadentes, aut pila ludentes, sed summa vitæ moderatione, & continentia. Quòd sit tot exempla non mouent, ratio cogat: si quis exercetur, plurimùm edere ac bibere cogitur, aliter corpus contabescit, ac siccatur: si comedat, non concoquitur à calore imbecillo: quod etiam si concoqueretur, fieri non potest, vt in omnibus membris ex sola exercitatione calor æqualiter augeatur. Si dicas, calor augetur tantò magis, quantò etiam copia cibi, & appetitus? hoc sanè si fieri posset, proculdubio daretur retrocessus in ætatibus. Hæc egi pluribus, non tam quòd res hæc conuersa esset, sed vt ex horum intellectu perfecta ratio instituendi vitam, & causæ talis institutionis cognoscerentur.

Dico ergo, quòd cum omnis mala consuetudo, quæ vitam abbreuiet, sit permutanda, etiam in quacunque ætate, & maximè consuetudo, quæ est contra naturam ætatis, quòd hæc consuetudo proculdubio est immutanda à nobis, propter iacturam vitæ, à filio longè magis, & propter iacturam vitæ, & quia mutatio in eo facilè fieri potest, nam quatuor sunt genera consuetudinum malarum, & hæ omnes in pueritia, & in adolescentia permutari debent, nisi obstet seruitus, aut magistratus, aut studium seu ars: post adolescentiam autem vna est, quæ dicitur anceps, aut consuetudo comedendi allia, & cœpas, & legumina: & hæc non debent mutari, vbi homo bene valeat, quia ex consuetudine iecur, & ventriculus adeò bene concoquunt, & etiam, quia videtur, quod nunquam recepit detrimentum ex hoc, vt sit naturæ eius proprium. Et talia habent omnia specialem vtilitatem: ideo non debent permutari. Secundum genus est, quod manifestè lædit, non tamen abbreuiat vitam, sicut est comestio multa in mane, stante debili virtute ventriculi, aut in homine negotioso, vel laborioso. Et hæc vsque ad quadragesimum annum debet permutari, sed sensim, & paulatim: post quadragesimum autem annum, & longè magis prope quinquagesimum est retinenda, quia maior iactura est, & periculum in mutatione etiam sensim facta, quàm perseuerando. Tertia est, quæ consistit in actione contraria naturæ: verùm quæ non mutetur actione ætatis, velut esset, ire cubitum tarde, inde surgere quarta diei hora, aut quæ consistit in non agendo, velut esset ieiunare semel in septimana, aut semel in die abstinere à pinguibus, & valde parùm comedere, aut prorsus non bibere, & hanc consuetudinem, vbi sit contraria vitæ, manifestè possumus tamen retinere, quia ex cursu ætatis non indicat de sui mutatione. Vnde vel retinere oportet, vel leuiter immutanda est, & valde sensim. Quartum genus est eorum, quæ obsunt vitæ, & ex natura ætatis ingrauescentis relinqui solent, vt exercitationes, venus, copia vini, ciborum multitudo, vigiliæ præter rationem, & violentæ: talia enim obsunt vitæ manifestè, velut & curæ graues, tollerantia caloris, & frigoris. Et cum hæc solent relinqui ab omnibus hominibus etiam sine aliqua curauit: sed sponte, & natura id exigente, saltem in extrema senectute. Ergo omnis bonus medicus, & vir prudens, etiamsi non medicus sit, debet relinquere talem consuetudinem: tum quia manifestè repugnat naturæ humanæ, cum non possit perferri in aliqua ætate, quæ tamen est secundum naturam: tum quia videt, quòd in extrema senectute talis mutatio perfertur sine incommodo vllo. Ergo magis in ætate validiore ob robur virium: & etiam quia consuetudo non erit adeò diuturna: est enim minus longa procul dubio, quæ peruenit ad primum senium, quàm quæ ad secundum, & multò minùs, quàm quæ ad tertium, & finem vitæ: vt tamen mutetur quælibet consuetudo in ætate senij, indiget diligentia, vt sensim permutetur, & loco eius restituatur illud, pro quo consuetudo videbatur necessaria. Ergo vtilitas, quæ habetur ex exercitatione illa, vt dixi, triplex est. Prima est, vt calor excitetur: secunda, vt excrementa tertiæ coctionis exhalent: tertia erat dissolutio excrementorum abundantium, in qua bifariam peccabatur manifestè. Primùm excernendo excrementa illa per loca non opportuna, ex quo sequebatur periculum ingens mortis repentinæ contracto abscessu, aut obstructo membro, aut generando lapidem in renibus, vel vesica, vt ex doloribus sequatur mors, aut traducta materia in substantiam membri necessarij vitæ, velut in cerebrum, vnde morbi attoniti periculum, aut destillationis: aut in ventriculi substantiam, vel iecoris, vt sequatur hydrops, vel vt accendatur febris:

ſicut vidi in quodam iuuene macilento, dum ego eſſem adoleſcens, qui vocabatur Hieronymus, & ipſe is cum optime luderet pila, & ad admirationem vſque vt ſibi gauderet, ab aliis laudaretur, paulò poſt hecticus mortuus eſt: & medici dicebant, id ei contigiſſe ob aſſiduum ludendi vſum. Sed medici noſtri temporis non animaduertunt niſi immoderatos exceſſus: cum tamen longè plures pereant, quàm ex immoderatis, quia pauci etiamſi velint, ad illos peruenire poſſunt. Et tamen ex moderatis exceſſibus in mediocri robore virium homines ita pereunt, ſicut ex immoderatis, qui ſunt natura robuſtiſſimi, & ſicut homo perit ex morſu canis rabidi melitei, non minùs quàm moloſſi, licet aliquanto ſerius, ita & in hoc caſu. Secundum commodum falſum tertiæ vtilitatis eſt robur, quod acquiritur in membris, & viuacitas, & appetentia cibi bona, vt ſibi videntur. Cuius loco ſequuntur duo maxima incommoda: vnum eſt, vt dixi, conſumptio humidi innati, & ex conſequenti caloris naturalis, cuius ſubſtantia eſt vna, & eadem ex nimis longa exercitatione: contabeſcit enim calor naturalis, & exiccatur, & corpus macreſcit. Illud verò, quod pro commodo ducitur, ſcilicet apparentia illa egregia cibi, eſt incommodum, vt dixi. Reliquum igitur eſt, vt tota conſideratio in quatuor partes diuidatur. Prima eſt, vt calor naturalis excitetur. Secunda, vt excrementa tertiæ coctionis diſſoluantur, & exhalent: quæ duo de ambulatione, & frictione, ac labore conſequemur. Tertium eſt, vt excrementa ſuperflua non generentur. Quartum, vt genita (nam fieri vix poteſt, vt vel ſic non aliquid ſubterfugiat, quod eiici deberet, & non aliquid plus etiam debito generetur, tum maximè, quòd neque in abſtinentia nimia peccare debemus, iuxta Aphoriſticum illud 1. *part.* 5. *In tenui victu ægri delinquunt*, neque in exercitatione par ſit metam excedere, ſed potius debeamus infra ſubſiſtere, iuxta Principis *dictum* 4. *d. cap.* 3. quàm exquiſitiſſimè euacuare materia euacuetur. Verùm opus non eſt, vt iam amplius de his afferam demonſtrationes, ſed ſimplici, & ornata traditione vtar. Verùm priùs admonebo de vno quod eſt neceſſarium ſcitu, ſcilicet, quòd exercitatio ſtatiua, velut fabrorum, maximè lignariorum, eſt longè ſecurior, & vtilior, quam curſiua, vt pilæ, luſus, aut athletica, imò ſtatiua etiam, quòd ſit ad ſudorem vſque non ſolùm tuta eſt, ſed etiam ſalubris: quoniam non diuellit membra, nec concutit viſcera, & cerebrum, nec accendit calorem cordis, ſed extrema incaleſcunt, manente pectore, & corde ſine calore externo, & anxietate. Et ideò dolare ligna, & leuigare chartam, & eiuſmodi, quanquam ad ſudorem perducant, non mutato ſpiritu, vtilia ſunt, ſed ad inſtitutionem deuenio. Primum ergo cum ſurgit à lecto, habeat beneficium ventris, vrinam deiiciat, poſtea fricetur cum linteis totus capite excepto, & ventre, inde emungat nares, & ſi ſaliua abundet, expuet illam, demum deambulet longa deambulatione, vtpote eundo ad ſanctum Michaëlem extra vrbem, & eat eques, reuertatur pedes, non ad ſudorem, ſed ad calorem moderatum, non ad fatigationem, ſed ad animi alacritatem, non ad mutationem anhelitus, ſed ad liberiorem reſpirationem, cordiſque refrigerationem. A prandio non exeat domum vnquam pedes: ſi cogatur quanto ſerius modo ante crepuſculum per mediam horam ſaltem, tanto melius pannis intogatus ſemper leuibus, & cum domum reuertitur, grauioribus vtatur, ſint tamen veſtes quæ frigus omnino arceant, & aures concluſæ, ſi fieri poteſt cum domo exire licet, propter niues, ventos, imbrem, aliámue cauſam, partim ſub porticu longa deambulet, partim poliat aliquid alternis manibus vehementer comprimendo per ſpatium mediæ horæ, ſicut vna hora totum abſoluatur, modus eſt vt ſummis nitatur viribus, & tamdiu donec cum voluptate id agat, nec tædio afficiatur, aut quaſi laboret contra voluntatem. Memineris tamen ter aut quater in anno exerceri oportere, ſi metuas ne quandoque cogaris iuxta illud, oportet igitur ad inconſueta tranſire: at hoc non vt bonum eſt eligendum, ſed maioris mali metu aut periculo. Cæterum vt ad rem redeam, ſoleo ego etiam brachia alternis manibus fricare, ambulare ſub tecto contentis brachiis, ſtrictis pugnis eundo & redeundo, vt abſoluam mille paſſus. Hæc metam certam non habent, modus habetur ex ſomno: nam diuturnus & non interruptus longiorem & firmiorem poſtulat exercitationem, plus cibi, inde potus: contra omnia ſi ſomnus ſit breuis, grauis, horridus, turbatus, longitudo ſomni horæ nouem, ſeptem, ſaltem quinque ſunt neceſſariæ; à nona ad decimam voluptati aſcribitur, plures deſidiæ, & morbum gignunt, aut ex morbo fiunt. Æſtate & hyeme in domibus & cubiculis à terra altioribus: ſed hyeme mediis æſtate ſupremis, & patentibus ad orientem & boream, ita tamen, vt perflentur in aduerſam partem. Ob id venti obſeruandi ſunt à menſe Septembri, vſque ad menſem Aprilis, occluſa ſint oſtia & feneſtræ, niſi cum ſol exoriens locum illuſtrat, aut circa meridiem duabus horis ventus ſalubris perflat, ignem accendere cum thymiamate, bonum, loca præterea aprica, læta, fronde vmbroſa, ſilenti aëre, aut aura perflante, ad valetudinem conferunt. Præterea dormire ſuper goſſipium in hyeme, non ſuper lanam aut plumam: æſtate ſuper ſerici ſtupam, laudabile eſt. Venus non niſi cum vrget, vtilis eſt, aliter incommoda. Euacuatio fæcum eiuſmodi ſit: Capiatur manna, & diſſoluatur in iure pulli reiectis omnibus excrementis, tam ſuperioribus quàm inferioribus, & bibatur, ſed longè melius eſt vua paſſa benè lota cum aqua, atque in eadem infuſa ab ℥. 1. ad duas ſtatim ante cibum. Mercurialis etiam cocta cum carnibus bona eſt, & ius ipſum ſimiliter, & mater violarum, ſuppoſitorium ex grano ſalis, vel ſacchari candidi, vel radix betæ idem poteſt. Aliud optimum habetur: manna, quæ tota diſſoluatur, vt nil excrementorum maneat, neque in imo, neque in ſuprema parte, & de hac comedat ℥. 1. ante cibum, vel ſi hæc haberi non poteſt, lauetur manna, vt dixi, diſſoluta in aqua pauca, deinde ſiccetur paulatim ſuper cineres, & ſeruetur ad vſum. Vltimum

mum est mel rosaceum rectè præparatum,& ex bono melle & rosis solidis, quantitas non vltra. ℥. 2. nam si rectè confectum fuerit, operabitur pro necessitate: si malum quanto plus acceperit, tanto deterius, terebentinam, & aloen sciens: volensque dimitte: altera lædit ventriculum, altera nocet extenuatis. Quòd ad cibos & potus deligenda sunt quatuor, qualitas, quantitas, opportunitas & præparatio, de quantitate igitur primò dicendum esset sed eam definire non possumus, nisi definita qualitate: quia ergo minus nutrire instituimus. tum quia minor est calor (neque enim aduentitij quicquam è superflua exercitatione) tum vt vitemus excrementorum multitudinem, ideò oportet, vt vel minus assumamus in quantitate, aut quod minus nutriat, aut quod citius resoluatur à calore. Primum & tertium non conueniunt: nam diminuere valde quantitatem præsertim in puero duo incommoda aut saltem pericula afferet. Galenus autem docet *In lib. de Prædict. ad Posthum. cap.* 2. in magnis viris non solum noxia, sed etiam quouis modo metuenda vitare oportere. Ego autem non solum in regibus & illustribus viris censeo, vt Christianus, sed in omnibus idem esse faciendum, cum ergo periculum sit, ne ventriculus iam debilis debilior victus attenuatione reddatur,& calor naturalis accendatur, quæ duo pericula maiora etiam sunt in puero: propterea neutrum eorum illi conuenire existimo. Transeundum est igitur ad secundum,idque est, vt paulo minus cibi assumat: verum quòd non adeò nutriat, velut panis, fercula cocta, non tamen multum aquosa, vuæ passæ, amygdalæ, & qui confieitur ex his, vocatur marciapanus: similiter auellanæ, pistacia, olera, non mali nutrimenti pisces petrosi, carnes hædinæ, quæ valde bonæ sunt: nam parum nutriunt comparaticne aliarum & agrestium animalium, cuniculi, quanquam humida sit: ericij,leporis,capreoli: sed etiam cerui, si concoquatur, optima est, apri iuuenis, sed friabilis, & assata reliquorum in patella: nam assatæ nimis siccæ, elixæ,quicquid boni habent,in ius transmittunt. Vocant ergo huiusmodi præparationem pastillum & est,cum sicca est:& subtexta,cum humida est, sicca ergo conuenit apro castrato, & cuniculo,humida lepori, apreolo, ericio: carnes quoque auium,vtpote pullorum,turturum,coturnicum,columborum, turdorum, sturnorum,omnes bonæ sunt: ita vt seruentur hæ quinque conditiones. Prima, vt sint mediocris quantitatis: vnde caro carduelis, vel passeris non sunt idoneæ,quia nimis paruæ aues: nec pauonis, quia nimis magna. Secunda, vt vescatur granis: vnde anseres, & anates, & similes reiiciuntur. Tertia, vt sint iuuenes & maximè columbi,qui debent edi,antequam perficiant plumas, ob id capi veteres boni non sunt,& ob magnitudinem, & ob senectutem. Quarta, vt sint nutriti liberè: ob id nec columbi nec capi, nec coturnices educati in cauea idonei sunt. Quinta, vt sint optimè cocti,& præparati,& hæc de cibis in genere: particulatim autem bona sunt cichorium, endiuia viridis, non alba, buglossa, fœniculus, borago, menta, rosmarinus, sed benè coctus: est enim durissimus, omittatur petroselinum,& omnia legumina: omnes cibi ex farina, panis madefactus in aqua, postmodum vino superiecto, aut torridus super prunans, ex vino sumptus, sed sit leuissimus, fermentatus, & coctus, omnes radices, præter cichorium valde coctum sub cineribus. Ex fructibus,aliquando licebit degustare vuam,ficum, pruna, persica, omittat castaneas, & omnes cibos ex lacte, si non haberet caput lactis bonum: dimittat etiam omnes pisces non squammosos, & coquantur omnes in patella sicca. Ex aromatibus nihil melius, maci, seu macere dicunt quidam: potius sit vinum in puero quod vocant loram, vulgariter meschiado: sed tamen clarum. Pater sequatur consuetudinem suam: præterea potest comedere mala punica post cibum, vel pira, vel cotonea cocta, vel cotoneum ex saccharo conditum. Et cum fames fuerit superflua propter exercitationem, non tamen plus edat, sed lentè edendo cessabit, non bibat à cibo, etsi parum biberit, erit melius: etsi puer biberet vinum nigrum clarum forsan vtilius ei esset: & à cibo non se exerceat, nec deambulando. De curis: Animi tristes omnes contabefaciunt corpus: sed magis post prandium, & magis etiam post cœnam, & quando est in lecto. Cibos non assumat nimis calidos, neque potus refrigeratos,vitellos ouorum cum sumit,neque carnes, neque pisces edere debet: caseus solus admittitur, qui primus est, & mollis habens butyrum secum admistum. Hic maximè conuenit ventriculo, sed omnino recens esse debet, & quam paucus, & minimè salsus, & gustu,ac sapore iucundus, & ante cibum omnem, etiam ante oua, optima est enim medicina ventriculo, vt nihil melius ex partibus animalium, iecora, & ventriculi: sed benè cocti, & sine tunica vtraque auium, & ventriculi piscium, & cauda, & dorsum in magnis, & venter in magnis meliora sunt. Reliqua reiicienda, in auibus, alæ candidæ: in quadrupedibus pedes vitulorum,& iuuencorum: sed cum sale, & aceto bene cocti, vtiles sunt: saccharum præterea,& mel,& oleum probantur: oliuæ malæ: aceti parua quantitas, tam bona est,& vtilis, quam multa noxia, præterea cancri, limaces, & testudines bonæ sunt: sed quæ non multo igne molles redditæ sunt, & neque strident sub dentibus, quasi terreæ,neque laborem afferunt edenti. Debent tamen cum sale, & aceto, & rore marino præparati: hæc enim tria in omnibus probantur: tum vuæ passæ oleum, & vt dixi, macis. Ranæ mihi suspectæ sunt, propterea omitterem eas.

De præparatione multum refert: sed breuiter dico quod omnia debent esse valde cocta: & in hoc oportet maximam diligentiam, & ideò assata sunt meliora, & cocta in patella, & frixa etiam. Et generaliter, omnia coquuntur in seipsis, præterea quæ elixantur: nam illa reddunt vim omnem extra se: ideo nunquam possunt bene coqui; nam si diu coquantur, & multo igne, quanto magis coquuntur, eò magis redduntur

excre

excrementosa inimica coctioni, deterioris succi, & minùs alunt, quanto minus coquuntur, eo sunt insuauiora, & praua: igitur elixatio omnis mala est, præterquam eorum, quæ sunt mali succi, velut caulium: nam caules nullo meliori modo possunt præparari, quàm per elixationem. Et eodem modo rapæ: sed ius abiici debet: & ita porri, & cæpæ, cucurbitæ: nam & harum prima decoctio abiici debet. Vnde malè agunt, qui talia in tortas distribuunt: sed deteriores sunt cœpæ, & caules, seu frixi, seu in patella sicca assati, vt quidam facere solent: edulium suaue sanè, sed maleficum ex allio, caulibus, nucibus, & oleo, ac sale: secus verò præparata, possunt edi. Brassica autem, non solum vtilis est, sed & primum ius illius, & maxime filio, & quantum pertinet ad principalem morbum, est salubris non parum, quia deiicit per aluum, & nullum habet cōmertium cum vrina. Frixa vero generaliter omnia mala sunt, assata super prunas, præter pisces, sunt valde duræ concoctionis, Iurulenta debilitant ventriculum: ideo nihil melius coctis in patella sicca: secundo loco sunt, quæ in veru assantur, modo sint perfusa pinguedine: omnia præterea. quæ assantur in veru, debent coqui multo igne, & flamma, & breui tempore, & celeriter circumuerti, & non debent esse valde crassa, nec admodum tenuia: quæ autem coquuntur in patella sicca mediocri igne & tempore. Meta omnium est teneritudo, iucundus odor, & bonus sapor, & vt caro perfectè sit dealbata.

Et si quis obiiciat, quòd tot obseruationes videntur esse graues, & negotiosæ? respondeo, quòd non, si quis respiciat ad ea, quæ debemus facere, paucissimis præceptis continentur: sed si ad ea, quæ vitare debemus, sunt multa. Sed hoc contingit in omnibus negotiis: nam si quis dicat, domus tua est prope ædem B. Iacobi, vno verbo rem absoluit: sin autem dicat, est prope ædem non B. Petri, non B. Mariæ, non B. Petronij, & ita de singulis, quibus procul abest. Quis dubitat, quin non futura sit oratio penè infinita? sed aliud est in hoc casu docere, quia teneor ostendere, quæ plurimum obsunt, & hæc multa sunt: at ille, cui scribitur, solum debet eligere, quæ sibi imperantur. Ergo omnium præparationum pessimum est quod exustum est, & quod crudum, optimum, vt dixi, valde molle, candidum, bene odoratum & boni saporis. Quo ad tempus, certum est, quod solum bis in die edere conuenit, & quòd saltem nouem horas interponere debemus: an verò magis in prandio, anin cœna. De puero, melius est, vt plus in cœna, propter motus inordinatos, & imbecillitatem ventriculi, de vobis autem determinatum est, quòd in hoc casu debetis sequi consuetudinem, postquam si esset detrimentum, esset secundi generis. Palam autem est, quòd cibus quantò simplicior tantò melior & propterea antiqui etiam in conuiuiis Principum optimorum velut Alex. Mammeæ non vltra quinque genera eduliorum in mensam afferri patiebantur: ad salutem autem non vltra tria ferculum scilicet, & duo genera carnium. Nota autem sunt quæ dissident inter se: pisces & caro generant febrem pestilentem: pisces & lac generant elephantiasim: pisces & caseus generant scirrhos in iecore, & lapides in renibus, & vesica: caro & caseus generant hydropem lac & vinum generant choleram, & febres, fructus post cibū generant febres: fructus ante cibum copiosi generant diarrhæas: pepones & cucumeres duri generant febres pestilentes, nisi statim deiiciantur: oua cum carne generant vermes, & putredinem in ventriculo: olera cruda multa, & maximè syluestria, febrem prassinam, & vomitus: alba ouorum cum leguminibus generat lapides, & scyrrhos: legumina non bene cocta dolores iunctarum: pinguia post cibum nauseant vina potentia cum carnibus auium pinguiorum, & maximè qualearum, generant podagram: vinum à cibo, & maximè meracum, & præcipuè post cœnam amaritudinem oris facit, & fœtidum reddit eius odorem: sed & astrictam habere aluum, causa est fœtoris oris non dubia: vinum præterea bibere multum, & multa oua edere, attonitum generat morbum, aut paralysim: omnia præterea marina parui, aut nullius motus, veluti ostrea, clamæ, conclæ, astaci: paguri locustæ, sed præcipuè mææ è eancrorum genere, generant lapides: idque magis, si cum carne, vel caseo edantur, fungi difficultatem spirandi creant, cœpæ & fabæ turbant mentem: omnia legumina, sed præcipuè lentes, cœpæ, caules, lactucæ, sal multus, habetant visum: venus quoque à cibo & vētre pleno, & vsus multi olei, efficiūt entero cellem: atquæ quoque crudæ hernias efficiunt, & gulæ tumores illos, quos bocios vocant, qui sunt è genere athoromatis, aut meliceridis. at quæ fluunt turbulentè, lapides in renibus, & vesica: stagnantes autem & lapides, & hydropes, & malos habitus, & morbos regios, & hæmorrhoidas efficiunt: constat sanè, optimam esse pluuialem cum cocta fuerit: idque omnium consensu, tum maximè Bononiæ vbi cum cæteræ inutiles sint, quæ ex Rheno habetur, lutosa est, & turbida, Præterea edere, cibo priore non perfectè concocto, generat lapidem, abscessum in iecore, diarrhoeas, tumores splenis, & durities, & febres acutas, ac diuturnas. Somnus etiam diuturnus appetitum debilitat, abscessus, & febres, & morbos articulorum, & neruorum gignit, & malum habitum, & fœdum colorem.

Cum verò materiam iam congregatam purgare volueris, accipias ex medicamento infrà scripto ℥. j. pro filio ℥. ß. Rec. trochiscorum de violis sine scammonea, optimè confectorum, & recentium, ℥. 1. mastici candici, & mollis ʒ. ß, ligni visci quercini recentis, & siccati in furno, & redacti in pollinem ℈. 4. Smaragdi orientalis ℈. 2. moschi optimi g̃. 3. croci orientalis ℈ ß. gariopgylorum tenuiū ℈. 1. terantur omnia subtilissimè, & maximè smaragdus, & cum syrupo rosaceo purgante fiat massa pillularum, & seruetur in charta pergamena inuncta oleo de glande vnguentaria, & charta ponatur in vitrea pixide.

pixide. Quòd si hoc medicamentum ad manus non esset, sufficiunt idem pastilli de violis, optimè facti sub pondere ℈. 4. & pro filio 2. & redacti in bolum cum almuchari rosaceo optimo, & modico sacchari, & vsus tam horum, quam præcedentis medicamenti non debet esse, nisi post duos menses à confectione. Et non exhibeantur, nisi necessitas cogat à medio mense Iulij, vel circa, vsque ad decimam Augusti: neque etiam à medio mense Decembris, vel circa vsque ad decimam Ianuarij: & ita pater diu viuet, nisi vis exterior obstet, & puer sanescet.

CONSILIVM LV.

Pro dolore vago.

CVm iam alias non pauca consilia condidissem, amicorum laborantium precibus persuasus, eaque omnia, vt qui nihil minus quàm quod posteris mei memoriam relinquere posse sperarem, Christophoro Cribello tradidissem, medico & amico meo: morte illo nobis subtracto, nescio an fato potius quàm negligentia interciderunt, erant autem supra decem. Cum autem & in hoc scribendi genere multos errare viderem, nec esset locus illa adiiciēdi, debentur enim operi epistolarum, quæ à somnij monitu collegeram, libello illi addo, addamque in posterum vnum, tamen ne procrastinatio quam damnum in re necessaria afferret, ex his quæ supersunt, atque idem vltimum ad hāc vsque diem scriptorum operi huic interui, tum ob morbi raritatem, quamquam quatuor præter hunc qui a nobis consilium petiit, nunc tali dispositione afficiantur, quibus nunc opē affero: dum autem quasi à longè spectans curarē ipsos melius quoquomodo habere videbantur, cū ab aliis partim læsi, partim frustra curati viderentur: atque in hoc solo præstare illis videbar. Nunc laborem hunc ob negotia mihi perdifficilem suscepi: cum enim vix sufficerē curandis ægris, opus quod duobus diebus absoluissem alias, nunc 11. diebus, nec sine iactura noctium & valetudinis, finem accepit, ob quam causam non quod melius reliquis elaboratum, sed quod laborauerim in eo magis, hoc vnum inter omnia huic adiiciendum selegi. Cæterum ad hanc vsque diem cum nulla eis qui hoc morbo detinebantur, spes salutis appareret, duo ex his planè curati sunt: & qui consilium à nobis exegit, alius meliusculè se habet, alius nullam ex hoc opem sensit. Sic & in his fortuna etiam suas sibi vendicat partes. Atque vt video mulieres facilius ab hoc morbo curantur. Hic autem patiens iam à quatuor annis citra, patitur dolorem quendam in partibus ventris ac pectoris: cuius initium fuit ex potu vini acerbi & austeri post laborem vehementem, succedentem convalescentiæ ex febre tertiana. Et primùm cœpit in partibus ventriculi: deinde per auxilia recessit, & remansit in quiete per tres aut quatuor menses, vt ipse mihi refert: demum reversus est dolor eodem fermè loco, & sensim alias etiam partes declinauit: modò ad ventrem vsque ad pectinem: modò ad partes superiores, vsque ad gulam, & furculam superiorem: aliquando in directo spinæ dorsi superius parum quam è regione ensiformis furculæ: & aliquando dicit in colli parte postrema: & etiam aliquando ad latera, & quandoque è regione lateris dextri, vsque ad collum per costas: & nunc præter dolorem, sentit quandam dispositionem, quæ quamuis non sit cum dolore, attamen est cum magna eius molestia: & sentitur supra vmbilicum per quatuor digitos pulsatio ingens, non lata tamen, sed velut ex arteria magna, & feces sunt quasi naturales, & insomnietas non parua, & attenuatio corporis, & vrina cum nebula vel sedimento, sed tamen substantia & colore aqueo, vt ipse refert: & torquetur dolore ante cibum, & etiam post: & aliquando tamen quiescit: & ex assumptione cibi in hora doloris quandoque leuatur, quandoque grauatur: & ipse sibi persuadet quod duritiem habeat iuxta ensiformem furculam quam nos cum pronum tangeremus, tum etiam resupinum percipere non potuimus: vrinam autem non vidimus, sed illius dicto acquieuimus: nocetur ab aqua, à difficilis concoctionis cibis non leuiter. Amarorem oris non sentit, nisi rarò, vomitu frequenter vexatur: in quo tamen parum aut nihil euomit. Sitim quandoque validam, nonnunquam nullam sentit: toto hoc tempore præter febrem vnam ephemeram horarum 18. nullam aliam passus est: quâ etiam sæuiente, dolor cessauit, cessante autem rediit. Iecur vt illi videtur calidum, quod coniicit ex calore palmæ manus, cum etiam grauitarem & tensionem è regione dextri lateris iuxta costas sentiat, aluus astricta: aliquando etiam dolor ad spatulas extenditur: interdum etiam multa euomit. Hæc sunt quæ ex ipsius aspectu & narratione habentur, interim tamen fluunt hæmorroides, natura eius seu temperaturæ sanguinea: ætas iuxta 40. annum. Igitur cum morbus hic non possit esse a mala temperatura sine materia: nam accidens non migrat de subiecto in subiectum, vt colligitur quarto Physicorū, com. 32. dolor igitur si mouetur, causa eius necessariò mouetur: & si dicas quòd causa multiplicatur sicut ignis: tunc necesse esset vt dolor non transiret nisi per continuam partem ad aliud extremum: hoc autem ei non contingit: quare relinquitur, vt dolor hic non sit à mala qualitate tantum. Nec etiam à materia quæ sit humor: nam si est æqualis, impossibile est vt lædat adeò vehementer, nisi per magnam solutionem continui: quare vel phlegmon adesset, & sic febris: dicebat enim Galenus, 10. artis cur. c. 6. & 11. eiusdem cap. 20. phlegmones viscerum febris comitatur: vel etiam aliarum partium. Si verò non faciat phlegmonem, oportet vt magna sit moles eius, quare in solutione doloris apparebit semper humor ipse per vomitum aut in excrementis: horum nullum iam diximus contingere, quare causa doloris non est humor solum peccans in quanto. Sed neque in quali-

quali:neque enim adeò intensa frigiditas, aut calor, aut amaritudo apparet, qualis esset necessaria bile flaua atráue vel pituitata peccante. Rursus mirum esset quòd hæc pituita vel bilis ad pubis ossa, modo ad collum vsque extenderetur: intus extra & vbique. Cum igitur causa non sit sola mala qualitas, nec humor aliquis quantitate sua, vel qualitate, relinquitur tandem, vt sit flatus. Cuius etiam indicium est quòd non adest pondus, tum quòd subitò soluitur: dicebat enim Princeps, prima tertij tract. 2. cap. 7. loquens de signis doloris capitis: In dolore facto ex flatibus extensio augetur, & grauitas minuitur: & aliquando est cum punctione, quandoque etiam cum corrosione, & in flatuoso dolore quidem grauitas nulla est. Et quandoque etiã cum ipso fit permutatio doloris frequens de loco ad locũ. Sed de subita sanatione, de qua dixi, habetur textus etiam à Galeno in 12. Artis curatiuæ, cap. vlt. post med. dum flatuosum dolorem curare docet. Et quamuis illud fiat arte, idem contingit etiam natura: adest igitur & tertium signum de quo dicebat Princeps, scilicet subita permutatio de loco ad locum, & quartum quod est tendens, & aliquando pungens, & quandoque corrodens. Hoc genus doloris credo descriptum esse à Principe, cum dixit: Et flatus est quandoque in tunicis membrorum & villis, sicut in colica flatuosa, aut in tunicis musculorum, & sub membranis, & super ossa: aut in circuitu musculorum inter carnem mollem & cutem: aut est in ipso membro latitans, vt musculi in pectore. Et ipsius quidem resolutio seu subita fit, seu in longo tempore fiat, erit secundum multitudinem aut crassitiem materiæ, & membri densitatem: ac horum contraria. Sed Albucastis, lib. 2. c. 95. suæ chirurgiæ, hoc genus morbi ad vnguem descripsit: & vocat eum Nachir. Differentia tamen est duplex: prima, quòd vt vbi narrat, hic morbus est solum in membris exterioribus ac manifestis.

Secundò, quia est inter cutem & carnem, & non inter duas membranas, aut inter musculum & membranam: ideò Nachir non facit dolorem, & hic morbus facit dolorem, & etiam vehementem: quia in hoc patiente flatus est inter tunicam & tunicam, vel inter tunicam & musculum: & tamen eadem species materiæ, & idem generationis amborum modus. Patet autem per Principem loco allegato, quòd flatus abundat aliquando in concauo membrorum, aliquando inter carnem mollem & cutem. Tertiò inter musculum & tunicam.

Quartò inter duas tunicas, & in his duobus modis fit necessariò dolor vehementissimus, maximè in tunicis ventriculi & intestinorum: dicebat enim Auerroës, 3. Coll. c. 31. membra dolorosa sunt ventriculus & intestina. In secundo autem fit Nachir, & vocatur ab aliquibus saltus: quia cutis salire videtur. In primo autem fiunt dolores frequentes: sed non adeò validi, nisi flatus sit valde crassus, & ora vasorum obstructa exquisitè. His stantibus seruare oportet omnes casus quos illi diximus aduenire: cum igitur debilis esset propter febrem, & substantia ventriculi rara ob calorem & exercitationem, penetrauit vinum multitudine & austera qualitate præditum, & imbibendo villos dolorem excitauit, & malam qualitatem, vnde continui solutio: nam membro crassiore facto vbi ad statum suum redierit, quod est inter duas tunicas laxum relinquitur, & apertum. Inde auxiliis adhibitis mala temperatura sublata est, & cum nondum laxitas magna esset, quieuit dolor: deinde rediit, & flatus ille penetrauit sicut in renum calculo modò inter ventriculi tunicas, modò inter ventriculum & peritoneum, nam ventriculus peritonæo magna ex parte subcingitur, penetrante flatu inter peritonæum & ventris musculos per longum aut obliquum positos, dolor ad pectinem vsque declinauit: sed maximè per musculos longos, quorum vterque etiam ibi finitur: nam obliqui potius ad anchas pertingunt: pars autem quæ inter tunicas ventriculi continetur ad summum gulæ ascendit, per easdem tunicas, & si dolorem infert: alia verò transfertur sub pleura quæ ex peritonæo nascitur vsque ad summum furculæ, à latere dextro, quia illud est calidius propter epar, vt dicemus de causis generationis huius doloris.

Cùm verò dolor recedit, remanent partes tamen separatæ, & est species quædam doloris ex hoc stupidi à Galeno 6. Aphor. 5. positi: & quia dolor prohibet somnum, & ob curas macilentior redditus est: quam ob causam pulsatio sentitur supra vmbilicum, vt dicebat Zoar: inquit enim, causa quòd pulsatio sentitur super fundo oris ventriculi resupino ægro existente, est extrema tabes ipsius ventriculi: aliter enim sentiri non posset tota illius substantia quæ crassa est, & tot intermediis existẽtibus: intermedia autem sunt peritoneum musculi longi & transuersi seu lati, & membrana, & pinguedo, & cutis: declarauimus enim contra Galenum in sexto contradicentium medicorum, sub ventris cute membranam non esse ex musculorum contextu. Porrò arteria illa vt habetur ex dissectione cùm magna non sit, nisi intelligatur ramus ascendens ex sinistra parte nutriens partem posteriorem imamque ventriculi, necesse est eam dicere quæ in dorso iacet, dorsi vertebris subiectam: atque hoc magis iudicio méo verisimile est, quando quidem in quantumcúmque extenuatis minimè percipiatur, nisi cum multum compresseris ventriculum: ibi enim peritonæum quasi dorso hæret. Vnde etiam in prouerbio solemus dicere, ventriculum adhærere dorso eorum qui fame sunt enecti: est igitur dorsi arteria magna quæ sumitur, non quæ est in ventriculi fundo: indicio etiam est, quòd nunquam eam in quantumcúmque extenuatis vel in dextra, vel in sinistra parte percipi: sed in medio solum: ex quibus colligitur ventriculi maxima extenuatio: de doloris etiam processu apparet, nam ventriculus postquam sursum astringitur, ad nonam Thoracis vertebram dextra paulùlum ex parte inclinatus magnæ arteriæ applicatur, ascenditque vsque ad quartam thoracis eo progessu: inde directus σιμανος ad mediam vsque ceruicis pertingit vertebram iunctus dorsi spinæ, inde ad os

parum

param reflectitur: quo fit vt dolor ad posteriorem colli regionem tum dorsi quandoque pertingat.

Quomodo autem ad gulam & superiorem furculam pertingat, hoc est quia ibi aspera arteria stomacho iungitur: atque ob id etiam illo affecto partes anteriores pati videntur: vomitus autem aliquando succedit materia in concauo existente, aliquando non ea existente inter tunicas: sed nausea mala & laboriosa: & cum ob imbecillitatem male ventriculus concoquat, cogitur iecur supplere vices ventriculi: quare ex nimio labore supercalescit, inde fæces exsiccantur, & non parum, ob dolorem verò & cruditates & tristitiam, vt dictum est, vigiliæ: cum verò flatus fuerit inter duas tunicas, ventriculus tenditur & durus videtur iuxta Principis sententiam: sicut & in pila vento aut aere plena, vnde sibi persuadet quòd tumorem durum habeat in ore ventriculi: cum verò tangitur abscedente iam flatu molle percipitur.

Vrina verò habet sedimentum, non multum cocta ob ventriculi imbecillitatem. Vnde Princeps, secunda primi doct. 3. c. 2. alba vrina secundum intentionem translucentis significat frigiditatem & concoctionis priuationem: & sedimentum fit ex venarum operatione in id quod relinquitur ex iecoris concoctione non absolutum, vt declaraui in secundo libro Contradicentium medicorum: quare dicebat Princeps loco eodem, dum de vrina cæru ea ageret, & si fuerit in ea hypostasis, erit spes vitæ, aliter non, & hoc magis militat in alba: significatur enim illa assistente, adhuc naturam venarum resistere: ex quo patet quare non corrumpentur aut perturbentur vrinæ eius. Nam vt habetur à Galeno, 1. de crisi, c. 12. perturbatio in vrina significat mediam coctionem, sed hic est vltima cruditas quoad ventriculum, vt declaratum est, igitur talis vrina non potest perturbari, apparet etiam causa coloris eius qui est vt plumbeus subcitrinus: dicebat enim Princeps, illum qui expertus est non fallit color. ipse enim declarat morbos ventriculi & iecoris: vnde præcipuè, vt habetur ab ipso in capitulo de Signis malæ temperaturæ frigidæ albedo coloris cum modica citrinitate, vt eius nomine vtar, frigiditatem ventriculi decernit, ex hoc etiam patet solutio dicti Galeni, cum inquit vrinæ bonitas significat incolumitatem venarum: nam potest esse praua etiam ob ventriculi imbecillitatem. Ostendit tamen malam coctionem in venis necessariò: vel sua causa, vel quia materia quæ ad eas transmittitur male parata est coctioni. Et hunc modum generationis tetigit Princeps, 16. 3. tract. 3. cap. 6. cum dixit, & fit colica aliquando à flatu qui est inter villos & tunicas intestinorum illas separando: nam hic modus tenet etiam in aliis. Declaraui autem in secundo Contradicentium medicorum, tract. 5. contra 2. quod principalis causa non solùm, sed & adæquata doloris, est solutio continui non mala temperatura. Hæmorrhoides autem fluentes, & præseruatio in victu ob timorem doloris faciunt quòd rarò febres incurrat: ad quod iuuant purgationes etiam, tensio autem quam sentit in latere dextro est ob causam dictam, nam humores crassi gignuntur ex chilo non crudo, & ideò rectè dicebat Princeps, 13. tract. 1. cap. 23. & scias quòd cùm inter ventriculum & iecur tensio inuenitur, & in ventriculo extenuatio: tunc hoc indicat natura resolutionem. Nam humores crudi sic geniti obstruunt, non solum iecur, sed & loca rei vicina, & augent caliditatem eius, & cùm hoc faciunt tensionem: & caliditas tamen manuum, non solùm procedit à caliditate iecoris, sed a labore ventriculi in concoquendo: cuius signum est quòd post horam ab assumptione cibi debent calescere extrema, & pulsus intendi ac frequentior reddi sicut in hecticis etiam fieri solet. Ex quo patet quòd ægritudo ipsa cognita est: quia omnia quæ illi succedunt secundum necessariam rationem huic inueniunt.

His visis dicamus de humore ex quo fit flatus hic, & de minera, vt solet dici generationis eius, & incipiamus à proximo dicto Principis, vt etiam exponebat Gentilis: & dico quòd omnis flatus fit vel ab humore, vel à cibo, vel à chilo, & cùm hic morbus aduenìat etiam vacuo ventriculo, ideo non potest esse à cibo & chilo semper, quare erit ab humore: & hunc secundum plurimum, vt declaraui ex illius conditionibus conuenit esse crassum & tenacem. Sed quomodo ingredietur homo tenax membrana & villos? Respondeo, quia paulatim penetrat subtilior pars & crassior extra congelatur, & ita flatus inter partes membranarum continetur, & etiam inter partem densam & lapideatam ac ventriculum.

Ex quo colligitur pessimus error eorum qui in talibus vtuntur valde calidis: nam pars subtilis resoluitur ex intentione Principis, & crassa adhærens ventriculo congelatur, sicut videmus in gypso dentium, & pars congelata facit quatuor effectus: primum retinet flatum ne discutiatur, & sic dolorem efficit vehementissimum. Secundum quòd sola adhærens facit illum dolorem stupidum, de quo diximus: & si nobis in dentibus hoc tædium affert, quantò magis in ventriculo & viis illi proximis? Tertium est quòd interiecta impedit coctionem cibi: est enim medium ad prohibendum caloris naturalis transitum. Quartum est deterius aliis, quòd prohibet transitum nutrimenti ad membrum sua densitate, & sua frigiditate illius perfectam assimilationem: & sui pondere attenuat illud.

Redeundo ad propositum causa flatus est duplex: nam forma est quasi idem cum effectu, vt colligitur in 12. primæ Philosophiæ: & in his quæ non per se intenduntur à natura non quærimus finem, vt in morbis & monstris: ideò sufficiat dixisse de materia efficienteque.

Igitur in tertio de Causis symptomatum videtur finire effectricem causam esse calorem debilem, nam ab exiguo nullus fit flatus, ab immodico autem non fit nisi ex eduliis flatuosis: atque is, vt dicit adeò leuis, vt illicò vno vel victu euanescat, prostrato igitur omninò naturali calore nullus fit flatus: integro autem non talis qui torqueat, præsertim

sertim diu:necesse est igitur imminutum hic esse calorem: & quantò magis imminuitur, eò magis vsque ad maximam imminutionem flatus augetur. Neque verò potest in frigoribus viuente adhuc homine calor in tantum extenuari, vt flatus gigni nequeat, sed vix tantùm vt modicus, & tunc iam breui superuiuit animal. Ne igitur te exemplum decipiat hyemis, vbi etiam nullus flatus gigneretur: nam non par ratio vtriusque, cum hyeme etiam cadant frondes, & manifesta prohibitio generationis herbarum appareat. At in corpore humano nunquam quicquam ex toto perit circa nutritionem ventriculi superuiuente diu animali: quo fit vt ea diuisio Principis in diminutam & corruptam ablatámque concoctionem fermè ex vltimo membro, solùm rationi, non experimento satisfacit. Galeni tamen exemplum ea ex parte est accommodatum, qua positum est, scilicet quòd calor non est ex toto imminutus, cui flatus succedit. Sed & ob id rectè dicebat Auerroës, 3. collect. cap. 16. quòd flatus fit à calore diminuto, & Auicenna 14.3. tract. 4. cap. 4. & 7. declarabat hoc, & docebat quomodo calor etiam non naturalis generat flatum antequam concoquatur cibus, & etiam quia imminuit calorem naturalem: & ideò æquale, imò forte maius est detrimentum in his excessus ad calidum sicut ad frigidum, licet excessus ad frigidum celerius sentiatur: quia calidum præternaturale in sui etiam præsentia obtundit sensum doloris: vnde acopa Græci talia vocant medicamenta: & Auicenna in quarta primi de medicationibus doloris, cap. 3. appellat anodyna. Ex quo apparet quàm facile sit esse medicum, quàm verò difficile sit esse bonum medicum: omnes enim incidunt in hanc foueam, vt calida exhibeant in doloribus flatuosis: cum quandoque frigida sint longè vtiliora: & certè iactura quæ fit à calido medicamento longè deterior est semper æquali facta à frigido. Et etiam patet causa medicationis illius monstrosæ colicæ descriptæ à Principe, decima sexta tertij tract. 3. c. 6. cum endiuia & aqua frigida, in epidemiali constitutione, per experimentum antiqui, & causa etiam erroris, quare nullus ex tympanite seruatur hoc tempore.

Sed redeo ad institutum. Galenus pro causa materiam referente ibi ponit cibos: & forsan quòd ex cibis generantur. Et pessimum est pituita vitrea, vt dicebat Auerroës, 3. collect. 6. præter enim summam frigiditatem, viscida est atque lenta, vt dicebat. Vnde Galeni sententia est, quòd non purus flatus tantùm, sed etiam densus ac vaporibus plenus procreetur: nec penetrans, nec solui facilè aptus. Sed & id expressè confessus est, com. 2. in fi. quòd flatus fiat ex humoribus crudis, secundo Prognosticorum, talis autem maximè vitreus. Et ideò dicebat Galenus, quòd talis spiritus cum sufficienter frigidus fuerit, tunc vehementes excitat dolores: nam frigidus cùm fuerit, erit primò densus: & qualitas illa omni ex parte membrorum naturæ est inimica, patet autem quòd ex omni humore crudo potest fieri flatus ex Galeni sententia: humor autem crudus est pituita, inter eius genera post vitream est gypsea: pessima verò quæ cum melancholica commiscetur, nam terrea parte flatum gignit resolutioni omninò repugnantem, sicut apparet in quartanis comparatione aliarum febrium. Innuit igitur Galenus loco iam proximè in margine scripto, vbi Princeps omnia sumpsit, quæ de doloribus ex flatu secunda primi loco iam descripto tradiderat, quòd flatus ex materia calida exiguum vel nullum dolorem facit: seu enim in concauitatibus, seu inter sensibilium membrorum partes contineatur, minus lædit, & celerius resoluitur: at hic diuturni dolores materiam ostendunt frigidam.

Vnde Galenus 2. de diff. feb. cap. 5. etiam in febribus testatur frigiditatem ad morbi facere longitudinem, verisimile igitur est vitreum humorem, ac pituitam melancholiæ mixtam in causa esse: constat tamen fieri posse, vt flatus etiam ab alia causa fiat, quàm à materia frigida, de mente Galeni, 5. aph. 72. sed tamen talis flatus haud adeò, vt dixi, dolores excitat: pituita autem in ventriculo generatur de mente Galeni, vt aliâs declaraui. His peractis sumus fermè in casu Hippocratis 2. contra d med. tract. 2. com. 14. quibus tormina, & circa vmbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter soluitur his in hydropem siccam firmatur. Et ideò nisi occurratur, nec alia mors ex acuto morbo præueniat, in tympanitem dispositio hæc terminabitur, vt vnicuique patet qui diligentius verba Galeni quàm Hippocratis rimatus fuerit. Posset tamen sanari omnibus peractis, quæ illi sunt necessaria ad amussim. Quod cum difficile sit, etiam nunc nobis rectè præcipientibus, antea etiam erat impossibile. Nam tales morbi vt acuti, nunquam casu sanantur, vnde in his patet gloria medici, vt Octauianus Horatianus in libro suo de Morbis diuturnis dicebat. Ex quo clarum est, cur per nullum ex his qui hodie celebrantur in toto Mediolani dominio, vt ita dicam, vnquam sanari potuerit: & minus in posterum posset, cum longè deterior factus sit hic morbus: & si ex his tamen vnus sit, vt intelligo, satis eruditus: sed cùm modicam adhibuerit diligentiam, morem temporum, vt video, sequitur: omnes enim malunt magis videri quàm esse, quia ambitioni illorum proceres, sua tamen iactura, subscribunt: inde ortus omnium malorum & seges. Sed hæc præter propositum.

Cura igitur debet dirigi hic ad symptoma, ad morbum, ad causam morbi. Apparet autem quòd aliud est causa continens à morbo ipso, vt aliâs ostendi. Sed hic etiam antecedentem comprehendo: & nolo hîc declarare quis sit morbus, nam si est solutio continui, cum illa non impediat nisi medio doloris operationem membri, erit dolor ex his quæ dicuntur à Galeno in libro de Differentis symptomatum ipsa ægritudo, & nunquam solutio continui. Quòd si solutio continui est morbus & non dolor, oportet quòd consequatur impedimentum operationis etiam, non solam continui solutionem.

Sed non est hic locus, cùm omnia indigeant cura. Quæ igitur cura indigent, sunt dolor

dolor primum, trahit enim sicut cucurbicula, dicebat Galenus, & virtutem prosternit, & multa alia facit, vt aliâs declarauimus. Secundum est prohibitio humoris pituitosæ vitrei, pòst mucilaginosi, vt ita dicam cum melancholia iuncti. Tertium est partis adherentis membris, & etiam quæ obstructionum facit. Quartum est solutionis continui inter membranas. Quinta est dimiinutionis caloris. Sexta est macilentiæ. Et vix vna horum poterit benè curari sine alias.

Cura igitur per animi affectus est, vt confidat de salute, & consoletur: quia quisque habet quod rodat: & multi, penè innumeri morientur ante ipsum, qui tamen nunc sunt sani: & quòd non potest mori ex hoc morbo, nisi alius superueniat, & sic non potest dici in via ad mortem, & quòd est in potestate sua, parendo in omnibus, sanitati restitui. Hæc & talia cogitando, minuet tristitiam, & moderabitur affectus.

Circa somnum: Omnis somnus est bonus, nocturnus, diurnus, modò prolixus sit. Pro somno conciliando nihil melius conserua filiorum nenufaris: capiat ex ea à cœna ab ℥.ſ. vſque ad ℥.j.

Circa exercitationem: Omnis equitatio, etiam ante cibum mala, post cibum pessima. Omnis motus post cibum malus, sic & immoderatus. Quies extrema mala. Deambulatio autem recta & longa optima est ante cibum. Ex hoc modo faciet facta sua in manè, & vesperi ante cœnam.

Quò ad aërem, modicè calidus æstate noxius, & frigidus in hyeme: vnde locis conclusis habitet in tempore frigoris, & æstate locis apricis, & Septentrione expositis: & vestimenta sua semper sint leuissima, quamuis hyeme sint calida: & lectus sit ex cotto, non ex pluma, habeat tamen puluinar, sed catulus esset longè melius, vt teneat illum super ventriculi locum: & manus etiam palma est bona in hoc casu. Et grauari pannis est adhuc deterius quàm ferre frigus. Et hyeme exercitetur longè plusquam æstatæ: & vitet frigus pedum quantum potest: & sæpè lauet manus & vultum aqua frigida, & maximè in tempore æstatis, & post cibum. Et quamuis hæc leuia videantur, multum tamen in longo vsu conferunt: quoniam multa pauca faciunt vnum magnum: Repletio autem omnis noxia, & similiter ferre famem naturalem, nam ventriculus nutritur ex chilo secundum interiorem tunicam. Omnis etiam vacuatio artificiosa, & vomitus etiam noxius est. Et ego declaraui hoc aliàs, cùm de aloë loquerer. Sed tamen cogimur quandoque vomitum etiam nedum purgationem moliri, hac de causa, vt quod vacuatur tantum prosit, quòd ipsa euacuatio non noxia censeatur: aliter igitur omnis euacuatio per superiorem partem facta, seu etiam vomitus spontaneus malus. Et ideò dico, quòd clysteria sunt maxime iuuatiua in hoc casu, & ego vnum describam, quo vti poterit ieiuno venter.

Recipe Colocynthidos ex pulpa ʒ. j. ſ. esulæ ℈. ij. turbith ℈. j. radicum Ari ʒ. j. ſ. Mercurialis maluæ Betonicæ furfuris ana m̄. j. Sanæ ʒ. ij. camomillæ m̄. ſ. coquantur in aqua ad consumptionem duarum tertiarum, sic tamen vt lactaria herba, quam esulam vocant, & betonica & sena & camomilla serius addantur: inde expressioni addantur mellis crudi ℥. ij. olei de lini semine ℥. iij. Theodorici descriptione prima Nicolai ʒ. iij. misce, & fiat enema: & poterit vbi nimis vexaret fieri mitius minuendo Theodorici & lactariæ quanitatem.

Euacuatio autem quæ per coitum fit omninò noxia, vt patet à Principe de Nocumentis coitus, & iuxta Galeni sententiam in tertio Artis medicæ. Venereorum verò vsus, & tamen in longo interuallo temporis, non tam est vtilis quàm necessarius. Ad hoc etiam pertinet, vt mane cùm surgit, emittat omnia excrementa diligenter, & in vespere ante cœnam, dico autem præcipuè, feces, vrinam, mucum è naribus. Vltimo, aut frigidi in primo, aut temperati, & hoc ostenditur: nam temperatum habet reducere extrema vtraque vt declaraui in libro de abusu medicorum, igitur iuuat in omni mala temporatura acquisita. Calidum etiam in primo est acopum fermè à toto genere, vt habetur à Principe, quarta primi, igitur sedat dolorem. Sed frigidum in primo est leue stupefaciens, vt ita dicam, sicut Rosæ, Violæ, & alia eiusdem generis, & Nymphæa, vt declaraui alias, est in secundò genere, & ideò omne frigidum vt frigidum hebetem facit sensum, conneniunt tamen tantum ea quæ sunt in primo ordine, reliquis causam augentibus, quare ab aliis abstinendum.

Et si quis dicat quòd ego reieci temperata in libro de malo medendi vsu iam adducto: Respondeo quòd temperata non sunt, vt medicina, sed vt cibus medicinalis: nec complent curam, sed possunt illam adiuuare, nos autem aliis insistendum docemus etiam auxiliis. Igitur vuæ passæ ante cibum sunt bonæ, humidæ quidem valde, in primo autem calidæ, & vbi cibus sit leuis concoctionis in fine sunt laudabiliores, & albæ propter saporem acetosum sunt meliores, item citonia tosta sunt bona, de citoniis sumus concordes, quoniam omnes testantur, & Galenus præcipuè ea esse ventriculo commoda. Sed de vuis passis reclamabunt, inquit enim Aëtius: Acetosæ autem & austeræ vuæ, & quæ habent crassum corticem, ineptæ sunt nutritioni, & concoctionem, ac distributionem impediunt: præter id quòd alia habent quæ & reliquæ vuæ detrimenta. At ego cum Principe, 2. com. 735. sentiam dicente quòd vua passa confert ventriculo & iecori, tamen etiam quòd confert doloribus intestinorum. Nam & Galenus, 2. de alimentis, c. 10. hoc affirmat: eligit autem duces & astringentes cortice subtili, vnde magnæ sunt inutiles: quas Zibebas vulgus vocat, paruæ igitur candidæ dulces & astringentes, ventriculum, inquit ille, roborant, & eius dolores leniunt, paruos etiam sedant, nec alios fructus commodos ipsi reperio, nisi quis sorba præmatura post cibum, aut pyra

cocta pro Cydoniis substituat, ex oleribus autem menta & me lissophyllon, saluia & pulegium & origonum, & fœniculum & spinachia aliquando, & Draco, herba noua, laudantur, aut tolerari possunt, nocent lactuca, endiuia, bea, caules & crispi, quos gabusios vocant. Ex radicibus rapa, napi, imò omne genus earum, noxium. Ex piscibus limaces ter coctæ, cancri rarò, & in fine cibi, persici & testudines, & scardoæ, omnia alia genera noxia. Expræparationibus autem suprema est super craticulam assatio cum saluia, pòst verò est in veru, inde virulenta, pòst elixa & frixa in sartagine. Ex carnibus auium omnium quæ piscibus non vescuntur, inter quas anas & anser, proxima hædi caro, ab hac syluestrium capreoli, leporis, cuniculi: optima Ericij consensu propè omnium, & vtinam multos ex his edere posset, oua non multum conueniunt, maximè ex albo, quàuis vitella facillimè & ne excrementis nutriant, & temperata sint, iecur animalium volatilium opportunum, arietis carnes post syluestria. Castrati & vituli inutilis.

Quæ ex lacte conficiuntur, caseus, colostra, butyrum, lac scissile, spumalactis, pinguedo lactis, lac ipsum, omnia incommoda, deteriora his quæcunque fiunt, vt farina panis ex tritico benè coctus, non tostus, fermentatus leuis. Sed longè melior si ex duabus partibus tritici & vna speltæ fiat: & cum leui lixiuio misceatur farina, vtatur ex aromaticis Belzoi cum cibis, is est cyrenaicus succus, vt declaraui in libello de malo medendi vsu.

Cinamomi & maceris exigua quantitas non est inutilis, piper hac in causa fugiat, scio quantas hoc patiatur contradictiones. sed aliud est librum condere, aliud curam describere alicuius morbi, nunc nisi resecem, res in immensum ibit, legumina omnia mala, tum magis phaselli & ciceres, minus lentes. Sic ciceribus percoctis modicè vti, tum iure eorum poterit: his omnibus saluia immisceatur, iura omnia fugiat, hoc autem generaliter à nobis aliàs decretum est, artocreas & ientacula eiuscemodi, & ptisanam hordeaceam fugiat. Sed & in hac esset non leuis contentio apud eos, qui multum falso scire se existimant, far cum modico aceti raro sumat, sumat & pannicum, non quod hæc omnino laudem, sed si nimis coartetur licentia, vel contabescet, vel appetentiam amittet, vel non perseuerabit: vnde vinculis fractis medicæ rationis, vulgarem sequetur viuendi rationem, & sic fine suo frustrabitur: satius igitur fuerit indulgentia mediocri vti. Mel autem & sapa per se vtilia, verùm rarò benè aliis admiscentur cibis: pinguia dolorem sedant, sed causam illius augent, cibi facilis coctionis præcedant, quæ dura sunt & contumacia finem sortiatur cœnæ, vberior autem sit cœna quàm prandium pluribus ex causis, quas in primo contradicentium medicorum declaraui: acetum confert modicum cum medicamentis, cum cibis aut per se sumptum nihil nocentius eo. Sed oleum optimum: nihilque eo melius: cùm verò ventriculum laxauerit, menta vtilis erit ac non minus ea cerefolium herba folio quasi cicutæ, radice odorata, non comedet nisi postquam cibum descendisse iam cognouerit, absynthij vsus modicus cum menta vel melissophyllo vtilis adiecto sale. Sal ipsum ~~non~~ inutile si mediocriter sumatur, ex piscibus salitis, alec solum, quam inchiouam vocamus, bona est, in parua quantitate: sed caueat ne pro illo Sardam capiat, est enim ei valde similis.

Si adhuc hic modus non conferat, partem conficiat ex speltæ partibus duabus, tritici autem vna. Vino vtatur astringente austeróue, sed modice non præpotenti, non nisi iam comesa medietate cibi tam paulatim bibat, & vinum ipsum quidem sit oderatum & dilutum aqua, in qua duo frusta chalybis, & vnum æris extincta sint, vtatur & quandoque in cœna albo, sed in prandio rubeo claro, par autem est aut nec sine aqua nec cum multa dilutum sit, ligentur autem viscera, vt iam præcepi incipiendo infra vmbilicum per duos digitos, & ad superiora tendendo, donec ad furculam inferiorem peruenerit, & infra quidem plus stringatur, ascendendo autem laxetur sensim vt respirare possit. Et inungatur sub ea vnguento quod describam, & superponatur absynthij sacculus, inde fascia omnia hæc circumambiat.

Et quia intellexi quòd ex hoc auxilio, quod iam quatuor diebus abhinc iniunxeram, dolor in pectus recessit totus, atque ibi sedem suam fixit: hoc mihi haud displicet: quamuis enim pectus sit ventriculo nobilius, dolor tamen in ventriculo longe frequentius ad malum terminatur, quàm in pectore, cum ex flatu, non ex humore fuerit, & etiam facilius erit de vincere iam conlractum & in arctum redactum, quàm fugientem, igitur & de hoc dicam suo loco.

Capparibus etiam vtatur in acetariis cum oleo copioso, & aceto ex vuis passis. Sed non coquatur acetum.

Circa medicamenta vna ratio omnibus conuenit vt calida sint & rara: nam debilia humorem contumacem mouere non possunt: frequentia autem prosternunt: tum præsertim, quòd, vt dictum est medicamenta omnia sunt ventriculo inimica. Igitur inter prima ponemus vsum origani in mane masticati, nam resoluit flatum proprietate sua: nam vt diximus, symptoma vocat ad se curam.

Ex his autem quæ vitreum & mucilaginosum humorem concoquunt, sunt acetum, scylliticum, autoritate Dioscoridis, Mesue, Serapionis, & Rasis ad Almansorem: & Amomum, & anisum & calamentum, & cappares, at acanthis, & amygdalæ amaræ, & chamedrys, & betonica, & amaracus, & aurum, & Iuniperi semen, & nasturtium vtrumque hyssopus, siser, sal omne, cinamomum, raphanus, & ruta, & aristolochia, & thymus, & prassium: omnia hæc Galeni autoritate. Et rursus inter composita confectio ex allio posita ab Auicenna, tum etiam Philosophorum eodem fermè loco descripta: & de cinamomo Mesue autoritate, & Diaspoliticum, & diacalamentum, & diatilon pipereon posita à Galeno in libris de Tuenda

da sanitate. Est & diacyminum, & electuarium ex ligno aloës. & Sagzena, & cabrorij confectio ex autoritate Auicennæ: tum Sirupus de radicibus Theodorion magnum Trifera fauonis minor autoritate Mesue & Serapionis vtilis. Sed est in coagulis omnibus proprietas mirabilis, vt refert Princeps. Aetius commemorat vrticæ semen, & bryoniam, calamum oderatum, remisci, & laseris lachymas, succum etiam salicis, Castorium, pistacia, florem iunci odorati. Concoctaria autem amomum & lentisci lacrymam. Vtriusque autem facultatis facit roseaceum oleum. Inuenio & apud Actuarium descriptionem zulapij ex violis compositi in hoc casu oportunam, ac non parum frigidam, cui tuto calidissima possis admiscere medicamenta: habet enim santhales rosas etiam quæ astringant. Est & ab illo diaprassium antidotum laudatum. Sed in his omnibus cum iam segetem medicamentorũ tradiderimus, delectus ordo & modus docendus est. Delectus, quia immoderatè calida, vt coagulum. Diaspoliticon, diatriom pipereon, castoreum, confectio de alleis, fugienda sunt: quanquam in antidoto de alleis non vulgaris spes sit si moderatè vtamur eo.

Vitanda sunt & quæ carent odore iucundo, at aristolochia: erat enim præceptum Auenzoar, quod medicamenta membrorum principalium ab oderatis nunquam spoliari debent: & in eisdem locis docuit, quòd vehementer astringentia omnia vẽtriculo sunt noxia, & quod dolorem excitant s quantò magis in iam patiente dolorem:

Et inter moderatè astringentia exemplo connumerat rosas. Et erat etiam præceptum illius vt à melle abstineremus, & loco eius vtemur saccharo: & fecit capitulum proprium de humoribus imbibitis in membranis ventriculi: & ibi dabat in pituita oximel loco sirupi accetosi cum succo fœniculi, & non abhorret mel in hoc casu. Sed vbi fuerit atra bilis, aut melancholia, addit amygdalas amaras, & Serapium de centaurea. Igitur vt ad electionem & ordinem deveniam, in hoc casu tentandum esset cum la[illegible], & aniso, ac oximelle: sed quia morbus processit concoquens tale fiat: Recipe radicum ariamomi ana ℨ. ij. Betonicæ scyllæ masticis ℨ. j. origanti thymi prassii an. m̃ ß. Centaureæ ℥. j. seminis vrticæ, calami odoratis, floris iunci odorati seu squinanti ana ℈. iiij Cinamomi ℥. ſ. foliorum salicis & rosarum in botris ana m. ſ. aquæ ℔. v. coquantur primò sylla, acum & mastix vsque ad dimidiam quantitatem: pòst addantur cinamomum, amomum, Betonica Calamus odoratus, Semina vrticæ, prassium, folia salicis: & coquantur donec redeant ad ℥. xx. pòst addantur reliqua & coquantur donec redeant ad ℥. xv. vel paulò minus: & colentur bis aut ter: & de hac aqua sumat ℥. iiij. calidum in aurora cum ℥. ij serapij de prassio, aut de hyssopo, cum gr. iij. aceti albi, & superdormiat per horas duas saltem si potest. Continuus autem sit vsus eius vsque ad dies octo vel decem, donec coctio apparuerit in vrina: & si videatur sibi calidius hoc medicamentum, quàm oporteat, moderetur illud cum sirupo violato dicto: & minuatur quantitas syrupi de prassio pro quantitate syrupi violati, & vbi dolor interim vexaret præter solitum, quod accidere posset addantur ab initio coctionis illius compositi, limaces cum corticibus numero v. scobis cervini ℨ. j. ſ. addatur etiam acetum vsque ad ℥. j. si oportet, vbi lentor in humoribus appareat, peracta coctione multa sunt quæ purgãt hos humores, præsertim autem Agaricus Cartamus seu enicus, heliotropium, celocynthis Turbetum, elaterium, Esula, semen vrticæ. Iris, ex compositis autem Diafinicon, pilulæ de hermodactylis & de serapino, fœtidæ, misirichæ, aggregatiuæ, de euphorbio de Thapsia, Theodoricum magnum hieræ logdion, Hermetis, Archigenis vt à Mesue habetur. Blanca etiam & Benedicta & hiera russi, & ab Actuario Asyncritum antidotum Dioclis medicamentum. Et Galenus existimat quòd sua hiera infractos tunicis humores possit purgare. Vnum est quod mihi in hoc casu Diarob cum turbith à ℨ. iiij. ad vj. satisfacit cum ℨ. ij aquæ betonicæ. Sed debet addi Diagredium more solito in descriptione Petri de Tussignana. Et si hoc non iuuaret, cum à pilulis omninò sit abstinendum, quoniam ventriculum tabefaciunt, vterer Theodorico magno: tum etiam hiera aliqua ex supradictis, secundum quod magis videbitur Medico cõsulenti: & in totum à cassia fistula abstineat.

Factâ purgatione vtatur vino cum absinthio, secundum modum datum: & si nunc faceret vinum absinthiatum, non esset malum, cùm tempus sit oportunum. Iuuat & quandoque Theriaca in hoc casu, sed bona, non pseudotheriaca, quâ vtuntur his temporibus: iuuat & diambra Mesuẽ, Confectio caudicon ex Serapione, Sagzena ex Auicenna: sed hæc seriùs, cùm & ipsa pituitam minuat, velut & Philosophorum confectio, & Theodoricon. His peractis, si videbitur, redeat ad concoquentia.

His visis cadunt duæ dubitationes. Prima est, an aquæ Thermarum conueniant? & vt declaraui in secundo Cantradicentium medicorum, tract, & contrad. 3. omnes vehementer siccant: igitur non conueniunt. Altera, an balneum competat? Respondeo ex libro de malo medendi vsu, abusu 92. non solùm competit, sed est necessarium. Vt enim Aetius inquit, lib. 3, cap. 166. & 173. humectant, molliunt, mitigant dolores: & quæ profunda sunt in altum euocant. Sic & irrigationes. Non solùm autem ex simplici aqua, sed his incoctis quæ ingruenti dispositioni magis necessaria videbuntur. Mediolani, die 19. Septembr. 1545.

CONS.

CONSILIVM LVI.

An nobilis mulier ex assumpto veneno obierit?

QVæritur numquid ex adductis possit deprehendi quod dictæ mulieres (& præsertim illa de qua agitur assumpserint venenum, atque ex eodem perierint, vel potius ex febre praua & maligna, quæ ortum duxerit, à venenata materia in corpore genita, quæ ob excellentem putredinem, tantam acquisiuerit prauitatem, ac malignitatem, vt non solum illas enecauerit, sed etiam suspicionem propinati veneni præbuerit, & quamuis ex relatis vix quicquam certi colligi possit, nihilominus traduntur ab authoribus qui de venenis scripserunt nonnulla signa ex quibus medicus cognoscere potest An quis sanæ præsertim mentis, bonæ itidem habitudinis, accedente etiam proba ciborum concoctione venenum assumpserit. Inquit enim Aëtius *lib.* 4. *sermone* 1. *cap.* 47. *talia coincidunt atque consequuntur signa: statim & derepente variæ accessiones irruunt præsertim si ab accepto statim cibo aut potu, tussis accedat, aut fœtida sanguinis per os reiectio, aut molesta & ægra lotij excretio, aut dolor in alto nitens, aut ardor inuenilis, & vehemens, aut sensus erosionis, aut stuporis percultio, punctura item, tremor, singultus, contractio, eruptio bullarum, liuor, tumor, coarctatio, quarumdam partium putrefactio, vomitus fœtidus & plenus, manifesta alicuius venenosæ qualitatis apparitio & demonstratio.* Ex his *omnibus si quid repente ab accepto cibo, sano homini accedat, veneno infectum esse hunc ipsum existimandum est*, hæc Aëtius. Non desunt & qui alia signa afferunt, eorum qui veneno infecti sunt, illorum præcipuè in quibus non adeò manifesta signa conspiciuntur, & quodnam sit assumpti veneni genus dignosci possit. Siquidem (inquiunt isti) reperiuntur, venena quæ propriâ formâ agunt, quorum tamen indicia nullus erit medicus ingenio præditus qui non protinus cognoscat ex sæuis accidentium incommodis quæ sequuntur, num quis venenum cibo aut potu sumpserit? semper enim repentina succedit virium & roboris totius corporis prostratio: ægri ex magna cordis molestia frequenter animo deficiunt, facies liuescit, quin & labia & lingua nigricant; item extrema corporis præsertim vngues colore liuescunt: vertigine corripiuntur; vocem cum murmure edunt, & oculos toruè mouent; frigidus erumpit sudor, præsertim circa frontem. Hæc ergo manifestum præbent indicium assumpti veneni, maximè autem si sequantur post assumptum cibum, & iis qui optima viuendi ratione vti consueuerunt: quandoquidem tam mala esse posset, in aliquo victus ratio, quod humores inde geniti tractu temporis vsque adeò corrumperentur, vt contracta veneni natura, cum naturæ inferrent, & eadem iam dicta cierent symptomata, vt testatur Gal. *lib.* 6. *de locis affect.* & *lib. de cibis boni & mali succi*; & nos quotidie experimento comprobamus quod multi ex praua viuendi ratione in morbos contumaces ac perniciosos incidunt. De veneris autem illis quæ suis manifestis qualitatibus agunt ne verbum tangam, cum sua similiter accidentia inferunt, quorum manifesta etiã præbent indicia, nam quæ caliditate excedunt, omnia membra interna celeriter inflammant, sitim ingentissimam excitant, inquietudinem continuam inducunt, oculos inflammatione male habent, & continuum prouocant sudorem. Et sic de reliquis.

His ergo sic se habentibus cum nobis non constet prædictæ mulieri aliquod ex supradictis accidentibus superuenisse statim ab assumpto cibo, sed febre fuerit correpta, illáque continua, cum vomitu continuo à cibo, & forsitan per paucos dies antequam suum clauderet diem, continuo etiam cum alui fluore, cum extremis corporis partibus frigidis, cum lingua nigerrima, cum cordis affectibus, ac animi deliquiis, cum siti clamosa, quæ accidentia, cum vt plurimum consequi soleant febres mali moris, atque exitiosas, ideò non sunt manifesta assumpti veneni indicia. In praxi enim quotidie videmus huiusmodi morborum genera quæ breui temporis spatio homines enecant, cum similibus, imò & longè grauioribus symptomatibus quæ ortum habent non ab ingesto veneno, sed vel ab internâ inflammatione colliquante humores ac solidas corporis partes, vel ab humorum prauitate ab excellenti putredine producta quæ non modo calore, sed & venenata qualitate cor fatigat, & sæuissima adinstar veneni parit accidentia, vt testis est Gal. *locis supra adductis.* & præsertim cum ex cadaueris dissectione nullum apparuerit indicium assumpti veneni, vt ex dictis Chirurgi perissimi ac aliorum Doctorum qui interfuerunt facilè deprehenditur. Ideo sum in voto quod potius inclinandum sit, quod vi morbi quam ingesti veneni decessisse poterit.

CONSILIVM LVII.

H. Cardani opinio de obitu nobilissimæ fœminæ.

CVm Illustris Domina Olympia Domini Ruldassaris Euglielmi vxor filiam pepererit die vigesima octaua Nouembris proxime præteriti, hora secunda noctis. Et post partum satis laboriosum purgauerit sanguinem serosum & aquosum nec admodum rubicundum, vt retulerunt mulieres. Quæ sanguinis excretio perseuerauit quinque vel sex tantum diebus: deinde prorsus cessauit. Et cum ab hac integrè suppressa purgatione, illico subsecutus sit dolor intentissimus circa pubem & partes imas, sed potissimum iuxta collum vesicæ: nam dum vrinam reddebat, & paulò ante maxima afficiebatur molestia: post mictionem verò augebatur

gebatur & adeò vrgebat, vt vix sufferre posset. Ideò fuit vocatus Dominus Rodulphus die septimâ vel octauâ à partu, quo tempore puerperij purgamenta amplius, vt dictum est, non prodibant: imò per biduum antè, vt puerpera affirmabat, defecerunt. Ipsam reperit cū febre satis insigni, & cum grauissimo dolore circa pudenda: febris, vt ipse affirmat, seruabat typum duplicis tertianæ continuæ per subingressum: quotidie enim circa vesperas exacerbabatur: dolores continui erant cum maximo incendio iuxta pubem, & semper grauiores fiebant tempore mictionis. Aluum habebat turbatam, ita vt singulis diebus ter & quater aluus sponte dimitteret excrementa liquida, & admodum fætida. Multa interim præstita fuerunt. Et quoniam omnia mala exordiebātur à suppressa puerperij purgatione, vt clarè patet: Et vt ex Hipp. & Galen. detiretia quampluribus in lotia colligitur, sed potissimum libro de natura pueri: & primo de morbis muliebribus circa medium & circa finem. Ideo missus fuit sanguis à venâ pedis, infixæ fuerunt cucurbitulæ circa coxas & crura, frictiones quoque factæ & multa alia adhibita & exhibita fuerunt, vt purgationes reuocarentur. Tandem nonnullis diebus translactis cessarunt dolores, & febris admodum imminuta, etiam si purgationes non refluxerint, & sic eam dimisit tanquam melius habentem, & præsertim quia remedia admodum respuebat. Post verò eius discessum & paucis ab hinc diebus correpta fuit dolore & inflammatione mãmæ sinistræ: Et vocato Barbitonsore Chirurgo fuit curata adhibitus is quibusdã inũctionibus atque emplastris. Et tandem fuit coactus deuenire ad incisionem à qua exiit copia saniei: Verum natura non contenta illa incisione duobus aliis in locis suppurauit, & puris quantitatem non mediocrem exercuit. Et quoniam nobilis hæc mulier in dies videbatur labi in deterius, & maximè conquerebatur de angustia, difficultate spirandi ac aliis affectibus Thoracis & gulæ. Obid octaua vel nona die currẽtis mensis Ianuarij iterum vir eius eundem Dominum Rodulphum accersiuit qui eandem inuenit, vt testatur acuta ac lethali febre laborãtem cum maxima anhelitus difficultate, & cum tanta imbecillitate virium, vt vix ausus sit vlla aggredi auxilia. Die duodecima eiusdem mensis periit, & causa partus, vt clarè patet, quia ab initio primis quinque vel sex à partu diebus suppressæ omnino fuerunt puerperij purgationes quæ nunquam prodierunt vsque ad interitum. Quod autem omnia symptomata atque mala quæ passa est nobilissima mulier à partu ortum duxerint, clarè ostendit Hipp. *lib. de natura pueri* dum inquit: *Si enim non purgetur mulier à purgationibus partus, morbus magnus ipsam corripiet, & periculum vitæ incurret.* Deinde subiungit. *Purgatio à partu quæ in foemellâ fit, in quadraginta duobus diebus: in masculo in triginta vt tardissime continget.* Rursus *Primo de morbis muliebribus* eandem sententiã confirmat ac corroborat dicens, *Prodeunt puerperij purgamenta sanæ mulieri sufficienter primum sesqui heminæ mensura, aut paulo plura, postea adhuc pauciora iuxta hanc rationem donec cessent. Prodeunt autem velut sanguis à victima, si sana, velut diximus, fuerit, & sana futura est & cito congelatur ac purgatur. Et post partum plerumque sanæ mulieri contingit, vt post puellæ partum in quadraginta duobus diebus diuturnissima purgatio* fiat. *Extra periculum autem est etiam si viginti quinque diebus purgetur. Post masculi verò partum, purgatio diuturnior fit in triginta diebus: extra periculum est etiam quæ in viginti diebus etiam contingit.* Hæc Hippocrates. Cum igitur in casu nostro mulier non expurgauerit nisi sex diebus vel septem ad summum, & id quod purgauit, non sanguis fuit qualis ex victima, sed serosus ac tenuis admodum, & cum paucior fuerit purgatio & specie deterior, quæ ostendit nec mulierem sanam esse nec sanam fore, futuram ideo nos pro veritate requisiti iudicamus prædictam mulierem periisse ex causa partus, etiamsi obierit quadragesima quinta die à partu: omnia mala à diminuta & praua puerperij purgatione exordia sumpsisse, à quibus tandem subsecuta est mors.

HISTORIA MORBI VALIDISSIMI.

Post peractam libri secundi Cortradicentium medicorum disputationem, Princeps Optime ac Sapientissime, visum est mihi vtile pauca addere pre exemplis Consiliorum, & nouorum auxiliorum tum etiam morborum. Selegi autem morbum meo iudicio difficilimum, è re occasione natã: tum etiam medicamentum validissimum, consiliumque morbi obscurissimi, quod tamen forte mihi quadam exarandum venerat prioribus diebus. Ergo cùm calendis Augusti, anni 1545. Mediolanum è Papia reuersus essem, ad pristinam medendi exercitationem me contuli, atque ea solitâ vsus felicitate, præter duos diutino morbo sub aliis Medicis conflictatos, neminem penitus morte amisi: cùm tamen quingentis, ac etiam pluribus, ad Aprilis vsque Calendas, ægris manus admouissem: tantum potest vera ars, si ad hos fucatos nebulones conferatur, qui non artis præceptis intenti, sed conspirationibus atque calumniis, bonos quide infamiâ, ciues autem ægros morte afficiunt. Sub Calendis Aprilis tamen quibusdam manus admoui, qui omnes cùm vno ac eodem morbo laborarent, 20. die sub initio periere nec vllus celerius aut tardius ex languentibus. Quinimò adeò constanter eam diem obtinuerunt, vt cum quædam mulier Anastasia in domo illustris viri comitis Ioannis firmi Triultij ægrotaret eo morbo, à prima statim visitatione liberè affirmauerim eam proxima die Dominica succedenti nocte perituram, quod esset ea nox 20. diei initium: ego autem 15. die morbi vocatus sum, reliquo tempore in manibus fuit medici experti amicique nostri, ac rectè in arte sentientis. Cùm

igitur quinque sic periissent, nec venæ sectio, nec purgatio, nec vinum, nec victus tenuis, nec vini abstinentia, nec cataplasmata, nec ea quæ cordi conferunt, profuissent: sed eodem morbo laborantes, iisdem symptomatibus, eodemque modo ac eadem die perirent: visum est mihi dignum munus, si qualis hic esset morbus adeò lethalis conscriberem. Primum, quæ laborabant omnes fuerunt iuuenculæ virgines, atque hoc mirum, dolor aderat super vmbilicum, assidua nausea & cibi fastidium: tum deiectiones corruptæ male olentes, & quibusdam diebus plusquam conueniret, venter demittebat, aliis autem mediocriter sistebatur: non tamen decretoria erant hæc, nec diebus decretoriis, spiratio ipsa paululum densa, & non omninò naturalis: calor exterior moderatus adeò, vt vix persuadere possem astantibus quòd febricitarent: pulsus tamen duri, veloces, parui ac frequentes, validam febrem ostendebant: lotia qualia sanorum fermè, nebulæ aliquando suspensæ in his, aliquando sedimentum. Mens continuè constans, vigiliæ doloris perpetuitatem consequebantur: nec tamen semper dolor somnum vincebat, sub 11. diem omnibus omnia visa sunt mitiora. Pulsus tamen aderat cordis, & singultus: sub 17. omnia adeò manifestè intendebantur, vt morbi magnitudo ne ipsos iam tunc lateret astantes, à 14. die venter totus vbi ventriculi regio dolitabat, cum ipsis lateribus, tum etiam intumuit. 19. oleosum quiddam ac quasi subnigrum euomebant: initio die 20. moriebantur: mortuis vngues liuidi ac subnigri, & venter, vt vter inflatus: dum viuerent benè semper sperabant, & nunquam delirabant. 19. difficultas spirandi neipsum latebat ægrotantem, die 18. omnes aluum copiosè demittebant. Hæc fuit morbi sæuissimi enarratio, quæ tamen paucissimis aduenit. Nunc igitur videndum qualis nam fuerit morbus: atque vt existimo hæc dispositio est ventriculi phlegmo, inquit enim Rases, lib. 9. ad Almans. c. 64. vt quidam de nominibus soliciti dicunt: Si cum dolore ventriculi febris fuerit, & apostema manifestum cum sensu caloris in tactu æger ex basilica (iecorariam solemus vocare (sanguinem mittat, haud dubiè quia phlegmonem adesse intelligit, vt etiam Matthæus Ferrarius in expositione docet, & Plateatius, docentes etiam generationem ex mente Gentilis si quidem, quòd fiat per infusionem bilis in tunicas ex concauo venientis. Et patet: quòd Symptomata secundum illos præter propria etiam signa conueniunt: & sunt, Doloris vehementia, æstus magnus, pulsus cordis, syncope, frigiditas extremitatũ, sudor frigidus, deiectio appetentiæ, corruptio exeuntium. Quod autem dicunt de stupore, alienatione, conuulsione ac subeth, non apte ponitur, nam cataphora laborant, atque sic subeth exponi debet, cum subeth seu grauis somnus à frigida causa & plerunque humida fiat, carum vocant Græci. Reliqua non sunt signa propria, nec etiam vera persæpè, nec secundum rationem. Nam licet sit in membro neruoso, quia tamen extenditur ab omni parte, non fit vera cõuulsio sed singultus, qui species est conuulsionis. Sed vt ad Rasem iterũ reuertar, ipse posuit suam curam meliorem in lib. Diuisionum per lactis potum & compressionem: sed hoc cùm iam fuerit suppuratum, quod in phlegmone cõtinetur. Sed & quæ ad pulsum attinent, his consentiunt quæ à Galeno in quarto de Præsagio ex pulsibus, cap. 6 scribuntur. Pulsus duri atque creberrimi in ventriculi phlegmone sunt. Sed si in ore eius sit plegmon, adeò duri esse nequeunt. Dilucidius etiam dum de Causis pulsuum, lib. 4. cap. 14. loquitur ex Isagoge. Nam si inflammatus sit duntaxat, ita mutat pulsum, vt neruosi corporis diximus inflammationem solere. Si comprimatur, vellicetur, languescat, singultiat, vomat, nauseet, fastidiat, doleat pro genere symptomatis. Subiungit languidi parui paulò celeriores, & admodum crebri vadunt pulsus. Superius autem declarauit, quòd pulsus inflammationis partis neruosæ parvi sunt, duri atque serrini. Itaque de signis satis conuenit, licet parùm aptè ea disponant recentiores. Sed quomodo fiat hoc apud me vehementer dubiũ est. Nam quod ex infusione fiat chili ac nutrimenti, videtur fermè impossibile, videmus enim omnes phlegmones fieri ex venarum tumore, quod etiam sensisse videtur Galenus in libro de inæquali intemperie, c. 3. Quomodo autem fiat ex venis quæ ab hepate prodeunt adhuc dubium est, ille primò in exteriorem tantùm tunicam ventriculi ingrediuntur. Quod si ex caua vena proderent non mirum esset fieri phlegmonem. At Vesalius ostendit ex stelechia sola nutriri ventriculum: imponit autem Galeno quòd voluerit etiam ex caua venas ad illum perueniτe. Sed hoc Galenus non censet: in sexto enim Anatomicarum aggressionum, qui locus à Vesalio adducitur, inquit: Atque vena quædam ex iecinore ad lienem pertinet, cuius processus in ventriculum defertur: eius verò pars quædã, postquam omnibus lienis partibus propagines transmiserit, in ventriculi gibbum ascendit. Et infrà paulum: Vena portæ quam recentiores, quòd aliarum supple quæ ad membra nutrimenti deferuntur quasi caudex sit, πλεχῶν vocant, vbi manifestum est de portę vena illum intelligere, atque ob id minimè venam secare oportet. Hoc namque auxilium prætermittunt Alexander & Aëtius: Paulus autem curæ non meminit. At dices, Rases sanguinem mittit, & Auicenna & Auenzoar: Respondeo, morbi magnitudinem inspexere. Sed non est cura propria. Mirum est igitur vel quomodo fieri possit ex porta vena trahente, multóque magis quomodo curari, cum nec sectio venæ, nec clysteria, nec inedia auxilium afferant, cùm etiam inedia, & multò magis medicamentum omne vel etiam leniens non leue inferat detrimentum.

OPVS

OPVSCVLA MEDICA SENILIA

PROOEMIVM.

CVM anno M. D. LXII. animaduertissem curam dentiū à nullo antiquorum, sed nec recentiorum Medicorum traditam esse, eâ ratione *primum hunc librum de Dentibus*, conscripsi. Mox verò *rationalem curam* institui, eiúsque exemplo, cæterorum morborum, atque ita confeci *secundum librum*. Pôst vbi viderem quàm necessaria esset *purgantium medicamentorum notitia*, *tum* etiam *lenientium aluum*, ad generalem curam, addidi & *tertium*, & vt etiam speciatim prodesse posset, procuraui. Anno autem M. D. LXVI. cùm Franciscum *ex morbo regio* curandum suscepissem, adeóque implicitam curandi rationem sed etiam tractationem totam inuenissem, addidi & *quartum librum*. Consideraui deinceps, an quicquam præter hæc in totâ Medicinâ desideraretur; id autem tum mihi facile fuit, absoluto his diebus *Promptuario*: inuenique *Tympanitidem*, vnam desiderari, cuius ratio & causæ essent prætermissæ; cura autem cum illa quæ est Ascitidis inuoluta, non solùm perperam, sed etiam contrariâ ratione. Quamobrem illius tractationem paucis hic adieci, & curam, etiam tum (quod frequentissimè accidere cernebam, quodque à nemine traditum animaduerteram) cùm Ascitidi iungitur. Quia verò vsus secandi venam, non solùm in phlegmonis, sed etiam in febribus, adeò frequens erat, vt quotidie non semel occurreret, non tantùm curando, sed consulendo: atque de priore iam scripsissem in *secundo libro*, visum est vt ante curationem tympanitidis, paucula verba de hoc facerem, de illius in febribus administratione. Cùm enim febres aut cum abscessu fiant cerebri, pulmonis, iecoris, aut ventriculi, aut mesaræi; vt quandoque etiam, sed rariùs, renum, vesicæ, aut intestinorum, aut illos progignant, eásque pestilentes vocare (licet non rectè) soleamus: non ipsis venæ sectio debetur, nisi quatenus phlegmonarum ratio habenda sit. Ideoque & sectionis venæ quarti generis memineris; & quòd in aliis non mittimus, nisi quia non seruamus inediam, quæ tutior secum esset, cùm nec cogamur dare cibum, si non secemus: ideóque nec morbi materia augeatur, nec loco transmutetur, nec trahatur in membra principalia, sed concoquitur, neque natura terretur.

In phlegmonis autem iecoris & ventriculi tres sunt ordines: vel enim magnus est morbus, & vires imbecillæ, & tunc (inquit Galenus 10. *Artis cur. cap.* 5.) æger nullam habet spem; si enim cibum dederis, augebitur morbus, & etiam non concoquetur primo principio corrupto & eius calore: si non dederis, virtus vitalis, (*cuius merito solùm exhibetur cibus*, vt est *primo de Vict. in acut. comment.* 44.) cadet & morietur. Et etiam videberis hominem interfecisse: & quod maius est, vt *aliàs* docuit, suspectam inediam his quibus proficere posset, reddes, velut in duobus sequentibus casibus, atque etiam ob id eiusmodi ægri morientur. Secundus ordo est eorum in quibus validæ sunt vires; & hos deducere oportet prorsus sine cibo, donec morbus declinauerit. Et si morbus non magnus, nihil

nihil dabis prorsus, nec medicamenti ratione incoctum in aquâ: si magnus, dabis, vt dixi, colocynthidem etiam & centaurium, si duritiem contraxerit. Nam dupliciter pereclitari potest æger: vel malè suppurato abscessu per febrem, & breui; vel indurato seriùs, & per hydropem quam vocant ascitem: antea verò maximè per filiculam & hellebori corticem. Sed si vires sint penè mediocres, nec morbus adeò magnus vt sperare possis, tunc huiusmodi cum ptisanâ dabis modicâ, aut (intellige) cum cremore, vide rationem victûs phlegmonarum. 11. *Methodi*, *cap*, 17. Non meminit autem sectionis venæ, quoniam præsupponit factam ab initio. Vnde nota quòd longè meliùs etiam ac tutius administretur ante initium phlegmones. Quinimò contrarium eius faciunt Medici ad vnguem, quod facere debent, & contra Galeni sententiam; ante enim quàm synochus in synocham conuertatur, mittenduis est sanguis, & tutò semper, & maiore cum vtilitate, & persæpe vsque ad animi deliquium. Et tunc vrinæ, vt planum est bonæ sunt, quia nullum ostendunt signum putredinis, sed & pulsus sunt æquales & ordinati ob eandem causam, licèt sint, quantumcunque magni, veloces, & frequentes. Cùm autem apparent signa putredinis, inæqualitas in pulsu & vrina rubra & crassa, tum periculosius est mittere sanguinem, & minùs etiam vtile, saltem nunquam debemus adeò largâ vti sectione venæ. Hæc autem demonstrata sunt *nono Artis curandi*, *cap*. 4. & in *vndecimo*, *cap*. 14. quod ad parcitatem attinet. Inquit enim: *Cùm neque putredo, neque obstructio sanguinis missione curentur, cùm horum alterum affuerit, tantò minus detrahendum sanguinis, quantum sufficiat ad concoquendum reliquum humoris, aut aperiendum obstructiones.* Liquet igitur cùm vrina bona est, tum securiùs, tum vtiliùs mitti sanguinem: cùm est cum signis putredinis, periculosius esse, licèt maior tum vrgeat necessitas, quam volens Princeps indicare, *quarta primi*, *cap*. 20. illis verbis: *Et cum apparuerit vrina crassa & rubra, illicò mitte sanguinem*: occasionem dedit Medicis toties abertandi. Similiter cùm de cataplasmate actum sit, vt videretur illa probare, cum vix in duobus aut tribus casibus conueniant præcordiis, abscessu iecoris, ventriculi, & lienis, in cæteris dicat Galenus, 11. *Artis cur. cap*. 15. *perniciosa esse cataplasmata præcordiis, & ob ea diuites, tum phlegmone corripi, cùm pauperes ad morbi finem perueneré, tum verò plurimos ex eis suffocari: eos autem qui illis non laborant morbis, innumerabiles esse: illos autem* [qui laborent] *quàm paucissimos*, constat Medicos causam mortis penè omnibus præbere, cùm etiam non solùm præcordiis, sed pectori eadem adhibeant, cui nullo in casu conuenire videntur, nisi phlegmone laborent, idque perraro, iubètque *cap*. 17. *lib. proximè citati, cibis tantùm nos fidere.* Quòd si quis obiiciat, ipsum *cap*. 16. *lib. eiusd.* docere medicamenta & perfusiones, quibus vtamur ad iecur, & ventriculum, & lienem; palàm est loqui solùm de phlegmonis, ne vllomodo in casibus aliis, sed prorsus abstinendum, vt etiam ab Epithematibus cordis, nisi ex aquâ & vino, refrigerandi causâ.

Circa autem tympanitidis curam, quæ pura est, & incipit à voluulo, & hæc sola est sine aquâ; voluulus autem à coli dolore distinguitur, & si confirmetur, ad hydropem siccam necessariò perducit. Primùm ergo vinciemus strictè fasciis ventrem à superiori inferiùs: & glandibus assiduè vtemur, rutâ, nitro, centaurio minore, cyclamino, cucumis anguini radice cum absinthio decoctâ, aloe, bitumine. In omnibus fouere podicem calidis spongiis iuuat, [iuuat] & cuminum. Inde apponendæ cucurbitulæ ad locos inanes, pòst, suprà: & demum scarificandæ, vlceraque sale inspergenda: & pòst imponendum emplastrum è lauri baccis. Potus anethi decoctum: à potu, panis ex aquâ feruente. Victus tenuis & leuissimus. Diatrion pipereon & theriaca. Et non purgandus aut propriis & validis; validis non propriis, hierâ Archigenis ex colocynthide: propriis non validis, rhabarbaro, & nostro succo cichorij cum spicâ, & erythrodano; ciet enim vrinam. Proprium validum, scilla cruda, ammoniacum. Iréos partes iiij. galbani ij. opopanacis j. cum aceto: & radix rapuli dulcis, rauanellus vocata, quæ cruda est vt in acetariis, detur.

Cura verò compositæ cum ascitæ adhuc est difficilior, quia, vt dixi, non distinxerunt vnam ab alterâ; cùm distinxerunt, curam non posuerunt & vna est alteri contraria, cùm ascites indigeat exsiccantibus & purgantibus, tympanites

neutro

neutro; *cùm* vt Paulus inquit, *fiat à ventriculo, colo, & siccitate peritonæi, & vteri, & post febres longas* intellige ex acutis relictas, ex *Hippocrate 2. Prognost.* 1. sicut ascites ex lienis scirrho aut iecoris, semper autem cum eius vitio, nisi ob renes accidat, aut venarum emulgentium rapturam. Illud etiam indiscussum relictum est, an omnis tympanites ex vitio iecoris fiat? Emplastra autem vtrique noxia ex æquo sunt; calorem enim naturalem dissoluunt, præternaturalem accendunt, transpirationem quæ maximè necessaria est, prohibent, imò inflammationem in visceribus & maximè iecore accendunt. Neque conueniunt etiam *extenuantia* secundùm Paulum, per quæ intelligo quæ vrinam prouocant & sudorem. Vt tamen aliquid agamus, cùm frequentissimus sit hic casus complicationis vnius cum alterâ; rarissimè inueniantur simplices: tribus modis obuiam eundem est, [hanc parenthesin in M S. fugientibus literis scriptam, hariolari oportuit [(Memineris autem quàm facilè educitur aqua, etiam eam partitè absorbeas, & sensim, & non repentè, ne corpus emacietur, & vires debilitentur:) vel per ea quæ vtrisque prosunt, & hæc sunt optima; & si flatus exuberet, cibi sint panis ex iuribus crassis, & somnus: potus perquàm exiguus oleum recens amygdalarum & pistaciorum punica allium, cancri, testudines, panis ex zeâ, frictio, & exercitatio moderata, ex 14. 3. *tract.* 4. *in cura.* Ex medicamentis filix & anethum, de quo etiam *suprà.* Cibi autem medicamentosi, allium recens maximè cum centaurio, plantago, apium, hyssopus, cyperus, cinnamomum: & præcipuè lac equinum loco camelini, aut saltem caprarum depastarum hederam ferentem aureas baccas, chamelæam, & ebulum, saliuncam, aristolochiam, scopam regiam, anethum plurimum. Duo illa antidota Pauli vnum *ex Caryophyllis*: aliud ex 15. *Asaro, amomo, balsamo cassiâ, calamo aromatico, cucumino, dauco, glycyrrizâ, iunco rotundo* (lego ego, odorato,) *hyperico, myrrhâ, petroselino, pipere, seseli sphondylio.* Sed hæc duo ego potiùs in secundo genere auxiliorum ponerem: scilicet quæ plus prosunt vni, quàm alteri noceant: velut etiam vinum absinthites, quod ab Alexandro *lib. 9 cap.* 3. laudatur: & scilla cocta, cruda, & eius acetum, adeò laudata à Theodoro Prisciano, *lib. 2. cap.* 19. & ab Apuleio *lib. de Herbis, cap.* 42. præter consuetos authores. Illud animaduertere decet, plures ob imperitiam periclitari, quoniam non sensim hic morbus plerumque traducitur, vt alij & vt optarent patientes, sed post aliquot dies quasi irratâ operâ repentè exoneratâ materiâ detumescit venter. Sufficit ergo vt non crescat: vnde & mensura illius, & comparatio potûs & vrinæ fieri præcipitur. In tertio genere sunt quæ plurimum prosunt vni, licèt alteri parum obsint, atque ideò propinanda cùm exuberauit, velut tympanite [superante,] Pastillus noster tetrapharmacus, [videlicet] crocus, origanum, spica, anethum, in aceto triduo macerata, inde aceto subacta: quandoque spicæ loco anisum, aut fœniculum. Superante autem ascite, tetrapharmacum Apuleij, [quod recipit] chamelæam, chamædaphnem, chamædrin, chamæpityn. Item elleborus niger ritè exhibitus, maximè autem ex æthere resolutus per longos circuitûs, sicut per vrinam halicacabum. At si plurimum ascites præualuerit, & spes decidat, tentabimus valida & securiora medicamenta: Principis validissima & securissima. ℞. Seri equini (pro camelino) ℔. ij pityusæ. ℥v. salis gemmæ. ʒj. terantur & bulliant: & incipiat à ℔. ß. augendo ad ℔. j. Aliud validius. ℞. Cotonei dimidium, infundatur in aceto, & pòst tundatur cotoneum, cum tantundem foliorum chamelææ in vmbrâ siccatorum, exéptis omnibus neruis: acetum autem cum sacchara bulliat, vt in mellis spissitudinem redigatur: inde addatur cotoneum cum chamelæâ, & ab igne tollatur. Exhibeatur à ʒ. ß. ascendendo vsque ad ℥. ij. Et cùm accipit, huiusmodi seruet, vt ambulet, nec cibum accipiat, donec deiecerit quantum est quod accepit Tertium est Hiera Paccij, descripta à Scribonio Largo, & Marcello, & est tutior salubriórque, debétque accipi cum ptisana, & nihil aliud sumat æger, neque bibat, donec sanetur. Quod autem dixit Cælius Aurelianus 3. *Chronic. cap. vlt. quòd debeant cauere, cùm vrinam prouocant, ab aromaticis, vtanturque velut seminibus cucumerum*: intelligit, vitandam esse caliditatem; ob vrinam tamen prouocandam, & viscerum vtilitatem, vt dixi, odorata admittuntur: quamobrem crediderunt multi perperam, frigidum esse affectum, cum

calida admittantur. Sed non nisi ob dictas duas causas: secùs frigidis etiam recentiores vtuntur, quamuis dicant morbum fieri à frigiditate, idque licet videre in Galeni medicamento. Similiter aberrauerunt quòd cibaria calida conuenire viderunt: sed non ob affectum, sed quia illa solùm facilè concoquuntur; velut & humida, nec tamen dixerunt ascitem fieri à siccitate. Et scias quòd hydrops vtraque est finis malus morborum acutorum, sed tardior: Regius autem est morientium iam: quòd si non statim perimat, desperatarum febrium solutio est.

At si aqua exuperet, medicamine vtemur Principis, *in fine cap.* quod vrinam cit sub forma purgantis. ℞. Ellebori nigri, sem. vrticæ, partem j. spicæ Indæ, sem. halicacabi, part. iiij. Quantitas aureus, cum syrupo ex aromatibus. Tum iuxta pubem locus ceratis tegentibus [muniatur, quæ] attenuando, [constent] flore iunci odorati; siccando, stercore caprino; educendo, cyclamine; purgando, sem. chamelææ, succo aut radice cucumeris asinini. Mastiche siccat & roborat; ammoniacum concoquit & digerit: resina, tenax reddit. Ter aut quater vt maduerit in die, siccandum calefaciendúmque, nitróque priùs fricandus locus aut vino, aut lixiuio. Cùm declinauerit morbus, & tædet, vulturis pelle aut lupi, aut purpura foueatur ad palmum minorem, ita & pedes. In calida [causa] santalis; vbi [MS. frigidiora sint,] frigidior adsit, mastiche ex aceto iecur [foueatur.]

Demum si in morbis, maximè febribus, deficiant vires, illud vulgatum Galeni, *commem. ad aphor. 9. sect.1* malè interpretantur; *Casu dissoluente vires, cibum dare cogimur*, [dum] ad tempus casus referunt: id autem nisi nuper vocato te sine vituperatione fieri non potest, cum seu pereat, seu sanetur, perse, vel alium, inscitiæ arguaris. Quapropter dicit, *ante casum dandus est*, non potest autem esse vtilis, si phlegmone adsit, vt *duodecimo Artis curandi, cap. 3.* & *antea* docuerat, nisi cùm viralis citra naturalem cadit, *decimo eiusd. cap. 5. in fine.* Id contingit vel naturâ, vel ætate, vel euacuatione, vel dolore, vel oris ventriculi vitio, vel humorum tenuitate, cum raritate cutis, aut venenosa qualitate: cum sperare possis, medium te posse procedere inter summam vitalis facultatis imbecillitatem, & oppressionem naturalis producto morbo, *decimo eiusd. cap. 3.* & *duodecimo cap. 6.* Contingit enim etiam in aliis casibus, tum tuere vitale robur, plusquam ex morbi & causæ vi sit necessarium. Et tunc si omnino speres moriturum, prænunciata morte aliquantulum vitam producere præstat, quàm turpiter statim mori sinere, sed aliquanto melius ab initio abstinere à curatione.

LIBER PRIMVS,

DE DENTIBVS.

Qui est exemplum cuiuslibet alterius tractationis, summatim benè traditæ. Et non, vt nunc mos est eorum, qui ex libris turpiter tractatus conficiunt. Acriùs etiam illos coarguit, qui mille nugas præter propositum immiscent, auxilia sua etiam mirum in modum laudantes.

DEns est os multiplex ad mandendum, quod solum naturaliter cadere consueuit, in senecta. Eorum tria sunt genera, anteriores qui nobilissimi sunt, quoniam cibum incidunt, & sermonem iuuant, & ob decorem; & sunt quatuor. Quatuor qui illis assident; minus nobiles sunt, faciliùs excidunt, angusti, & radicibus minoribus implantati. Quatuor denique à lateribus eorum, acutiores, & canini dicti, quòd extra cæteros longitudine promineant, qui nobilitate secundum obtinent locum. Atque hæc duo genera vnicam tantum radicem habent. Reliqui omnes ad molendum facti in homine absoluto; quinque sunt vtrinque in mandibula suprà, & totidem infrà, vt omnes sint triginta duo; quanquam aliquibus hominibus desint, síntque viginti octo: aliis intra maxillam, vsque ad senectutem, & mortem contineantur; atque his inferioribus plerunque duæ tantum radices, superioribus autem tres. Nonnunquam inferiores ternis radicibus infiguntur, & superiores quaternis. Caui sunt dentes intùs, vt nutriantur, & vt vox prolata, elisa quasi ex fornice splendidiùs resonet: firmantur ipsa sede arcta foraminum maxillarum, & gingiuis circundantibus; alligantúrque sedi ipsi, neruo tertij paris, qui in ipsum dentem penetrat: vnde in auulsione principalis causa doloris, si ille non rectè eum eximat. Cauitates mandibularum, vbi dens erutus cum radice fuerit, obcæcantur & concluduntur;

&

& ob id, homines qui omnibus carent dentibus, viuunt ac mandunt tam benè fermè, vt quibus omnes sunt dentes, consolidato osse mandibulæ. Quòd si nouus dens exoriatur, non per priorem cauitatem prodit, sed aliud sibi foramen pangit, natura ossis mandibulæ cerea fermè, ad id apta. In concauitate autem dentium membranula illis assidet tenuissima, calidi, & frigidi sensum habens: sicci, humidi, & fracturæ, ni ad illam perueniat, expers. Ex omnibus dentibus anterioribus, atque etiam molaribus (sed non adeo euidens discrimen) nobiliores sunt inferiores superioribus. Vnde cornigeris dentes anteriores inferiores sunt: superiores nequaquam, nam ad incisionem plus faciunt inferiores dentes: nec hoc fraudi fuit ceruo, quin lustris plurimis viuat; nec elephanti, qui anterioribus vtrinque caret; quin ducentos annos excedere possit. Diximus autem plura de dentium origine, & his quæ eis accidunt in Paralipomenis.

Nunc tantùm ea adiciam, quæ ibi tradita non sunt. Ergo duodecim dentium radices, in vtero generantur in singulis mandibulis: cauitates per totam fermè radicem extenduntur, quòd extra gingiuas prominet totum solidum est. Venæ, & arteriæ ad imum radicis perueniunt, vnde dentes nutrimentum trahunt, neque enim par est os ex sanguine, cùm album sit, & durum, nutriri. In generatione auté dentis antequam erumpat, folliculus quidam circumtenditur (quæ natura est omnium quæ oriuntur) ex quo dum oritur, erumpit. Postquam infans exortus est, dentes geniti iam erumpunt, & alij generantur, duo hinc inde superiores, totidémque inferiores. Ex eadem radice quandoque, nonnunquam ex alia, cùm dentium natura fœcunda fuerit, prodeunt dentes, (si non celeriter qui iam nutat in pueris euellatur) in malis plerunque extrà, in maxillis intrà: nam hoc putat malam superiorem mandibulam esse Falloppius, maxillam autem inferiorem, quam nos distinctionem breuitatis causâ sequemur? etsi non nesciamus etiam, teste Cicerone, idem esse prorsus malam, & maxillam. Porrò in illis, velut reliquis omnibus, contingunt tria opera Medici, conseruare, custodire, sanare. Conseruamus confirmando robur, atque augendo, tum his quæ admouentur, tum his quæ prohibentur. Prohibentur vnde noxæ adueniunt, scilicet à capite, ventriculo, & his quæ eduntur velut dura, aut lenta, aut calida vehementer, aut frigida? & maximè si alterum alteri succedat. Quæ etiam propriè nocent, porri, lac, pisces saliti. Ergo mandere mastichen malum est. Quod si ori solùm noceant, velut punica, dentifriciis, & collutione oris vino, vel aqua satisfaciemus: capiti autem aër frigidus & humidus, & caput lauare ac madefacere, nec siccare, maximè si somno se dedat, & aër nocturnus, & crepusculorum, & habitare circa stagna, & lacus, & cohibere fluxiones ad nares. Ex ventriculo autem cruditates. Et dactyli nocent valde proprietate sua, & ob lentorem. Quæ verò dentibus sunt amica, sal, inula, & mel, & purgationes humorum crudorum, & collutio à cœna, & manè cum aqua frigida, sic vt cerebrum non lædatur, aliter cum vino.

Custodia debetur læsis parum, aut debilibus, aut vbi signa læsionis apparuerint, senibus ergo, & his quorum parentes infœlices hac in parte fuerunt; si mandendo vim debitam non retinent; si scabri, aut caui, aut rubigine teneantur; si calorem, frigus, aut dura non ferant benè; si paululum doleant; si frigidi videantur, si erosi, si locum, situmúe mutent; si colore non sint candido, peius autem si nigro, si tophi lapidei adhæreant; si findantur; si gingiuæ crescant diminutis dentibus, aut minuantur crescentibus illis, tunc causam venari statim debemus, quæ si ex mansis est, ea edere debemus quæ confirmant, colluere, & abstinere: si ab ætate, dicemus infrà ad dentes firmandos, & quæcumque robur naturæ adaugent, Sunt verò exercitatio, somnus, cibi boni alacritas, etiam vsque ad iram, vinũ moderatum, venus turgens, & moschus ac crocus. Quæ autem fiunt à cerebro, maiorem noxam afferunt, quæ à ventriculo fœdiorem. Si igitur à capite, purgabis illud cum elleboro, agarico, vel melle roseo. Propria tamen capiti sunt catapotia dura & magna, quia diu manent in ventriculo, cochia, vel aurea Nicolai. Rectâ victus ratione institutâ, decoctum ligni sancti exhibebis, saltem matutino, vt sudet, inde ad errhina transibis. Caput conseruant præcipuè aër lympidus, tenuis, non siccus valde, nec magnis ventis agitatus; habitare in cubiculo quod æstate primos tantum radios solis exorientis excipiat, hyeme ad tertiam fermè diei partem, quod fit ratione astronomica loco aprico, atque salubri. Somnus longus, quietus, cubiculo frigido, sicco, perflato, claro, contectum mollibus & calidis operimentis, non tamen pluma nec grauibus; singulo die cùm exurgit, alui, vrinæ, & cerebri excrementa purgare: aqua etiam tepida per nares attracta. Caput frigida lauare post calidam, vt Celsus. Contegere oportet illud perpetuò, vt Hippocrates solebat, aut nudum semper habere, vt Æthiopes, cùm nostra ætate nec semper, nec totum contectum habeamus, aut nudum. Ex cibis columbi teneri, cerebra gallinarum, amygdalæque, vt Auenzoar, sed & pineæ. Ex medicamentis, ambra orientalis, seseli semen, sphondilium, serpillum, nux myristica media ex Galeno. Pura medicamenta, stœchas, & in frigida valde intemperie, castorium, ex purgantibus colocynthis, elleborus, & agaricus. Agallochum verò, & betonica, & verbena multum conferunt capiti. Sed & amomum, garyophili, & lignum sanctum. Suffitus quoque in calida, animæ albæ (lachryma est Indica) & santhalorum, quos citrinos vocamus, & cuiuscunque lachrymæ caliditate non exuberantis, astringentis, atque odoratæ. Hepar puræ violæ, & vtriusque floris nympheæ, & rosæ odor suauissimus; cuiuscunque autem arboris odor æstate gratus est, confert; & si spinosa sit, nec amara valdè, lachryma illius vtilis est in suffitu, velut & rosæ leuiter in furno siccatæ,

tæ, & inter lintea seruatæ. Ex amuletis Smaragdus Orientalis collo appensa. Iuuant & fontes in adiutoriis brachiorum in difficili, cum tenuis humor abundat, & lædit: optimum est autem in his vti cibis bene coctis, vt etiam in ventriculi imbecillitate. Sed & exercitatio matutina optima est ad confirmandum ventriculum, & ad sensus acuendos, & animum exhilarandum in loco libero, amœno, & aprico. Purgat ventriculum mel roseum in quo vel radix arriplicis, vel mercurialis, cum semine macerata permanserint, addito gingibere, aut nuce myristica, aut cardamomo. Sed & polium, origanum orientale, thymus, sphondiliúmque propriè incocta veteri gallo, ius efficiunt optimum ad purgandum ventriculum. Nec transeundum ad topica vocata, nisi præpurgato corpore, aliter particula impletur. Validior autem debet esse purgatio in iam laborantibus, quàm in his quos custodimus propter temporis breuitatem.

Signa autem purgati corporis sunt leuitas eius, & claritas sensuum, & vigor operationum, bona vrina, & quies. Et neque per dolores, nec fomenta, nec vini potum morbus exacerbatur, imò alacrior, & robustior videtur æger, si tamen sola adsit inquies cum sensuum claritate, vaporum abundantiam cum pauca materia significat, quam, vt plurimum excrementorũ eiectio, & deambulatio leuis soluit. Sed si cum sensuum obscuritate, & corporis grauitate fuerit, multam malam materiam peccare ostendit; eadémque est ratio partis. Corpus autem mundum naturaliter est, quod ex paruis contusionibus in defluxiones non incidit. Et si ex contusione in eas deciderit, nihil perpetitur præter solitum, parúmque durat inflammatio; sed sine contusione resoluitur. Est etiam leue in motibus, boni coloris, & promptum ad operationes. Est autem id in cuius venis non exuberat sanguis, nec extra propria loca sunt humores: in propriis autem locis exiguum in vesica fellis bilis flauæ, in liene nigræ, in intestinis pituitosi succi atque mucosi: sed solum residet quod aggeneratur in dies quoniam in dies etiam resoluitur. Et quod præcipuum est cuius humores in venis sunt adeò permisti, vt solum potentia humores, actu autem sanguis existant, atque ideò non facilè separantur. Vnde multi sunt biliosi, pituitosique natura, mundo tamen corpore; vt contra cacochymi, & immundi temperamento proximi; habent enim humores æquales, sed non permistos. Hoc est, quod dixit Hippocrates in libro de humana natura oportere hominem commoderatum esse in humorum quantitate, & nihil secreti habere. Hinc fit vt in euacuationibus ab aliquibus multa, ab aliis nulla educantur: nam si humores benè permisti fuerint, parum aut nihil educitur, tametsi homo sit biliosus, aut pituitosus; aliis qui videntur temperati, plurima. Quare indicium immundi corporis est, ex medicamento plurima educi. Inde illa Hippocratis 2. *Epid. sect. 2. in princ. excretio sincera mala.* Et illud, 2. *Aphor. 37. qui benè se habent corpore, difficulter ferunt medicationes.* Atque hæc eadem singulis in membris obseruanda sunt. Errhina autem, aqua maluæ cum manna, succus bliti, & amaraci, vel radicis colocynthidis, & elaterium cum lacte.

Quæ verò dentibus seruandis propria sunt, hæc sunt: collutio oris manè cum frigida, & fricare illos cum sale, alumine, & capite leporis exustis, quotidie læuigatis: Græcè est quòd ex Archigene scriptum est à Galeno 5. *de co. secund. loc. cap.* 9. & manauit in Principem, scilicet quòd collutio oris bis in mense, ex vino decoctionis tithymalorum, præseruat illos ab omni dolore. Poterat credi, nisi hoc non contentus, addidisset, detracta amariore parte Ægyptiæ fabæ, ac cum reliquo gingiuis confricatis, tum dentibus, semel in anno, toto eo anno non dolituros dentes. Hoc vt impudens mendacium subiicuit Princeps, 7. 3. *cap.* 2. Primamque laudem tithymalo relinquit. Ego prodesse multum hoc existimo, quoniam auocat à dentis substantia, teste Galeno *cap.* 12. sed neque auxilium fabæ prorsus contemno, modò pudicè proferatur. Marcelli medicamentum efficax ex aceto acri, & cedriæ pari pondere, & quarta parte ponderis ex communi alumine, incoctis æneo vasi, & tæda pingui permistis, donec in mellis spissitudinem coëant, ter in mense dentes, ac gingiuas fricando cum eo. Refert etiam succo satiuæ cucurbitæ confirmari dentes, & à dolore prohiberi. Plures affirmant inulam commansam ieiuno ventriculo, assiduè dentes à labe immunes reddere. Scribonij elegans dentifricium, quo vsa est Octauia Augusti soror. Parietariam cum semine, & radice ablutam vno die sicca; rursus muria merge, & sicca, post in olla altera cum sale foliis in cinerem redigito, ac spicæ parum addtio, dentes purgat, dealbat, confirmat, & gingiuas æquat. Plinius secundus ad dentes iam male affectos, nec prorsus incolumes, gargarisma per septem dies ex marrubij decocto imperat, fasciculos autem tres illius coquit: mox sparso semine alterci super prunas, iubet hauriri fumum, vt gingivæ siccentur, & dentes confirmentur. Affirmat Aëtius *lib.* 8. *cap.* 28. si in libram & semis, succi racemorum vitis albæ sexcunx corticis radicis mori incoquatur, eum, qui septem diebus continuis hoc medicamento os colluerit, perpetuò dentium dolore cariturum, quòd etsi vtilissimum esse crediderim, non tamen verum esse potest. Arabes iubent gingiuas, & dentes fricari radice nucis. Contra venena pleràque, & argentum viuum, seu etiam coctum illitum corrumpit omnino dentes, & fœdat eos.

Cum verò dentem fricare volumus, puluis sit tenuissimus, & in pollinem redactus, molliterque fricentur, & prius inter se constringantur. Et cum laborat vnus dens, illi soli auxilium adhiberi debet. Curatio verò fiat præpurgato corpore, & cerebro, vt dictum est, non tamen hoc expectare oportet: sed symptomati cum dolorem mollientibus occurrendum; aliter dolor materiam trahendo, semetipsum auget, & noxas affert intolerabiles; sic & motus infirmum reddit dentem,

dentem, augétque illius mobilitatem. In reliquis affectibus causam antea possumus tollere, quàm partem medicemur. In omni autem dolore ac motu, tum erosione, iuuat, imò plerunque necessarium est à mandendo abstinere, vtique sorbitionibus, & similiter cũ dens est cõfractus, aut auulsus, propterea vtendum est cibis valde coctis, & si necesse sit multum nutrire, adhibeantur oua sorbilia. (nam oua, & iecora, & cerebra animalium, & lac, alioqui mollia, coctione dura euadunt tactu, & etiam ad concoquendum. Vnde etiam partes aliquas huiusmodi esse in piscibus verisimile est) & succus carnis, & ius illius, cùm pullus iam coctus, contusus leuiter, eidem incoquitur, inde pinguedo tollitur.

Sæpenumero autem licet rariùs quàm Medici iubeant contingit, vt necesse sit dentem eruere. Imperitus enim Medicus facilè ad hoc recurrit, ne sponte, aut ab alio Medico æger sanetur, & ipse ignorantiæ arguatur. Sed vt & aliquid egregij facere videantur, imperiúmque in homines habere, Tonsores autem lucri causa. *Gal. 5. de com.med.sec.lo.cap. 8. & p.7.3.cap. 5.& 17.* Sed neque audire illos oportet qui dicunt, quòd si causa doloris sit in neruo, nec semper, nec per se finiri dolorem extirpatione, sed solum quandoque patefacto loco in quẽ materia: quæ in neruum tendebat effundatur. Nam licet neruus solum denti adhæreat, eruto tum dente, primum cessat compressio quæ erat causa saltem magnitudinis doloris; inde etiam ipse neruus adeò læditur, vt sensus fermè expers reddatur. Cuius indicio est quod relictæ radices plerunque absque dolore extrahantur; & etiam quia obducta post auulsum dentem carne, non amplius dolet locus: Iuuat autem ad hoc auulso dente, statim colluere locum frigida, & sanguinem sistit, nec os lædit, quoniam durius est neruo, nec conuulsum vt ille. Auellitur quatuor in casibus, vel ob dolorem cui nulla prosunt auxilia, vel quia mouetur sine spe vt confirmari possit, vel quia corruptus, & maximè si inutilis sit, ob id & fœtorem oris pariat, vel quia congeminatus impedimentum mandendo pariat, atque deformitatem. Non tamen ob has causas semper extrahere eum oportet, sed cùm, vt dixi, inuictæ fuerint, & affectum maximum pepererint: aut cùm multæ vnà coëunt, vt inquit Hippocrates *in libro de Affectionibus pag. 2. Si dens erosus & commotus dolet, eradica illum: si autem neque commotus, neque erosus, exustione illum resicabis*: In dubio videtur esse si commotus sit, & non erosus aut contrà. Patet autem tentandam esse mitiorem viam, quandoquidem ex hoc altera non præcluditur: namque sæpe accidit etiam sensibus, & in caninis dentibus, vt dolerent vehementer, essént que commoti & erosi; & tamen prorsus restituerentur quibusdam ex toto, aliis excideret pars corrupta solum. Adeò verò hoc dubium est, vt nullum sit securius euellendi dentes argumentum, quàm diuturna, & perseuerans commotio, quæ nullis cedit auxiliis, tunc enim non solùm labant; sed etiam à radice elongantur: Et hoc cùm ex morbo acciderit, nam ex ictu tandiu manet spes cõfirmandi dentem, quandiu est in ore; vel si ita computruit, vt cadauer sit, non dens, vel cùm adeò exesus est, vt ad mandendum prorsus sit inutilis: quartum cùm morbus propagatur ex vno in alium: tunc enim melius est seruare bonos, extractis corruptis, quàm illis retentis omnes corrumpere. Atque hoc tum illud de sphacelo rarum est, reliqui duo casus accidunt frequentissimè.

Tria autem sunt in hoc consideranda, primum quòd cùm dentes numero suo constant tunc cauendum est ne eruantur. Et si ex eadem parte integra sit series, tunc cauere oportet: at contra cùm sunt quasi alterni, atque hinc inde deficiunt, lacerones, aut si ex aduerso positus in mandibula alia deest, tunc extirpatio vtilis est, non solùm non incommoda. Nam si ex aduerso positus deficiat dens, crescit, & mandendo collidit alios, atque colliditur, vt sine spe bona, etiam alios ex aduerso positos moueat. Caninos etiam ferro eximere ob radicis magnitudinẽ periculosum est; tum quia nonnunquam portio nerui, aut venulæ, educitur, vnde fluit sanguis vsque ad mortem, non quia tantus fluere possit, sed quoniam cerebrum male afficitur ex consensu, & cùm finitum credimus morbum, sanguine arteriæ maximè coërcito, moritur homo, hoc autem senibus præcipuè accicit. In anterioribus noxa est, vitium sermonis, ac deformitas; in molaribus, detrimentnm maximum est, quòd vitæ, & valetudini extracti plurimum obsint. Est etiam in his id incommodi, quòd persæpe habeant radicem obliquè infixam, vt cùm vi extrahitur, pars ossis mandibulæ sequatur, laceretúrque gingiua, vt mors etiã quandoque contingat: certè magnum malum est, & incommodum: propterea periti artifices sensim illos eruunt, & si contumax sit dens, illum frangunt, radicésque relinquunt, quæ etsi tædium afferant, paulò post tamen sponte commotæ, atque laxatæ sine periculo, atque molestia decidunt, & eruuntur, debet autem antequam extrahatur per plures dies antea dens moueri, seu quia exesus sit, seu qui iam motus ob dolorem, extirpare illum sit propositum; tandiu ergo (quod ego in meis expertus sum) mouendus est, vt nullo negotio educi possit. Ergo cum multi iam dentes sparsim deficiunt, commodiùs agitur, si omnes extrahantur. Sine dentibus enim multi diu vixerunt, è quibus pater meus viginti duobus annis superfuit, cùm quinquagesimo octauo ætatis anno omnes amisisset. Et Iacobus Hebræus Papiæ iam decem, & nouem (viuit enim cum sexaginta octo natus amiserit illos) nec solum vixere, sed robusti & crustas panis atterebant, mandebántque dura, & concoquebant egregiè: nam os maxillæ tum vicem dentium subit, & multis, vt dicemus dentes iminascuntur qui neque dolent, nec cadunt; verum nec etiam prominent. Præstat ferro eruere dentes, cùm iam moti sunt, & labant; nec æger moram ferre potest.

In aliis autem, & maximè cùm ob erosionem

sionem educere illos proponimus, cauendum est ne ante centesimum vigesimũ diem curemus: eo enim termino finiuntur continui morbi, sicut intermittentes anno. Plerunque autem commoti finiuntur in quadraginta diebus, & dolores sedantur: circuitibus enim morbi omnes præter fixas intemperies aguntur, tum maximè febres & fluxiones. Quomodo enim dixisset Hippocrates, *Quibuscunque morbi podagrici fiunt, hi sedata in quadraginta diebus fluxionem finiuntur*: vnde interim velut in febribus, quanto plus egeris, tanto plus nocebis, vt sufficiant communia remedia acopa, ob dolorem, abstinentia à mandendo, sorbitiones tenues, facilis coctionis, & euacuationes. Si igitur eruere dentem per medicamenta propositum sit, nudabis illum gingiua, & lappæ radice calefacta illum tanges. Vel cera munitis dentibus altrinsecus cinerem lumbricorum superpone, & cùm refrixerit mutato, pòst etiam cera super dentem contineatur horis duabus, vel pyrethrũ in aceto accerrimo per quadraginta dies coniice, & siccatum serua ad vsum: fertur autem in hora dentem confrigere, & eximere, propterea cùm feruidum etiam imponatur, præmunire oportet diligentissimè vicinos dentes, non solum ob proprietatem, sed ob calorem qui semper noxius est dentibus; quanto magis hæc quæ præter vehementer calorem, vt dixi, proprietate malefica prædita sunt. In corrosos autem immittitur eundem ad affectum cedria, seu chelidoniæ radicis succus, aut radicum capparorum, vel radix ranunculi, vel euphorbium, aut lacertæ iecur, sed maximè tithymali, & caprifici loco arido natorum lac. Verùm ne linguam exurant, & in dente retineantur, cùm imposita fuerint, cera obduci foramen debet. Hæc omnia dentes frangunt, & eximunt. Sed ranæ adeps, vt testatur Princeps frangit, & eximit, nec exurit, sed proprietate quadam. At præcipua sunt, & sine malitia, aqua separationis, quæ vim ignis habet, salis, nitri, atque aluminis, quorum altero calefacit, altero astringit. Nullus primum est dolor, seu super gingiuam, seu dentem ponatur, quanquam super gingiuam posita, statim illam dealbet, & fumum velut ignis vrens efficiat. Quinimò duo habet præcipua, primum quòd corruptum à sano separat, atque corruptum extrahit, sanam partem confirmat, sicut in dente meo anteriore dextro, atque superiore cùm moueretur, nec durum quicquam premere posset, squammam eduxit quartæ parti dentis fermè coæqualem ab imo vsque ad radicem, reliquum firmauit & sanum reddidit. Secundum quòd dentes qui per illam exidunt, quoniam quod sanum est, ab eâ non vitiatur, iterum redeunt ac renascuntur, modò radicis portio aliqua sit incorrupta. Ea enim naturali vi incrementum accipiens, liberaque à putrefacta parte dum in dies augetur, dentem producit, sed non eminentem à gingiua; verùm quasi altitudine coæqualem illi. Atque ita duo nati sunt molares Hieronymo Guerrino Gemmario, cùm dito excidissent illi eodem loco, anno supra sexagesimum quartum. Erant autem vltimi maxillæ dextræ inferioris. Non possunt autem multum crescere, quoniam radix exigua est, quæ subministrat alimentum. Modus autem est vt bis in die cum gossipio stylo circumuoluto, & ex ea aqua imbuto ter gingiua in radice, & totus dens tangatur, idque quatuor perpetuis diebus: mutare autem gossipium bis in die oportet, & labia diuellere dum tangitur dens ac gingiua, nec linguam admouere debet patiens. Si tamen admoueat, saporem solùm sentiet acerbum. Excidit autem plerunque citra vigesimam diem: sed si cauus sit dens gossipium aqua imbutum cera obducta intra illam cauitatem recluditur. Hæc Guerrinus me docuit. Nuper experimento didici huius aquæ vsum securiorem esse in dente, quàm in gingiuis; erodit enim illos immoderatus vsus, quibus sublatis dens nuta vt, & excidit, etsi sine dolore: Qua de causa olei ex sulphure vsum introduxi, is enim securior est, & toti denti copiosiùs illinitur, donec gingiuam etiam attingat, & acerbo sapore saliuam elicit plurimam, quam expues, semel in die vteris, manè scilicet, sufficiúntque duo dies, aut tres. Primum si errare non times est longè sincerius. Scribonius autem Largus *cap.* 53. erosos dentes, & cauos curare docet ferro, nec quicquam requiritur, nisi peritus artifex, túncque superflua sunt reliqua auxilia, & ignis hic celeriùs frangit, separat, & educit. Verum timorem pauidis affert, & non adeò certè separat purum ab impuro, vt ferrum. Modus hic est, canaliculus ex ferro, loco superponitur, huic stylus similiter ferreus ad mensuram, qua ad dentis medium pertingere possit, ac terebrare, eoúsque claui capite prominente, ne plus iusto queat descendere candens igne immittitur, donec prope gingiuam peruenerit, tum celerrimè premitur, donec dentem parte aliqua terrebrarit: quo educto vlcus butyro curatur, Sed si caries est in radice, imbecillitas & commotio est insanabilis; ideò dens extrahatur. Indicium est quòd dens contrahitur, & fit deformis; & quoniam sensim aduenit. Et si neruus, aut gingiua laborat, tunc non conuenit dentem extrahere. Sed saluo illo partibus laborantibus succurratur.

Medicationes autem propriè sunt nouem generum, contraria auxilia, causæ anodyna, seu super dentem, seu collutiones, exurentia quæ stuporem inducunt, fomenta indita in aurum, suffitus, amuleta, & præcantationes. Porrò collutiones nisi mitigatoriæ, & temperatæ non conueniunt: nam si propria, & contraria adhibeamus, vt potè laboranti astringentia, si frigida applicueris non proderunt, aut valde parum. Si calidas colluctiones, primum intercedit gingiua, & tanta mora opus esset, vt nullus æger perferre posset. Sed fac vt perferat: nunquid non astringit hæc collutio alios dentes qui non laborant, at si astrictæ sanorum dentium radices ab osse, & multis diebus contabescent, inde redeuntibus mandibulis ad naturalem statum, laxabuntur

reliqui

reliqui dentes, & hoc erit lucrum egregiæ illius tuæ curationis. Vt verè dici possit, quod in adagio fertur. Qui vult sanitatem amittere illam committat Medicis. Sed & quantum auris distat à dentibus? Dices, Hippocrates monuit nos, quòd in suppuratione dentis suppurationem auris facit. Sed aliud est de opere naturæ, aliud Medici: cur enim in colica non apponimus cucurbitulas dorso, cùm tamen colica quandoque in resolunem neruorum, qui a dorso oriantur finiatur. Sed liceat in aurem transmittere aliquid quod humorem à capite deriuantem temperet, & neruos eius partis demulceat? quid de aliis auxiliis dicendum erit? Nónne etiam illud admirabile est, cùm addunt debere medicamenta fricari super dentes, qui vix ferunt ob dolorem & commotionem seipsos: hi tamen volunt vt ferant fricationem? Atque in hoc Princeps magis tolerandus est, & reliqui Arabes, nam inter multa absurda, etiam aliquorum excellentium auxiliorum meminerunt. Et scias quòd nihil est deterius, quàm curam facere laboriosam & leuem, vt contrà est optima non laboriosa. Quocirca nostra ætate meritò Medicos reliquerunt, & Tonsoribus, Circulatoribus, & præcantatoribus adhæsere. Et rectè, nam à Medicis exhauriuntur, molestiâ afficiuntur, & læduntur: vnde in ἐπαχθῆ illam desinunt, quâ consulunt vt dens tandem eximatur? quod cùm fit, nullum certius experimentum imperitiæ Medici haberi potest, si sæpiùs id eueniat. Demiror autem Galenum tam oscitanter hæc tractare, vt nullâ excusatione dignus sit, & illud dici possit, *Et crimine ab vno Disce omnes.* Nam de Aëtio, & Principe, & aliis, nil mirum est, cùm illum secuti sint, nec tantam professi sunt in medendo diligentiam, at methodi auctorem methodo prorsus caruisse mirum est. Ergo in huiusmodi curâ, stylo cum gossipio auxilia denti laboranti soli imponenda sunt, & strenua & tepida, vel etiam feruentia; & super gingiuam, & si oporteat etiam vicinos munire dentes, nedum vt per modum collutionum adhibeantur.

CAPVT II.

De morbis dentium in specie.

Morbi igitur qui eis contingunt, sunt quandoque dolor, commotio, imbecillitas, stupor, & deformitas. Priores tres sunt, videntúrque morbi: stupor est, sed non videtur, deformitas videtur, sed non est. De *Dolore* igitur primùm agendum est. Causas igitur perquirere oportet, quæ septem esse possunt. Materia quæuis; solutio continui omnis quæ fit, & in neruo etiam quæ facta est? qualiscunque abscessus, flatus, vermes, frigida intemperies. Nam calida dolorem non facit, nisi dum vlcerat: sicca, priuatio quædam est; vt nec humida, quod Galenus fatetur: sed vt beatas illas tetradas complerent, talia commenti sunt. Erosio etiam facta in dente, dolorem non excitat, cùm per multos annos aliqui patientes sine dolore maneant: est tamen obnoxia quibuscunque causis. Verùm putredo dum fit, dúmque facta est, & alteri communicatur, propriè doloris causa est. Prò curâ autem iam plura, vt dixi, habes communia auxilia, speciatim autem quærendum diligenter, tum etiam communibus non eodem modo vtendum, contegeréque interim atque fouere maxillas, si iuuat, succidâ lanâ & œsypo, vel rosaceo oportebit. Iuuant etiam tepida in os indita & innoxia, oleum rosaceum, sapa minùs & lac, sed os postmodùm vino colluere oportet: aurem quoque eiusdem lateris gossipio ex moscho propriè obturabimus, nam & dentis dolori confert, & aurem securam reddet: inde ad communia auxilia procedendum? velut si rubent genæ præter solitum, aut inflantur, aut dolor spargitur per eas, nec obstet imbecillitas virium. illicò sanguis mittendus ex aduerso latere patientis particulæ. Et vbi eadem signa maneant, nec sponte omnia desederint, ex eodem latere ex venâ communi mittendus est rursus sanguis. Sed si ab initio hæc signa apparuerint, statim sanguinem mittes, catapotiorum exhibitionem differes, sufficiétque cibum non habere, neque cruditatem in ventriculo: pòst autem, aut statim antè, aluum lenies cassiâ nigrâ, vel clystere molli. Inde ad frictiones, cucurbitulas, lotiones brachiorum & crurum transibis, donec influere in caput materia desierit prorsus. Tunc considera an dolor sit ex gingiuâ, & sufficiet butyrum imponere, & suppuratam dissecare, & est cura leuis. Si verò dolor sit in dente, considera an in radice, an vbi detectum est, an in neutro loco, sed quasi vbi gingiuæ cõmittitur. Si ibi, periculum est ne sit ob erosionem: si in radice, percipies locum doloris in radice, quasi in cauitate: & si sit in parte detectâ, erit in dente ipso: & si in toto dente, & aliàs non est questus de hoc, origo est à radice: & si questus est aliàs, & fœdus est dens, & parum validus etiam in intermissione doloris, dens est corruptus & erosus interiùs. Et si subitò fit vehementissimus, deinde commotus paululum, ad quendam situm cessat, vt aliàs de meipso narraui, qui cùm tangerem certo digito, statim leuabatur dolor, & non fecissem cum alio digito; tunc est à vapore, qui moto dente in illam partem viam exitûs inuenit. Semper medicaberis è regione patientis partis, tum maximè in radice, & cum his quæ multam materiam ex loco proliciant, cuiusmodi sunt radices tithymali, & pyrethrum, & ex genere apophlegmatismatum, vt staphysagria, & succus hederæ nigræ. Præpurgato dente atque eius radice, ea apponito quæ intẽperiem reprimant, veluti quæ proprietate etiam dentium dolorem sedant, talia sunt dens canis? iubet Aëtius eum qui mittitur, nomine laborantis sumere. Hic suffitus plurimùm prodesse creditur Millefolium quoque, aliàs stratiotes, in vino decoctũ, ficus siccæ suppositæ, quæ toto tempore morbi prodesse consueuerũt. Alterci semen suffitũ, vnde ob id dentalẽ vocant herbã.

Refert Amatus Lusitanus quendam dolore dentium prorsus liberatum radice alterci supra dentem calefactâ per horam retentâ. Plantaginis radices, asparagorum semẽ, radix ephemeri, & solani succus aut decoctum, oleúmque rosaceum, & Theriaca, confirmat, æquat, torporémque inducit: Camphora etiam in dolore & erosione multum prodest, nec vrit, sed perfrigerat. At si nihil horum profuerit, tunc per canaliculũ stylum oleo feruenti ex gossipio imbutum sæpiùs super radicem pone? etenim facile est vt ob dolorem materia foràs protrudatur & sanetur; si non, terebra dentem cum gingiuâ ipsâ prope radicem, descendétque forsan dolor, & curabitur à morbo. Quòd si nec hoc profuerit, putaminibus nucum, id est, duriore cortice, non septis ignitis diuisâ gingiuâ, dentem è regione loci dolentis excoque, efficit dolorem minorẽ acerbitas cruciatus dentis; neque enim potest multum sentire auxilij sensus qui adeò morbo premitur. Quòd si nec hoc iuuat, ardentibus acubus, velut suprà diximus, toties variis in locis dens perforetur, quòd dolor desinat: sit ferrum, non chalybs. Verùm periculum est ex hoc auxilio ne dens frangatur, & per frusta exeat. In huiusmodi autem affectibus iuuat etiam per se scalpello gingiuam diuidere, & resecare carnis crassioris tubercula obtuso gladio, non incidente; dolor enim dolorem leuat; & effusio illa sanguinis atri alleuiat patientem. Natura quoque solet illuc transmittere materiam, & ex abscessûs imagine in dente, aut neruo denti substrato, efficere in gingiuâ verum abscessum, quod longè leuius est. Et cùm dolor intolerabilis est, nec sedatur auxiliis, curari solet assiduâ super dentem aquæ frigidissimæ administratione. Et creditur quòd pungere gingiuam atque exulcerare cum radio pastinacæ, vel aculeo qui in dorso draconis piscis inuenitur, statim leuet dolorem. Cúmque ego aculeos hos habeam, non tamen ausus sum experiri. Ex illorum vulnere aliqui prope mortẽ adducti sunt. Sed pastinacæ radius securior est. Quòd si dolor dentes infestet, alios atque alios inuadendo, nec firmatur? tunc spes est certa salutis: sed oportet vt à topicis omnibus auxiliis caueas, confidendo in generalibus. Sed si sedem firmam retinet, perinde tamen etiam vagatur in loca diuersa, hic sanè morbus grauis est; habet enim rationem primigenij, & per consensum facti. Sed & in hoc cauere oportet à topicis, donec exactè corpus & caput prępurgaueris, atque eodem donec doloris vehementia cesset, & pòst confirmare vniuersos dentes, antequam eum qui laborat, cures, & forsan cura valida illius coget naturam obliuisci, ne alios infestet.

Communia autem auxilia non solùm in dentium morbis, sed in omnibus sunt septem? Venæ sectio, cucurbitulæ, alui lenitio, purgatio, frictio, quies, cibus exquisitè tenuis, vel facilis coctionis, & boni alimenti. Generalia autem dicuntur contraria in qualitate, vt calida, repellentia, astringentia, discutientia. Victus exquisitè contrarius, abstinentia à vino, tum reliqua similia. Quibus cùm perperam vsus fueris, vel quia non illi morbo propria sint, vel quoniam magnitudinem illius excedant, febres sequuntur, ventriculi deiectiones, renum lapilli, coli dolores, flatus, alui astrictæ, atrophiæ, imbecillitates, herniæ, fluxus vrinæ, & similia, iuxta naturam contrarij primi morbi.

Quòd si nec communibus, nec generalibus, aut propriis auxiliis dentis dolor mitigatur? Marcellus adhibet præcantationes, Lunâ decrescente, die Martis aut Iouis, dicet patiens septies, *Argidam margidam sturgidam.* Aliud: Nudo capite & manibus, sub diuo in ranæ os inspues, dicens vt *auferat dolorem tui dentis aut dentium*, eámque dimitte incolumem. Aliud: Suspẽde vermem qui in fructu cardonis, viuũ in sericeo panno purpurei coloris, & cum filo simili. Sed & in dentium conseruatione dicit, quòd si quis singulo anno cùm primùm videt hirundinem ad aquam limpidam statim tacitus accurrat, & pleno ex aquâ ore, digitis mediis vtrisque tam dextræ, quàm sinistræ manus, quos infames vocat, dentes fricet dicens: *Hirundo tibi dico, quemadmodum hoc in rostro tuo non erit, sic dentes mihi non doleant toto anno*, dentes nunquam dolituros. Dices, quas nugas agis? hæcne decora Medico? hæcne sacra; Respondeo sacra & pia esse omnia quæ ad bonum finem fiunt, & solum in Deum intentâ mente. Si de Dæmonibus malis cogites potiùs periucundum, ne idololatra fias aut deterior. Quod ad naturalem spectat rationem, non sum vt reliqui superstitiosus. Est ratio vna naturalis, seu ex siderum conspiratione constans, seu aliâ causâ, quâ dolores singuli statim tolli possunt: hoc scio, quia expertus sum partim, partim vidi experiri, (non est autem in aliis præterquã in hac, & hæmorrhagiâ.) Ergo si quis talia nouerit, statim sanabit. Omnes autem homines omnia sciunt: forsan aliquando detegetur: forsan virtus est in illis ipsis hominibus qui hæc agunt, non in aliis. Si ita, est parum prosperum auxilium, quòd in fortuna constitutũ est, vt in tales homines incidamus. Sin aliter, ars est ignota, nunc pro præcantatione habetur, sicut esset ars vitri, & histrionum, & organorũ, si essent ignotæ. Sat est cogitatione ac fide huiusmodi constare, non auxilio Dæmonum, aut aliâ ratione, quandoquidem sensus doloris fit solùm animâ ægrotante, & fluxiones subiacẽt (præcipuè sãguinis) spirituum motibus, & visionibus nostris interioribus. Cùm ergo in his semper, & solùm in his hoc possunt animæ cogitantes, manifestum est huiusmodi subiacere illis, & per eadem fieri.

Secundus morbus est *Commotio dentis*, quæ in senibus dolorem non affert, aut perexiguum etiam in mandendo, ideò educi non postulat, nec sanari spes est; sed sufficit aquâ frigidâ aut vino afferre solamẽ, cibísque qui optimè nutriunt. Vnde cùm seni dolor labanti denti aduenit, non est vt Medicus excuset se de ætate, sed perinde curandus ac si iuuenis esset. Nam commouetur vel ob imminutam radicem, vel laxatam ossis cauitatem, vel humidam substantiam obli-

nentem

nentem radices dentiũ. De neruo non video: nam neque tenditur, neque adeò annexus est, vt continere possit: vel ratione separationis gingiuæ. Sed cur ex dolore ferme semper nutant dentes? Forsan aliquis dicat priùs quęrendum esse, cur qui nutant dolent? Sed verè priùs sæpe videmus dolere quàm nutare; & quo magis dolet eò infirmiorem reddi. Causam igitur esse reor, quòd ad dolorem materia confluit, quæ inter dentem & cauitatem posita, illum & euellit, & etiam labare facit, vt oleum quod infixa emollit. Altera est quod longè paucior materia dolorẽ excitare potest quàm mouere dentẽ, ex quo fit vt dolor cùm perseuerat, commoueat dentem, & dens commotus, dolorem facilè perpetiatur; nam si commouetur, inane relinquitur; *Ad loca autem inania*, vt Hippocrates inquit, *flatus facilè impellitur, & impellit humorem.* Quamobrem & dolor, & commotio se inuicem vicissim augent. Eiusce autem rei causâ difficilis cura redditur, cùm inuicem iunguntur. At commotio quæ non ex dolore prouenit, deteriorem habet causam; neque enim humorem, sed vel siccitatem radicis, vel laxitatem cauitatis, vel quia loco motus est, vt dixi, causam habet: sed tamen cùm leuis fuerit, & humidam quandam ob substantiam, sed temperatam, vel ex ictu contigerit, facilè curari solet. Sed si magna commotio sit, & circa dolorem, vel cum exiguo dolore, primùm expurgabimus, vt dixi, diligenter totum corpus, ventriculúmque præcipuè, & peculiariter caput, & per errhina; à vino prorsus & omnibus eduliis nutrientibus abstinebimus. Potus decoctum ligni sancti moderatum, & pro ratione temporis, vt nunc in æstate feruentissimâ & siccissimâ huius anni M.D.LXII. quotquot fuerint iam centum fermè annis, sufficiet vnciâ ligni iam decocti pro syrupo, in libras duas aquæ insideat viginti quatuor horis, & coquatur ad consumptionem tertiæ partis: immisceatur, si quis velit, optimè percolatæ Iulebum rosaceum. Errhina quoque fiunt iuxta naturam peccãtis materiæ si qua fit, & quæ dentibus à proprietate conferunt, vt ex succo cucurbitæ, si siccum immoderatè sit cerebrum vel albæ violæ decocto; partim succo, partim decocto, si humidum. Nec sternutatio excitetur, quia affectus labore non indiget. Pòst fortè legendum: [*vti localiter procedatur*,] vbi aliqualiter procedatur, ex pulueribus præseruantibus radix commoti dentis, dente manu fixo retento paulatim fricetur. Et si prodest, die sequenti magis, augendóque sensim, donec firmetur, abstinere à locutione, quantum fieri potest, debemus, præsertim si qui laborat dens, ex anterioribus sit. Quòd si non iuuetur, ad ea quæ multam materiam educunt, est properandum; cuiusmodi sunt tithymali lac, & radix anguini cucumeris. Sed si lapsus sit à siccitate, tunc iungatur ter & quater oleo lentiscino in radicibus bene pingui. Quòd si sit à materiâ humidâ, & iam illa non profecerint quantum velis, tunc vel perfora dentem in confinio gingiuæ cum terebrâ, ita vt non lædas: sed acu ignita perfora ipsum in radice, & si tunc ob effluxionem, tum ob siccitatem ab igne contractam, firmabitur; debet autem vlcus quandiu potest apertum teneri. Et scias quòd margatitæ & corollariæ confirmant dentes, si radicibus illorum affricetur, & si parti quæ prominet, exterunt illos & reddunt candidos, & gingiuas ad [MS.*ob*] mediocritatem reducunt. Iacobus Philippus Airoldus retulit Empiricum commotos dentes curasse cãdido tartaro & croco affricatis; astringit vehementer certè tartarum. In pollinem deduci omnia talia oportet, tum quia magis hærent, tum quia penetrãt gingiuas, minimè cruentãt: humorũ autẽ fluxiones deteriores sunt in hoc quàm flatus, & maximè ad radices dẽtiũ, quòd illos putrefaciãt & extirpẽt.

Quòd si sit *Dentis imbecillitas*, nec per se dolet dens, nec tamen potest ferre contactum alicuius rei duræ, licèt à reliquis non lædatur; est pessimus morbus, & difficilior dolore ad curandum, nisi quòd non adeò tollit somnum, vt dolor; & hic est morbus, quem ego nunc patior; & habet curam generalem cum prioribus duobus. In speciali autẽ considerare oportet, an sit breuis dens, & carne multâ & fœdâ obsitus; aut longus & sine carne. Oportet etiam animaduertere à quo magis lædatur; si à calore, calidus humor est in radice; si à frigore frigidus; si à duris propriè neruus qui subest intumuit, neque enim potest abscessum pati, esset enim in dolore maximo atq; assiduo. Nec trahatur, etsi enim attractione alleuietur dolor, magis cõmouebitur dens: si comprimatur, dolor augebitur: & dum sic manet, continuè fit imbecilior, eò quòd natura dentẽ remoueat, vt dolorẽ leuet. Oportet igitur locum doloris vngue ad amussim deprehẽdere, & è regione affricare, quæ materiam extrahere possunt copiosã; inde siccare vehementer; & si materia calida sit, cum leniter frigidis; si frigida, cum calidis valdè, sic etiã vt ad exulcerantia transeas & exurentia. Prætereà si caro superexcreuerit, separare ab imo, id est, iuxta dẽtis apicem, non radicem incidere, permittere fluere sanguinẽ inde, lauare frigidâ aquâ, vel vino pro intemperiei ratione. Pòst medicamentis discutientibus vti, velut lachrymâ Elemi, quæ trahit, siccat, confirmat, hærétque loco, & est odorata, & vtilis capiti. Quòd si ista non prosint, trãsibimus ad adurentia, vt in dolore; solùm omittere præstat perforationem dentis absque exustione, est enim parum efficax, & molestiâ plenum auxilium. Terebrare autem cum acu igneâ radicem, est vltimum & vehemens, sed horrẽdum auxilium, plusquã in dolore, quia antea homo non dolet; sed si proferre possit, si dens non sit putridus, liberat. Sed si inter radicem & radicem permeet, tunc sanatur & seruatur dens. Sed hæc spes in anterioribus dentibus non esse potest; quare melius est vt vstio ad corticem dentis finiatur. Et si imbecillitas sit ex veneno epoto aut inuncto, finitur intra quadragesimum diem, eiectâ per os materiâ, & fetitur sapor quidã, sicut sanguinis, aut salsæ pituitæ, aut calidæ rei, & quia intra hunc terminum dens cadit aut cõfirmatur. Ideò qui inũgũt laborãtes Indicâ lue, vtũtur collutionibus astringẽtibus,

admistis dulcibus propter pectus. Et si sit putridus, ob aliam scilicet causam, procedit semper in deterius, & est eradicandus. Et si non est putridus per se, paulatim tandẽ sanatur cum bono regimine post illum terminum, quia materia vel congelatur, vel ad suppurationem transit, vel expellitur, vt in iuncturis etiam. Et paulatim etiam assuescit ferre luxatus, quod non poterat ab initio: & si omnino ferri incommodum diu non potest, limâ dens ex aduerso comminuendus erit. Palam est autem quòd causæ imbecillitatis, non possunt esse nisi materia præsens, vel solutio continui in osse, vel putredo, vel frigida intemperies: nam abscessus & solutio continui quæ fit, & vermes & flatûs, dolores sine contactu rerum aliarum etiam excitant. Solutio autem continui in osse iam facta dum comprimitur dens: aliam potest nouam facere solutionem, aut neruum offendere, sicut & leuis frigida intemperies. At cùm non læditur, nec à frigidis, nec à calidis, intemperies non est, læderetur enim à simili. Excauato etiam dente qualitas statim ad profundum permeans, dolorem excitat. Dentibus autem propriè confert corallium album seu colore:

Stuporis autem causæ sunt, corruptio dentis, aut in neruo læsio magna, quæ si fuerit ex frigido, sentietur ad tactum frigidior; læditur si ab humido, vel sicco, vel à materiâ, infusâ nihil plus patiatur ipso stupore. Hic morbus perniciem affert, ex quo materna mihi auia mortua est: non enim licet mandere cibum, quoadusque oportet. At si est ab obstructione, facilè recedit. Aliter plerũque iungitur imbecillitati, & est ex non perfectâ corruptione dentis, sed membrana tamen illa corrupta est, & est spacelos dentis. Et morbi omnes dentium trahunt se inuicem; nam stupor si perseueret, trahit imbecillitatem; & imbecilitas, vt visum est, dolorem & commotionem; & commotio dolorem & imbecillitatem & stuporem in mandendo; similiter dolor reliqua omnia. Et illa rursus fœditatem; & ex fœditate imbecillitas aduenit, aut corruptio gingiuarum; ex quâ fit commotio & reliqui morbi dentium. Et ideò cura stuporis huius debet ab initio esse, scindendo gingiuas & fricando cum nitro vsto & prouocare saliuam, & colluere os modò cum frigidâ, modò cum vino austero, & exercere dentem vt sentiat, modò piper, modò pyrethrum supponere, & tamineæ vuæ grana, vt & lenius gingiber melle aliquo celebri conditum, quo etiam si affricentur dentes, conseruantur & à carie tuetur eos. Est etiam genus stuporis, quod congelationem vocant, & ex esu ciborum acerborum. Et est symptomata leue, quod per se finitur, de quo intentio non est loqui in hoc libro; sufficit enim sal assiduè affricare. Sicut neque de difficili eruptione dentis è gingiuâ, in quâ sufficit mel cm butyro, aut cerebrum leporis adhibere, & perferre Ephemeram æquo animo, etiamsi per tres dies laborantem vrgeat. Vnde suadeo ne dolore vel pruritu victus, iubeat sibi diuidi scalpro gingiuam, vt erumpat dens; consolidatur enim interdum vlcus, & intumescit, & fit phlegmone cum eleuatione carnis, & fit res postmodum laboriosa, sic; *Maxima de nihilo nascitur historia.* Sed neque quomodo infantes sunt curandi in emissione dẽtium præsertim cùm conuelluntur, hæc enim aliò pertinent. Sufficiat ipsos alere parum nutrientibus sorbitionibus, & aluum lenem facere, & loco tepido continere, & smaragdum appendere, ex his quæ dicta sunt, illinere gingiuas, & fouere mandibulas, & loca neruorum circa illas, vsque ad collum, & spinam dorsi irino vnguento.

Deformitatis autem plures sunt species; color, scabrities, fractura, situs, numerus, nuditas, breuitas, longitudo, tophus, fœtor, raritas, squalor. Colorem candidum maximè præstat inter multa, frictio cum nitro & sale lapideo, & rebus notis, & iam dixi quòd aqua separationis admista vino rubro, inde infuso linteo candido bona est. In scabritie & tophis iuuat eadem aqua, & succus limonij, & smiris, & vitrum vstum, & calx corticum ostreorum, vel limaciarum. Et quandoque peruenire oportet ad puluerem adamantis, si sit diues, vt lapis impediat ortum gingiuæ. Et scias quòd tonsores isti cum suo ferro nocent plurimum dentibus: primùm quidem cùm vi nituntur auellere crustas illas & lapides, dentem concutiunt, & in radice debilitant; & etiam quoniam ferrum dentibus nocet, non ita gingiuis: Et ideò ferrum nunquam denti adhibeas. Dentiscalpia optima metallica fiunt ex auro. Si ergo tale quid sit amouendum, fricando cum his auferri debet; si non vnâ vice pluribus. Fructura similiter æquanda est smiride, ac similibus. Ita autem agere oportet; huiusmodi pulueres in linteo rariuscolo reclude, inde colliga firmiter, vt speciem cerasi parui referat, & cum illo fricabis locum. Sæpiùs autem colluat os, vt mundetur, & dens refrigeretur. In his enim actionibus quatuor pericula imminent? primum, ne lædatur dens trahendo quod annexum est; secundum, ne premendo commoueatur in radice, tamen [fortè legendum, *tametsi*,] & tunc non fiat manifestum; tertium, quia dens assiduâ frictione incalescit; quartum, ne à naturâ ferri vitietur. Et quanto longior & magis laboriosa fuerit operatio, tanto diutiùs à madendo quiescere oportet, & sæpius frigidâ aut vino acerbo in fundo putei refrigerato, dens collui & digito lauari. Et Tonsor exponat oculos & os infirmi versus lucem, vt docet Hippocrates. Situs obliquus causa est vt alios euertat dentes, & ab aliis euertatur, ideóque si imbecilles sint alioqui, cadunt in iuuentâ Huic non aliud est auxilium quàm mandere rotũdè, non rectè, & vt circumactus dens nec collidat, nec collidatur; hoc autem fit lentè mandendo. Numerus est [indebitus] vt duo sint in vnâ sede: & si non obsunt multum, dimittantur, aliter serrâ tenuissimâ & durissimâ secetur qui è regione non est: & locus sectionis aceto madescat, & dens sæpius aquâ frigidâ refrigeretur; & si aliquid relinquatur, auferatur cum pulueribus dictis, & etiam locus sectionis æquetur cum eisdem,

eiſdem , ne rurſus generetur. Pro generatione autem gingiuæ deficientis , primùm cauſam diligenter perdiſcere oportet. Eroditur ob dentis ſcabritiem & ſqualorem, ob pituitam deſcendentem à capite erodentem , ob vapores malos à ventriculo aſcendentes,frictionem non commoderatam,dum nimium ſtudent dentibus. Et ſi ſcabrities eſt in cauſâ aut ſqualor , remoue illa : & ſi deſtillatio,purga caput:& ſi ructus,purgetur lien à melancholiâ,& ventriculus ab humore crudo : & ſæpe colluat os frigidâ , & maximè cùm ructat : & vtatur Trageâ Franciſci de Pedemontibus,& [fortè leg. *ex*,] Coriandro , meliſsâ , caſſiâ ligneâ optimâ, atque ſaccharo poſt cibum?& ab acribus & ſalſis abſtineat. Et ſi fuerit frictio , deſiſtat ab illâ. Pòſt ſublatâ cauſâ ſumma curationis eſt in ſanguine draconis , ſeu cinnabari Dioſcoridis , & Iridis Illyricæ radix , & thus, ac eius cortex,& ſarcocolla. Et [ſi] quæ prohibent eroſionem eſt , vt lauetur gingiua aceto ſcillitico , inde lacte aſinino. Si verò creſcat nimium , incidatur cum ferro quod ſupereminet , aut eſt nigrum vel fœdum, & ſinas fluere ſanguinem. Pòſt impone Chalcanthum cum myrrhâ, aut alumen exuſtum.

Medicamen aſtringens dentes , & prohibens erodi gingiuas.

℞. Roſar. rubr. Balauſtior. vel cytinor. Fructuum myrti , & myricæ , thu. an. partem j. Fructuũ corni,rubi,mori,berberis.an. partem.j. cum. $\frac{1}{3}$ Tribulorum part.ij. Gallarum & nucum cupreſſ. an. partem iij. Santal. citrinor. partem iij. (qui etiam cùm ligneis priùs coquantur.) Coriandr. partem mediam : vuæ paſſæ cum arillis exiguis, partes iij. mellis Orienralis vel Hiſpani, partem j.ß. Aquæ, in quâ argentum & chalybs decies extincta ſint (ſed ſæpiùs argentum.) partes CXX. coquantur iuxta rationem,& in defecta vnum pro alio augeatur: ſic tamen vt ſint ſex ſaltem.

Cùm autem dens ſanus fuerit & breuis, accidit hoc plerumque ob longitudinem eius qui illi ex aduerſo poſitus eſt. Itaque comminuere eum oportet limâ, Nam ſi (vt referunt) B. Hieronymus limâ aptauit dentes , vt Chaldæam pronunciationem abſoluere poſſet ; quanto magis ob ſalutem id faciendum erit ? Etenim etſi paruum hoc videatur detrimentum , cùm tamen longior in edendo neceſſariò ex aduerſo poſitos allidat , fiet debilis & excidet , quamobrem & breuior. In omnibus ergo qui vel breuiorem habent dentem ex aduerſo poſitum, vel nullũ,ſummâ ope niti decet, vt quod ſupereminet ex alio contrapoſito tollatur.Quod ſi imbecillis ſit dens vel ſenectâ,vel malè firmus, & citra periculum comminui non poſſit ferro:tunc cote puluere ſmerilli vel adamantis illitâ comminuendus eſt , præſtâtque incertum certo periculum poſt habere.Breuẽ verò vt augeas,canino canis dente conſimili affrica,& caput ac ventriculum purga,& carnem mandibularum vtrinque dentes habentium, aut [*locus corruptus à librario*] ſi ex inferioribus anterioribus ſecurè edes,& ſuccũ etiam oſſis exſuge ; & oſſe ſiccato , & in puluerem redacto radicem iuxta gingiuam dentis intus & extrà fricato. Squalorem propriè aqua ſeparationis cum vino , ſuccus limonij fructus , & puluis margaritarum tollit affricàtus. Fœtor dentis vel ob gingiuæ putredinem contingit. Curetur igitur vt ſuprà dixi cùm corrumpitur & extuberat , maximè myrrha : vel ob cariem , & ferro dens purgari atque exſcindi debet purgato corpore: vel quia retinentur cibi reliquiæ in cauitate, vel inter dentem & dentem ob raritatem,& tunc aureo dentiſcalpio , durato à cibo purgetur diligenter , & colluatur os ſæpe aquâ. Et ex his quæ plurimum iuuant in omni eiuſmodi fœtore , eſt colluere os ex decocto foliorum & radicis apij cum vino , vel aquâ matutino , & à cœnâ,& mandere folia illius , dum ieiunus eſt. Nec laudo eos qui mandunt garyophyllos & caſſiam odoratam, & cætera huiuſmodi ad commendandum oris odorem. Corrumpunt enim alia dentes, alia gingiuas, & pituitam ad os trahunt, materiam morborum dentium , nec tollunt prauum odorem , ſed miſcent. Raritas autem dentiũ naturalis vitæ obeſt,quòd malè mandunt cibum.Vixit tamẽ diu Auguſtus. Alij. quòd infirmam vim genitalem ſignificet. Alij quod cerebrum minùs expurgetur , nam vbi dens prodit,eò patent viæ:ſed hæc ratio etſi Peripatetici ſit,infirma eſt:conſtat tamen ita eſſe. Eſt ergo hic affectus inſanabilis , ſeu ab ortu,ſeu pòſt in radice dentes diducti fuerint. Quod optimum eſt , eſt vt caro inter dentes bona excreſcat , ſi fieri poteſt. Mandat autem lentè & diligenter , vnde commodum iacturâ perſæpe maius ? inde expurget reliquias tenui interſcalpio,ex his quæ generant carnes,vt ſanguinis draconis ligno,& ſantalo rubro:videtur enim pingue ſucco & minimè acri,ſed carnem generans.

Victus autem eorum qui ex dentibus conualeſcunt , ſunt iecora gallinarum ? friabilia enim ſunt & optimi alimenti , atque guſtu iucunda , ſed gratiam omnem breui amittunt:ob id in quouis morbo ab animali vt ſtatim periit , coquenda in iure vel aquâ, & exhibenda. Dignoſcitur optima præparatio cùum durum ac nitidum exteriùs eſt, intus ſuaue ac molle ? ſimiliter & ventriculi pullorum & auium bene cocti,abiectâ interiore tunicâ. Hæc duo & carnium glandoſarum omne genus , quoniam filis carent, facillimè concoquuntur , & vt mandantur non exigunt. Eſt autem , vt quæuis alia fluxio quæ ex putredine non eſt,ſed velut iſchiæ dolor & podagræ , morbus hæreditarius plerumque ? tum ob exhalationes , tum ob imbecillitatem partium , tum ob edendi vſum atque conſuetudines,ſicut [MS. *ſecus*] maximè creatur ex decubitu ſuper terram,& ablutione capitis non exciccando illud , & omnibus quæ ſuperfluè caput humectant:& ſi humidum illud corruptum ſit atque ſanioſum , vel acre, vel ſalſum , deterius eſt. Pòſt ex aſſiduis crudelitatibus, item venenis, atque Indicâ lue: vt ſint quinque principaliores. Verum tamen ſi Medicus expertus ſit atque ſapiens , ac æger patiens , corpúſque mundum , nec temporis conſtitutio obſtiterit , facilis eſt omnis morbi dentium curatio

tio, ſeu ad ſalutem, ſeu eradicationem finiatur; nam materiæ quæ ad locum confluũt, paucæ ſemper neceſſariò ſunt, & plerumque tenues, & celeriter affectum ſentiunt partes, membrum quoque oculis ac manibus ſubiicitur, & auxilia prompte auertere atque educere poſſunt influentem influxámque materiam. Et facilè auellitur; & homo non conuellitur, & non intercipitur cibatio neque ſpiratio. Quocirca ex dentium morbis meminem, etſi ſæpius errauerint, periiſſe vidi, niſi importunè auulſo dente. Veruntamen curatio à [MS. *ex*] Medico fit, ſed miniſter aduocetur peritus: experimentum enim in hoc plurimum prodeſt, vt tutò, promptè, faciléque omnia peragantur; præterea vt certiùs dignoſcant.

CAPVT III.

De fluxione, frequentiſsima causâ morborum dentium.

CVm verò partes noſtri corporis ſint tres, *6 E. idem partic.* 8. *Continentia, contenta, & intus permeantia*, tria fient genera fluxionum, membrorum, humorum ſpirituum. Membra autem dura non poſſunt fluere, ſed luxantur: Mollia autem vt inteſtina & vterus; vnde hernia; ſed hæc non ſolùm ex inteſtinis, verùm etiam omento, flatu, humore aqueo, vt varicoſa carneáve. Triplex autem eſt, vmbilici, inguinis, & ſcroti, quæ deterior: vt etiam inteſtinabis & Epiplocele, quæ lethalior eſt; cùm infrà ab omento ventriculus trahatur, [MS. habet, vt ex duos mortuos Veſal. *nullo ſenſu*] talem in latomo mortuo vidit Veſalius *lib.* 5. *cap.* 4. Quare ab initio vinculis à ſcapulis, aut ferreis cohibendum: incredibile enim in quam excreſcat magnitudine, vt perpetuò affligat ventriculum, etiamſi ſuo loco maneat. Enteroceli autem coriacea diu ſufficiunt. Prandium leue abſque potu, aut perexiguo. Caueant à ponderum eleuatione, crurum diuaricatione, tuſſi, ſternutatione, clamore, alui duritie; cornua non inflent, aut tibias, nihil enim deterius à cibo, aut motu, equitione, venere. Cura quintuplex, tot enim ſubſtantiis locus occluditur: per coſtrictionem, tophum, cicatricem, aut didymum ſuperiùs conuerſum. In pueris ſufficit didymi partes inuicem conſtrinxiſſe vt coaleſcant, cùm etiam oſſa iungatur in eis. Inungantur ergo oleo nucum aniquo, pſt irrigationem ex glutinantibus atque aſtringentibus quale eſt decoctum Io. Ambroſij Ayroldi, inde vincula adhibeantur. Secunda omnium melior fit inducto topho, conueníque omni ætati; etenim ligna & lapides cum glutino inſeparabili iungatur, cur non etiam didymi partes? Verùm oportet calidum & humidum interponere liquorem, vt refrigeratum ſiccetur, immobiléque ſeruetur corpus ſupinum, aut aduerſo lateri incumbens, eleuatíſque cruribus ad dies XL. Comprimatur autem locus, tuta enim ac ſempiterna faciùs ac meliùs cohærent. Cúmque hi omnes modi communes fermè ſint omni generi ramicis, præcipuè tamen hæc duo in curâ conueniunt: cibi glutinoſi, liquidi tamen, vt vitulorum & ſuum pedes. Aluus oleo, butyro, ſale molliatur Radatur inguen, aut calce & auripigmento cum oleo pili tollantur & inteſtinis repoſitis imponatur vnguentum calidum; id fit coctâ pelle arietis cum lanâ & ſymphyti radice donec vt liquidum glutem euadat, cola & adde gluten piſcium, & gluten quod vocãt carauel am maſtichen, in aceto diſſoluta ſingula pro duodecimâ parte; Sarcocollæ, aloës, Elemi, reſinæ, ex ſextante. Pro arbitrio adde Chalcanthum, & ſi libet, bolum Armenum, ſanguinem draconis, lapidem magnetis; calida quantum ferre poteſt applica, inde puluinaria imponantur. Poſt decem dies ſuffunde medicamentum calidum, non amouebis quicquam ne partes ſeparentur, ſed arctiùs ſtringe. Poſt decem dies ſequentes idem facito, ad quadrageſimum vſque nihil moueto. Pòſt auferes omnia vino frigido diſſoluta, & vinculum firmum imponito, quod aſtrictum locum contineat per alios quadraginta dies, vt deambulare poſſit abſque periculo. Optimum ſignum eſt, ſi à primo vinculo quinque vel ſex diebus punctio ſentiatur indicium eſt enim coaleſcentium partium. Memento quòd ſumpta peros, etſi à pluribus prædicentur, parum tamen aut raiò multum proſunt, Sed ab hac cura orta eſt ratio ſanandi vteri prolapſum ab oſtetricibus peritis cum quibuſdam orbiculis cereis intus cauis, cerato aſtringente vehementi, quale comitiſſæ, lumbis applicito. Supinius etiam magis in huiuſmodi, & in pedibus altior decubitus deſideratur quàm in herniis; ſed & celeriùs ſanantur vidi enim in ſeptem diebus perfectè ſanatam. Redit & vterus ad ſuperiora ſuppoſitis ouis hypenemiis ſub gallinâ fouendo putrefactis; verum referunt tantum reddi fœtorem, vt à nemine aſtantium perferri poſſit vnde patet quàm pernitioſa ſit eius corruptio vera. Tertia fit per cicatricem: inciſâ enim cute ablaqueatur didymus vinculis è ſerico crudo craſſis, inde præciditur quod ſupereſt & conſolidatur. Quarta fit per carnem, & eſt Albucaſis *lib.* 1. *cap.* 47. vt è regione oſſis pubis, vbi deſcendunt inteſtina, candenti ferro duplici orbiculo vſque ad os vratur, conſolidetúrque regeneratâ carne in quadraginta diebus: eædem conditiones ac obſeruationes in curando: Arnaldus tamen quoſdam ex huiuſmodi curatione periiſſe refert. Quinta fit ſeparando didymum ab annexis in ſcroto, inde eo reducto ſuperiùs præſcinditur cum teſte & vritur; quæ horrendo eſt, longa, ac pernicioſiſſima, adeò vt multi mortem huic curationi præpoſituri ſint Et ſi euaſerint, manci teſte vno, & cerebro ac neruis malè affectis per totam vitam plerique degunt, vt nonnullos eorum non multo pòſt abiiſſe attonito morbo viderim. Differt Enterocele ab Epiplocele formâ oblongâ, tenui, rotundâ,

tundâ, interdum dolore; rugitu, fœcum impedimento, flatu: non tamen adeò ventriculum[afficit.] Et cùm restituitur, in Epiplocele remanet pondus in imo ventris, ideò cura est incisio.

Humorum autem & contentorum [fluxiones,] aliæ extrà, vt sanguinis per anum, vel mensium, vrinæ, stercoris: aliæ interiores & quædam ex venis, aliæ extra venas. Extra venas, tres; crudi humoris aquei, & cocti, & pituitæ. Ex venis, ichoris sanguinis, flauæ bilis & atræ. Et quædam sunt quia fiunt, quædam iam fluxerunt & abscessus pepererunt. Et in initio cùm humor crudus fluit, etsi serosus sit aut biliosus, purgat medicamentũ non iniucundũ ex scammonio, turpetho, gingibere, & saccharo. Quod etiam congestum iam humorem viscidum & lentum ex profundis iuncturis educit. Oportet enim audacter purgare ab initio, vel etiam postquam resederit, corpus autem est præparatum iam scillitico oxymelite: Causæ verò crudorum humorum in Indicâ lue, sunt caloris naturalis vitium per corruptionem, vnde sanatur vino ex cortice ligni sancti in LX. diebus, & si os computruit, extrahitur vnguento ex hydrargyro, nam natura non potest separare quandoque: & mihi videtur, quòd aqua separationis, de quâ superiùs dictũ est, aut ignis hoc possit, quoò si melius. Non tamen hæc sufficiunt, nisi medicamento prædicto materia fuerit perfectè repurgata. Sunt etiam fluxiones fortuitæ, aliæ naturales atque continuæ.

Ichores autẽ cùm fluunt extra corpus, fit vrinæ redundantia, si sint incorrupti & conuertitur aër in aquam ad incredibilẽ quantitatẽ, vt in Helenâ Desideriâ virgine patritia Bononiensi in qua summa vrinæ in tribus mensibus excessit CCCCL. libras, deductis aliis excrementis, cibus & potus non attigit CCC. libras, pondus totius corporis non attigit LXXX. libras, & cum hoc absumebatur à febre nec tamen extenuebatur, & sanata est. Et si febris non obstet, cura est exercitatio, vuæ passæ pingues, & margaritæ, aliter difficilis. Ipsa verò multo diatriopipereo liberata est. Et si paululũ corrumpuntur, fiunt scabies & vlcera, & cura fit per medicamentum serosum educens humorem, dictum hydragogum, & vnguẽtum ex hydrargyrio, aut quod vehementer siccet. Et si putrescant omnino, fiunt febres. Et si abundẽt, & medio modo putrescant, fit hydrops Ascites, & non fit ex frigiditate tantùm, vt putat Galenus, nisi calor etiam corruptus sit; aliter qui multum mingunt, omnes in hydropem deciderent, ideò curatur morbus per vrinam prouocantia propter iter rectum, & ne viscera corrumpantur, & alimentũ quod in eis continetur. Velut in calidâ succus cichorij cum erythrodano & spicâ. Quidam retrahunt ad aluum, sed celerrimè succo radicis colocynthid. Quæ verò humida extra venas fluunt, alia quidẽ in cauitates mẽbrorum, vt in coxendicum dolore; alia in neruorum cauitates, vt in distentione, alia in substantiâ nerui, vt in resolutione, ideò materia valdè tenuis est. At quod in Podagrâ fluit, est humor cum ichore [...] gra, sicut & h[...] guine.

Forma verò omnium [...] esset vnus morbus. Et e[...] ichoris & humoris. Et fit ex[...] ideò etiam Venus & crapula [...] calorem naturalẽ, sicut & lectum [...] & huiusmodi, sunt parentes Podagr[...] go Indica lues fit ex putrido succo qua[...] que in venis contento; ita Podagra ex qu[...] cunque humore crudo: & ideò vuæ pass[...] sunt cibus Indicam luem patientium, quia maximè resistunt putredini; & aquæ potus Podagricis confert, atque abstinentia à Venere: quia prohibent humorem crudum penetrare ad loca concaua iuncturarum: & Indica lues & podagra cõueniunt in hoc, quòd fiunt ex humore contento in venis; Aqua intercus ex ichore, resolutio autem & destillationes, & ischiæ morbus, ex humore crudo tenui qui est extra venas. Ex quo patet quòd Indicæ pesti & Podagræ sectio venæ debetur, non illis: & magis Podagræ, quàm Indicæ pesti: in ea enim humores toti corrupti sunt, licet non tota sit corruptio: & etiam quia contagiosa est, ideò non iuuatur per se venæ sectione: propagatur enim celeriter, nisi statim occurratur: quæ causa est vt minùs etiam conueniat in pestifera febre: sed talia alexipharmacis & propellentibus ad cutim, & putredinem prohibentibus, atque ideo exsiccãtibus indigẽt. Vnde in Indica lue exercitatio ad sudorẽ vsque continua magnum commodum affert. Causæ autem fluxionum præcipuæ sunt, flatus calor externus, dolor, & ichores. Quæ autem ab illis præseruant generaliter sunt purgationes & vomitus cruditatis tempore plurimum, & concoctio: cùm materia iam est in venis, inedia summa, potus aquæ, ac fontes,

Concoquunt autem somnus, exercitatio, frictio, vnctio ventris, balneum, vinum, quies, molle stratum, tenebræ, cubiculum frigidum, operimenta, multa lotio extremitatum, & frigida, & potus eius ab assumpto cibo, cubare cum puerulis, vel adolescentibus, puluini, lana illota, vel lota & tincta ex cocco, & pelles albarum leporum Sarmaticarum super ventriculum & præcordia gestatæ. Cibos mandere diligenter firmis cum dentibus & exactè coctos. Diatrion pipereon, astringentia medicamenta à cibo opportuna, Venus, impinguatio, lætitia, & à proprietate caro pullorum columborum omnis generis, nux henden, crocus, amomum, nux myristica, lactis pinguedo, buglossum, ficus siccæ, gingiber maximè recens & conditum, longum piper, satyrion, passeres pingues, caro accipitris, caro ventriculi pullorum, belzoi seu assa dulcis, ozymum, inula, glans vnguentaria, eruca odorata, nux Indica, palmæ fructus, & radix violæ albæ, fœniculum, mentha, & ruta ante cibum. Et piper Telim seu Anthrapophagorum, forma phasellis simile, nigrum & pingue, & acetum scilliticũ, breuiter omnia odorata gustu iucũda, calida & humida, vel calida & sicca cum superfluo humido per se adiuuant coctionem, & pleraque ex illis etiam augẽt

Veneris facultatem. Quæ verò talia non sunt ex dictis ruta & acetum scilliticum sunt loco medicamenti. Contra maximè cruda sunt, vigiliæ, inertia, tristitia, crapula, ebrietas, dura, acerba, acida, motus post cibũ, & varietas ciborum, vt vina tenuia, calida, non mollia, aut ex vuis non maceratis.

Cùm verò fluxio ex loco moto in membrũm, quod periculum affert ingens si lædatur, fit, velut ex capite in pulmones, reuellentibus etiam validis vtemur, vt emplastro ex sinapi, aut stercore columbino. Nam vbi fluere desierint, non facilè irritantur; ab initio autem ex quauis causa: quòd motus motum ciet, vt in nauibus quæ tam debili re, qualis est ventus, tanto impetu aguntur. Sed si fluxio diuturna est, astringente valido, quia parum reuellere licet, & temperato, vt diu vti possit, ac bene odorato, ob membri nobilitatem vtendum est, quale ex rubris santalis, aceto, partéque sampsuchi constat. In fluxionibus autem ex venis ad nobilia membra, præter reliqua euacuatione opus est, per venæ sectionem aut purgationē validam. Sed si sanguinea sit fluxio, persæpe inhibetur cibis crassis & pauci alimenti.

Fluxiones autem crassorum, ac lentorum atrorúmque humorum confirmatas, præuertere decet validis medicamentis, inter quæ præstat stibium ex arte Matthioli præparatum, cùm quatuor grana illius per superiora & inferna vehementissimè purgent; & si bene præparati sint [humores,] sine noxâ; sicut & carcinomata inchoata duntaxat, curabat Galenus *quarto decimo artis curandi, cap. 9.* aquâ lactis semunciâ Orientalis epithymi. Sic & erysipelas per initia infrigidantibus & humectantibus, in vltimo tepidis & paululum astringentibus, veluti solano indiget; & si intolerabilis est calor, etiam actu frigidissima applicari debent. Cùm verò fluxio inueterascit, nihil melius esse inunctione olei ex tartaro, experimento deprehensum est. In abscessibus etiam generaliter repellere ab initio, & dolorem lenire oportet, & euacuare, & similiter in incremento fluxionis. Duo enim sunt ordines temporum. In statu autem mollire, concoquere, inde aperire vel digerere. In omnibus autem memineris ventriculi & iecoris actionem seruare; fluxiones enim biliosæ *ex 7. 3. Doct. 3. cap. 3.* magis corrumpunt operationes? pituitosæ debilitant eas? & atræ bilis, faciunt vtrumque. Et ideò tum ob id, tum ob contumaciam humoris, persæpe sunt insanabiles; sicut & contumacissimæ sunt ex hoc genere, vel flatu: ex exustâ aut flauâ bile aut nigrâ vitiosissimæ, & omne morbi genus.

Porrò fluxiones humorum secretorum, vt in diarrhœis, fiunt ex vasis propriis, liene, vel vesicâ fellis: aliter contingit Dysenteria cruenta, quæ deterior est, quia non fit separatio? Diarrhæa autem propter causam separationis, quæ est febris, aut sine febre humoris prauitas, vel abundantia, ideò curatio est purgatio valida illius humoris, & victûs ratio contraria illi. Sed si ad febrem subsequatur, & febris minatur, abluere sufficiat. Si non, ab initio sanguis copiosus mittatur, & emplastrum ex violis & maluâ herbis cum oleo violaceo super spinam dorsi, & carpos, & talos, & iuxta radicem digitorum pedum, vbi magnæ arteriæ & venæ apparent, superponatur. Et curatio melior est, cũ fuerit materia vltra hepar, vrinæ prouocatio. Victus verò vinum granatorũ, omphacium, saccharum rosaceum, oxalis, endiuia, vel sonchus, ius pulli cum pane; locus frigidus, quies, frictio mollis, diaphoresis, & sudor, & semina peponum, & erythrodanum, & vrinam prouocantia. Fluxionum etiam aliæ sunt dolorificæ magis, aliæ incommodæ, & aliæ periculosæ magis. Pedum quidē minoris sunt doloris, & minùs incommodæ. Vehementiores & magis incommodæ, quæ in genu. Vehementissimæ & maximè incommodæ quæ in ischio; quæ etiam crus decurtare solent, & claudicationem facere, & nonnunquam interimunt. Quæ verò ad manus digitos, omnium sunt acerbissimæ, sed minimè incommodæ. In initiis autem earum, & dum materia fluit, minimâ exercere conuenit membrum, nec si corpus immundum fuerit, & præpurgato corpore. Vbi fluxio substiterit, vtilis est exercitatio, donec dolor ferri potest, & membrum non grauatur. In his verò in quibus membrum sub certo situ minimè dolitat, cúmque distorquetur, grauissimè in tendonibus, sunt è genere conuulsiuo potiùs, quàm podagrico. Et quæcunque ad rectum situm quiescunt, in musculis sunt dirigentibus membrum; & quæcunque occupauit musculos aliquos membrum inflectentes, dolebit æger sub quouis situ, & quandoque id accidit & sæpius, cùm materia fuerit in ossium vinculis, & secundùm vnum situm recta manent, secundùm alium distorquentur. Et quæ fuerit cum pondere fluxio, deterrima est, sicut leuissimæ sunt, in quibus celeriter dolores adueniunt, intenduntur, & desinunt. Fluxiones quoque omnes ex venis, hæmorrhoidarum fluxus fluxionibus temporis magnitudine respondens sanat.

Fluere autem facit hæmorrhoidas radix colocynthid, & cyclaminis, hæc autem epota, vel sucus, & suppositа, & porrorum succus ex ℥ij. aut aqua horum: & stercus columbinum adhibitum; violaceo autem oleo madefacere oportet. Perniciosas verò fluxiones aliquando balneum calidum reuocat, & perfrigeratos ad viam reducit.

Ex mutationibus autem aëris, post siccitates, & antequam pluat, vt in initio veris & autumni, fiunt circuitus & exacerbationes fluxionum, quæ pluuiâ cadente minui solent; & similiter in moribus luminarium, & in congressibus Saturni, cùm materia fuerit frigida, & est mala valdè: & Martis, cùm fuerit calida. & ex colliquatione: & Veneris, cùm fuerit ex incontinentia; & Iouis, cùm fuerit fluxio sanguinis, sicut obseruaui in peritissimo Græcarum literarum Gualterio Corbetâ Senatore, amico nostro: & Mercurij, in incertis quasi causis. Fluxiones autem quæ per cauitates directas fiunt, velut ex cerebro in ventriculũ, vel pulmones, persæpe in habitum transeunt, vt vix curari queant. Quæ verò ad pulmones, periculosiores videntur,

tur, quanquam magis innoxiæ sint, si humor prauitate careat, celeriter enim tussi eiicitur. Sed si ad ventriculum deferatur, noxâ nunquam caret, quòd seriùs expellatur, & vētriculus tenuior sit ac exanguis,& quia coctionem vitiet. Curatio fit per cœnæ exilitatem, ac cibôs edat pauci alimenti & crassi, & paucos & facilis coctionis, velut lentes & pedes boum diu coctos. Et à cibo mespila condita aut granata: huiusmodi quæ ad compositionem membri pertinent, & quæ calorem attrahunt,iuuāt etiam cùm non adhibentur: at quæ ad temperiem pertinent, si non naturalem, & illa iuuant; si naturalem, nocent. Velut vina potentia dum vtimur, coctionem iuuant; sed vbi cessaueris, debilior fit coctio quàm antea: ideò vsus eorum nec tempore nec magnitudine finem habet donec curantur. Et prandium sit tempestiuum, & à prandio nec moueatur, nec omnino dormiat; & somnus sit in cubiculo, & stratis frigidis valdè ac siccis, vt paleâ & pappis arundinum aquaticarum, & ligno, ac tetico, & cum multis operimentis. Et per nares plurimum ac assiduè expurgetur caput, & si ventriculus aggregauerit pituitam, expurgetur radicula acri valde,tenuissimè incisâ; cum melle Hispano & menthâ & sale comestâ. Est enim sapor eius comestus, acidus & acris, ideóque diligenter mandi debet, quoniam grauis est, hæc enim statim educit illam. Quòd si ratio victûs non satisfacit,purgetur cum hoc medicamento.

℞. Medullæ colocynthidi maturæ, recentis & candidissimæ, *drachmam vnam & medicam.* Incidatur minutim, & infundatur in mellis Hispani vel Orientalis ℥. ß per tres dies, sic vt sit in vase vitreo vel figulino non maioris capacitatis. Inde coquatur in aquâ per duas horas, sic vt aqua penetrare non possit. Coletur, & exprimatur, eique addantur Menthæ rubræ viridis, siccatæ in furno,sic vt odorem retineat ℨ.ij. nucis myristicæ ℈.j. Cardamomi maioris ℈. ß. caryophyllor. redolentium pinguium,gran.v.Redigantur omnia in pollinem,& cum gutt.vij. aquæ ardentis trium destillationum,menthâ circumpositâ cum modico sacchari, fiat bolus.

Capiat horâ somni, cùm nihil cœnauerit, à Nouembri ad Februarium bis in mense: à Martio ad Maium, & ab Augusto ad Octobrem, semel; & mane sequenti edat panem cum vitellis ouorum duris, item in cœna: & pòst statim ceratum ex Coralliis ponat super ventriculum, & liberabitur in vno anno: nihil enim fermè generabit cerebrum excrementorum, & illud erit tenue, concoctum, & coactum; retinebitúrque donec per palatum expurgetur.Et si descenderit in os, descendet ad pulmones,aut excitabit hominem à somno, vt excreet illud. Quòd si non sufficiat hoc propter cerebri repletionem iam factam & intemperiem, nec stilla aquæ ferræ diuturna & copiosa, imò nec exustio in suturâ coronali; tunc imponatur ceratum ex melle anachardino,sinapi,euphorbio, cantharidibus, thapsiâ cum pice nauali, & ammoniaci guttâ. Exulcerabit enim locum, & trahet aquam aliquando ad libras duas singulo die. Et tu prodegere fidenter, donec æger bene dormierit; hæc enim meta. Quòd si fluxiones capitis medicamentis non cedant, stillæ thermarum pro natura morbi curandæ sunt. Quòd si nec hoc,& res vrgeat,exustione capitis, iuxta Hippocratis præceptum *septimâ aphorism. vltime*: ignis enim omnem morbum necessariò finit; licèt priùs quandoque vitam. Considera igitur tolerantiam, & similiter si fluxio fit à iecore vel liene, vt iubebat Hippocrates per fungos vel fusos. Semper autem in curationibus violentibus iubet Hippocrates crassefacere corpus,id est, pinguefacere, & robustum reddere, lacte præsertim bubulo, vt *in libro De suppuratis.*

Fluxiones autem flatuosæ violentissimæ sunt,& dentes excutiunt, crescunt & decrescunt celerrimè,accedúntque repentè,ac recedunt.Quarū cura est per causam vt in reliquis; & per discutientia flatûs & sudores, & concoctionē exactam,& mutationē temperiei vehementem ad calidum, vel frigidum. Et generaliter omnium ad sanandum sunt difficillimæ.Recentes tamen,& in cauitatibus propriè neruosis ideò curantur è nucleis persicorum, & è semine fœniculi,& vterinæ ex semine lini,quoniā etiam à proprietate confert.Est autem oleum è fœniculi semine viride, & gustu acre & ardens,ideò semen aquâ,non vino aspergi debet. Sescūcia in singulas libras pituitā purgat præsertim per vomitum, quē vehementer excitat. Præstātissima etiam sunt,oleum ex sulphure & sinapi. Fluxiones autē omnes,maximè ad ventriculum, vt in vomitibus, & vertigines sedant emplastra quædam, aut Cerata valida ventriculo applicata, & crocus cordi superpositus, cum perfectâ quiete iacendo, adeò vt nauigantes, qui hoc præsidio vtuntur, nec vomitum nec conturbationem sentiant.

Quandoque etiam vapores ad animam feruntur, & melancholicas afferunt cogitatione; iuuant, ex Paulo *lib. 3. cap. 14 & 16.* Scobs pedis asinini, smaragdus, topazius, pæonia,zedoaria,crocus, ex anatis carne & sanguine aqua destillata, vel anseris, aut canis.Auxilia extrema,vtrique venç sectio,helleborus niger, & iuxta sententiam, vt mori cupienti venenum: Melancholiæ Aloë, Absinthium, Veratrum, furori hippomarathrum.

Fit etiam fluxio spirituum ad cor ex membris, vnde palpitatio. Similia autem fermè, attonitus morbus, comitialis, hysterica affectio, lipothymia, syncope, Caros, Catalepsis, somnus, & mors. Atque vtinā tam hæc quàm reliqua distinxisset Galenus. Porrò mors est omnium extinctio; Caros, violentus somnus; somnus, quies spiritûs animalis; attonitus morbus,interceptio animalis spiritûs, aut quia obrutus,aut corruptus, & hæc est deterrima, aut via ad cor obstructa.Comitialis,cōmotis & conturbatis impeditísque spiritibus, nam adest vapor concutiens, qui in spumam resoluitur. Catalepsis seu deprehensio fit ob frigiditatem ac [MS. ad]

ad] siccitatem spiritu corrupto; leuis autem, ab operatione impedito, semper enim hoc præcedit. In hystericâ affectione, quoniam audiunt & vident, cor & pulmo primùm afficiuntur. Est igitur qualitas venenosa cordis spiritum ab operatione impediens, atque per id communicata cerebro, vt spiritus torpeant, eò dum vt mouere non possint, sensum tamen præbeant. Lipothymia autem, spiritu cerebri refrigerato, aut exhalante; neque enim statim ad cor redire potest totus, neque si extingueretur, in corde pulsus maneret: nec si periret spiritus animalis, tam citò extingui posset, & citra noxam recuperari, vt etiam in hystericâ affectione. Syncope autem fit extinctâ maximâ parte spiritûs vitalis in corde, adeò vt etiam cerebri spiritus refrigeretur. Quocirca in syncope semper sensim omnia redeunt, non vt à purgatione & vomitu cruditatis tépore, sed vt a concoctione. Et cùm materia iam est in venis, inedia summa, potus aquæ, ac fontes, in hystericâ affectione, aut lipothymiâ. Extinguuntur autem in venis in febribus pestilentibus corrupti; in hæmorrhagiis & magnis defluxionibus, vtpote saniei, dissoluti & corrupti. Dissoluuntur autem substantiâ partim euacuatâ, partim ob refrigerationem. Suffocati etiam intereunt in magnis constantibus timoribus: vt sint tres causæ generales.

Pro curâ autem speciali, veluti Podagræ, eam iuxta singularum fluxionum naturam instituemus. Aliæ enim à iecore vel toto & ex sanguine; aliæ per venas ex humoribus crudis? aliæ ex redundantiâ ventriculi. Dignoscuntur hæ fastidio; illæ quoniam venæ & musculi implentur & rubent; in aliis neutrum. Eadem fermè in attonitis, aut enim ex toto fertur sanguis, aut ex ventriculo, vt 1. *Epidem.* Ex toto autem crudus humor non defertur, sed cerebrum repletum est, atque hoc solum à Podagrâ discrimen; in reliquis consentiunt: & si aberraueris in curæ initio, tantum abest vt iuues, vt attonitos prorsus occidas, Podagricos autem vehementer lædas. Nam vbi fastidium ventriculi ad sit, vomere coges, ac in eo præseruabis non solùm per oxymel, sed etiam per flores genistæ, recinum, glandé vnguentariam, nacissi radicem, anethi, lauri folia, verùm etiam Elleboro albo, elaterio, & vomicâ nuce, quam reor esse vocatam Methel: opportunum enim est, vt exiguâ quantitate opus efficiat egregium. In fluxione sanguineâ mittatur sanguis, vel ex brachio eiusdem lateris, vel aduerso pede. In attonito autem ex communi lateris dextri. Et quandoque iuuat in podagrâ ex poplite eodem sanguinem mittere, vt præoccupes defluxionem, sic enim iubet Princeps. Meta autem omnium est alleuiatio morbi, donec ferat virtus, ideóque non mediocrem quantitatem extrahere oportet. Necesse est enim egregiè & statim iuuari, si non sit morbus insanabilis: at huiusmodi manum admouere non oportet. In reliquis & in his vt reliquiæ tollantur, curatio similis ad vnguē curationi febris ex abundantiâ crudorum humorum, quæ ad syncopen ducit, *Duodecimo artis curandi, cap.* 3. quam Galenus diligenter describit; tã in ediâ, quàm in frictionibus assiduis, quarum terminus minimus est vnius diei, maximus septem dierū, medius vsque ad quarum. Sed non oportet fricare in Podagrâ membrum laborãs; & iuuat, imò necessarium est persæpe cucurbitulas magnas apponere atque incidere, vt celeriùs trahas, & minuatur dolor. Vt verò non redeat, eadem est ratio præcauendi & curandi. Nam ante tempora aduentûs ieiunio præmisso fricetur corpus. Quinimò vbi sæpe corpus intumuerit, & pustulis scateat, eò natura se exonerabit. Et in attonito quoniam non est locus tam diuturnæ expectationi, candenti igne futuram verticis exuremus. Et sunt qui dicant experimento compertum esse, si exuratur iuxta Atlanticam colli vertebram, vnâ aut duabus in collo interpositis prodesse. In membro autem patiente frictionis loco astringentia suprà, id est, in tibiâ apponenda sunt ac digerentia. Eiusmodi est emplastrum ex aquâ, & aceto, & furfure. Curæ igitur potentes quinque auxiliis fiunt, coctionis, vt in stibio; infusionis & circuli, vt in Elleboro; expressionis, vt in fœniculo; emplastrorum, quorum coryphæus hydrargyrum; & nutritionis gallinarum quæ admirabilis est, & per solos cibos, vt in Elephantiasi. Generaliter autem quæ potenter astringant & digerant, aut miscere hæc cum illis. Meliora tamen sunt quæ natura miscuit, quàm quæ ars, vt lupini, rhaponticum, gentiana, centaurium, belzoi, altea, rosmarinus, & quæcũque ad contusiones valent, sunt à similium indicatione sumenda medicamenta. Et auxilia quæ concoquunt nimis aut parum, aut coctionem omnem prohibent in Podagrâ, sunt contraria Podagræ, & tamen non sunt salus? cruditas enim est contraria Podagræ, non ex parte quâ morbus est, sed qua sanitas: constat enim ex humoribus semicrudis, in quibus est aliquid coctionis. In eorum autem præseruatione, non oportet totum purgare humorem, sed melius est vt reliqua coctione consumantur. Aquæ etiam thermarum copia etsi fluxiones sanet, vel euacuatione humoris peccantis, vel auersione ad oppositum locum in Podagrâ, tamen raro conferunt, quia cruditatem quæ fit ex raritate caloris innati non prohibent, & defluxum, aperiendo vias, irritant. Cæterùm inhibere defluxiones podagricas etiam cum euacuatione, sine exquisitâ victûs ratione iam dictâ, & præsertim cum exiccantibus & calefacientibus, & in habentibus renes calidos, est causa generationis lapidis in illis: qui morbus longé deterior est Podagrâ, quoniam minima portio quæ superest euacuationi, sufficit ad lapillum generandum. Cura igitur experta est assumptio iulebi violati sæpe cum aquâ, & nihil ferre super renes. Et generaliter cùm omne contrarium saluti sit morbus, non tamen contrarium morbo est salus, sed aliqua excedunt aut deficiunt magnitudine, alia contraria sunt ex aduerso; velut curatio morbi Indici in Podagra cùm impresserit, morbus est: est enim sanus in eo. Cùm autem declinauerit, potus est

est decoctum glycyrrhizæ; in attonito addatur agaricum, aut pyrethrum, vel amaracus, aut serpillum, cibus ficûs excoriatæ. Et in attonito etiam diluere cum potu; & vua passa post ficus, inde panis modicum. Manifestum est igitur, quòd præter hanc tractationem sola superest quæ de febribus est & vermibus, ad Medicinam Physicam perficiendam, (*vide 6. Contrad.* 57.) nam reliqua ad Chirurgiam pertinent, cuius etiam partem hîc attigimus. Et vltimum in curando difficillima vlcera est incisio, & ignis maximè cum auro: prohibet enim ne spargatur corruptio & malignitas, tollit intemperiem omnem secundùm Albucasim, & verè; sed iuxta principem 4.1. *cap.* 29. frigidam, & consumit humorem omnem prauum cuiusuis generis, & sistit sanguinem, sed in ossibus timendum est prope cerebrum tantùm; & in carne cùm propinqui sunt nerui aut ligamina. Et quia ægri respuunt hoc auxilium, optima videbis medicamenta, *quarta quarti*. Item 3.3.*cap.* 10. 11. & 7. 4. *cap.* 13. Et ad vlcera praua ex metallicis & centaurio, & ad educanda ossa corrupta, aristolochiam, euphorbium, & lac tithymalorum. Refert Iosephus Lusitanus in Brasiliâ curari solita carcinomata facile arenâ, (marinâ an fluuiali incertum,) tusâ & læuigatâ, inde calefactâ eò dum vt ferri possit, paulatim ab extremis ramis extincto morbo, ac pluribus vicibus repetito, in singulis primùm extremitatibus, in medio non multos post dies totum simul excidere.

LIBER SECVNDVS, DE RATIONALI CVRANDI RATIONE.

In qua tota Medicina particulatim, & vno exemplo abscessus gingiuæ, cura omnium morborum specialiter instituitur. Vtilissimum opus ad extemporaneè profitendum, disceptandum, consiliáque conscribenda, necnon ad medendum.

PROOEMIVM.

In quo res tractanda proponitur, necnon ordo obseruandus in hocce libro.

RATIO tradendæ Medicinæ quadruplex esse debet, scilicet vt demonstratiuè tradatur, perfectè, clarè, & quàm breuissimè fieri potest, Prima tria Hippocrates, tanquam de his dubium non esset, potiùs præstitit, quàm faciendum docuerit; hoc vltimum quod facere oporteat, etiam docuit 1. *Aphor.* 1. quia dubium videri poterat, si clarè ars tradenda esset, quonam pacto breuiter posset tradi. Nam *Dum breuis esse laboro, Obscurus fio*, vt inquit Poëta. Quocirca decepti Themison & Thessalus, sperârunt Medicinam breuem efficere posse. Sed aliud est artem breuem esse, aliud breuiter tradere: nam Medicina breuis esse non potest, quamuis breuissimè tradita sit, quoniam breuissimè per comparationem dicitur absolutè, etiamsi aphoristicè tradatur, longa est propter multiplices partes: ideò rectè consulit Hippocrates breuiter tradendam, quia longa nimis sit; nam nisi longa esset, melius foret eam diffusè tradere, quia clarior esset. Errârunt ergo illi sperantes posse efficere Medicinam breuem, quod fieri non potest. Sed & Galenus cùm breuem facere concupierit, effecit imperfectam: etenim breuitatis rationem non intellexit; easdem enim partes esse oportet in vtrisque, & vtroque modo infinitam. Itaque duos primùm statuere scopos oportet, ex

lib.de Arte, pag.2. Impendentes ſcilicet morbos auertere, eos autem qui iam inuaſerunt, ab ægris in totum tollere, aut vehementes eorum impetus retundere; illorum autem qui iam à morbis victi ſunt, curationem non aggredi. Ergo primum cognitione impendentium indigemus ac cuſtodiâ, deinde ſcientiâ ipſorum morborum, & quinam ex ipſis ſanari poſſint, & qui retundi, & qui neutro modo curationem admittunt. Vt iam ſint totius artis ſcopi quatuor, ſcilicet ſcire, præcauere, dignoſcere morbum iam factum, & an poſſit curari prorſus, an retundi, an neutrum, demum quomodo ſi poſſit, curandus. Et præcautio quædam eſt pars curandi, de quâ ſuo loco dicendum erit. Vt verò morbum dignoſcamus, non ſolùm illius ſpecies, ſed & cauſas & ſymptomata ſcire oportet. Cùm autem horum omnium ſint ſigna, præcipuè cauſarum atque morborum, erunt in vniuerſum partes ſeptem; quibus ſi addantur contemplatio naturæ, & nominum interpretatio, fient omnia conſideranda in vnoquoque morbo generaliter nouem, ſed iam ad exemplum accedamus

Contingit vt vir annos natus ſexaginta quinque, habitûs ſatis carnoſi, pectore, hypochondriis, iliis, glabris colore miſto vario, rubro, & albo obſcuro, capillis, flauis, oculis paruis, ſomni longioris, promptus, ingenioſus, ſed minùs prudens & timidus, oſſibus tenuibus, ſtaturâ mediocri, plus edens quàm appetens, & plus appetens quàm concoquens, minimè ſiticuloſus, & tamen multum bibens, parum ſe exercens, multis obnoxius curis ac ſtudiis, raro ægrotans, iamdiu ſcabioſus, ſenſibus adhuc validus, quique facilè deiicitur viribus, aluo lubricâ, cuíque exciderunt proximis annis iam quinque dentes paruo dolore, adeò vt manu auulſi ſint, non ferro. Primùm laborauit dolore exiguo canini dentis maxillæ dextræ ſuperioris, (in qua parte duo iam exciderant dentes) cùm manderet, non aliter; inde applicata aqua ſeparationis non profuit, ſed cœpit luxari dens, vt omnino non poſſet mandere, & lædebatur à frigidis magis. Póſt cœpit vehementius dolere, vt etiam ab aſſumpto cibo & maximè à cœnâ, & eſu frigidorum tam poteſtate quàm actu, adeò vt etiam ab aëre & cubiculo: inde amiſſa aquâ ſeparationis, gingiua exterius & interius intumuit cum dolore, non remiſſa luxatione dentis, ſed ſolum minus dolitante, adeò tamen vt non poſſet ex eà parte mandere, ſed neque ab altero latere licebat, quod duo alij dentes commoti eſſent, ſi non dolerent. Poſt hæc etiam cœpit inflammmari gargareon, vt vix deglutire poſſet; tempus anni, autumnus pluuioſus & frigidus. Quæritur cura.

Aſſumpſimus hoc morbi genus ob multas quidem cauſas. Primùm quòd gingiua affinis ſit denti, de quo in primo libro actum eſt; & eius conſenſus cum cerebro, propter materias quæ ex illo ad eas deſcendunt; & cum ventriculo propter tunicam communem & vapores qui aſcendunt, & maxime horâ coctionis; & cum iecore propter multitudinem venarum & ſanguinis, qui ad illam confluit, adeò quòd, vt dixi, euulſo dente, aliqui ex immoderato eius fluxu interierint; tum etiam cum liene, neque enim familiarius quicquam videtur lieni gingiuis ipſis; & cum pulmone, ob tunicam interiorem, & ob vapores, adeò vt in phtiſicis ſoleant vehementer corrumpi. Præterea gingiuæ cum dentibus conſentiunt, ex illarum enim abſceſſu dens aliquando dolet, adeò vt imaginem præbeat morbi in ipſo dente; vice versâ ex dentis dolore gingiuæ in abſceſſum deueniunt & eroduntur. Conſentiunt etiam cum reliquis partibus oris, & maximè cum glandulis & gargarone, vnde ex earum abſceſſibus paracynanche frequenter, nonnunquam cynanche generatur. Eſt etiam locus ad vnguem medius inter externos, & internos, & ob id in Phyſicis atque Chirurgicis ex æquo communis, & qui ad maxillam & os terminatur, vt per emplaſtra exteriùs & linimenta interiùs curationem admittat. Præterea quaſi centrum in circulo, ita cura hæc propinquior omnium morborum conſiderationi atque curationi: Cúmque leuiſſimus ſit morbus, illius tractatio ad quemcumque alium facilè accommodari poteſt. Nec deſperet aliquis, poſtquam in tam arido ſubiecto, vbi vix quicquam ab aliis ſcriptum inuenias, licuit tot tantáque inuenire, vt vnquam deſit ſcribendi aut conſultandi argumentum. Propoſuimus autem abſceſſum, quod in eo omnia morborum genera contineantur, ſcilicet diuiſio continui, mala temperies, & compoſitionis vitium, & quòd par eſſet in ſecuriſſimâ particulâ grauiſſimi morbi hiſtoriam

historiam tradere. Adduximus quædam non necessaria, vt etiam errores aliorum imitaremur.

Antequam ergo ad explicationem casûs propositi accedant, communiter primùm singula, de quibus agendum est, scire decet, vt quid sit temperatura morbus, ac reliqua: tum quale sit id quod proponitur reliquorum comparatione, estque hæc institutio generalis. Demum specialis tractatio. Singula igitur in nouem capita diuiduntur, naturalium rerum, nominis, morbi causarum, symptomatum, signorum demonstratiuorum, prognosticorum, custodiæ & curationis. Ita fiet vt exemplo perfectæ curationis vnius morbi, iam habitâ communi scientiâ omnium partium per generalem institutionem, quâ omnia considerantur in comparatione huius, vt à reliquis omnibus differt; singulorum morborum exacta dignotio, & curandi modus haberi possit, perinde ac si de illo ipso principaliter ageretur. Verùm in communi contemplatione duo prima, vt non necessaria, naturalem scilicet statum & nomen præterire poterimus. Differunt ergo communis contemplatio, & generalis institutio, & specialis tractatio: velut animalis consideratio, vt est sensûs, & vitæ, & motûs manifesti particeps, & instrumentorum, & vt est calidum, & non refertur ad aliquam speciem. Institutio autem generalis est, vt animalis cum refertur ad bipes & quadrupes, viuens in aquâ vel aëre, & vt se diuidit in differentias non generis, sed speciei. Et specialis tractatio, vt ad speciem vnam referatur, velt hominem, vel equum. In communi ergo contemplatione tractabuntur singulæ partes Medicinæ communiter. In generali institutione, vt variantur per morborum species. In speciali tractatione, vt de Parulide. Differentiæ autem simplices auxiliorum ad contemplationem communem pertinebunt; sed differentiæ eorundem in comparatione ad morbos, ad generalem institutionem.

PRIMA PARS.

De contemplatione communi.

CAPVT I.

De morbo, & eius differentiis.

EST igitur morbus dispositio præter naturam continuatè lędens operationem. Sed tam operatio quàm læsio duplex est: aut enim adeò exigua læsio aut operatio non admodum digna, vt talis operatio mereatur dici morbus, sed neutra. De illâ tamen non agemus, quoniam primùm læsio eius sæpe Medici curam non aduocat, & à patientibus negligitur; & etiam secundùm Medicos non superstitiosos, sub morbo continetur; & quod maximum est, cura eius sub curâ morbi continetur. Dicamus ergo quòd morbi quidam fiunt à corpore & in corpus tendunt, vt febris ardens ex bile congregatâ; aut ex animâ in corpus, vt mala coctio ex tristitiâ; aut ex corpore in animam, velut ex humore melancholico insania vel stupor; aut ex anima in animam, vt ex irâ vel tristitiâ delirium. Et non videntur morbi esse in animâ, sed symptoma vel causa. Delirium enim est symptoma, & tristitia, causa. Quod enim fiat symptoma contra naturam in animâ velut in corpore, causa est aliquid quod est in corpore, igitur omnis morbus est in corpore. Omitto modò quòd anima sit ἀπαθής, igitur morbus in ea esse non potest, nam non solùm necessatiò esset mortalis, sed senesceret etiam & ægrotaret, quod neque qui illam esse mortalem concedunt, affirmare audent. Sed dices, cùm homo ex symptomate puta delirio, quod fateris esse in animâ, aberat in operationibus, & continuatur ille error. Ergo deliriũ & timor sunt morbi, & iam sunt in animâ: igitur morbi aliqui sunt in animâ. Dicendum quòd timor ille non est causa contra naturam, licèt sit ab homine qui eum velit occidere: nam causa dicitur contra naturam, quæ est contraria per se primò naturæ. Velut natura oculi non solùm est, quòd sit frigidus & humidus, & sub certo ordine; sed quòd sit tantæ magnitudinis, & in eo situ, & cum tali colore. Vbi contrarium vnius horum accidat ei, quod vitiet operationem, & maneat aliquandiu, dicetur morbus. Ergo timoris causa non est contra naturam. Sed vbi timor aut tristitia sint à causa quauis, & non permittant dormire hominem, lædunt operationes, & sunt dispositiones contra naturam, etiam quòd non essent contra naturam causæ timoris & tristitiæ: neque hoc est necessarium de causâ, quod sit contra naturam, sed de morbo, ad hoc vt morbus sit. Igitur argumentum manet in suo robore, quòd erit morbus in anima. Et forsan quòd hæc consideratio non pertinet ad hunc locum; sed charitatis magnæ causâ, oportuit eam hîc definire. Dico ergo quòd neque secundùm Aristotelem, multóque minùs secundùm Plotinum, hi affectus sunt in anima, sed in corpore

corpore animato: secundùm Aristotelem 1. *de Animâ cap.* 4. vt sint affectûs totius, iuxta illud, qui dicit animam irasci aut timere, dicit eam texere vel ædificare. Secundùm Plotinum autem sunt vitæ. Adeò quòd hi affectus impediunt animæ vim, ne possit operari per corpus: sicut nebulæ, ne lux Solis ad nos permeet; nec tamen lux quicquam patitur, nisi quòd impeditur multò minùs Sol ipse. Dicemus ergo quòd morbi alij proueniunt ex animâ impeditâ in corpus, alij ex corpore impediunt animam; & reliqui ex corpore in corpus; & alij ex animæ impedimento ad animæ aliud impedimentum.

Si igitur ita est, quomodo dolor erit morbus? cùm constet eum aliquando esse morbum, vt cùm ob dolorem vigilamus? aliquando symptoma, vt coli dolor cũ infestat leuiter, & operationem nullam lædit? aliquando causa morbi, vt cùm dolor est causa abscessûs. In hoc casu ergo dicemus, quòd non est morbus neque in continuitate, nec compositione, nec malâ temperie. Et similiter tristitia & timor non sunt sub aliquo horum, & tamen vt demonstratum est, sunt morbi. Nigrities quoque seu tenebræ sunt causæ timoris in melancholicis, 2. *de symptom. caus. cap. vlt. & 3. de locis, cap. 7, post med.* & tamen non sunt aliquid ex his: sunt autem morbi, quia impediunt operationes. Et si dicatur quòd timor ille si manet causa externa non est morbus, quia non est contrarius naturæ: & si non manet, non est relictus in animâ, nisi propter aliquam malam qualitatem, & illa erit morbus. Dico quòd neutrum horum satisfacit: nam etsi manet ipse, est contrarius naturæ, & non vt symptoma potest dici contrarius naturæ, quia causa est externa; sed cùm impediat aliam operationem vtpote somnum, est morbus; aliter grauedo tempore hiemis non esset morbus: cui enim vinctæ sunt manûs, nulla est dispositio contra naturam, nisi impedimentum operationis, & sunt tantum duo. Sed timor exiccat, & cùm impediat somnum, est dispositio contra naturam, & sunt tria. Cùm ergo sequatur ad illum vigilia, ille timor erit morbus. Sed neque secunda responsio bona est, quia timor ille præter rationem impedit somnum, sicut etiam verus timor. Ergo cùm ipse, non frigiditas impediat somnum, timor erit morbus, non frigiditas. Sed si dicas, quòd ille timor est à frigiditate illa, cùm sit causa timoris, non vigiliæ, imò est potiùs causa somni quàm vigiliæ, erit timor morbus, & frigiditas causa morbi. Sed si dicas quòd timor sit causa frigiditatis causæ vigiliæ, non potest hoc esse, cùm non possit frigiditas, facere tam constanter vigilias; neque siccitas quæ modica est, & facile remouetur: videmus enim quod huiusmodi vigiliæ, vt dixi, sunt similes vigiliis à timore vero. Præterea clarius hoc est in his qui ob timorem quendam, non ex aliquo corporis vitio natum, non possunt arrigere: talis enim morbus inest ab homine, & non in corpore. Clarissimè verò & vt responsionem nullam habeat verisimilem, in his qui dum nimium memoriam exercent, ad reliqua stupidi hoc solo euadunt. Dicemus ergo, quòd morbi alij sunt corporis, alij totius hominis: & morbi totius hominis sunt vt timor, odium, tristitia, & dolor: est enim morbus in sensu. Sicut sensus sanus est cum cognitione, dolor autem est sensus absque cognitione. Et nigrities seu tenebræ sunt ex morborum genere qui sunt totius hominis, scilicet in sensus operatione, & differunt à cæcitate [MS. *siccitate*,] & similibus, quia causa cæcitatis est corporea, ideò etiam est symptoma, & totius hominis. In melancholiâ autem causa timoris, qui est symptoma, & tenebræ visio interna, & hæc est totius hominis. Et hæc est causa quòd melancholiæ sunt penè infinitarum specierum, & admirabiles, & cura etiam earum admirabilior, adeò vt plures sanentur per quandam magiam quàm per Medicinam corpoream. (*Vide* 11. *Paralip.* 2. 4. *&* 3. *de Aer. aq. & loc. com.* 5.) Et sunt ex his semper læti, alij semper mœsti, alij mites, alij furiosi, alij taciti, alij dicaces, alij stupidi sicut lapis, alij vigiles, alij admodum pij, alij impij, alij imaginantur se esse Principes, alij sustinere mundum, alij gallos, alij vrceos. Vnde etiam ratio & origo curationis in his habetur, quoniam duo impedimenta maxima in his sunt, vt intelligamus curandi modum, & vt illi admittere velint: quod fit decipiendo illos in cibis & potibus, vel etiam ex supposito suo; velut ille qui ranas dicebat se habere in corpore, dato medicamento sub prætextu eiiciendarum ranarum, illis in copiâ suppositis dum purgatur, melancholiâ liberatus est. Et ita dicentes se habere Dæmones, precibus curantur, in quibus continentur imperata Deorum, seu habeant, seu non. Tertius modus vi & vinculis constat, & oppressos somniferis occupando. At & ex eisdem curandi ratio per animæ affectûs; hi enim illis oppositi. Atque hi dupliciter mobiles redduntur; timore siquidem velut violentissimo tyranno animorum nostrorum, ita enim redduntur mœrores, & spes, & furores, & metûs mobiles in animo; & velut dentes cùm commouentur, facilè etiam pòst euelluntur, ita hi ex maximis timoribus quandoque sanantur, ostensa etiam securi, & iudicum sententiis damnatis, & diu in ea cogitatione detentis, & vt ferunt de ebuli radice, quæ dolores crurum iam habitos sanat, non habentibus inducit; ita timor insaniam habentibus, alio auocando animum auellit, non habentibus inducit. Neque enim anima nostra duobus affectibus, imò ne vni quidem soli à diuersis causis non in idem tendentibus subiici potest velut luctui & amissioni rei domesticæ. Alius modus constat cruciatibus corporis, vnde non malè quidam fertur melancholicos curasse, per vnum vel duos dies in aquâ detinendo vsque ad mentum, & in frigida etiam hyeme; inde pauco interposito spatio ad quadraginta dies continuabat.

Corporeorum verò morborum alij sunt in intemperie aliquâ ex octo descriptis ab omnibus, calidâ, frigidâ, siccâ, humidâ, calidâ

lidâ siccâ vel humidâ; & frigidâ siccâ vel humida. Et quælibet illarum est simplex, vel cum materia, vel vtroque modo. Exemplum: Qui calefactum habet cerebrum in Sole, patitur intemperiem calidam & siccam simplicem. Qui autem habet bilem effusam à iecore in ventriculum, non perpetitur [MS. *nuper patitur.*] eandem intemperiem in ventriculo, sed à materia. Qui verò generat bilem in iecore ex calida & sicca intemperie; vel qui habet bilem multàm effusam in ventriculum, atque ibi diu contentam retinet, habet in intemperie compositum ex materia & sine materia, quem constat esse duplicem. Morbi autem in diuisione continui, aut coniunctione eorum quæ à materia diuisa creari solent, duo sunt vt patet: & quilibet eorum est duplex, alius quidem manifestus, vt ex contusione, vulnere, humore erodente; alius occultus, vt raritas ventriculi, coitus ventriculorum cerebri, & sunt maximi morbi, & non tamen valde euidentes: & vtrique fiunt sine materiâ & cum materiâ; sicut videmus in exterioribus humores quosdam in carne, & vt in præsenti casu, in Epulide enim est diuisio etiam continui, & hæc maximè accidit ex humore melancholico: & si contingat in cerebro vel iecore, tandem interficit, scilicet post longum tempus, & quandoque etiam breui. Et in iecore aliqui sanantur nacti bonum Medicum, robusti ab initio: in cerebro autem nulli. Et hoc genere morbi cùm plures laborent, & Medici nouerint hæc principia, tamen semper recurrunt ad intemperies, & obliuiscuntur principiorum suorum. Fiunt autem ex casu, ex percussione siue vulnere, vtraque scilicet tam continui diuisio, quàm materia densata, & solùm meminerunt scirrhi; sed quod, dixi, non est verè scirrhus, quia in scirrho morbus etiam est in magnitudine: in hoc autem morbo est sola diuisio continui. Vltimum genus est in compositione, quæ constat numero, magnitudine, situ & formâ; & forma diuiditur in figuram, superficiem leuem aut asperam, meatum, & cauitatem. Sunt etiam ex morbis quidam diuturni, horum principales sunt à siccitate, inde à frigiditate, pòst ab obstructione, & maximè in viis strictis à materia crassa, lenta, multa. Et morbi etiam quidam fiunt ex solida compositione, quidam ex humore, quidam ex vapore, quidam ex simplici qualitate; de mistis autem non est dubitandum. Morbus præterea tria dicit, causam, vt lapidem. Membrum vt vesicam; coniunctionem cum læsione, vt lapidem in vesica: vnde lapis in vesica est causa morbi, & vesica malè affecta à lapide, est morbus. Item dico, intemperies in ventriculo est causa morbi, ventriculi affectus ex intemperie, morbus ipse. Igitur morbus dicitur magnus trifariam, vel ob causam, vel ob membrum, vel ob horum coniunctionem. Ob causam, vel est intemperies, & grauior sicca, inde frigida, & ex calidis quæ est cum motu, vt hectica. Deterior est morbus ab humoribus qui obstruunt, vel si sint valde corrupti, vel si omnino contra naturam, vt vermes aut lapis. Deterior qui facit abscessum. Medius infarctus, vt in paralysi, tensione, & qui est in tunicis ventriculi. Vlcus autem medium inter abscessum & infarctum, vt sint quinque modi. Ratione membri tres, nobilitas, difficultas applicandi remedia, & substantia mollis, vt præcipuè hæc tria, pulmo. cerebrum, & oculi. Ratione affectus permutatio magna à naturali statu, quæ potest accidere vel à causæ magnitudine, vel à proprietate, aut diuturnitate.

Galenus duas dubitationes affert, & suo more in immensum difficultatem adauget. Vna est quòd morbus est affectus, qui est res quæ manet & affixa est. Putrida autem febris semper fit, nam si maneret esset hectica. Dico quòd duplex est genus morbi, & vtrumque est affectus, vel per se manens, vt hectica, vel in suis causis quæ manent vt putrida febris, cuius materia & causa efficiens, putredo manet. Et etiam quia calor putridus cùm sit in membro, aliter non faceret febrem, necessariò, postquam febris aliquandiu perseuerauit, manet aliquot diebus; quia nihil cessat in instanti, sed velut in vibratis & eiectis proportionem retinet, iuxta moram in eo quo motum est ab alio; & non est hectica, quia non habet tantum motus (licèt omnis calor necessariò habet motum,) vt possit conseruare seipsum, quod est necessarium in hectica. Alia, an conualescentes sint ægri, & dico quod sic, seu enim imbecillium operationum causa sit defectus carnis aut sanguinis, aut spiritûs, aut corruptio eorum, seu proportio humorum indebita, seu intemperies aliqua, seu ineptia quædam, postulant hæc singula amoueri, ideóque sunt morbi. Veruntamen morborum quidam sunt leues aut leuissimi, quales sunt istorum. Rursus morbi quidam sunt dolorifici, & sunt præcipuè à solutione continui, & inter qualitates à calido & frigido: reliqui sunt absque dolore, nisi forsan siccitas leuem aliquem intulerit dolorem. Alij etiam corrumpunt particulam, ideò seu sint in toto, seu parte vitæ necessariâ, occidunt; & sunt omnes primùm qui faciunt dolores, & qui à putredine fiunt, & à siccitate etiam, & in concauitate aut viâ necessariâ ad vitam, vt sint septem modi. Reliqui vix occidunt aut corrumpunt particulam, nisi reducantur ad istos. Sunt & aliæ diuisiones, sed hæ sufficiant. Melius namque est membrum diuisionis vnum per exemplum, velut de morbo ab intemperie explicare.

Quot igitur modis fiat morbus in intemperie sciemus si cognouerimus priùs quibusnam naturale temperamentum constet. Ergo temperamentum naturale, quod à calido naturali pendet, tot modis distinguitur, quot ipse calor, vt pote gingiuæ. Dico quòd sunt illius viginti vna differentiæ; propriæ septem, & totidem á calore influxo à iecore totidem à sanguine cordis & arteriali. Et propriæ quidem sunt. Primùm multitudo seu magnitudo subiecti; nam in multâ materiâ, est multum de forma, & si caro est calida & humida, multa caro continebit multum calorem. Secundus modus est densitas;

aurum enim etiam paucum, multùm resistit causis aduersis atque illud corrumpentibus, non quia calidum aut multum, sed quoniam dēsū. Tertius modus est à pingui humido seu proprio subiecto caloris & puro; manifestum est autem quod hoc omnino differt à substantia, multitudine ac densitate, cùm illa substantia non sit pura, nec primum caloris subiectum. Quartus est à gradu, nam aqua multa, vt sæpe dixi, potest esse tepida, & pauca feruens, & hoc iam sæpius declaratū est. Quintus modus est vt calor ille sit tenuis aut crassæ substantiæ, vt in me est valdè tenuis ille calor. Sextus modus est vt sit siccus, tunc enim magis penetrat, & non adeò perfectè concoqui, & hoc plurimum differt à tenuitate substanitæ illa enim bona est, vtilis coctioni & vitæ; siccitas autem mala his duobus principalibus. Septimus modus est ex actu; hic distingitur à potentiâ, & ab omnibus aliis modis, quia pendet à motu: calor enim in actu fit à motu, & ab illo conseruatur. Totidem autem modi, scilicet multitudo, densitas, puritas seu pinguedo, actus, gradus, substantia, sunt qualitatis à calore, quem transmittit iecur per venas; & totidem ab eo, quem trasmittit cor per arterias. Igitur erunt viginti vna differentiæ caloris, quarum singulæ cùm saltem diuidantur in quinque species, scilicet minimum paruum, mediocre, magnum, & maximum, constat calorem naturalem penè innumeris modis variari in vnaquaque particulâ. Qui ergo iuxta omnes modos habebit particulam calidissimam, ille idem dicetur habere calidissimam illam; & qui iuxta omnes modos habebit frigidissimam, eâdem ratione. Qui verò diuersâ ratione partem calidam iuxta aliquos modos, & frigidam iuxta alios, habebit particulam illam non moderatam, sed mistam. Et calor iecoris facit ad generationem boni sanguinis, seu vt in gingiuâ ad nutritionem multam & temperatam: & calor cordis ad vitam, & spiritûs, & operationes sensûs & motûs: calor autem particulæ facit ad assimilationem substantiæ, & ideò est principalis in vnoquoque membro. Et hæc est causa quòd aliquis erit pinguis, boni coloris, & carnosus, & viuax & boni sensûs, & tamen erit breuis vitæ, & eius vires exiguis causis concident. Contrà alius imbecillis & exilis diu viuet, quia in hoc cor & membra principalia seruat bene temperata, & calido multo proprio abundabunt, sed destituentur ab influente. In primo influens erit copiosus & bonus; proprius paucus & malè temperatus Et hæc habent tot modos cognoscendi, quot sunt primæ species: nam calor magnus calefacit totam partem, quàm [MS. *quæ*] tangit & quasi implet. Densus autem ex more augetur. Purus verò est cum mollitie partis & æqualis; nam licèt sit densus & multus, si non sit purus, non erit æqualis. Magnus autem iuxta gradum sentitur manifestè, quia multùm manus incalescit. Sed tenuis penetrat, & statim sentitur. Siccus autem molestus est. Hæc autem omnia referuntur ad actum, quia quod potestate est, vt ad actum deducitur, sentiunt. Sed hoc in casu influens non dignoscitur seorsum à fixo in particulâ, cùm commisceantur: verùm ex duobus præcipuè habetur distinctio. Primùm quòd fixus est adeò remissus, vt possit appellari frigiditas potiùs quàm calor, & est instrumentum caloris in actu potiùs quàm vt sentiatur per se; magnam tamen præbet vim influxo: sicut si quis foueret manum aquâ tepidâ simplici, alius aquâ tepidâ ex decocto Camomillæ. Secundum est, quòd influens est vaporosus & varius, ac quasi per momenta singula modò augetur, modò minuitur. Et est quasi quædam flamma & fuligo ascendens, & similis exaltationi ac moli igneæ per interualla erumpenti. Differt autem calor ab arteriali sanguine, ab eo qui fit à venali, quoniam arterialis est maior, tenuior, & siccior, & maximo impetu ferit. Vnde scire decet quòd (quia aliquis posset dicere, calores ambos quos influit cor & iecur, esse iuxta magnitudinē & robur cordis & iecoris,) potest esse magnus calor cordis, iecoris, vt in iuuene sanguineo & boni habitûs; & tamen calor in particula illa, vtpote gingiua, exiguus, quia venæ & arteriæ paucæ & exiles ad illam partem veniant. Et contrariâ ratione in sene exangui, gratiâ exempli, libido ardens ob vasa illa magna & renes calidos. Et ita etiam poterunt esse venæ paruæ, & arteriæ magnæ; & contrario modo. Et ideò etiam circa curam erit discrimen magnum: nam calor influens augetur fricatione, cerato ex pice, potu vini potentis, & carnium & ouorum vsu, atque aromatum. Sed calor crassus exercitatione confirmatur, quæ etiā iuuat ad puritatem illius & ad multitudinem, fomentis naturalibus, & his quæ cutim obstruunt. Verùm cura propria vniuscuiusque horum, si languescat calor vno ex istis modis, (cuius causâ hæc dicta sunt) etiam propriis indiget auxiliis, de quibus suo loco, vt naturalis constitutio restituatur, agemus. Manifestum est igitur ex hoc, quod sint propria intemperiei genera in vnaquaque particulâ. Nam simplices XXI. geminatæ CCX. triplices MCCCXXX. Manifestum est autem ex his quæ alibi dicta sunt, de modo redigendi artes in compendium, quòd fient genera intemperiei in vnoquoque membro MMXCVIICLI. seu 2097151. *Vide lib. de proport. Prop.* 170. Iuxta hanc rationem, suprascriptarum vnaquæque etiam potest esse cum materiâ & sine illâ, & ratio magnitudinum palam est, quòd efficit infinitas species.

Sunt & aliæ differentiæ, præcipuè autem duæ; vna magnitudinis, veluti fistula, vlcus difficilis sanationis, profundum, callosum, & crassum, & album, quoniam particula periit, angustum; nam cùm latum fuerit, Chironiū vlcus appellatur. Et à loco; intimi enim difficilioris cognitionis & sanationis, tum ob id tum quia manus admouere non licet: ideò oris extima, ani media, velut & gutturis. Velut ergo fistula interioribus partibus enecat, & intra annum: in ano quia media est, lethalis

lethalis est & ipsa nisi sanetur, dicit Hippocrates *lib. de fistul.* sed durat ad aliquot annos: de interiore, non propinquâ intelligitur: fœda in ore, turpis in lachrymali, incommoda sub alâ ac in brachio & aure, persæpe ad longam comitantur senectutem. Quæ autem sunt in pectore & ventre, & intus penetrant, sunt mediæ, vt quæ in ano.

CAPVT. II.

De causis morborum.

CAusæ verò apud Medicos duæ sunt, efficientes & materiariæ: nam finem non habent morbi, vt qui casu fiant, & sint tantùm impedimenta quædam; neque formam, cùm ipse morbus formæ cuiusdam imaginem gerat, formæ autem par non est formam esse. Efficientium aliæ quidem interiores, aliæ externæ aut procatarcticæ, velut insolatio, exercitatio, tristitia, vigilia. Hæc enim exteriora dicũtur, non quia in nobis non sint, sed quoniam originem habent ab exteriore causâ aliâ. Ergo vigilia facta ob amicum ægrotantem, procatarctica causa dicetur: spontanea inter internas numerabitur. Internæ autem causæ sunt, motus, flatus, quæ sæpe coniunguntur, & humores vt intemperiem generant? nam vt ipsi patiuntur & putrescunt, sunt causæ materiariæ, aut vt tumorem efficiunt: sed vt diuidunt continuum, sunt causæ efficientes. Præcipuè autem quæ continuum diuidunt, & magnos morbos faciunt, sunt qualitates actiuæ; siccitas etiam vehementer corrumpit per se, tamen non efficit graues dolores. Qualitates autem singulæ bifariam nos afficiunt; actu, vt ignis; potestate, vt euphorbium. Causæ autem materiariæ sunt trium generũ; aut materia naturalis præter naturam se habens, vt sanguis vel bilis immodica vel corrupta: vel præter naturam, vt cibus, fex quæ morbum creant: vel prorsus contra naturam, vt vermis, arena, lapis. Sed causis omnibus contingit internis, vt sint primæ, vel secundæ aut tertiæ, & ita deinceps. Quæ verò producuntur, vt si intemperies in iecore generet bilem, & bilis vomitum, erit intemperies causa & morbus: morbus, vt generat aliud loco rei naturalis, & ita corrumpit operationem; & causa, vt ipsa generat vomitûs causam, vtpote morsum aut intemperiem: hæc enim sunt morbi, quorum symptoma est vomitus? & intemperies genita ex cibo corrupto & à causâ externâ dum fit: dum autem confirmata est, dicetur esse facta, non fieri à causâ externâ, & non habebit causam præsentem, sed præteritam: & ob id causæ non dicuntur propriè, quibus amotis, non aufertur morbus: ea ergo caliditas non erit morbus, quia causâ præsenti caret. Igitur necesse est dicere, aliquẽ esse morbũ qui si tidem cum causâ vitij operationis; & non erit propriè causa, quia nullus postmodum est alius morbus quem generet; neque morbus, quia nullam habet causam, quâ ablatâ auferatur.

Materiaria autẽ causa duplex est, antecedens, & coniuncta. Velut in phlegmone, materia quæ est in motu ipso, est causa antecedens, & in tertianâ quæ concepit semina putredinis iam? non [MS. *nam*] omnis materia quæ biliosa est, aut quæ potest moueri; esset enim res infinita. Quæ autem iam est in phlegmone, est causa continens, & similiter quæ iam putrescit: nã humor, qui est in phlegmone, non est morbus, sed tumor qui fit ab humore, au solutio continui, aut intemperies. Ergo est causa, & non antecedens, tum quia distinguuntur loco & cura: antecedenti enim debetur auersio; continẽti autem coctio, eductio per locum ipsum, tum etiam quia efficit per se morbum. Idem dico de materiâ, quæ putrescit in tertianâ, est enim alia materia ab eâ quæ solùm semina concepit. Ergo vel erit aliud genus causæ coniunctæ, vel morbus. Non morbus, quia primùm esset morbus in re, quæ non est viua, & ideò non esse subiectum idem sanitatis & morbi; deinde esset morbus sine causâ præsenti, & ita sanari non posset: etsi enim putredo sit facta ob prohibitam transpirationem & obstructionem, vbi cesset obstructio & prohibita transpiratio, & putredo maneat, erit morbus ille sine causâ, & ita non poterit sanari. Demum si putredo in humore, erit morbus, intemperies in corde quid erit? Certum enim est eam esse verè morbum, & quæ vocatur febris: est enim contraria sanitati, & in eodem subiecto, & lædit operationes, scilicet coctionẽ, & habet causam, putredinem in humore. Motus ergo est vna ex causis efficientibus morbum, & si possit dici causa sine quâ non, est tamen causa manifestè, sed non prima, quia est alicuius motus, & illud quod mouetur, est causa; non enim est morbus, quia non est subiectum sanitatis. Dicetur tamen motus ob id causa, in luxatione & fracturâ, quia quod mouetur est membrum, & ideò subiectum sanitatis seu morbi. Lapis itidem est causa efficiens morbi, qui est erosio in vesicâ: & difficultas meiendi est symptoma. Et morbi qui habent causa externas, sunt vehementiores, quia plus possunt duo quàm vnum; & qui non habent, diuturniores, quia ex longo errore licèt occulto in ratione victûs procedunt. Causarum etiam loco sunt, cuius pars & totum. Et ex propriis sudor capitis, vt in febribus longis, præcipuè cùm exponunt se frigori, ideò contingit conualescentibus, si in biclinium se transferant sub camino, & non siccetur caput.

CAPVT III

De symptomatis.

SYmptoma autem principaliter diuiditur *in libro constitut. artis Medic. cap.* 15. in læsionem operationis, exiens mutatum, & qualitatem mutatam. Et siquis dicat quòd exiens mutatum, est operatio læsa, quia eam ostendit. Dico quòd non: nam exiens mutatum, licè ostendat & depen-

deat ex operatione læsâ, tamen non est illa, sed est, quasi symptoma secundarium in comparatione ad læsionem operationis. Deinde dico quòd non semper exiens mutatum indicat operationem læsam, sed potest esse mutatum, vel ob retentionem diuturnam, vel membri corruptionem per quod tranit, vel ob materiam quæ ei miscetur. Propterea symptoma notissimum est, causa morbi per se ignota, & morbus est in medio: nam morbi quidam notissimi sunt, velut febris & dolor; quidam ignoti, vt obstructio & scirrhus in locis profundis. Cùm autem omne symptoma sit præter naturam, læsio tamen operationum est principalis, & propter quam Medicus solet aduocari, & ideò ad morbum magis pertinet, & cum eo confunditur, sicut reliqua duo magis sunt è genere signorum quàm morborum. Ob id autem inuectum est symptomatis nomen, vt primùm læsionis operationis omnia genera amplecteretur. Nam ablata operatio prorsus non est læsio operationis, ideò sub illâ comprehendi non poterat. Secunda causa fuit, quoniam erant quædam quæ non erant læsiones operationum, & tamen indicabant de sui remotione, vt casus capillorum, & vitiligo, & maculæ in oculis, & huiusmodi: neque enim sunt simpliciter signa, quia signa non indicant de remotione sui. Sed & illud considerandum, an symptoma sit læsio operationis tantùm, an etiam necessarium sit, vt sit læsa facultas. Velut quis comedit glandes acerbas, nec eas concoquit, an dicatur symptoma? Dico quòd non, quia principium seu causa illius, non est contra naturam; velut nec illius qui non potest tractare cibum manibus, quia vinctas eas habet. Oportet ergo vt symptoma sit vel ob læsam facultatem, vel ob impeditam ex principio intrinseco; appello autem intrinsecum, quicquid est in nobis, sed contra naturam. Vnde si cui obeat frater, & ob tristitiam non concoquat, non erit symptoma; & si non concoquat ob duos asses amissos, alioqui naturâ splẽdidus & liberalis, erit symptoma. Est autem plerisque symptomatibus quoddã propriũ, scilicet ordo & circuitus manifestus, qui eò euidentior est in doloribus, quantò etiam illi sũt euidentiores inter symptomata. Sunt autem circuitûs hi quandoque manifesti, cùm causæ fuerint euidentes, stabiles, & simplices; obscuri cùm obscuræ fuerint causæ, aut plures, aut non stabiles. Causæ ergo horum præcipuè sunt quatuor: à naturâ materiei morbi, vt in tertianâ & quartanâ, rigoris vel frigoris circuitus. Et à naturâ siderum, alij enim crescunt ascendente Sole, alij mouentur à Lunâ, & hi sunt secundùm maiorẽ partẽ, aliqui ab aliis erraticis, hoc rariùs contingit. Et à naturâ dierum iudicatoriorum. Demũ à cibo & potu, vel quia comedit, vel quia abstinuit, vel dum concoquit, vel quia hoc vsus sit. Magna autem incommoda vinum afferre solet. Ita & ab alis rebus non naturalibus, præsertim ab aëre seu vẽtis, & Venere. Sic & à somno & motu. Cùm ergo hi circuitûs sint à causâ præter naturã, quia sunt symptomatum, vel illa erit ex motibus manifestis siderum, vel occultâ illorum ad nostra corpora comparatione, vel ex materiâ morbi, vel superuenientibus, quæ sunt in aliquo genere sex rerum non naturalium. Et ideò si non fuerit ex errore; tum horarum diei, si ordinẽ seruat, tum temporis natura qualitatem humoris docet. Si autem horam certo tamen ordine commutat, ex astrorum circuitu contingit. Nam qui ex errore fit, ex narratione deprehenditur. Qui ex die decretorio aut iudicatiuo, obseruatio eorum.

Caput IV.

De signis tam demonstratiuis, quàm prognosticis.

Signorum verò ratio sumitur à morbo, velut caliditate, vt *6. Epidem. partic. 1. text. 29.* Febres aliæ mordaces aliæ siccæ; & hoc etiam ex ratione motuum earum, velut quæ paribus diebus exacerbantur, lethaliores *1. Epidem. partic. 2. text. 75.* Et quæ augetur sẽpercùm ab initio sint mites, vel cõtra, *Epidẽ. partic. 2. text. 10.* & ita de aliis. Vel à morbi causâ, *vt in aphor. 24. sect. 4. Difficultas intestinorum si ab atrabile incœperit, lethalis est.* Vel à symptomate, vt conuulsio, vel delirium vel non posse deglutire, vel ab imbecillitate virium, *vt aphor. 66. 50. & 35. sect. 4.*

Et ideò signum differt à symptomate multis modis; primùm quia symptoma refertur ad causam, signum ad cognitionem: symptoma non sumitur à rebus secundùm naturam, nisi quis syncopen velit appellare symptoma; signa non minùs sumuntur à viribus, quàm à rebus præter naturam, vt *49. aphor. sect. 4.* Symptoma præterea non sumitur ab essentiâ morbi, signum sumitur à morbi essentiâ, & illius magnitudine, imò est præcipuum. Signorum igitur duo genera, Demonstratiuum quod indicat rem esse, & Prognosticum, quod significat rem, vt ignota est infirmo & astantibus. Et hoc tetigit Hippocrates *in lib. prognost. text. 2.* cùm dixit: *Præsentiens enim & prædicens coram ægro præterita, præsẽtia, & futura.* Liquet autem quòd omnia signa tam demonstratiua quàm prognostica sumũtur ab omni genere rerum præter naturam: sed prognostica etiam à rebus secundùm naturam, & vt dixi trium sunt generum; futuri quæ propriè prognostica dicuntur, quia illa quæ prædicuntur, humanâ prudentiâ sciri nequeunt, sed diuinationem sapiunt: non ita reliqua, nam præsentis & præteriti, non propriè talia appellantur. Conueniunt etiam in hoc quòd res ignotas docent, & quòd non indicant. Demonstratiua ergo significant absque tempore, magis tamen significãt præsens; nam vrina rubra in tertianâ significat febrem per se, & magis quæ præfuit, quàm quod sit; pleraque tamen sunt præsẽtiũ, & velut febris putridę vrina cruda, cùm iam febrem esse supponimus, tum verò cum contentis putridis. Horum igitur sunt pathognomica,

pathognomica, quæ propriè significant morbum; & assidentia quæ morbi speciem; & significantia causam, quæ etiam significant morem; & temporaria, quæ docent coctionem vel cruditatem,& tempora morbi. Sunt etiam quidam morbi qui vix dignosci possunt per signa demonstratiua, velut nebula seu suffusio ab obstructione neruorum visûs, & vocatur à quibusdam gutta serena. Vnde dicebat Princeps 3.3.c.22 de illis loquens: *Et fortasse non comprehenditur sapientiâ.* Et in hoc genere collocantur præcipuè, quæ à corruptione membri cùm putrescit,quæ ab abscessu in parte profundâ & doloris experte, & in initio velut in peripneumoniâ. Licèt enim tussis & difficultas spirandi sint signa pathognomica cum febre acutâ, persæpe tamen dignoscuntur vrinâ,cùm turbida fuerit: Etenim talis vrina, quam dicunt significare febrem pestilentem, & quam consequi solent maculæ illæ similes morsibus pulicum significant phlegmonen in aliquâ parte, quæ latet Medicum, quia profunda est, & ægrum quia in initio, & ipse est parum sanæ mentis. Et Medici curant has curâ febris pestilentis, & occidunt omnes, cùm cura sit omnino diuersa. Cùm ergo videris vrinam turbidam, specta an rubeat facies & deliret?Est in partibus capitis. An tussiat vel leuissimè? Est peripneumonia. An sit tumor, vel dolor, vel durities in ventre? Erit phlegmone in illo. Tertium genus est veneni temporanei, vt canis rabidi, & eius quo periere intra annum duo inclyti Medici Bononiæ, Ioan. Baptista Peregrinus & Camillus Montagnana, prior in duobus annis, posterior in anno. In ambobus putruit pulmo: sed in Camillo euidentiùs, quòd esset iunior. In ambobus corruptum est iecur, sed in iuniore magis est denigratum, in seniore induruit. Vtrique iecur & pulmo adhæsit costis quasi glutine quodam. Et febris perpetuâ post sex menses, & tussis, & phthoë, & difficultas spirandi, sed maior in seniore; in iuniore vlcera faucium, febris quæ nocte inualescebat, vigiliæ communes ambobus,& vt nullum proficeret auxilium, sæpius puto vtrique exhibitum:vterque ad summam deductus maciem & doloris expers. Vrinæ satis multæ & variæ, aliæ bonæ, aliæ putridæ. Cibum auersabatur magis iunior. Primi generis cura constat euacuantibus validis, ligno Indo præcipuè, & victûs summâ tenuitate, tum metallis præparatis. Vltimi generis cura est per medicamentum nostrum ad pestem, sæpius repetitum: per ea quæ sanguinem ducunt, maximè helleborum, aloën, myrrham, ammoniacum, centaurium, sanguinem ne mittas, & vt in primo per metalla præparata: malum Medicum assiduè esitet. Et signa primi & vltimi sunt, coloris corruptio, est enim proprium, & extenuatio, id tamen abesse potest ab initio; & vigiliæ non tamen magnæ, sed nocte grauantur, quia pulmo afficitur. Et qui nocte meliùs se habet, timemere non debet; & sitis exigua, & ventriculus in his non afficitur. Et ego vtebar tutâ assiduè custodiæ causâ. Signa prognostica sunt rursus quatuor generum: salutis aut mortis aut neutrius, vt claudicatio; longitudinis aut breuitatis; crisis, & futurorum symptomatum.

Capvt V.

De curatione.

CVram duplicem esse diximus, custodiam ad præcauendum, quæ fit per vsum eorundem auxiliorum, quæ adhibemus in curatione, sed leuiorem. Cúmque vtraque rursus duplex, sit agendo & prohibendo quæ præstantior est, hanc Medici omittunt, quòd vulgus nullius momenti eam esse credat: vnde tot pereunt, maximè quòd & ob id plus agant quàm debeant. Cura igitur (maximè) quæ in actione consistit, in contrariis posita est. Sed quomodo fiat à nemine definitum est. Nam si dicamus quòd fiat per contrarium, id est, tollendo morbum, illud licet sit verum, est indignum vetulâ quauis, nedum Hippocrate. Quis enim nescit quòd sanatio lateralis morbi, est non laborare illo; Sed dubitatio est, an fiat per contrarium causæ, & hic contingunt difficultates. Primùm quia aliqui morbi, velut hectica, carent causâ: quomodo ergo sanabuntur? Et si quis dicat quòd erit per contraria opposita, vtpote per infrigidantia & humectantia, quare dixit Hippocrates, quòd *morbos qui ex repletione fiunt, euacuatio sanat?* Et mihi sanè videtur, quòd intemperies vlla non sit morbus: quoniam est instrumentum, & ipsa non in quo est anima, sed potiùs ex intemperie dissoluitur facultas, & dissolutio facultatis est morbus, & vitium functionis symptoma, & intemperies causa morbi. Et ita omnia conueniunt; temperies enim & intemperies sunt causæ roboris & imbecillitatis membrorum & alia sunt morbi vel sanitas Quid enim aliud est sanitas, quàm robur membrorum? Quid morbus quàm imbecillitas? Ergo cura est contrarium causæ vel morbi, vt hæcticæ. Sed cùm dicis, contrarium plenitudinis est inanitio, & est priuatio. Dico quòd est verum de propriè opposito & contrario quocunque causæ. Si habet verè contrarium, est per ambo opposita, velut si humor biliosus est causa erysipelatis, est per refrigerationem eius, vel per euacuationem, & magis per contrarium priuatium quàm verum, vt patet experimento & ratione. Sed dices, cùm indicatio prima sit de tollendo symptomate, nam propter læsam operationē aduocatur Medicus, & non ob aliud: & sublato symptomate satisfactum esset ægro. Curatio autem ipsa semper fit per ablationem causæ, vt Galenus *in libro de Optimâ sectâ ad Thrasyp. cap.* 25. Igitur morbo nulla debebitur intentio curandi. Respondeo quòd morbus indicat de curatione ob tres causas. Prima, cùm morbus fuerit vnus, & symptomata plura, vt in morbo comitiali, casus, contorsio, & amissio sensûs & intellectûs possunt curari per vnum contra-

rium ; & ita requirentur tria aut quatuor, si quis vellet curare symptomata ipsa. Secunda, cùm vnum symptoma pendet ex pluribus morbis, vt mala coctio ventriculi ex intemperie frigidâ eius, ex defluxu pituitæ à cerebro, & ex superfluâ euacuatione sanguinis, tunc volendo curare malam coctionem, oporteret necessariò curare vnumquemque morbum, qui est causa symptomatis, aliter non posset plenè curari. Tertia est, quoniam cùm curatio fiat per cōtrarium, & morbus habeat plerumque contrarium, quia est res magis intima: symptomata verò habeant rarò contrarium, velut stridor dentium, tremor, dolor, & similia; ideò cogimur curare morbum, & non symptoma.

Et hæc est contemplatio generalis: iuxta quam, vt de secundo membro diuisionis ab initio propositæ agam, de quo dubium non est, morbos qui retunduntur, trifariam retundi aut blandiente curâ, quam fucatam vocant, vt in carcinomate & graui albâ pituitâ, malisque habitibus perniciosis, sed quorum mors longè abest, aut dum causa manet, manet morbus sed symptoma quiescit, vt serius redeant, mitiúsque infestent, quo in genere sunt comitiales morbi, podagra, & asthma periodicum, seu quod per circuitûs redit aut omnino morbus mitigatur, sed non sanatur aut transmutatur in mitiorem, velut torrida febris in tabem senij : aut vt in eodem statu permaneat nec augeatur. Qui tres fermé modi ei parti, quæ sanos confirmare docet, conueniunt. Aut enim conseruandi sunt eo in statu in quo sunt, velut adolescentes temperatæ naturæ; aut prohibendi ne in deterius prolabantur, vt senes optimi habitus, aut aliquâ ex parte in statum meliorem reducendi, vt qui aliquâ malâ intemperie, seu totius seu partis præcipuè valde necessariæ laborant. Liquet igitur quòd totius Medicinæ partes erunt quinque. Prima quæ morituros prædicere docet. Secunda quæ sanos exquisitè conseruare. Tertia quæ custodire languentes modicè, & malâ cum temperie valentes Quarta quæ reducere in meliorem statum seu languentes seu sanos præcipit. Quinta quæ curare ægrotantes. Manifestum est etiā quod secunda tertia, & quarta ex his quæ dictæ sunt bifariam diuiduntur singulæ. Sed de primâ, *in Arte medendi paruâ nostrâ* dictum est plenè ; de secundâ autem, & totâ ratione sanorum, *in quatuor libris de tuendâ sanitate à nobis descriptis.* Reliquum est igitur, vt de tribus vltimis, quantum ad ægros pertinet agamus, quamobrem omnes sub curationis nomine comprehendi poterunt, id modò cogitantes, cùm dicimus, curationem triplicem esse, vnam quidem perfectam, quâ morbus omnino tollitur; aliam quæ reducere docet ad mitiorem, seu transmutando seu leniendo vim morbi, imò potiùs retundendo; tertiam, quæ dicitur custodia, cuius quadruplex est modus, aut cùm omnino est morbus lethalis fertur magnis incrementis ad finem, vt de carcinomate dixi ; aut cùm prohibemus aduentum morbi, quantum per artem facere licet, in illis quorum causa viget in corpore, nec potest eradicari, vt in comitialis & podagricis ; aut cùm morbum haud lethalem, velut coxendicis dolorem, ne vlteriùs sæuiat, non solùm mitigamus, sed minorem reddimus, & vt commodiùs feratur, per vincula, puluinos, & cætera procuramus, qui modus & in ramice intestinali senum, quam excindere nolumus, in vsu est. At in morbo lethali quem curare non possumus, quíque diuturnus est, eam adhibemus diligentiam, vt morbus is mortem non acceleret, nec incrementum accepisse videatur, velut in vesicæ lapide, alij in empyematis quadam specie, quos morbos cùm penè quadraginta annis protulissent, non vi illorum, sed ordinario quasi modo extremâ in senectute interiisse visi sint. Ergo cura generalis materiarij morbi, est causæ diminutio & concoctio: & diminutio vel per se, vt inediâ vel frictione, vel per euacuationem. Sed inedia iuuat coctionem, licèt non per se, & euacuatio impedit, sed magis per medicamentum. Et sectionis venæ locum habent cucurbitulæ cum incisione, & hirudines, cùm fluxerit multus sanguis & præcipuè crassius, aliter pertinent ad curam generalem. Sectio ergo venæ in initio adhibenda in acutis. Vbi iecur debile est valde, nunquam : vbi verò valde crassis humoribus in lētā febre refertum est & debile, postquā vrina fuerit facta crassa & rubra, aliter natura debilitata non concoquet humores, nec habebit quo nutriatur, nec ferre poterit inediam ; in huiusmodi enim morbo, velut vrsi in speluncâ hyeme, iecur nutritur, & humores attenuatur, vt fluere possint. Cùm ergo dixit Hippocrates *mouendum esse ab initio.*, intelligit medicamento. Secundus ergo modus curæ communis est in communibus præceptis. Velut & illud, an ab initio statnenda sit ratio victûs: idque verum est in acutis, veluti in itinere ad finem, nisi symptoma impediat : cuius exemplo in diuturnis, in quibus materia diuersorum generum peccat, non solùm ob tempora accessionum, vt totius morbi & symptomatum, sed etiam ob vires quæ modò succumbunt, modò exurgunt, & vt suscitetur appetitus ægri, cogimur exemplo nauigantium inter Syrtes, qui plumbo ad singula momenta explorant vadum, occasione vti. Cúmque in hoc etiam duo sint pricipales curandi modi, simplex & per epicrasim, quia morbus non est à materiâ, erit sub tertio genere scilicet abscessuum ; nam in morbis materiariis, vbi materia est omnino præter naturam, vt in ascite ; aut vbi non adest febris ; aut vbi maior est habēda ratio præparationis quàm coctionis ; (id autem contingit, cùm materia est multa, aut frigida, lenta, crassa, & vires imbecilles ; febris autem non vrget) epicrasi vtendum est ; in aliis autem simplici curatione quæ fit per inediam. Asciticum ergo validis purgabimus medicamentis, veluti radice cucumeris anguini, ebulo, sambuco, apio incoctis aquæ, tum catapotiis aggregatiuis nutriemus, & iecori ceratum adoratum imponemus; quomodo etiam fertur Galenum curasse suum senem.

Est

Est etiam morbi genus medium inter illum qui curari potest,& qui non: cuiusmodi est inflammatio pulmonis, aut dispositio ad tabem, in quâ color subflauus & ruber, macilentia, collum longum, spatulæ alatæ, pectus angustum,dolor spatulæ ac quasi humeri,qui accidit quòd intersepiens membrana ei alligetur: quòd si tussicula accedat,& color vitietur, iam incœpit. Huic nec medicamenta prosunt, nisi forsan centaurium minus addatur: oportet enim tenuissimæ esse substantiæ vt penetrent, & densæ vt vires maneant, quale forsan sal ammoniacum, & quod vocant belzoi, forsan & crocus. Eclegmata præterea etiam parum prosunt, vtpote quæ intra asperam arteriam contineantur, nec in profundum permeent. Non venæ sectio, cùm ad cor illæ terminentur. In eodem genere sunt superficies exteriores membrorum plerumque internorum,renum, vesicæ,ventriculi,pars cerebri basilaris, sed renum tamen tamen magis, à sectione venæ iuuatur. Liquet ergo tales decoctis siccantibus, haud calefacientibus nutriri oportere, velut Chynæ. Et oleum chalcanthi admiscere centaurij decocto, forsan & itis cicerum, & purgare sanguinem,& cùm in præcipiti salus sit, valido auxilio velut helleboro nigro, & lenticulæ vtriusque decoctum exhibere, & quæ Chironia vlcera sanare possunt, velut & quæ ad carcinomata adhibentur.

Sed reuertor ad curam generalem,in quâ explicanda est ratio victûs. Ratio ergo victûs in ægris generalis, cùm vt viuens de cibo & potu indicet, ex tribus sumitur, ab eo quod est præter naturam, morbo,causâ, symptomate;ab eo quod secundùm naturam, calore naturali, viribus, & consuetudine: ad hæc enim reducuntur omnia à re, & est quantitas, numerus, & qualitas. Ea quæ sunt secundùm naturam,paruum exhibent negotium, nam calor solum de quantitate indicat. Vires de vino, & pinguibus & numero cibationis. Consuetudo de quantitate similiter & numero. Vbi imbecillæ sint vires, ter in die cibare sufficiat, *7. artis curandi, cap. 6. pag. 5.* Sed & de pinguibus,& reducuntur plerumque ad bessem au semissem, ratione habitâ ad sanos, nisi obstent naturæ contraria, ideò etiam de quantitate & numero non est necesse verba facere, cùm sequamur eam rationem. Quuoad qualitatem ergo attinet, septem sunt ordines. Carnes seu integræ seu contusæ, oua, carnea quæ sunt carnes glandosæ quadrupedium & auium, inde cerebra,pòst pisces marini vel nothi, leuis carnis,& extrema, vt pedes vitulorum & alæ, pòst iura consumpta, quæ vocat Galenus carnes colliquatas, inde fercula, pòst nihil dare, demum vinum. Dicemus de duobus extremis ac comparatione reliquorum. Carnes ergo difficilè concoquuntur, & ita impediunt calorem naturalem à coctione materiæ, facilè putrescunt, sicque transeunt in materiam coniunctam febrium. Præterea facilè ardent, & ita nocent ipsi morbo, multum nutriunt, & sic augent materiam antecedentem, & lentum exhibent alimentum, atque sic obstructiones pariunt, quæ sunt causæ putredinis. Oua duobus primis incommodis carent, reliqua tria retinent. Carnea carent quatuor primis detrimentis, dummodo coctione ad summam mollitiem redigantur. Carnes in aquâ colliquatæ non nisi tertium detrimentum afferunt. Vinum autem materias crudas ad cerebrum & neruos defert, & inflammationes auget: ideò in morbis capitis, neruorum,& abscessibus, dum adhuc timor est de defluxu, magnas noxas affert. Morbi (vt res naturales de cibo & potu indicant, ita) præter naturam cùm sint, ex se prohibent omnes cibos. Distinguitur eorum consideratio tribus, licere an expedire? In declinatione vel accessione? Licere nihil puto, quod non expediat; attamen in gratiam ægrorum, nihil est quod magis corrumpat Medicinam. Expedit quodcunque melius est, computatis morbo & reliquis viribus, ventriculi firmitate, ægri voluntate:tunc si iracundus sit, parum indulge, protestatione præmissâ melius consultum fore si non transgrederetur, qui si sit potens, abdica te. In aliis caue ne periculo exponas: In declinatione augeas ad sequentem ordinem quantitatémque. Morborum autem genera octo. Peracuti, in quibus virtus fert inediam, de quibus non dubitandum est, vnde sumpta ratio tridui. Acuta febris & abscessus in membris naturalibus, ex quo acuta febris: & abscessus alius similiter, sed non in ventriculo vel iecore, vt Phrenitis & morbus lateralis. Manifestum est autem quòd si ad acutam febrem sequatur abscessus, tunc erit compositus, & febris dissoluens, v luti pestilens & colliquans. In abscessu membrorum naturalium nihil dare præstat; sit cogimur, cremorem ptisanæ ex aquâ. *Vide 12. Contin. 56. curam.* In febribus acutis simpliter, declarat Hippocrates quæ sint,id est, quæ ad vigesimam diem terminantur,(nam ad quadragesimum morbi acuti non febres, & quoad signa) ptisana attenuando statum versùs. In aliis abscessibus nutries, vt in febre acutâ, nisi de suffocatione periclitetur æger. Sed in dissoluentibus, ad carnea & densiora transibis, vt alicam & oryzam quàm diu coctam,nec multam,& chondrum omnia ex iure. Sexto loco sunt morbi sine febre, quibus paucæ carnes assæ conueniunt, pòst sunt intermittentes, in quibus si longum sit interuallum, nutrire licet. Atque hæc omnia ab omnibus Medicis qui carnifices non sunt, conceduntur. In octauo est difficultas; complectitur autem quatuor capita, lentas & longas febres sine abscessu viscerum, & cum abscessu eorum, & factas lentas ex transmutatione ex acutis, & continuatas ex intermitentibus. In omnibus his tutius consilium esset abstinere à pinguibus omnibus: liceret tamen, si vires non ferant, ex iure dare panem lotum, non ptisanam. Atque aqua semper est tutior, nisi in lapsu vitalis functionis, & nullo alio. Fit autem aqua cum saccharo, & cassia ligneâ odorata, & rebus suauibus aliis. Et quicunque vberiore victu sanabitur, hoc ipso etiam sanabitur, quoniam

quoniam bis in die talia assumenti sufficient vires etiam in multos annos. Poterit tamen periculosè cum carneis etiam sanari. Sed carnes concedere, omnino alienum est à ratione, & cum incremento morbi. Memento autem moderatè, non multum cibos mutare, vt neque putredini, neque lentori sint expositi & vt sint admodum cocti, & in multâ aquâ: vt non desit aliquid necessarium, non vt abundes in non necessariis. Vino nullus locus tutus. Sed quandoque consuetudo in vẽtriculi morbis efficit necessarium. Omnium autem morborum duo sunt extrema; ad inediam, violentum, vt fructura & vulnus; ad nutritionem hectica, veneni natura, sanguis fluens non astringendus. Reliqua ad mulieres & calumniatores.

Sequitur contemplatio communis generalis etiam curæ, tum specialis: sed generalis cura dicitur quæ fit morbi eius vt sub genere continetur, velut lateralis morbi, vt communis est ei qui fit ex abscessibus in pleurâ, septo transuerso, musculis, pericardio, intersepiente membranâ, quam semper noscere oportet, cùm sæpe accidat, vt speciem morbi ignoremus. Ad eos autem qui specialem curam aggrediuntur, meminisse oportet eius quod dicebat Scribonius Largus de Asclepiade. *Is enim iactabat non esse Medicum, qui non ad singulos morbos duo aut tria auxilia haberet collaudata ab antiquis, quibus sua experimenta etiam adiiceret, illáque per similitudinem amplificaret, non coactus experimento probare.* Pro venæ igitur sectione in phlegmonibus, cùm sit quadruplex; totius corporis euacuatio, & hæc debet fieri à parte longinquiore à loco læso, vt partes illi circumuicinæ exinaniantur, & conuenit in principio, & maximè cùm morbus moram fert. Vnde in inflammatione iecoris, aut lateris dextri, aut mammillæ, fiet ex pede sinistro. Pòst conuenit reuulsio, aut si corpus non sit plenum, & sit secundùm differentiam oppositam. Est autem quadruplex, dextrum sinistrum, & est maxima; sursum deorsum? pòst ante retro; intus extra, vt *in libro de Reuuls.* In hac considerantur communicatio venarum, & directio quam vocant κατ' ἴξιν, aut vtrumque. Et nec illâ solâ vtimur, nisi cùm morbus moram patitur, & est propriè vtilis secundum latus, vt ex crure in crus, aut medio iecore, vt in mensibus ex brachio, & communicatio directionem præsupponit, non directio communicationem. At si media sit caua vena, parua fit reuulsio, vt à brachio ad brachium; nulla, si cor. Vnde in peripneumoniâ neque reuulsio fit, nec deriuatio, sed si quid prodest euacuatio totius bona est. Liquet autem quòd reuulsiones quæ fiunt ab humerâriâ, vt in doloribus & inflamma tionibus quibuscunque partium capitis, possunt etiam fieri à nigrâ, & iecorariâ, modo eiusdem lateris: sed in ictibus propter dolorem vehementem & concussionem, vel à toto, vel à brachio

1. 1. *Iecur.*
2. *Cor.*
3. 3. *Venæ cauæ truncus ascendens.*
4. *Venæ cauæ truncus descendens.*
5. *Iugularis interna.*



6. *Iugularis externa.*
7. *Humeralis.*
8. *Iecoraria.*
9. *Nigra.*

saltem contrârio, si morbus moram patiatur? secùs ab eodem latere. Pessimum autem reuulsionis genus est, quod fit ad partem, inter quam & iecur est membrum læsum. Deriuatio debetur, cùm partes circumcinæ iam plenæ sunt, non tamen materia fluit. Sed si fluat adhuc, deriuatio cum reuulsione. Euacuatio autem ex loco læso nunquam fit per venæsectionem. Igitur sunt tantum tres modi simplices, & quatuor compositi. Et hæc præter indicia quantitatis, quæ sumuntur à morbi magnitudine, habitu, temperaturâ, sexu, ætate, & tempore. Est etiam habenda ratio temporis morbi; nam sectio venæ conuenit maximè principio, minùs incremento, nequaquam aliis, morbi ratione: nam in vigore symptomata sæuiũt, materia mutata, & ne opus naturæ impediamus. Et si à coniunctâ educere propositum sit, ea autem non adsit, ex vtrâque momento solùm interiecto mittemus sanguinem, vt ego in Ioan. Ambrosio Vignano, cùm laboraret tertianâ nothâ extensâ, cum calore maximo extremorum, & dolore capitis; & fuit sanguis iecorariæ putridus & obscurus, & nigrior. In morbo quoque laterali iuuat sæpius ex Tralliano *lib. 6. cap.* 1. cucurbitula exteriùs apposita, quoniam reuellitur extrâ salũis viribus, quibus valde opus est solùm ad coctionem, sed ad excreationem. Debet autem profundè incidi, atque ita sectione venæ, si corpus plenum non est, opus non erit.

PARS

PARS SECVNDA, DE INSTITVTIONE GENERALI.

PROOEMIVM.

AT institutio generalis morbi, est eius quatenus communi contemplationi subiicitur, sed differt ab aliis morbis, genere, specie, magnitudine, & huiusmodi conditionibus; tum etiam vt illi conuenit cura morborum, quæ tamen potius ad specialem pertinet tractationem. Sed hoc agimus, vt genus curandi ostendamus, quod cùm omnibus commune esset, nec tamen ita commune, vt singulis non conueniret, meritò in hanc secundam partem redactum est. Sed primùm genera in species diuidemus, naturæ considerationem in septem capita, temperamentum naturale, & compositionem tam totius quàm membri præcipuè patientis, & habitum, acquisitum, deinde ætatem, & consuetudinem, & munus, tum tempus anni, post proprietatem, nomen, & morbum, & reliqua vsque ad curam ex generali habebis. Custodiam autem per communia auxilia, per ea quæ curare possunt, per ea quæ confirmant membrum, & per ea quæ à proprietate prohibent. Curationem autem diuidemus in tria genera; communem, quæ fit per purgationem, venæ sectionem, & victus rationem; & generalem, naturæ morbi conuenientem, & hæc est quadruplex: per communia, vt huic generi morbi conueniunt, hæc enim conueniunt, vt dixi, tanquam contrarium causæ inducentia; & per generalia quæ sunt contraria per se, aut præcipuè, vt auertere, deriuare, dolorem lenire, calida frigidis opponere, concoquere, resoluere; per propria quæ illi membro conueniunt, & ideò vtilia omnibus speciebus illius morbi; demum cura specialis illius morbi, sed generaliter tradita, velut lateralis morbi per omnia quæ conueniunt morbo laterali. Et specialem, quæ nouem continet capita, scilicet curam communem illius speciei comparatam ad ætatem, temperaturam, sub quâ sexus comprehenditur, consuetudinẽ, & reliqua: vnam per tempora morbi & anni distinctam; curã symptomatũ præsentium; medicamentorum simplicium electionẽ, vt mel potiùs quàm saccharum, & Hispanicum quàm Italicum, & mensuram compositorũ, & rationẽ curæ anormis. [MS. *enormis.*] Cura specialis morbi, & quæ à proprietate illi conueniunt. (Sunt autem alia ab his, quæ à proprietate prohibent Chirurgicâ) demum sanatio symptomatum derelictorum. Cùm ergo iam fuerint nomina ab initio consideranda, vt anteà dictum est, & primum ex illis in septem capita diuidatur, octauum in quatuor, nonum in nouem, fiet vniuersalis contemplationum numerus, circa quæ principaliter scilicet versatur, & de quo speciali tractatione agetur, viginti sex; nam tractatio de signis demonstratiuis specialis, miscetur aliis membris, atque ideò colliquescit, vt sint tantùm, vt dixi, viginti sex capita. Omitto modò diuisionem morborum, & huiusmodi, nam illa non vni competere solent; & causarum & symptomatum, vt confusam magis; quæ tamen ad arbitrium addi possunt, nec non signa tria & tria, quæ iungere liceret. Sed non ad curationem adeò hæc faciunt, vt illi inserantur: nam siquis bene respiciat, membra solùm amplexi sumus, quæ proxima sunt & adhærent curationi: velut causæ, & morbi, & signa, proxima sunt curationi per se; species autem causarum & morborum vel signorum, non ita: sic & curationis modi, & res naturales indicant modum curationis.

Primùm igitur scire decet, quod à multis quæsitum est, an curari debeant & an validis medicamentis morbi non magni, qualis hic propositus est. Morituri sanè magnis auxilis curandi non sunt, ne remedia infamentur, 11. *meth. cap.* 9. imò & Medici. Vbi tamen periculum magnum adsit, nec vlla salutis spes, prædictione propositâ, ne vehementia morbi nostro ascribatur errori, melius est agentes aliquid (*inquit cap.* 6. & 10. *eiusd. lib.*) periclitari, quàm ægrum absque spe relinquere. Itaque strenuis auxiliis vti licebit. Sunt autem sectio venæ, medicamentum, frigida tum intus tum extrà, castoréum, sinapis, ignis, præcisio partis, aqua thermarum, vinum viperæ, & huiusmodi. At cùm auxilium non proprium est, si adhibueris etiam in morituro, quicquid super est spei tolles. Si nullam fuisse dicis, cur adhibuisti, cùm sit contra præcepta Doctorum? Itaque id nihil aliud est, quàm quod non existimantes esse præcognitionem horum, tentant, sperantes gloriam eruditorum subripere eâ arte posse. Itaque cum his ob varios dolos melius est non prædicere: nam & sanandos occidere per astantes possunt, & in morituris auxilia tentant, nil veriti leges, cùm contra leges agant, qui clam aut per ministrum mutant præcepta. Si perit, diffamat periisse obtemperando tuis consiliis. Si seruatur, vnde summam sperabas gloriam, dedecus inuenis maximum: nam per astantes & coniunctos ægri, ostendit vinum pro aquâ, carnes pro ptisanâ exhibuisse. Cautè igitur agendum est cum his, nec nisi in curatione Principium, vbi intelligant de proprio capite agi, aliter non recipere nisi derelictum. Quinam ergo sunt morituri, quos curare non oporteat? an qui sine spe prorsus? at hoc noluit vulgus: an quibus omnia sunt signa lethalia? at quis est eiusmodi? an in quibus morbus superat vires? at quomodo hoc dignosces, præsertim cùm accessiones vicissim & remissiones iudicium turbârint, & in talibus iubeat experiri Galenus auxilia? Sed in exacerbationibus sufficit tantisper retrahere & occurrere, & quandoque cibum dare, si vires deficiant. Ergo per morituros intellige consensum victarum facultatum, sed multo antè cum signis lethalibus à compositione sumptis. Denique melius est ab arte abstinere, quàm cum improbis versari sociis, cum quibus vel animæ salus, aut gloria periclitanda est, vel in summâ anxietate viuendum.

Capvt I.

De considerationе naturæ.

IVxta hoc igitur considerabimus temperaturam iecoris præcipuè, inde compositionem & naturalem, & acquisitam, & eam quæ præter naturam est: cùm enim corporis totius ratio ad cognitionem causarum cuiuslibet morbi necessaria sit, & cura ad curam: iecur autem ob functionem principaliter, quâ morbi sanantur; post etiam propter venas, in quibus alimentum toti corpori subministratur, vicem totius operis gerat; ob id iecoris habitus diligenter considerandus est, & per signa à Galeno prodita, & per tactum, primò extensis pedibus rectè, inde contractis, vt iubet Halyabbas. Sed longà certiùs & plura ex inuento nostro, si pronus decumbat æger sinuatus in arcum, capite scilicet in puluinar infixo, tum contracto spiritu, sic enim & durities, & pondus, & iecoris habitus manifestè & vt à musculis differt, distinguitur & innotescit. Sed & ventriculi, & pulmonis, propter halitus, tum etiam cordis, sed omnium maximè cerebri à quo solet descendere materia: & quoniam gingiua & dens sunt capitis partes, & ita omnium quæ habent consensum cum illo, sed præcipuè ipsius partis patientis, & est gingiua, & dens, & iuxta modum quo afficitur, vtpote hic in compositione maximè. Et si morbus sit in temperie, temperiem ipsam & partes illi aut illis coniunctas, vt dentes proximos, ossa mandibulæ, tum carnes glandosas loco gargareônis. Ergo ex illis septem quæ considerantur, non omnia in omnibus, sed in toto omnia. In parte autem parum anni tempus & proprietatem considerabimus; quinque prima oportebit considerare maximè ob compositionem. Et similiter si pars illa quæ laborat, non fuerit principalis in vita. Appello principales, non solum cor, iecur, & cerebrum, sed & ventriculum & pulmones. Vel media, quæ sunt vterus, genitalia, renes, vesica & intestina; tunc etiam licebit prætermittere temperaturam acquisitam, non tamen compositionem & consuetudinem. Quatuor ergo firma manent in morbis in compositione, scilicet naturalis status, compositio acquisita, ætas, & munus. Collocabimus autem ea per ordinem in tabula hoc modo:

Naturalis dispositio totius & partis: Acquisita in toto & in parte iuxta rationem morbi.

Ætas in toto & parte, quæ per ætatem valde mutatur, vt dentes, oculi, & aures.

Consuetudo in toto.

Munus in toto & parte.

Anni tempus in toto.

Proprietas in toto, & si adsit in parte illa. Et non solùm hæc simpliciter, sed sub mensura; in his tamen vbi est magnus excessus vel defectus: & sub naturali dispositione sexus continetur; sicut sub consuetudine, & habitu acquisito, educatio; & sub munere ars. Atque ita omnia comparare inuicem, vt certa mensura patiendi & agendi habeatur, non solùm in calefaciendo & refrigerando, sed in victus ratione exquisita, & medicamentis, & sectione venæ: quæ omnia sumuntur quoad tolerantiam ex naturali statu, & consequentibus. Et in naturali statu ac acquisitò, considerabimus temperiem, constructionem, & substantiæ qualitatem, scilicet an sit tenuis vel crassa, densa vel rara. Sunt enim necessariò tres differentiæ, à temperie, à substantia, & à forma, sub qua etiam partium coniunctio habetur.

Capvt II.

De nomine morbi, & de morbo ipso.

Circa nomen, quædam sumuntur à parte, vt hic parulis à gingiuæ nomine; quædam à similitudine, vt ficus, ; quædam ab effectu, velut phthoë ..., quæ est diminutio seu macies; quædam à symptomate, vt conuulsio: quædam à proprietate, vt herpes quia serpit, & phagedæna quia exedit; aliquando à causa, vt melancholia; quandoque à quadam imagine similitudinis, vt polypus & elephas; quandoque à materia contenta, vt atheroma & meliceris; nonnunquam ab imitatione, vt alopecia; & quandoque à figura sola. vt ophiasis; aliquando ab effectus similitudine, vt febris ardens, & fames canina. Et cùm nomen est commune, vt vlcus, vulnus, abscessus, & adiiciemus nomen particulæ. Est à nomine patientis, vt Chironium vlcus. Est ab effectu proprio, vt callosum vlcus. Est quod proprium habet nomen, & quod à Medico sortitum est, qui eiusmodi morbum inuenit aut curauit. Est denique quod à morbo alio per compositionem, aut comparationem, nomen traxit, vt hemicrania, hemiplexia, hemitritæus. *Vide 2. meth. cap 2.*

Quod ad morborum essentiam attinet, duo cognoscere oportet, partem affectam, & læsionem operationis: nam læsio operationis multis membris læsis accidere potest, vt contrario modo, læso membro vno plures possunt lædi operationes, & similiter pars membri, vt in cerebro membranæ, vel substantia, vel ventriculi: & in pectore pleura, capsula cordis seu pericardium, septũ transuersum, & membranæ intersepientes, ac musculi, tum materiam, consensum, tempora morbi, comparationem ad reliqua Principalis autem diuisio est in morbum per essentiam, vt syncope ob febrem; vel ob consensum simplicem, vt ob os ventriculi affectum; vel ob consensum cum materia, vt cùm bilis à iecore transfertur ad cor, & vocatur morbus secundarius. Differentia autem primarij morbi à secundario, est quod primarius est secundario coniunctus, atque ideo seu materiarius sit, seu alius, est perpetuus, modò sit in temperatura, & hoc voluit Galenus *2. de locis affect. c. 9. in fine, & tertio eiusdem c. 5.* Sed in compositione non est necessarium, vt sit symptoma perpetuum, quia non est eadem ratio totius & partis. Ideò dolor si sit symptoma, erit perpetuus casus in comitiali, cùm sequatur ad repletionem ventriculorum cerebri, non erit continuus. Contraria ratione, sed simili dicemus, quòd morbus per consensum, vbi defluxio sit perpetua, poterit habere symptoma perpetuum, vt languor ventriculi, ob descensum pituitæ è cerebro. Dicemus autem de hoc vberius in exemplo translationis. Differentiæ autem morborum sumuntur ex septem præcipuè, ab essentia, vt calor acris aut mordax, magnus aut paruus; à causis etiam non solum iuxta magnitudinem, sed essentiam: causa enim poterit esse leuis, & tamen comparatione ad morbum erit grauis; & etiam propter curam per se, vel per consensum; cum materia vel sine, continuus vel intermittens, per circuitus aut casu, & iuxta tempora morbi, & iuxta genus, Epidemius, Endemius, Sporades. Et morbus à læsa facultate est triplex, intemperatum, in coniunctione vt vulnus, laxitas, & in compositione, vt turbidus crystalloides.

Capvt III.

De causis morborum, eorumque symptomatis.

Causæ aliæ conueniunt omnibus morbis, aliæ quibusdam solum: nam causa materiaria est propriè, vt dixi, in membro quod suscipit. Aliud est ergo dicere, causam materialem morbi, aliud, morbum esse cum materia; nam materia non est causa materiaria, sed efficiens morbi. Causa ergo materiaria deesse nõ potest, materia deesse potest. Causæ procatarcticæ seu externæ possũt efficere morbum, vt ephemeram & capitis dolorẽ; aliquos efficere nequeunt, vt abscessum, aut febrem putridam; efficiunt tamen frequentius per accidens, quàm [fortè leg. *per*] eos morbos quos per se generant, velut ephemeram ex aquâ putrida, & motum humorum ex quo abscessus. Morbi autem omnes fieri possunt absque externâ causâ, & fiunt præter eos qui sunt in genere coniunctionis & diuisionis, vt vlcus, luxatio, & fractura, quanquam & ista fiunt aliquando sine his, à flatu maximè, sed est rarũ. Morbi ergo possunt fieri sine causis externis & plerique; sine internis, vix vllus, nisi quinque hi dicti. In abscessu est materia multiplex, aut vnus ex quatuor humoribus, aut aqua, vel flatus, vel permutatum secundum consuetudinem, vt in pus, aut saniem; aut præter consuetudinem, vt atheroma, meliceris, & cum materia in lapidem conuersa est, quod rarò accidit tamen, vt tophus qui familiaris est podagricis tumoribus, & ver-mes.

mes. Et sunt morbi compositi per se, vt qui abscessu constant; & per accidens, vt omnis morbus ex consensu, temporis processu fit compositus ex morbo per consensum, & per essentiam.

Symptomatum autem discrimen est, quòd quandoque læsa est operatio, & non facultas: hoc autem contingit vel ob causam externam, vel ob consensum; & si sit ob causam externam, non est symptoma. Ex hoc patet quòd symptoma erit in vnâ particulâ, & morbus in aliâ, velut lienteria ex defluxu pituitæ à capite, est morbus capitis, & symptoma ventriculi. Et est symptoma aliquando cum operatione, & aliquando sine, vt dolor dentis aliquando cùm mandit, & aliquando etiam dum non mandit. Et symptomatum est triplex genus, vnum quod non exposcit curam, vt exiens aut qualitas mutata; & vnum quod exposcit curationem propter se, vt claudicatio, & dolor brachij, & obscuritas visûs; & quod ob detrimentum vitæ, velut hoc, & vigilia, & difficultas spirandi, quia corpus ruit in deterius. Sunt etiam symptomata morborum, quatenus morbus est ob læsionem operationis, velut non posse concoquere; & symptomata consequentia magnitudinem morbi, vt syncope, conuulsio, delirium, quæ consequuntur ad febrem acutam, & vocantur prima symptomata prognostica, & symptomata facultatis impeditæ; alia sunt sine morbo, vt mala coctio crudorum; alia cum morbo alterius partis, vt mala coctio ob mucum à cerebro descendentem ad ventriculum; & alia ob morbum qui est in eâdem parte, vt mala coctio frigiditatem. Qualitates enim actiuæ primæ cùm sint instrumentum omnium operationum, possunt impedire operationem illæsâ facultate, aut lædere eam. Et tunc habent maiorē motum aut minorem, & hoc pertinet ad temperiem, de quâ suprà.

Caput. IV.

De signis prognosticis.

De prædictione oportet considerare illam quadruplicem diuisionem priùs dictam, & quòd duo prima membra sunt principaliter quæsita, scilicet de salute & morte, longitudine & breuitate morbi, reliqua duo, nonnisi propter alterum horum. Quod ad hæc igitur attinet, morbi omnes ad sex genera reducuntur: breui sanandos, qui tamen cum hoc possunt esse periculosi? tardè sanandos, qui semper sunt periculosi; insanabiles nec periculosi, & qui longo pòst tempore in melius commutari possunt, quorum quidam periculosi sunt, quidam non; demum citò lethales & tardè. Pro his ergo animaduertere decet, an operatio læsa sit vitæ necessaria, & si tantum lædatur, vt maiori ex parte deficiat aut corrumpatur, & si ad illam sequatur corruptio alterius necessariæ, aliter non sequetur mors. Necessariæ operationes sunt, nutriri ac respirare, ac cor dilatari & constringi per spiritus: hectica interficit impediendo nutritionem; venenum tollendo spiritus; præfocatio impediendo respirationem. Vt verò dignoscas imbecillitatem vitalis virtutis, vt ab oppressione distinguitur: in oppressione est diuersitas ratione partium & temporis, & est profundus pulsus, sed non cedit tactui; in resolutione est superficiarius, & cedit, & æqualis in vtraque parte, & perseuerat. Reliqua faciunt ad longitudinem morbi non ad interitum. Causæ communes sanationis aut mortis sunt robur virium, & commodum corporis, & auxilia externa, ex opposito sunt magnitudo morbi, causarum, & symptomatum. Causa longitudinis morbi est parua proportio horum ad illa, vel illorum ad hæc, iuxta naturam loci, velut si robustæ sint vires, & materia sit in liene vel articulis, vbi proportio virium loci ad materiam parua sit, morbus erit longus; & similiter si carcinoma magnum sit in pede, & proprio morbi causarum, & symptomatum ad vires parua sit ratione loci. tunc morbus erit longus: sed si proportio materiæ ad vires in loco in quo est, non sit magna, tamen morbus erit breuis quoniam erit proportio sine impedimento. Causæ ergo longitudinis morborum sunt auxilia magna opposita parti superiori, vt si vires sint longè potentiores morbo quæ tamen impediunt, fuerint potentia, non poterit sanari breui propter impedimentum, nec mori breui, quia morbus est longè minor viribus. Quæ ergo sunt media, sunt multitudo & frigidita, materiæ, & lentor & meatuum strictura, & tempus anni frigidum, vigiliæ, curæ, cibus copiosus, abscessus durus in visceribus: & ita vim morbi impedit locus distans, & multitudo boni sanguinis, etiā quòd vires sint debiles, & cordis robur, & aëris temperies, & extinguentia putredinem. At in abscessibus partium & defluxionibus ad partes, morbus longus & difficilis fit, ob loci frigiditatem, ob motum, ob defluxum materiæ secundùm naturam, & diuturnitatem, & generaliter causæ longitudinis sunt, vt non possit sanari morbus, aut difficulter, & causa horum sunt septem: essētia morbi quinque modis, vt à siccitate, inde à frigiditate, vel ex his plures cum materiâ, & sine Primarius magis quàm per consensum aut secundarius. In compositione, & maxime in raritate, & si plures morbi simul sint. Secunda est magnitudo eius. Tertia proprietas, vt cùm est morbus circularis per se vel cum causâ, vel symptomate, vt vigilia & ascites, vel si morbi sint contrarij seu causæ aut symptomati, hoc tamen non est proprium, sed comparatum ad rationem curandi. Et modus, vt si materia sit in loco, vbi non sit exitus secundùm naturam, vt in aquâ intercute vtraque, vel angustus, vt in vlceribus pectoris. Quinta est causa morbi, materia crassa, multa, viscida, terrea, inde virium imbecillitas, seu generalis seu loci, sub quâ continetur diuturnitas affectûs, vlcera omnia quæ corrumpunt facultatem, etiam & casûs, vt aëris frigiditas, error in victu, ignorantia morbi, æger parum obsequens

ſequens, miniſtri non boni, paupertas etiam in expeditione bellicâ, curæ, & multa alia. Cúmque morbus non eſt cum corruptione loci, neque per eſſentiam, habet neceſſariò circuitum; & ideò dicitur breuis, etiamſi ſit longus ratione materiæ. Carcinoma ergo eſt longum, quia facta eſt impreſſio in loco. Morbus autem per circuitum eſt, vt ſit ex materiâ, & non genita per impreſſionem factam, vt eſt frigiditas manûs ſenis, ſed velut frigiditas manûs in hyeme cùm eſt torpida, quæ non eſt fixa, & vt materia non fecerit impreſſionem in membro in quo eſt: & hic morbus per circuitum eſt oppoſitus circulari, qui eſt per ſe longus. Sunt etiam medij, vt vlcus in inteſtino, & frigiditas membri. Sed prognoſtica criſis non ſunt, niſi in morbis ex materiâ, & calidis, & vniuerſalibus toti corpori, nec tamen in illis omnibus: ſed oportet vt vires ſint validæ. Si mediocriter fit criſis, plerumque mala? ſi multum, bona. Et quòd materia ſit mobilis, vnde in intermittentibus fiunt ſæpe criſes. Et quamuis non ſit mobilis, vt tamen moueri poſſit, & vt parum reſoluatur de ea: nam hoc eſt certiſſimum ſignum, ſicut cùm difflatur paulatim, quòd etiam morbus debeat diſſolui, & ad hoc iuuat caliditas temporis, & exemplum in aliis ægris, & conſuetudo in ægrotante: ſed ſigna ſymptomatum, aut quòd morbus morbo ſuperueniet, ſunt ex magnitudine morbi, & cauſarum, & ſymptomatum propriorum: cum robore enim virium fiunt deliria, conuulſiones, vigiliæ, vomitûs, ſudores, tranſmutationes non valde deteriores, aut etiam in meliora, diarrhœa, dolores, rigores, inquies cum imbecillitate virium, horrores parui qui non recaleſcunt, ſyncope, deliquia animi, faſtidium, retentio excrementorum, vel multa deiectio non alleuiat ægrum, cataphora vtraque, & ſenſuum amiſſio, tum motûs grauitas, diſtortiones, & ſimilia.

Capvt V.

De curatione.

Antequam verò ad curationis partem accedamus, quoniam multiplex eſt, præſupponere oportet, quòd tam in cuſtodiâ quàm curâ, ſunt quinque auxiliorum genera, commune, generale, ſpeciale, membro conferens, & quod à proprietate iuuat. Modi autem curandi quatuor, cuſtodia communis, cura generalis & propria: communia quidem ſingulis in vſum veniunt, velut vt præcaueamus morbum lateralem, mittemus ſanguinem, ſed minùs quàm in curâ. In communi curâ ſcimus quòd eſt neceſſaria. In generali, quòd ab eodem latere. In ſpeciali, ad mutationem coloris vſque. Generalia in omnibus, præterquàm in cuſtodiâ. In communi curâ, communibus tantùm vtimur auxiliis. Generali curæ omnia conueniunt, præter quàm quæ é proprietate conferunt. Specialis cura fit per communia genera auxiliorum, exceptis generalibus, & ita per quatuor.

De cuſtodiâ quæ fit communibus auxiliis, in leuibus morbis ſufficit ratio victûs: in vehementibus ſectio venæ, cùm quantitas peccat; purgatio cùm qualitas, apparétque vnus humor, & hoc præſupponunt ratione victûs. Per ea autem quæ morbo conferunt, quædam ſunt propria morbo, quædam ad præcauendum, & hæc ſunt meliora. Quæ autem roborant membrum, ad præcauendum meliora ſunt quæ aſtringunt, quàm quæ à ſimilitudine aut proprietate ſubſtantiæ: ſunt enim trium generum, vt in ventriculo abſinthium aſtringit, ventriculi gallinarum ſimilitudine; iaſpis viridis appenſus & coralium proprietate. Eſt & quartus modus eorum quæ affatim nutriunt, & bene membrum illud præcipuè velut lutea ouorum, & in hoc iuuat frictio, & exercitatio, & oleum de nuce myriſticâ eſt enim pingue, odoratum, & aſtringens. Et per ea quæ à proprietate prohibent illum morbum ex ſympathiâ & antipathiâ.

Pro curâ verò communi, primùm non debemus adeò extenuare corpus propter ignobile membrum. Deinde debemus obſeruare tempora initij & incrementi, quia auxilia debentur ab initio. Et deriuatio, cùm morbus non admittit moram, debet præcedere auerſionem: ſecùs, ab auerſione incipiendum eſt. Et ſunt in eâ ſex res non naturales, aër, cibus & potus, ſomnus & vigilia, animi accidentia, motus & quies, inanitio & repletio. Et cucurbitulæ in corporibus raris & tenuium humorum, gerunt vicem ſectionis venæ; hirudines autem cùm ſanguis ſpontè non copioſus fluxerit. Et cura communis vel etiam generalis debet variari ratione patientis particulæ? ratione nobilitatis eius, & ob affectum & tempus morbi, & cauſam, & ſymptomata, & diuturnitatem affectûs, tum ætatem, & reliqua. In curâ ergo per generalia auxilia, quæ principaliter ſunt duo, euacuatio & reuulſio: euacuatio fit per ſectionem venæ aut purgationem. Vbi igitur peccet multitudine aut prauitate, aut dolor ſit magnus, aut morbus ſit valde periculoſus, tunc vacuatio neceſſaria eſt, aliter non. Et ſi materia eſt in venis, & ſanguinea, vel æqualis, vel adſit metus febris, vel conſuetudo ſectionis venæ, tunc ſecare debemus venam è regione partis patientis, ſi corpus non eſt admodum plenum. Sin autem ſit plenum valde, ex aduerſâ parte primùm, inde ex eodem latere. Et hîc certè multa eſſent dicenda; nam vbi morbus haberet originem à percuſſione, debet fieri ex aduerſâ parte; & ſi adſit repletio totius, ex communi venâ; & ſi non, ex propriâ. Quòd ſi materia ſit extra venas, aut ſit humor valde inæqualis, ſi tenuis ac ſeroſus, debet purgari, aut ſi ſit aſſuetus purgationibus; & ſimiliter ſi ſit craſſus, debet præparari, deinde euacuari. Idem faciendum vbi ſit aſſuetus, & humores ſint craſſi.

Alter modus eſt diuerſionis, & hic eſt duplex

plex: à longè, & vocatur verè diuersio; & à propè, & dicitur deriuatio: & deriuatio fit secundùm rectum & propè; reuulsio autem secundùm rectum sed procul; & generaliter reuulsio fit septē instrumētis, sectione venæ, cucurbitulis incisis, hirudinis, cucurbitulis siccis, frictionibus, vinculis, & escharoticis. Differt sectio venæ reuulsiua ab eâ quæ vacuat corpus, quoniam quæ reuellit, sæpius repetitur, & minus educit de sāguine, & eam solent præcedere frictiones, & quandoque vtimur pluribus ex his modis, cùm vires sunt debiles, & morbus est magnus aut periculosus: & frictio in materiâ quæ mouetur, est vtilior vinculis & cucurbitulis siccis: & illa sunt vtiliora frictione, in materiâ quæ non mouetur multùm: & cucurbitulæ siccæ plurimum valent in reuulsione vaporum, quia reuellunt & resoluunt: & escharotica optima sunt in materiebus serosis, & fontes in morbis iam confirmatis, quando materia est crassior. Et in eiusmodi oportet obseruare euentum, propter multa quæ contingunt ex proprietate hominum. Et fontes diuturnos, id est, qui manserint per annum, claudere est periculosum: & quibusdam quibus non sperabatur, fontes contulerunt? aliis quibus sperabatur, nihil contulerunt, & fontes omnino debilitant membrū & vitam, propterea melius est confidere in euacuationibus, & rectâ victûs ratione, si fieri potest. Et fontes superficiarij & escharotica parum aut nihil debilitant? sed escharotica maiorem faciunt dolorem, & quanto dolor est maior, reuulsio etiam est maior: & vtilitas fontium est maxima in morbis iuncturarum, deinde in morbis capitis. Balneum quoque est ex his quæ euacuant & reuellunt ad cutim: sed reuulsio pleno adhuc corpore periculosa est, vnde priùs educere oportet *vt Galenus in lib. de reuuls. cap. 3. & Oribasius in 7. Collectan. cap. 15.* Auertere tamen materiam in menbrum principale influentem, & cùm vas disruptum est in membris respirationis, quauis viâ licere puto: quamuis non sine discrimine.

Curæ autem que pertinent ad confirmantia membrū, opportunæ sunt hîc, si vel principale fuerit, aut vsus eius necessarius, vt pes, dens, manus, & tum maximè cùm fuerit è fluxione, non ex intemperie; nam in intemperie indigemus astringentibus, & contrariam inducentibus temperiem.

In curâ autem speciali generaliter tractatâ non adsunt tempora morbi, neque anni, sed eâ vtimur ob copiam auxiliorum. Et non est necessaria, sed vbi vel specialis morbus ignotus est, aut non magni momenti: vt in phlegmone pedis sufficiet curare ipsam, vt phlegmonem hanc, sed per generalia auxilia: non ita est in morbis ventriculi, pulmonis, multo minùs cerebri, & iecoris, & cordis.

In curatione autem per ea quæ à proprietate agunt, non adeò est fidendum, vt generalis rationis obliuiscaris: vt in lacte camelarum, quod referunt conferre hydropisi; & vt quidam imperitus interfecit hydropicum aquâ lactis, in quâ erant decocta conferentia hydropisi. Et talibus non debebemus vti, nisi cùm alia auxilia non prosunt, aut cùm non impediunt. Et proprietas est maximè euidens in membris magni caloris, & quorum functio est necessaria multùm homini.

Quod ad curam symptomatum attinet, quidam morbi relinquunt magna symptomata, vt morbi cerebri & iecoris, & febres, quia sunt morbi totius: alij relinquunt imbecillitatem in membro, vbi est materia, alij vbi morbus, alij vbi symptoma, quidam in pluribus membris ex his. Et morbi pectoris relinquunt dispositiones, per quas facilè reuertuntur: vt phthisis, morbus lateralis. Et de causâ hîc non est dicendum. Et quanto causa validior fuit simpliciter, tantò maiora relinquunt symptomata? & quanto comparatione morbi maior est, tanto minora, si morbus æqualis sit. Et cura horum persæpe sumitur ex ratione modi: velut fami ingenti occurrimus dando cibum, antequam augeatur, & mandendo diu, & potu.

PARS TERTIA.

De speciali tractatione.

INTRODVCTIO.

DICTVM est quòd morbus in hoc ægrotante est Parulis, cum dentis luxatione dolorosâ, & in corpore cacochymo mediocriter, satis tamen boni habitûs, ætate nihilominùs senili, in tempore autumni tēperaturæ frigidioris ac humidioris quàm par esset? ideò morbus ex sui essentiâ paruus est in genere, specie autem mediocris; calor loci exiguus, ob substantiam carnis tenuē; calor senilis remissus, impurus, & paucus secundùm omnes tres differētias, simul tamē magnus actu, quia particula illa incalescit à motu, ab exhalatione vētriculi & pulmonis.

Propositum est ergo, quòd sit parulis exiguo cum dolore dentis canini maxillæ dextræ superioris, & quòd applicatum fuit oleum sulphuris, & non profuit. Sed dens luxatus est, & in mandendo vehementer dolebat, adeò vt omnino excideret ab eâ operatione; & quòd maximè lædebatur à frigidis actu & potentiâ, adeò vt etiam ab aëre & cubiculo: tandem omissis exterioribus auxiliis, gingiua exterius & interius intumuit cum dolore, & reliqua quæ continentur in casûs enarratione. Dico igitur, quòd quāquam gingiuarum vlcera & abscessus possint pendere ex pluribus causis (omissâ externâ;) principaliter tamē reducūtur ad quatuor seu quinque. Prima est lien, de quo Hippocrates *in lib. de internis affect. Splen intumescit, & durus est, & dolores acres, & gingiuæ malè olēt, & à dētibus discedūt, ventérque inflatur.* Quis dubitat, quin hoc proueniat ex corruptione totius

tius corporis? ideò dicit, quòd *Color totius corporis mutatur ad punici mali corticem* ex pallore nigrescentem: nam cùm lien sit refertus multis arteriis & calidus, sanguinem arterialem & vapores corruptos transmittit ad os, & corrumpit gingiuas, quoniam cutis ibi est tenuissima, quasi insensilis, & caro fungosa. Ideò etiam declaratur hoc *ex 2. Prædictionum ab Hippocr. cùm dixit. Gingiuæ vitiatæ & ora graueolentia, quibus splenes sunt magni.* Secundum est cerebrum, quare dicebat Princeps 8. 3. c. 11. *Gingiuæ accidunt apostemata causâ materiei descendentis ad ipsam secundùm plurimum ex capite. Et quandoque est propter communitatem stomachi. Et quandoque accidunt ei apostemata in initio hydropisis; & accidentium malitiæ formâ, propter illud quod ad eam eleuatur ex vaporis corruptis.* Tertium ergo membrũ videtur esse ventriculus, sed raro meo indicio facit abscessûs: abscessus enim fiunt vel propter sanguinem, & ille venit ex iecore; vel propter spiritum sanguine mistum, seu sanguinem nigrum, & ille venit ex liene; vel propter pituitam, & illa venit ex cerebro: & vnulquique humor transit per loca propria, ex iecore per venas, ex cerebro per neruos, ex liene per arterias. Et ideò de capite dicebat *in Coacis prædictionibus: Capitis dolor moderatus cum siti cibum capiente, aut cum sudore non soluente febrem, aluo non exturbatâ, abscessum in gingiuis aut circa aures significat.* De iecore autem, vt dixi, apparet in hydrope, ex dicto Principis. Quintum membrum est pulmo, sed est potiùs causa efficiens, sicut etiam dentes, quàm locus ex quo fluxio possit procedere. Dicebat Hippocrates *in Coacis prædictionibus: In habitibus tabescentes cum febre fluxiones ad gingiuas & dentes venientes, malæ sunt.* Scilicet quia significant corruptionem pulmonis tantam esse, vt totius habitum, & vniuersum sanguinem infecerit, & propter hoc est malum, & valde. Vidi circa hoc, quod etiam narraui *in Epidemiis nostris*, dum iuuenis essem, puerum annorum circiter octo filium Sacerdotis, in villâ quadam Saccensis oppidi regionis Venetæ, cui tabescenti aliquo modo, & cum febre non magnâ, acciderunt pustulæ plurimæ in gingiuis, & linguâ, & labiis, magnitudine lentis fermè omnes similes, nigræ sicut atramentum scriptorium, cum fœtore adeò intolerando oris, vt neque suorum quisquam ferre illum posset. Cúmque nunquam similem viderim, prædixi de morte, & mortuus est intra tertiam diem, intra septimam à principio morbi, & credo quòd esset vitiatum iecur, ventriculus, & pulmo, ex causâ lienis omnino corrupti. Dentes autem plerumque sunt in causâ abscessuũ gingiuarum, per accidens trahendo multam materiam ad locum, istud enim demonstratum est superiùs; nonnunqam materia expellitur ex dente vel neruo ad gingiuam; & sæpe accidit vt morbus sit in gingiuâ ipsâ, & neruus qui est in radice dentis, dolet ex huiusmodi compressione, & languens imaginatur, quòd sit dolor dentis, inde intumescit gingiua, & cessat dolor omnis, & Medici parum periti dicunt, quòd natura expulit materiam illam ex dente ad gingiuam, & non est verum, imò istud accidit raro, cùm id quod dixi, frequenter contingat: certum est tamen quòd magnus est consensus inter dentes & gingiuas, etiam mutuus: vnde illud *in Coacis prædictionibus, dentis corruptio abscessum circa gingiuam factum soluit*, naturâ scilicet propellente materiam ex gingiuâ ad dentem. Tum verò illud manifestum est magis, cùm dens extrahitur, tunc enim liberantur per se ctè. Vnde & *septimâ particulâ, sexti Epidemior. text. 20. Gingiuarum vlcerationes dentes inuaserunt*, id est tanta corruptio fuit in gingiuis, vt dentes etiam inuaserit. Hoc autem indicabat magnam corruptionem humorum in toto corpore, vt ibi docuimus. Quomodo autem cura non processerit, suo loco dicam. Nunc verò considerandum, quòd canini dentes, maximos inferunt dolores, & rariùs ægrotant quàm molares, & frequentiùs quàm anteriores; anteriores enim rarissimè ægrotant, molares frequentissimè, canini medio modo. Causa quòd anteriores rarissimè ægrotent multiplex est: primùm quòd ipsi pauci sunt, molares autem quàm plures; itaque facilius est & pronius, vt molares in sortem incidant, etiamsi circuitu res agatur, quàm anteriores, singulis etiam ad singulos comparatis, cùm anterioribus vna tantùm sit radix, maxillaribus duæ, saltem plerumque, tres aliquando, quatuor frequentiùs. Ergo eadem ratione contingit vt inter multas vna ægrotet, quâ ægrotante ægrotat & dens totus, quàm vt quæ vnica tantùm est: ita enim & in sortibus videmus, faciliùs enim est, & frequentiùs contingit vni è pluribus, quàm vni soli, & vt fulmen occidat vnum è populo, quàm Calliam aut Socratem. Similiter eâdem ratione contingit, vt magis laboret molaris, quoniam ob multiplices rationes partes diuisas habet, vt carnes ei vndique adhærere non possint; vnde morbi fiunt, tum quia dens non fouetur à calore gingiuæ, tum quia vacuum interpositum est. Accedit quòd eâdem causâ radices anteriorum maiores sint, quia indiuisæ & magis densæ, quoniam propiùs accedunt ad solidi naturam, diuisio enim & diuulsio raritatis quædam species sunt: quocirca anteriores robustiores sunt, & minùs ægrotant, & minùs ab occursantibus læduntur: quæ verò occursant, etiam minùs lædunt, frigidus aër, frigidúsque potus, tum mediocriter dura; quoniam his dentes anteriores assueuêre, at illi non assueti plurimùm læduntur. Sed & dentes anteriores raro fluxionibus sunt obnoxij? deriuatur enim materia plerumque per nares, quibus è directo subiiciuntur? at maxillares non ita: muniuit enim natura dentes anteriores tot modis, quòd omnium sint præstantissimi, primum ad decorem, secundùm ad sermonem? sunt enim soli vel præcipui, causa elidendæ vocis dearticulatæ: tertiùm quòd comminuant cibos & præcidant: quartùm quòd si quid malè oleat, intus arceant. Ergo canini quasi medij sunt inter molares & anteriores. Quatuor enim primis de causis similes sunt anterioribus: sunt enim tantùm quatuor, & singuli

guli singulas habent radices, easque firmissimas, & anterioribus robustiores; adeò vt cùm quispiam tonsor violentiùs cuidam dolorem patienti, caninum dentem erueret, palpebra oculi é regione positi, & os quod ei subiacet, infrà descenderint distortâ facie: magis etiam obuiant duris & frigidis quàm molares; non tamen sunt è regione narium, & ideò defluxionibus plus anterioribus tentantur. Vt verò anteriores rariùs tentantur morbis, ita faciliùs sanantur, quia robustiores & rarò eroduntur. Pari ratone etiam celeriùs excidunt, quia vnicâ radice tantùm fulti sunt. Cur verò à frigidis magis lædantur, quàm à calidis dentes, & magis quàm caro, declarabat Philosophus *probl.* 2. & 3. *sect.* 34. *problem.* dicens *quòd dens frigidus naturâ est, & quod meatibus innititur exiguis, in quibus calor continetur, & ideò facilè euertitur à frigidis.* Verùm quod magis euertatur, causam docet, *quoniam sæpius doleat & vehementiùs*, licèt hoc non adeò euidens sit; verũ exanguia vt nerui, dentes, & ossa, cùm sensu prædita fuerint, magis læduntur à frigidis, quoniam constringuntur, atque ita vlcus efficiunt in parte contentâ exquisitioris sensûs. Galenus autem *quinto de compositione medicamentorum secundum locos, cap.* 8. dicit *doluisse illi dentem, & substantiam eius, imò sensisse pulsationem*, ita vt dens contraxerit abscessum, atque vtinam adiecisset, quomodo sanatus fuit, sed credo illum auulsisse, puduitque id dicere, ne quis obiiceret, quid? cum tot tuis, tantisque auxiliis? nam si auxilio aliquo seruatus fuisset, adiecisset illud tanquam præcipuum & admirabile, cùm ibi loquatur de curâ. Sed vt ad rem redeam, abscessûs in gingiuâ contingunt ob dentem læsum multifariam. Primùm si dens sit erosus, aut squammosus, aut pungat apice, aut cariosus sit; caries enim putredinem gignit, & putredo calorem, & calor trahit, atque hic modus est quadruplex, vt dictum est. Secundus est cùm dens est luxatus ex percussione vel morbo, vt in casu isto, & hic modus pendet à situ, sicut primus à figurâ. Tertius modus est per viam crisis, cùm materia dentis aut nerui affecti transmittitur ad gingiuam. Quartus est ratione doloris, qui fit vel ob luxationem, vt in casu isto; vel ob neruum, vel ob diuisionem continui, vel ob inflammationem quæ trahit sanguinem vndequaque, sicut cucurbitula, sicut Galenus 7. *Aphorism. comment.* 1. Generales enim dolorum causæ sunt, vlcus, & est præcipua, frigiditas & caladitas magna cùm exulcerat; satis est non efficere has qualitates dolorem, nisi sentiantur aut præoccupent, calor autem non nisi feruens. Abscessus autem qualitatem & vlcus complectitur: materia quoque noua dolorem efficit, indicio est quòd à veteri, quantum vis magnus fuerit antea, si noua nõ affluat, sedatur aut saltem torpescit. Et laxitas, quæ etiam ex vlceris genere est. Sunt igitur sex, sed non solùm reliquæ, verùm etiam quæquam ex his ad principaliores reducuntur. Qoniam Parulis est vel custodia opus est ne adueniat, aut curatione in initio morbi, incremento, statu, declinatione ve, vt sint quinque modi. Horum quisque diuidetur; aut enim simplex erit Palis, (omitto modò species, vt dixi ex loco affectu, quòd exiguum sit discrimen) aut ex dente dolente non luxato, atque exeso; aut exeso & non luxato; aut luxato sed non exeso; aut luxato & exeso: vt sint quatuor modi, quos cùm duxerimus in quinque priorum numerum fient, Parulidis viginti species magis propriæ. Harum rursus singulæ vel ex materiâ calidâ erunt, aut frigidâ: & si calida, aut biliosa, aut sanguinea; si frigida, pituitosa vel melãcholica, vt sint iam LXXX. species valde propriæ. Vnaquæque autem harum in puero, vel iuuene, vel sene, & quod de puero, dico de muliere & molli carne & humidâ; quod de iuuene, masculo, & siccâ ac durâ carne. Sed satis sint tres illæ priores differentiæ, quia vt dixi parua discrimina decet præterire, vt non tam superstitiosi Medici videamur quàm vtiles. De his enim dicebat Auenzoar: *Medici qui vltra quàm debent, solliciti sunt in exiguis discriminibus auxiliorum, sophistæ sunt & interfectores ægrorum*, fient CCXL. species vltimæ ac maximè propriæ Parulidum, quarum singulis sua adhibentur auxilia etiam propria materiâ, quantitate, qualitate, modóque applicandi, ac reliquis. Neque enim dubium est, quin alia debeantur seni, alia puero; & si commutatis rationibus vtaris, quin magis obsis quàm prosis. Horum igitur causâ & multitudine præsidiorum, opus fuit cognitione causarum, temperiei, temporis morbi, ac cæterorum.

Capvt I.

De temperatura ægri:

Iam ergo specialiter tractationem exequamur: primùm de temperaturâ agentes. Cùm igitur carnosus esset & glaber, dubium non est ad calidum & humidum totius temperamentum, quod ex iecore & corde constat, declinare: Quòd si ita est, vel cor & iecur calida & humida sunt modicè, vel alterum eorum: si frigidum sit vel siccum, tanto calidius vel humidius principium esse necesse est. At si iecur siccum esset, cor contrà operari, & totum corpus humidum reddere minimè posset, teste Galeno *in arte Medicâ, cap.* 41. Similiter etsi vtrumque principium calidum esset, quantumuis etiam esset humidum, non posset totum corpus planè esse glabrum, neque si cor tanto calidius esset, iecoris frigiditatem superaret, fieri posset vt saltem circa ventriculi os, & in sinistro præcordio, vel modicè pilosus non esset. Quamobrem existimandum est, iecur esse solùm calidum, ac non parum, tum verò humidum: cor verò frigidum & humidum potius quàm siccum, sic enim multo humido abundante & calore iecoris superãte, corpus carnosum necessariò efficitur, non tamen pilosum, propter duas causas, prima superante humido multum; secunda, quia iecoris

iecoris calor est tepidus, quantumuis multitudine excellat comparatione habitâ ad cordis calorem, qui quamuis exiguus sit, qualitate tamen feruidus est, vt clibani calori, sicut iecoris tepori iure merito comparetur *libro de format. fœtus*, *cap.* 3. An verò omnino cor sit humidum vel siccum, & in calido an temperatum, vel prorsus frigidum; quæ duo solùm restant dubia in genere, vel etiamsi aliquis diligentiùs inspicere velit, & in specie quanta sit magnitudo qualitatis vtriusque, & in vtroque membro, oporteret vidisse venas, & pulsum tetigisse, & simul animaduertisse respirationem; sed hæc mittamus. Tenuitas ossium cum reliquâ mediocritate bonum est signum, quod ad ingenium attinet, malum quod ad robur. Significat autem humidum non terreum, sed aqueum, vel aëreum, vel igneum: si igneum, erit biliosus, & iracundus, & macilentus: at non est. Et si esset aqueum, esset similiter macilentus, aut nullo modo carnosus. Itaque necesse est vt sit aëreæ naturæ: tales autem neque robusti sunt, neque valde patientes laborum, sunt tamen magis patientes quàm robusti. Calor mistus ille si sit naturalis est bonus, vbi sit cum perfectâ mistione, id est, vt sit in vnaquaque parte illa mistio: sed si non sit naturalis velut in diuersis partibus faciei, scilicet vt vna sit rubra, alia fusca, est valde malum signum, & significat corruptionem totius temperiei. Propriè autem color faciei & capilli significant supra temperiem cerebri, vt apparet apud Galenum *in libro artis Medicæ*, *cap.* 14. Et hoc in casu oportet inspicere, non solùm faciem, sed frontem, & ceruicem, & collum: si enim rubicundiora sint, & cum venis plenis, & turgeant, & capilli rubri, & similiter oculi cum venis plenis, omnia hæc incidaut, temperiem calidam & sanguine refertam ipsius cerebri. At verò si hæc in toto etiam apparuerint de calore, & cum capillis huiusmodi, significant supra totius temperiē, vt *ibidem* Galenus *cap.* 8. & 51. docet. Paruitas autem oculorum, & qualitates animi, & mores, & somnus, omnia in idem concurrunt, scilicet vt sit bonæ substantiæ cerebri & tenuis, & calidæ & humidæ temperaturæ, nisi quòd timor significat supra cordis frigiditatem, nō cerebri, & concordat cum dictis. Sed promptitudo illa ad negotia prouenit ex caliditate cerebri, non cordis; & oculorum paruitas, quæ potius ostenderet contrarium: verū non sic est: nam non ex caliditate, vel frigiditate, nec aliâ qualitate sed si paruitas oculorum est cum integritate operationum ipsius oculi, & bonâ formâ, & operationibus bonis cerebri, ostendit solùm paucitatem materiæ oculi; etsi cum prauitate operationum vtriusque, imbecillitatem cerebri scilicet & oculorum. Sed si cum perfectione operationum cerebri, operationes oculorum essent malæ, adhuc non significatur imbecillitas ipsius cerebri. Vix autem fieri potest, vt cum paruitate oculorum & cerebri imbecillitate, adsit robur operationum oculi: quod si contingat, tunc necesse est dicere quòd materia oculi fuit bona & pauca, licèt cerebri fuerit mala. In his verò qui non procul vident, propè autem optimè & subtiliter, & vident in nocte satis bene, & habent operationes cerebri bonas, quorum est maxima copia: in illis cerebrum potest esse, & est perfectum, sed materia oculi nimis pauca & tenuis, & spiritus similiter tenuis, & hoc maximè, vbi ingenio valuerint. Et breuiter statuendum est, quòd significationes cerebri magis debent sumi ab operationibus oculorum & venis, quia dependent à cerebro, item à formâ quàm à magnitudine, ita vt statuamus primum ordinem signorum cerebri, operationes sensuum omnium interiorum; inde tactum, & colorem, & capillos, & hoc quoad qualitates; tertiò excrementa ipsius; quartò formam & magnitudinem; quintò quæ nocent & iuuant; sextò oculorum operationem, inde formam, demum magnitudinem. Quia verò nihil dictum est de excrementis & defluxionibus ad dentes, ætate & curis, verisimile est cerebrum abundare humore crudo, frigido & humido: humido propter naturalem temperiem, ætatem, & rationē victûs: frigido, propter ætatem, & curas, & fluxionis modum: fluxiones enim ad dentes plerumque sunt frigidæ, & frequentiùs humidæ quàm siccæ. De ventriculo omnia consentiunt, quòd sit frigidus & humidus, inde cruditates, flatus, aluus lubrica. Solum dubium est de scabie, de bonâ valetudine, & de integritate sensuum; & dico quòd scabies est causa bonæ valetudinis totius corporis, naturâ exonerante quicquid est semicorrupti humoris ad cutim, quæ est membrum imbecillimum, & nullam habet facultatem, teste Galeno *lib. de morb. causis*, *c.* 6. Et hæc est causa sensuum: alia est bona compositio cerebri, vtpote densitas, subtilitas, substantiæ magnitudo, forma, decens amplitudo ventriculorum, æqualitas partium, magnitudo vasorum venientium ex corde & iecore, suturæ, & foramina cranij, & maximè ad os & nares aperta, & non minus laxa temperatura, bona; calida enim & humida intemperies est melior: eædem similiter causæ possunt efficere, vbi sint in iecore & corde, vt præter eam quæ dicta est, rarò ægrotet. De liene non apparet causa corruptionis gingiuarum in hoc casu, cùm non dictum sit, quòd fuerit vnquam timidus, neque dolitauerit, neque fuerit hydropicus, nec laborauerit morbo regio nigro, nec carcinomate, nec quartanâ, saltem à multis annis citrà. Solum dubium esset de illo fusco colore faciei, sed est parua res, vt audio: & si fluxissent aliquando hæmorrhoides, inde essent suppressæ. Vnde dicebat Galenus 4. *de tu. sanit. cap.* 4. *in princ.* (nam cum tempus sit, agamus iam de temperaturâ acquisitâ, postquàm de pulmone nulla est quæstio, neque enim vnquam conquestus est de eo) Eorum qui in venis continentur prauorum humorum vnicum est indicium ab vrinâ, quadruplex verò coniectura, ratio victûs præcedens, experimentum vtpote si tertianis, vel quartanis, vel carbunculis solitus sit affligi: iubet autem maximè inspicere pustularum aut tuberculorum colorem.

Tertia est suppressio spontaneorum excrementorum, velut vomitus soliti, hæmorhoidarum, mensium, vlceris, atque similium. Quarta est earum quæ arte fiunt, vomitus, purgationis, sectionis venæ, balneorum, potus aquæ thermarum. Quæri ergo solet, an corpus scabiosum actu debeat censeri mundum vel immundum: & quidam si suppressa sit euacuatio, aut malo vtatur regimine, haud dubium est immundum censeri debere. Sed dubitatio est de his in quibus viget talis expulsio, quique rectè viuunt, Galenus sanè & *in libro de caus. pulsuum, & quarto de tuen. sanit. locis proximè adductis*, dicit quòd sic, & videtur innuere hanc rationem, quia pleno corpore natura portionem redundantis humoris transmittit ad cutim, tanquam locum destitutum facultatibus naturalibus seruientibus magna ex parte. Verũ multa huic sententiæ videntur aduersari: Primùm quia qui sic laborant, rarò aliis morbis corripiuntur. Secundum, quod difficile sit, tantâ materiâ quotidie corruptâ exeunte eam augeri, ac plus generari quàm expellatur. Tertium, quòd videtur esse ex genere crisis, in crisi autem solet exonerari natura, & non onerari, & corpus purgari, non repleri. Quartum, quod tales meliùs valent in concoquendo, & appetendo, & in reliquis operationibus animæ, & sensuum, & roboris. Quintum, quòd qui huiusmodi malis laborant cum malo habitu, repletione ex malis humoribus, laborant peculiari morbo, vt elephantiasi, ictero, cachexiâ, & in nostris temporibus lue Indica: nostra autẽ quæstio est de pustulis tantum & tuberculis. Sextum, quia plerique ex his sanantur vnguento aliquo, vel etiam sponte, quod esse non posset, si corpus planè esset refertum malis humoribus. Septimum, quòd in signis per essentiam, crescentibus signis, crescunt etiam morbi & causæ ipsorum, sed in huiusmodi pustulis cùm crescunt, homo manifestè exoneratur & leuior fit. Igitur non sunt signum per se cachexiæ, sed potius affectus naturæ irritatæ quærentis mundare corpus. Octauum, quia in huiusmodi pustulis & scabie præcipuè, non corrumpuntur humores sed ichores: ergo non possunt esse signum corruptionis humorum. Videntur etiam potius fieri ex causis externis, quàm ex redundantiâ humorum, vnde etiam illud, *quarto Epidem. Pustulæ ex lassitudinibus non vehementibus perueniunt ad septimam liuidæ*: non ergo nunc intelligo de his quæ succedunt febri, vt in Aristocrate 7. *Epidem.* Sed de his de quibus dictum est in *sexto*, quas iubet curare Hippocrates, non vomitibus aut purgationibus, sed calidis fomentis; cùm palàm esset si corpus plenum malis fuisset humoribus, purgationem fuisse vtilem per vomitum vel per aluum. Loquitur autem de quodam Simone, cui in hyeme pustulæ latæ acciderant. Dico igitur sic esse distinguendum: Quòd si pustulæ illæ sunt cum morbo proprio corruptionis humorum omnium, & sunt tres præcipuè iuxta tres humores, elephantiasis humoris melancholici, & est carcinoma vniuersale & commune toti corpori: & cachexia, & est malus habitus ex corruptione humorum pituitosorum: & morbus regius qui fit ex corruptione flauæ bilis: tunc tales pustulæ indicant redundantiam prauorum humorum. Præterea si sit vera scabies, indicant corpus mundum, aut nihil indicant: nam si scabies fiat ex contagio, corrumpuntur humores, & nutrimentum quod est in cute, & ita nihil indicant, aut si omnino plus corrumpatur, quàm sit portio nutrimenti delegata ad cutim, istud non contingit, nisi materia attracta ad locum, ratione caloris putridi; quare natura exoneratur in hoc casu. Quòd si pustulæ vel tubercula (nam de vtrisque idem intelligitur,) sponte eueniant, id est, non consequentes morbum alium, tunc non possumus meo iudicio præterire dictum Hippocratis, *secunda aphor.* 15. *quod debeamus inspicere egestiones; nam si biliosæ fuerint, signum est, quod corpus euacuatione indigeat*: est enim repletum prauo humore; *sin autem similes sanis fuerint, tuum est corpus renutrire*, scilicet quia mundum est. Et per hoc intelligimus Hippocratem significare per *biliosas egestiones*, infectas quouis humore, & tinctas quouis colore, præcipuè nigro, fusco, cæruleo, rubro, viridi, valde croceo, ferrugineo, lurido, cinerem referente, & albo, sed hoc per accidens. In his autem qui venenum temporaneum ebiberunt, (nam familiare est signum eorum,) sequitur malus color, tabes, vigilia, ἀσιτία, & sitis. Optimum verò & exonerantis naturæ signum, si cum bono habitu etiam dormiat, appetat, non sitiat. Sed nos in casu scabiei sumus. Superest vt dicamus, quare facilè exoluatur; Hoc puto contingere ob raritatem habitus & tenuitatem humorum, & tangitur à Galeno 12. *Artis curandi, cap.6.* Contingit & his qui multum student & parum exercentur & vtuntur plurimis ac delicatis cibis. Et hoc est quod innuit Hippocrates in *sexto Epidem. partic.4.text.* 3; cùm dixit: *Sanitatis studium est non satiari cibis, & impigrum esse ad labores.* Ad hoc etiam facit senectus ipsa vltima, quæ procul dubio incipit à sexagesimo anno saltem, plerisque autem etiam citiùs, quanquam hæc vltima senecta in tres partes diuidatur, *quinto de tu. sanit. cap. vlt. in fine*, ὠμογέροντες, qui apti sunt etiamnum ad negotia, licèt leuia, & extenditur à sexagesimo anno ad septuagesimum, & in quibusdam ad octogesimum; ideò Moses *in cantico, Dies nostri septuaginta anni, vltra autem nihil nisi labor & dolor.* Et in βαρυγέροντες, quos seniculos vocamus ad annos vsque octoginta quinque, si viridis senectus septuagesimo quinto finem accipiat, & in vniuersum vt circiter decem annos complectatur. Vltimi πέμπελοι, id est, pompam expectantes, scilicet funeris, alij ταφογέροντας, id est, sepulchrales vocant: quæ ætas præcedenti succedens durat vsque ad mortem. Ergo in initio primæ partis senecta est, cuius proprium est facillimè concuti, leuia autem facilè perferre, si consueta sint; tum etiam absoluere delicatius, industria & accurata diligentia tum vsu superantibus virium in summum

summum defectum, neque tamen id possunt in aliquo genere, quod iuuenes, & si tentent, grauiter læduntur. Quibus visis recto tramite nunc deuenio ad reflexam comparationem, per quam solùm licet specialiter de hominis cuiuscunque naturâ disserere. Est autem reflexa comparatio, cùm naturam ipsam ex actionibus ad temperamentum, & compositionem, & reliqua comparatis æstimamus. Velut si ventriculus sit paruus & calidus, & malè concoquat, rarâ erit substantiâ admodum & crassâ; & si tenui ex [fortè *est*] sensu, admodum adhuc rariore. Et si quis obesus frigido ventriculo magnóque, & multa vrina fluat, densa erit substantia iecoris & bene temperata. Itaque in hoc viro densam & tenuem substantiam esse necesse est. Simili ratione sumemus indicia à causis externis. Velut siquis vertiginem patitur, aut obtenebrationem oculorum, cùm muscæ paruæ circumuolitant: Quæremus quid in causâ fuerit; Venus; Spiritus animalis affectus est; ebrietas; ventriculus laborat; insolatio? liquefactum est humidum cerebri; inedia? Spiritus fractus [MS *factus*] est; sanguinis effusio? Spiritus non gignitur tenuis; ac reliqua, postmodum reflectendo inuicem, velut ex superiore exemplo. Sed non est præsentis instituti longiùs talia prosequi, verùm exemplo docere. At de dentibus constat, quòd si in senibus senio excidant, sine dolore eos excidere: quod vix tamen contingit, nisi in admodum imbecillibus ante sexagesimum annum paucis ante septuagesimum, plerisque ante octogesimum: & propè ideò cum dolore laborant. Si excidant senio, excidisse dici non possunt morbo; tamen quouis in senio, facilè cadunt, vt quod vnâ causâ fieri non potest, duabus efficiatur. Itaque non ex ætate cum imbecillitate, namque naturâ quibusdam imbecilles sunt. Excidunt autem & sine dolore morbis quibusdam elephantiasi & lue Indicâ, tũ vitio aquarum & aëris, adeò celeriter & facilè, vt mirum sit: maxillares nulli mutantur animali præterquàm homini, *teste Philosopho:* anteriores tum in plerisque, vt equo, mulo, asino; canibus tamen soli canini mutantur naturæ beneficio, quòd omnibus laboribus occurant. Sed neque homo extremos maxillares, neque eos qui propè sunt mutat, nisi per mutationem intelligamus miraculum illud, de quo Aristoteles sæpius retulit, molares quibusdam renasci, etiam in profundâ senectâ: quod haud dubium est, sed parum vtile, si cæteri deficiant, & imbecilles nascantur, & paucis admodum; nec enim est ordinarium hoc, sed veluti superfœtatio, quæ etsi ominosa sit vtilior tamen est. Illud potiùs ad rem refert, quod idem testatur, *sues nullum dentem mutare*, quoniam sympathiæ ratione spem egregij emolumenti affert. Concludo igitur quòd temperatura totius declinat ad calidum & humidum, & est satis bona, qualis in sene eiusmodi, nam *senes omnes ægri sunt naturali morbo*, dicebat Galenus *sexto de tu. sanit. cap.* 2. Membra verò sunt satis incolumia præter ventriculum, qui malè concoquit, & cerebrum quod est aptum fluxionibus, & dentes qui sunt imbecilles naturâ. Habitus verò totius est cum bonis humoribus, sed tamen plenus multis prauis ichoribus, quia est scabiosus, & scabies est composita ex pustulis & vlceribus, & ideò vbi perseuerant, necesse est vt sanguis sit plenus ichoribus, & ideò potest dici corpus immundum, sub sensu Hippocratis; *si impurgatus laborauerit:* de quo suo loco. Et siquis vellet scire naturâ ichoris, oporteret vt inspiceret maximè crustas. nam si nigræ sint & crassæ, ichor est melancholicus; si nigræ & tenues, biliosus, & ita de cæteris: & similiter naturam vlcerum, & pustularum, & pruritũ, & qualitatem saniei, & quantitatem, & vestigia, nam si sint nigra & cum sæuo pruritu iuncta, sunt ex bile flauâ adustâ: & si cum hoc difficulter coaluerint, ex nigrâ bile exustâ. Sed nolo persequi hæc, quia sunt extra principale intentum. Verùm potiùs distinguamus species & causas eius morbi, cuius cura quæritur.

Caput II.

De nomine, essentiâ, & speciebus morbi propositi, nempe Parulidis.

Dicitur ergo Græcè duobus nominibus: ἔνουλον, interior pars quæ dentes interiacet, sicut exterior οὖλον: vnde postmodum ἐπουλὶς, excrescentia carnis inter dentes seu super gingiuas generatur, aut βατηκες dicuntur & βαρυκες. Dicebat Paulus Ægineta *lib.* 3. *cap.* 26. *Parulis inflammatio quædam est in aliquâ parte gingiuarum suscitata, quæ nisi discussa fuerit, in suppurationem conuertitur, cùm suppurauerit, scalpello in eam linamentis insertis distenditur: Epulis autem carnis excrescentia est, quæ ab inflammatione contracta, ad intimos molares dentes pertinet, nonnunquam cum febri & dolore*; vt iuxta hanc rationem magis ad Parulidem, quàm ad Epulidem affectus iste pertineat, cùm sit in dente canino, non molari, ex quo patet quòd nomina hæc deriuationem à membro recipiunt, non tamen eadem sunt, sicut in Paristhmiis quæ sunt gargareôni, & affectibus eius communia. Gingiuæ interiores ἔνουλα, coniunctio earum ἁρμὸς, sicut ὀδονταλγία, dentium dolor. Dolet enim dens propriè præter cætera ossa, & pòst perfectis aduenit, & mutatur, ac naturaliter renascitur. Sunt etiam nudi dentes, & perpetuò crescunt, quòd etiam atterantur mutuo occursu, quòdque reliquis omnibus ossibus sunt duriores. Succurrit autem mihi non leuis dubitatio ab antiquis proposita, quandoquidem cùm vruntur, (dicunt) perforantur, secantur, & non sentiunt. Et meritò quòd neque ad illos neruus veniat, neque vas quâ parte solidi sunt: sunt enim valde dési: sentiunt tamen non solùm læsi à frigore & calore, sed etiam non læsi, verùm proprij obiecti notitiam habent. At dens, vt dixi, dolet &

verè dolet intima parte, à neruo vim accipiens. Sensum autem ex se habet, quia animatum, vt aliàs docuimus. Aetius *lib. 8. cap. 19. 24 25. & 26.* declarat, ad gingiuas peruenire ramos tertij paris neruorum, qui etiam ad dentes & linguam deueniunt, & linguam deueniunt, & in oris pelliculam vniuersam distribuuntur. Ex excremento autem nutrimenti eorum, dentes nutriri & augeri affirmat. Idem sentit de prædictis affectibus, quod Paulus, sed & fistulas fieri ex illarum corrosione docet, & quæ vsque ad dentis radicem perueniant: vnde persæpe cogimur dentem eruere, nam tædio tam grauiores sunt huiusmodi morbi, quàm à periculo magis absunt reliquis. Princeps verò non videtur adeò diligenter distinxisse morbos huius partis. *fen.* 8. 3. quia contempsit quasi eos; sed non sunt contemnendi: nam neque animaduertit multa de dentibus, & periculo euulsionis eorū, dicta *in primo. libro* Et ideò hæc materia diligentius tractatur à Græcis. Quinimò ne forsan quis admiretur propositum nostrum, Galenus consumit sex totos primos libros *de medicam. secund. locos*, circa morbos capitis & partium eius, demptis etiam omnibus morbis periculosis, vt cerebri abscessibus, & attonito morbo, & insaniâ, & solùm versatur circa morbos leuiores, & tædium potiùs quàm periculum afferentes, & reliquos quatuor facit de omnibus aliis morbis qui adueniunt membris respirationis & naturalibus, cum vitæ maximo discrimine, & ex quibus solent mori homines, & ex his etiam quatuor, vltimus est fermè totus de morbis iuncturarum, qui & ipsi periculo vacant. Et quis miraretur, si non viderent nostra, videns illum; aut videns illa, si non nostra? Et tamen causa est quòd sicut decet magis se experiri in aquis non profundis & tutis, vt discamus natare in periculosis; ita decet volentem instruere Medicum, diutius immorari circa morbos leues & manifestos, quàm in periculosis & occultis; nam in leuibus & manifestis differentiæ maximæ magis sunt conspicuæ, & ratio auxiliorum clarior, & errorum experimenta euidentiora, cùm errores in aliis sint cum pernicie ægri. Ideò Medicus debet se experiri ab initio, sicut ille qui nescit natare, vt dixi, in aqua non profunda nec periculosa: sic enim omnem artem natandi melius discere poterit; & videri diligentior ac perspicacior etiam apud ægros & astantes: quæ qui non credit, videat etiam ipsum Galenum in *quinto eiusd. cap. 9. in princ.* reprehendentem Medicos de curatione inflammationis gingiuarum, non secus ac de phrenitide ac lethargo ageretur: nam quanto magis tales errores sunt à periculo semoti, ratione & experimento euidentius refelluntur, apparentque errores Medicorum. Eâ igitur ratione & Alexander Trallianus, qui multorum morborum curas omisit, dentium tamen & gingiuarum non oblitus est, siquidem in *tertio cap. 10.* de his agit. Sed iam quomodo gargareon sit affectus dicamus, (nam satis de gingiuarum morbo actum est) cum sit apertè Parulis; inflammata enim ea pars, quam Latini propriè columnam seu columellam vocant, quòd glandularū è genere sit, doloris fermè est expers; cùm tamen infrà promineat, impedit ne homo glutiat, adeò vt manus auxilio indigeat. Est autem fungosa dicta & vuea à significato nominis Græci, & similitudine formæ cum acino vuæ; propendet autem ex isthmo, angusto oris spatio, in qua duo foramina quæ ad nasum perueniunt, figuram maris ambientis referunt; glandulæ verò à lateribus prominulæ, paristhmia, omnes ad humectandū os factæ. Cæterùm neque abscessus propriè glandularum dici debet, cùm de his intelligatur quæ à lateribus iacent isthmi, neque cum angina, etsi ne glutiant impedimentum afferat, quicquā commune habet. Nam Angina propriè vera fit in musculis interioribus gutturis, quam Synanchen vocāt, sed Galenus Cynanchen appellat. Synanche autem quæ fit in ipso gutture, quasi velit vt pars illa cartilaginea possit pati abscessum, vel in tunicâ solum & strangulare. Appellat autem Parasynanchen, cùm musculi exteriores gutturis laborant phlegmone. Sed tum Cynanche est, id est, canina affectio, lethalis valde, sed non adeo vt cum interiores musculi laborant, qui statim strangulant. Synanche verò partim strangulat, partim prohibet ne homo possit cibum aut etiam potum glutire. Parasynanche autem est, cùm gulæ musculi laborant & ipsa gula, quæ affectio mala est, non tamen admodum lethalis salua aspiratione. Paracynanche autem cum musculi exteriores inflammantur, quæ omni periculo vacat. Itaque liquet sex esse genera affectuum circa has partes. Sed Columellæ abscessus, vt à periculo vitæ abest, ita si negligatur, eò perducit, vt præcidere eam necesse sit, & ob id vox vitiatur, & vita etiā breuior redditur, refrigerato pulmone. In vniuersum igitur quinque principaliter quærere oportet, nam omnia, nimis longum esset. Quod magis vrget, seu de quo conqueritur; quod periculosius est; causa morborum; morbus circularis velut dolor: nam seipsum & reliquos morbos adauget; & reflexio per quam ad curam propriam deuenire licet, id est, per generalia ad vnumquéque, quod à mensurâ singulorum auxiliorum & proprietate prouenit.

Signa eius qui fit à percussione seu dolor seu abscessus, aut à purgatione, sicut quandoque accidit, quando schidia inter dentes retenta pungunt gingiuam, sunt per se manifesta, & non sumus in casu. Si verò dolor fiat aut abscessus ex vitio lienis aut iecoris, deprehenditur ex morbis illorum. Cùm autem nō apparuerint eiusmodi morbi, materia profluit à capite; & hoc est quod innuit Princeps *octaua tertij, loco adducto.* Potest igitur esse in dente, & neruo, & gingiua per se, vel communicari aliis; & si in dente, vt dictum est, vel à frigore, vel à luxatione, vel ab abscessu, vel à diuisione continui: si igitur fit à frigore, læditur à frigidis, & à nulla alia causa, & est signum proprium. Et si læditur à duris, potest esse ex omnibus aliis causis, scilicet ab inflammatione dentis, ab inflammatione nerui substrati, à repletione eiusdem, à luxatione dentis

dentis, à solutione continui in děte, & à repletione in gingiuâ. Distinguitur autem subtiliter hoc modo. Si est in gingiua, ex compressione dentis dolet magis gingiua quàm dens, propter regulam topicã: propter quod vnumquodque tale est illud magis est. Sin autem neruus est plenus sine abscessu, non dolet, nisi cùm comprimitur, & licet à frigidis magis lædatur quàm ab aliis, tamen non læditur, nisi compressus, & à re durâ; & si abscessus sit in neruo vel in dente, dolor est vehementissimus etiam sine tactu, & aliquando accendit febrem, & differentia est inter illos, quoniam in phlegmone dentis sentitur pulsatio in dente ipso circa coronidem, vel in medio: & si in neruo, est pulsatio in radice dentis; dolor etiam nerui est acutior & vehementior: dentis autem quamuis sit valde vehemens, non est tamen illi æqualis, sed quasi obtusior & latior, & est quasi dens diuidatur in frusta, in neruo autem nescit patiens quomodo doleat dens, sed solùm sentit illum dolere. In luxatione verò dolor non est magnus, & differt à dolore repletionis nerui, quia in repletione nerui valde dolitat dens cùm comprimitur; sed in luxatione quomodocũque prematur, seu trahatur ad superiora, seu ad latera. Quandoque fluxio non est ad neruum, sed ad concauitatem quæ est inter dentem & os, & tunc non dolet nisi comprimatur, & in hoc casu ascendit dolor & tumor, aut descendit, ita vt dolor digito exteriùs manifestè sentiatur. Et est dolor valdè leuis à repletione nerui, & ô! quàm conuenit in his purgatio capitis. Solutio verò continui est difficilior omnibus, & magis necessaria scitu, quia plerumque indicat, & sola fermè, de euulsione dentis. Quæ autem est diuisio perfecta facilè dignoscitur, quia parte vnâ compressâ, alia manet aut stridet. Sed de carie quæ frequenter contingit, signa sunt, quòd dolor sæpe reuertitur, & in illo dente & non aliis & sine causâ manifestâ, & si videtur aut tangitur locus, non est dubium; & cùm sanatur, non est robustus, & fit scaber, & fuscus, & adhæret intus materia lapidosa, & gingiua eroditur in angulo, vel è regione partis læsæ, & rarò contingit quòd non lædatur à frigidis & duris, & aliquando consequitur fœtor: & omnis dolor vehemens facit luxationem dentis, si sit propter neruum, quia natura fugiens dolorem eiicit dentem è loco, vt non comprimat neruum. Sed si dolor sit in dente nullum commodum sequitur ex hac luxatione, ideò persæpe in hoc casu dens remanet firmus, & cùm sanatur neruus repletus, aut luxatio quæ fuerit ex percussione vel morbo Indico si fuerit magna sed in iuuene, aut in sene sed parua, tunc est locus auxiliis & restituuntur, & cùm perseuerat diu, difficile est vt confirmetur. Et si ex morbo plures commouẽtur dentes faciliùs confirmantur quàm vnus solus: & hoc contingit, quia homo magis abstinet ab omni cibo, & ita non mandit, & sanatur: sed qui vnum tantùm habet commotum, dum exercet sanos confisus in illis, magis commouet & excidit, & dens luxatus extenuatur propter imbecillitatem caloris, quia non est coniunctus toti, & etiam quia causæ luxationis, scilicet pituita, vel humor serosus, aut crudus, aut melancholia corrumpit alimentum dentis, & ita non nutritur. Et signum dentium ob ætatem casui propinquorum, est fuscus color & obscurus, raritas, hebetudo sensûs, & facilis luxatio, scabrities, & gypseæ crustæ. Dolores autem gingiuæ dignoscuntur tactu ipso. Abscessus verò & tactu & visu. Specialiter autem signa sunt.

Capvt. III.

De causis affectus propositi.

His visis ad causarum inuentionem deueniendum est, non solùm quòd curatio omnis sublatâ causâ fiat, vt suprà diximus: sed quòd cùm necessaria sint ad omnem curationem describendam multiplicia auxilia, (nam vnum solum si describamus, videbitur vbi illud non profuerit, Medicinæ ars manca atque inutilis) quomodo poterit quispiam multis axiliis conueniret vti, nisi nouenerit quod cuique conueniat: nam si singula prætentare voluerit atque experiri, prærterquàm quòd *occasio est præceps* in Medicinâ, vt dicit Hippocrates, magnum sumptum & temporis & pecuniæ facere oportebit; & propterea Medicus ridiculus fiet, singula perperam tentando, vt æger fidem amittat; sed quod omnibus maius est, calida calidis morbis adhibendo, vel frigida frigidis, vel intẽpestiuè, vel modo quo non debet adhibere, tantum abest vt sit ægro profuturus, vt etiam grauiter sit obfuturus.

Ergo in causâ est hîc materia cruda, sanguinea, mista, iuxta secundum modum significati sanguinis, id est aggregati ex quatuor humoribus, & etiam pituitæ, & est sanguis parum concoctus, sed tamen vitiosus, partim à capite descendens per venas, & arterias, & neruos etiam, partim à iecore transmissus, partim ob exhalationem ventriculi & iecoris: & ideò in his morbis peculiaris est iactura ex cruditate, & maxima: nam in suffusionibus oculorum, & tinnitibus est etiam peculiaris iactura ex hac, sed non adeò magna, quoniam vapores non possunt tam promptè penetrare ad oculos & aures, sicut ad dentes & gingiuas. Ideò mala ratio victûs in his morbis offendit trifariam: ratione qualitatis cibi, vt pote vapor ex porris; & ratione cruditatis, vt quilibet cib⁹ crudus, & hoc est minus; & ratione tunicæ quæ est vna gingiuis & ventriculo, & hoc est adhuc minus. Et esset vltimus ordo, scilicet nutrimenti, sed est adeò exiguum hoc damnum, vt possit posthaberi. Sed in oculis & auribus plus nocet cruditas, & est primùm ratione vaporum, & pòst qualitas cibi: & reliqua duo parum aut nihil prosunt, aliquid tamen potest nutrimenti vis: nam consensus simplex, nullus est. At iecori nocet ob quartum modum, primò ob alimentum, inde ob malam coctionem, reliquis duobus modis non nocet. Nasi autem morbis &

ozænæ nocet ratione qualitatis cibi, pòst ratione alimenti, vltimò ratione cruditatis, non ratione consensûs. Causa verò descensûs materiæ facientis abscessum aut dolorem in dente, imò neque destillationum, non est illa quam credunt communiter Medici, scilicet ascensus vaporum ex cruditate à ventriculo; tum quia non posset fieri in ieiunantibus, cùm tamen magis tunc fiat, nec repente vt videmus; sed longo indiget tempore, nec sine tinnitu & oculorũ imaginibus, quia in tantâ vaporum ascendentium multitudine, fieri non posset, vt non aliqui ingrederentur in aures & oculos, adeò patulis viis, & nec in die: quæ omnia cùm sint contra experimentum liquet talem materiam ascendere per venas & arterias plenam ichoribus, & materia aquea inde congelatur & crassescit in cerebro, si cerebrum non sit immodicè excalefactum: ideò fit hic casus à caliditate plerumque, maxime iecoris, & indiget purgantibus aquam, & tamen Medici vtuntur calefacientibus, quo nihil deterius. Et hoc de causis propriis.

Considerandum est etiam quòd dolor dẽtis trahit materiam, qui natura cogitur succurrere parti, aliter corrumperetur: nam dolor & causa doloris corrumperent partem. Est enim causa, ex confesso, vel vlcus, vel intemperies calida vel frigida: quoad symptoma ipsum non corrumpit, nisi quia extinguit vitale spiritum, qui est in loco, à quo particula conseruatur. Ergo si non transmitteretur, periret: huius causâ vniuersali natura transmittit specialiter, sæpius peccans plus transmittendo quàm oporteat: nam ex hoc fit phlegmone, ex aquâ dolor alius suscitatur, & febris accenditur ab initio ephemera, pòst synochus, demum cùm materia putrescit, etiam synocha. Et cùm materiam oporteat, sic si debet calefacere sanguinem, esse vel intimam & cordi proximam, aut multam, aut valde prauam & interiori loco, ideò non potest ex hoc accendi, nisi Ephemera. Sed quoniam materia praua potest esse, vel quia valde calida, vel quia valde putrida, oportet si deberet fieri febris consequens phlegmonen, sanguinea [MS. *phlegmone sanguinem sanguinea*] vt esset, vel multa, vel prope cor, vel in loco intimo. Sed potest generari febris putrida, quæ non dicitur consequens, & hoc ex omni ephemerâ, vt 8. *Artis curandi, cap. præsertim 7. & 8. & in lib. 9. cap. 1.* docetur: & licèt suo more nihil vnquam perfectè doceat, imò satis confusè, vt non possis dicere, sic est. Dico tamen ex re ipsâ quæ se prodit, & auxilium etiam capiemus ab eodem, ex *primo de differ. cap. 4.* quòd febris Ephemera transit in putridam, vel ob malam rationem victûs, vt non prohibeatur causâ quæ illam accendit, & ipsa producatur: nam cùm producta fuerit, necesse est tandem vt hecticam in siccis corporibus, in humidis putridam accendat. Secundum est, si aër ipse pestilens si, nam tunc vapores illi solâ caliditate (quia nihil fit in istis inferioribus, nisi per primas qualitates actiuas,) indigentes ad febrem propagandam, statim eam immutant. Tertium est cùm corpus est vel exteriùs stipatum occlusis cutis meatibus, vel interiùs obstructum, tunc enim vapores illi, vt lebete contecto, incalescunt adeò vt quod est seorsum in humoribus putrefaciat. Quartum est, cùm habitus ipse cacochymus est, multisque corruptis & calidis humoribus refertus: nam nisi hoc modo accendi febres periclitaremur, ex quanam [MS. *quadam*] causâ aliqui ex febre putridâ interirent: nam si non cum ephemerâ, multo minùs sine illâ. Sed non aliqui solùm, imò permulti intereunt. Igitur ephemera in huiusmodi accendit putridas febres. Constàtque hoc modo non solum ex dolore dentium, sed etiam alicuius minimæ particulæ interiisse. Vltimum est ex intemperie, maximè calidâ & siccâ, quæ cùm sit vltima inter has quinque, ipse quasi primam statuit, sed oportet intelligere res ipsas potiùs quam illius verba sequi. Sic enim neque errabimus nos, nec illum vt errantem accusare cogemur. Cæterum ex causis aliis externis, insolatio magis nocet oculis aër autem frigidus & humidus dentibus atque gingiuis, vtraque autem vtrisque, sicut [MS. *tamen sic*] etiam somnus in terreno cubiculo. Abscessus autem in gingiuâ doloris præbet speciem in dente ob propinquitatem, quia dum dens læditur, comprimit gingiuam læsam, atque ita videtur dens dolere, cum gingiua doleat. Alter modus est, quoniam confluente materiâ ad gingiuæ abscessum, etiam aliquid ob propinquitatem deriuatur ad dentis radices. Cùm etiam materia quæ in abscessu gingiuæ est, corrumpitur, corrumpit etiam sanguinem, qui est in radice dentis, & malâ qualitate afficit neruum; ita fiunt mutuò vtrinque causæ. Causa verò cuius pars prima cerebri est auctor, ex doloribus, excrementis, læsâ operatione, tumoribus [innotescit:] & si conuerso capite in ceruicem, homo videatur pati defectum sensuum aut mentis, aut quod quippiam descendat in posteriora, quasi auulsum, & si percipitur quædam innanitas in illo, aut si circumuolui aliquid sentiatur, & oportet experiri id in omni horâ, & multis diebus. Hæc enim solent pati affecti vigiliis, & significant periculum apoplexiæ aut catalepsis:

Capvt IV.

De symptomatis affectus propositi.

Symptomata verò ipsa quæ comitantur hos morbos, alia quidem sunt propria morbis, vt dolor, stupor, & est species doloris deterior quandoque dolore, quia homines in dolore vel coguntur vti sorbitionibus, vel mandere ex alterâ parte: in stupore autem non mansum solent deglutire cibum. Tertium est non posse pati duras res aut frigidas, quandoque etiam licèt rariùs valde, nec calidas. Pòst sunt erosio dentis, & similiter gingiuæ, & etiam mobilitas dentis, quæ est duplex: vna quæ est cùm manet in situ suo, & alia cum eiicitur, & quandoque vna

est deterior, quandoque altera. In iuuenibus deterior est, cum dens manet in suo situ, quia si eiicitur cessante dolore statim redit ad suum situm & confirmatur: in senibus verò deterior est cum labitur ex situ, quia nulla est amplius spes, vt redeat ad suum locum ob ætatem. Hic verò considerandum, velut & in eo qui ambulando intorquet pedem, & ob id non firmiter potest ambulare: an situs hic malus sit morbus, an symptoma, cùm diuisio in quâ situs est, ad morbos pertineat, non ad symptomata: sed quia situs non mutatur nisi per operationem, & læsio operationis est symptoma: dicemus ergo quòd materia vel intemperies per quam flectitur dens, vt pes, est causa & morbus, & situs seu flexio, symptoma & morbus & impedimentũ ambulandi, symptoma secũdum. Ergo flexio pedis est morbus quatenus fit à neruі mollitie, & vt est causa imbecillitatis eundi, & vt est malus situs. Sed vt est vitium in operatione, & vt fit, est symptoma, nam quod factum est & est in mẽbro, non potest esse symptoma, & ideò hoc accidit frequenter, vt morbi causa sit symptoma, sed numquam tamen vt symptoma morbi cuius ipsum est, causa sit. Symptomata verò subsequentia magnitudinem morbi, sunt propriè vigiliæ, non solùm ob dolorem, sed etiam ob vapores & consensum neruorum, & febris Ephemera, nec conuulsio tamen sequitur, quoniam dolor in dente non potest hoc facere, cum neruus non afficiatur, conuulsio autem est symptoma neruorum, nec si in gingiuâ, cum exigui ibi admodum sint nerui: nec dolor possit esse vehemens, cum sit in particulâ exigui sensûs: nec si in neruulis, qui sunt in radicibus dentium, quia admodum parui sunt, & vix sensu percipiuntur: tum verò quia, vt aliàs docui, conuulsio fit à frigiditate, ob id ex punctione ferri. Sed in eo loco non potest esse tanta frigiditas: Ideò etiam non potest contingere conuulsio ex dolore in radice dentis, nec nerui illius, neque etiam ex siccitate propter frigiditatem dentis & ossium mandibulæ circumpositorum, neque ob repletionem, quia comprimitur à dente: plurimum etiam facit caliditas loci, & ob id nemo visus est qui ex dolore dentis aut gingiuæ inciderit in conuulsionem, quamuis dolor dentis sit maximus ex sententiâ Galeni 2. *de compos. medicam. sec. loc. cap* 1. *sect.* 7. *in fine*, & maior dolore capitis. Est etiam affectus communis dentibus & gingiuæ, quem hæmodiam vocant id est, stuporem dentium 2. *de locis, cap.* 6. *in princ.* Quid autem si non declarat *ibidem cap.* 7. plusquã antea. Verum author *lib. de simpl. medicam. cap. de portul.* quanquam non Galenus, de eâ dicit, quòd est affectus qui contingit dentibus ob esum fructuum immaturorum. Sed Galenus 1. *de symp. caus. cap.* 5. docet quid sit. Hoc vnum palàm est, quòd stupor est gingiuæ symptoma. Circa quod illud animaduertere dignum est, quòd symptomata dolorum augentur motu, vt in dentibus, & podagrosis, & herniosis. Calculosi etiam dum lapis mouetur, dolorem sentiunt; dum quiescit, cessat dolor. Attamen videmus quòd lapidem renum patientes, ambulatione alleuiatur, & coli dolorem agitatione cunarum: quare dico quòd omnis motus qui fit per particulã laborantem, auget dolorem, quia inflammat & distendit partes. Igitur vtrauis sit causa doloris, eam auget: reliqui motus omnes minuunt, tum auertendo materiam dolorem facientem, tum calorem, tum spiritûs, tum etiam dilatando partes, vt faciunt anodyna. Est etiam vnum insigne & proprium symptoma doloris dentium quod ego semper obseruaui, & est maximè vtile ad curam. Estque quòd in dolore dentium superiorum, in superiore parte faciei è regione dentis, & in dolore dentium inferiorum in mandibulâ inferiore, è regione similiter, percipitur dolor tangendo manifestũ, adeò vt curando partẽ illam, soluetur facilè morbus, tãquam sublatâ origine. Accidit etiam quandoque inflammatio ex hoc, vel in faucibus intus, & est angina, vel superiùs quæ disrumpitur cum tussi, & creditur quòd sit vomica pulmonis.

CAPVT V.

De signis prognosticis.

PRognosticum cùm non agatur hîc de vitâ? versatur circa tria principaliter, scilicet an morbus futurus sit longus vel breuis? secundò an perueniet gingiua ad suppurationem*, aut non? & si deuenerit, an ad paruum vlcus vel non? Veluti de Simone Grynæo de bonis literis bene merito, Ioannes Manardus recitat *lib* 18. *Epist.* 2. Cui vlcus in gingiuis adeò magnum erat, vt illi negotium facesseret, & ob puris abundantiam cogeretur lintea magna in ore assiduè continere, vt dentes omnes in discrimen vocauerit ex hoc morbo, penè omnium radicibus erosis, & iam fermè inutiles redditi sunt, & cum metu ne caderent. Solent enim vlcera fieri deteriora serpendo: serpunt autem ob materiæ multitudinem & acredinem, tum putredinem, putredo enim semper propagatur, [MS. *purgatur*] demum ob locum humidum & calidum & impurum, & si in ipsum ascendant praui vapores; quæ omnia sunt in ore, si vllo in loco, adeò vt post anum [MS. *annum*] nihil sit tetrius ore, & recta natura os ano opposuit tanquam genere, eadem differentia situ solo: nam & in multis animalibus declarat Philosophus anum esse propè os, quasi quòd fœtor ex illo, & illuuies multa prodeat, & ideò si vlcera fiant, difficile sanantur, & maximè in sene & mali habitûs ob humores, non temperiem, vt dixi, & tempore autumni. Oportet igitur prohibere, ne ad vlcus perueniat si fieri potest. Tertium sit, an dens possit seruari, & dico quòd omnia bene procedant, quoniam etsi ætas, & humorum in vniuerso prauitas, & tempus anni obstent, non tamen ætas est omnino defecta, & maximè temperamenti ratione nec habitus adeò malus, vt dixi, ob expurgationem quæ fit quotidie prauorum succorum, nec humor videtur adeò exuberare,

rare, nec admodum prauus esse, & etiam ex subiectis oculis: maxima autem causa infelicis successus in morbis est, quòd nō cognoscantur. dicebat Hippocrates *lib. de Arte*. Secunda causa difficilis sanationis, vt ab Hippocrate habetur, est quòd morbus habet rationem causæ sui, & sit, vt ita dicam, circularis, hoc etiā hîc non adest. Tertia etiā deest, quæ ponitur ab Hippoc. *ib. & 1. Prognost. tex. 5. comm. 4.* nam neque est in membro principali, neque periculoso. Quarta demum est, quod morbus est subiectus operationi manuum, quod multum refert ad curam, & vt facilè sanari possit, vt ab Hippocrate habetur, *1. de morb. mulier.* Ideò sperandum est quòd Parulis poterit sanari absque suppuratione, & mediocri etiam in tempore, non omnino breui ob causas dictas, sed neque admodum longo, si non exulceretur. Pertinebit ergo talis cura ad Physicum principaliter, inde etiam ad Chirurgum, qui si fuerint periti, poterit, se explicare. De dente dico, quod cùm non sit in ætate adeò defectâ, in aquâ sponte solent cadere dentes, id est, iuxta octogesimum annum, & in mediocriter robustis, nam quidam etiam vlterius illos retinent, & inuncta sint auxilia illa adeò præstantia, spes est quòd poterit confirmari: detracto enim humore superfluo, & siccatâ particulâ, & dente non vitioso confirmatur, vt dixi, cum non fuerit in ætate defectâ; nihilominus maius est periculum de hoc, quàm de Parulide.

Modicus calor & modicus rubor cum liuore, tumor satis mediocris, non valde durus, dolor non magnus, luxatio dentis non leuis, operatio omnino sublata mandendi, [MS. *medendi*] excrementa nulla, ex ratione particulæ quia nondum suppurauit, & quia hic abscessus non sit propriè internus, possumus pronunciare de salute: nam secùs nunquam licet, eo quod nescimus, etsi calor naturalis sit potens in toto, an erit in illa parte; & quod magis refert, vbi supputauerit, an erit viâ exitus saniei, an non: nam ex minimo tuberculo, quoniam interiora eroduntur, homo potest interire. Considera etiam curationem, quæ si procedat facilè, morbus est leuis & cognitus. Si in deterius agit; vel obstat natura temporis morbi, vel materia est diuersa, sed tunc aliquando melius se habet aliquando non; vel non intelligis morbum. Si verò meliusculè procedit, aut ad auxilia melius se habet, deinde redit ad grauitatem, morbus est cognitus, sed grauis, & hoc etiam sæpe in morituris accidit.

Illud præterea est adnotandum quod subtili ratione constat, facultatem vitalem aliquando significare salutem, quamuis naturalis malè affecta sit: & hoc in vno casu tantum, scilicet cum morbus est inuolutus, id est, quod coctio impeditur ratione abscessus in membris naturalibus, & abscessus ille concoquntur. Et tunc interim tantum superest boni sanguinis in venis & arteriis, vt vitæ robur stare possit donec concoquatur: & tunc Medici dicunt bono illum animo esse, & præsagire de salute, cum tamen verum sit hoc solum in hoc casu.

Prædictio; dicebat Hippocrates *6. partic. 6. Epidem. text. 36. Suppurationes quæ circa gingiuas & nares fiunt, septimo die erumpunt:* sed melius est forsan vt legamus *rumpuntur*, certè magis ad propositum præsens: & rursus in *Coacis prædict. Ex aluis liquidis sanguis de gingiuis diffluens, lethalis est.* Ratio est manifesta, quoniam dum exoneratur corpus, si sanguis defluat ex gingiuis, signum est corruptionis vniuersi corporis. Nec aliud prætermittendum est, quòd in multis venenis putrefacientibus gingiuæ corrumpuntur, in aliis intumescunt, in quibusdam profluit sanguis, velut in morsu serpentis appellati hæmorrhois. Dicebat, *quinto Epidemiorum. Metrodori filio ex dentis dolore maxillæ marcor, & gingiuarum carnis superexcrescentia, moderatè suppuratus est, exciderunt dentes molares, & ipsa maxilla.* Itaque & talia pericula imminent. De nouo autem morbo superuenturo, & maximè in gurgulione, ille dignoscitur ex circunstantium membrorum grauitate, & aurium, mandibularum, colli, faucium; & ipsarum operationum remissione, tum excrementorum propriorum tenuitate aut defectu, & communium mutatione, scilicet fæcum & vrinæ. Vt autem mutationem noueris, naturalem dispositionem scire oportet, vt in *primo de his quæ in medicatrinâ fiunt, text. 1.* Naturalis egestio, vt *2. Prognost. text. 1. & 17.* habetur, non multum graueolet, subrufa & corpulenta, densa multum, non tamen sicca. Quæ enim sicca est, calorem aut siccitatem viscerum, aut nimiam moram ostendit. Diluta, aut quæ non malè olet, cruditatem, melior humoralis est, non fæx: Alba obstructiones, nigra aut humoralis est, aut exustionem ostendit. Valde fœtida violentam putredinem; & si causa præcesserit etiam sine febre exitium. Æruginosa [MS. ineptè *vitiginosæ*] erosionem minatur, & magis viridis. Cibos tamen ingestos considerare oportet, & quantum quisque naturaliter à medio deflectit. Vrina verò etiam *ibidem* describitur, cuius sedimentū est album, læue, & æquale, dico & pyramidis instar. Et sunt quinque conditiones: album autem dicitur non simpliciter, sed substantiæ vrinæ comparatione, quæ colore triticeæ paleæ atque splendore esse debet. Est etiam sedimentum naturale perspicuum, ita vt opacum nullâ ex parte sit, in quibusdam quasi auri scobs. Proprium autem ad mortem symptoma est conuulsio, & conuulsio cum rechmône, nam ab eâ non euadit aliquis, cùm sit deterior etiam apoplexiâ.

CAPVT VI.

De curatione eiusdem affectus.

SECTIO I.

De custodia, seu cura prophylactica.

PArs autem curandi propria triplex est. Dicebat Auerroës: *Deus nouit melius hæc inferiora quàm homo*, (nam superiora homo

homo vix nouit) *quoniam per vniuersales rationes.* Et ideò ille homo rectè solus nouit, qui eodem modo & simili cognitione diuinæ. Qui verè per propria, vt Empirici, ille non verè nouit: melius tamen quàm qui per vniuersales rationes simplices; hi enim sunt hominum interfectores, non Medici, quamuis se iactent esset Galenicos. Quod si Galenus hanc methodum simplicem intellexit, certe audacter profero, Galenum fuisse interfectorem hominum, præstareque longè esse Empiricum, imò deteriùs mederi eiusmodi Galenicum, quàm prorsus ignaram Medicinæ mulierem, aut rusticum; sed si, vt credo, Galenus intendit, quod passim profitentur, dicant se malè vti Galeni præceptis & perfidiosè. Dabam ergo exemplum in curà vitiatæ ambulationis, ob pedũ qui non iuxta debitum situm mouebantur, affectum, & cùm iam sex annis frustrà curatus, esset, dixi esse morbũ magnum, ideò extremis auxiliis indigere: non à leuioribus inchoandum, cùm sæpius inchoata esset cura, & etiam non intelligendum illud, nisi vbi morbus det inducias, & in primis qualitatibus, non in secundis, aut tertiis, aut purgatione. Non purgandum per aluum in similibus morbis, quoniam detrimentum esset perpetuum, scilicet dilatatio meatuum, vnde in posterum defluxio humorum permanebit; vtilitas autem temporanea: & etiam quia non sunt purgandi humores vltra cauam iecoris per aluum, ob septum venarum quæ in iecore non committuntur, aut absque sensu, vt *in 7. Anatom. administrat.* vnde morbi lethales & longissimi oriuntur, si materia intercipiatur. Purgandum ergo solùm à cauâ parte, veluti myrobalanis Emblicis, Chebulis, & nigris, Trypherâ Persica, melle roseo. Vinum non dandum. Omitto modò detrimenta incerta cerebri & neruorum, cruda penetrare facit, & coctione acescit, coquitur autem in ventriculo. Sudorificis vtendum: meta est ℥xx. in singulos dies, vt curatio protrahatur quadraginta vt breui absoluatur, suprà, breuissimè triginta media erit. Pòst membro læso conferent lutum thermarum & cerata, velut oxycroceum. Fieri hunc morbum defluxione à membris naturalibus, sæpius à cerebro, sed vitio membrorum naturalium, & à cerebro vitio proprio, sed in facultate naturali, quæ in illud à iecore deriuatur, cùm sit communis toti corpori, & vitio proprio virtutis animalis, velut intemperie calida & corrupta. Descenderéque per spinam dorsi hoc modo ad pedes. Affinem esse morbum podagræ, sed differre ab eâ quia in articulis non est. Huiusmodi ratio curandi, similis scientiæ diuinæ est, vt tamen vmbra homini. Et per exemplum exhibitæ sunt regulæ decem.

Meminisse autem oportet etiam similitudinis morborum & membrorum propter sanationem, (velut vteri cum dente, quòd loco mouentur, sed vterus maximè, & quòd bifariam dolorem excitat, & vbi vel incumbit, & vnde discedit: & similiter curatio modò sanæ, modò ægræ parti conuenit, & alliciendo & pellendo, & agrestium & ancipitium auxiliorum, vstionis in capite ad conuulsionem puerorum, in ceruice ad distentionem, fontium ad fluxiones, stibij præparati, vel ligni guaiaci, [MS. *visci*] & est minùs ad materias inuictas præsertim Indicæ luis. Et vini cum chalybe ad tumores, obstructiones ventris, & asciten. Et thermarũ in difficillimis morbis. Talia enim infamata sunt, & semper debilitant corpus.

Custodia ergo ab huiusmodi morbis, constat in his à quibus cauere oportet, tum etiam curâ communi, & hi quæ membrum confirmant, tum demum eis quæ à proprietate his morbis resistunt. Neque enim dubium est quin purgatio, aut sectio venæ, aut vtrumque non conferant ac præseruent, siccando copus ab omnibus morbis qui fiunt ex materiâ. Relinqui potest postmodum vitium ex intemperie, vel in substantiâ, vel compositione, per quod functio non perficiatur: nam in custodiâ præsupponitur semper facultas aut illæsa omnino, aut parum vitiata. Et eadem exiccatio tutiùs fit per administrationem sex rerum non naturalium, & cum eâ stant vires, & nil vtilis aufertur: sed est tædiosior, & etiam pauci eam docere sciunt; imperantes solùm modum in qualitate, & omittentes quantitatem; & quam probant carnium, talium persæpe illa est deterrima; & persæpe non perseuerant, imò ferè nunquam perseuerant, donec absoluatur negotium. Et in custodiâ oportet plerumque, quòd hæc perseuerantia sit semper & perpetua. Peccant etiam circa præparationem & modum. Et ideo in febribus Galenus videtur præscripsisse quantitatem 1. *de victu in acut. comment.* 21. Oxybaphum ptisanæ, sed non expressit quantum contineat Oxybaphus. Brassauolus in hoc diligens dixit post multas difficultates, esse quantitatem sex vnciarum, & hoc bis in die, & hoc est minus victu sanorum ob qualitatem tantùm: nam concordat cum victu Cornarij, scilicet duodecim vnciarum cibi in die: manifestum est enim quòd hæc mensura vel ei proxima conuenit omni homini: & quòd talis ratio cibi reddit securum hominem ab omi morbo qui pendet à materiâ. Non ignoro Budeum posuisse Oxybaphum, vnciarum tantùm trium, sed non conuenisse Hippocratis sententiæ, dicentis: *Sed quantum & ob consuetudinem, & ne multa vasorum inanitio fiat, ingerere conuenit.* Ratio ergo generalis est, quòd si natura perfectè concoquit, perfectè etiam dominatur. Igitur non potest aduersari, quare nec creare morbum. Sed in custodiâ ex medicamentis vel venæ sectione, sufficit ex præcepto Hippocratis *6. aphorism.* 47. in vere hoc agare, tanquam optimo tempore ad actionem: sed in autumno purgatio est quandoque necessaria; & ideò istud facere conuenit, non solùm purgando totum corpus sed membrum proprium, cùm ipsum in causâ fuerit, scilicet cerebrum, & cum valido medicamento. Sed si sit ex consensu totius corporis sufficiet solùm purgare corpus ipsũ. Et in hoc optimum est helleborus, si materia sit terrea; aut peplium, si aquea & pituitosa. Et tunc sufficiet mediocre regimen, non exquisitum: nam dicebat Galenus quòd

ei qui vult post purgationem vti malâ victus ratione, præstaret non purgari. Et ego laudo ebulum valde, vt tutiorem helleboro & peplio, cùm materia fuit pituitosa.

Tertium genus custodiæ est per confirmantia membrum, quorum primum est sal, & maximè quod lapideum est, & Inula. Verùm Inula quia ventriculo inimica est ob superfluum humidum, vbi manditur, eiici debet saliua diligenter; sal verò melius quod lapideum, & debet contineri sub linguâ, habetque causam manifestam, quoniam astringit, adeò vt generali ratione dentibus & gingiuis conferat, velut & muria in quâ oliuæ conditæ sunt. At verò de Inulâ, cùm calida sit & humida, neque ratio id ostendit, nec in experimento facilè confidere possumus, quoniam neutrum horum præsertim auxilio est laborantibus dentibus, nescio quâ ratione adeò illam miris laudibus extulerint, nec ratione additâ, nec experimento vllo relato, nec quòd à proprietate id agat, edocuerint; nam neque inter apophlegmatismata numeratur, neque confert capiti, imò excitat dolorem, vt Princeps docet *lib. 2. cap* 140. & grauis est odor eius. Quapropter quamuis non meminerit de hac proprietate, ego tamen composui medicamentum hoc modo. Liquefeci sal in duplo pondere aquæ, deinde imposui inulam incisam in frusta, post lento igne coxi despumando aquam donec sal concresceret, atque ita sustuli odorem prauum, factúmque est medicamentum iucundum, an verò valde salutare, non sat scio; certè commendatur à Plinio Secundo *lib. 2. cap. 36.* item Apuleio *cap. 95. Inulam ieiunus manduca, dentes confirmat.* Verùm Aëtius *l. 2. c.* 31. ex Adamanto Sophistâ sicca improbat in siccâ intemperie: quocirca inulæ auxilium cum sale satis probauerim, quòd calefacit, parum exiccat. Vtile autem esse puto, quòd pituitam à cerebro multam educat: neque tamen adeò huic auxilio insistere debemus, vt humidum salutare educatur, præsertim in senibus. Existimo enim vt præstantissimum, ita etiam valde potens fore auxilium. Tertium est Coralius [MS. *Corolarius*] lapis notissimus, affricatus dentibus: eligere autem oportet rubrum & læuigatum ad vnguem; sunt enim albi, rubri, ac nigri omnium rarissimi, rubri autem optimi; hi detergunt dentes, & gingiuas confirmant affricati illis: oportet autem dum affricantur, dentes constringere, sic vt vna pars alteri incumbat, interiùs si affricentur exteriùs, exteriùs si interiùs. Cauere autem oportet præsertim in senibus, nequid durum mandant, aut valde lentum, aut calidum frigidúmve nimis, vt docet Princeps 7. 3 *cap.* 2. & similiter ea quæ dentes obstupefaciunt, & vt moderatè detergantur; & quædam sunt quæ proprietate nocent, huiusmodi *(dicit Princeps)* sunt porri, & brassica (*dicit Plinius.*) & dactyli, adeò quòd Ioan. Leo in Africæ regione, vbi dactyli abundant, homines peruenire vsque ad centum annos vitæ scribat, sed tamen post primam iuuentam carere dentibus: vt triplex possit censeri miraculum; & quod tam citò careant dentibus, & quod tamdiu viuant; tertium quod maius est, quod sine dentibus ad extremam perueniant senectam, tot annis superuiuendo. Quod verò plurimum refert, est natura aquarum, & aëris, & exhalatio quæ fit à ventriculo, & destillatio à capite, & senectus. De aquis refert Plinius *l. 25. cap. 3.* quod *in Germania trans Rhenum, Germanico castris permotis aqua inuenta est in dulci fonte, qua pota cunctis deciderunt dentes intra biennium, & genua etiam laxata sunt morbo tristi.* Aër quoque corrumpit dentes, maximè nocturnus, & in vallibus, vbi fauces sunt arctæ, & in regionibus frigidis: huiusmodi rationibus dentes nullis rusticis penè sunt incolumes, tametsi alioquin natura sint robustissimi. Verùm de ventriculi exhalatione, præsertim si acidus sit ructus, [MS. ineptè *auidus sit rectus*] non est quod dicam, nisi eos infelicissimos esse, quibus os supremum ventriculi non clauditur, sed perpetuo eructat, quos seruare dentibus incolumibus ad extremam vsque senectam vix liceat; semper enim halitus ascendunt, vitiántque illos & labefactant: indicio est rubigo, & fœdus color, & lapideæ crustæ, & imbecillitas quædam in illis, tum verò caries, & gingiuæ tumidæ, fœdæ, erosæ, aut nimium excrescentes. Nihil salubrius in his rectâ victûs ratione, purgatione eius humoris assidua, & vt dentes oleo lentiscino illinas, aut rosaceo, potus quoque frigidæ paucæ à cibo iuuat, sed lædit cerebrum. Porrò de destillationibus suo loco dicetur. In senibus autem cum sit naturalis labes, difficile est resistere: nihil tamen vtilius est exercitatione longa matutina, atq; vti cibis mollibus, velut suilla carne assata, vel apri iuuenis, & melle. Alumen quoque exustum & cũ melle conditũ, affricatum dentibus detergit sordem eorum atque duritiés, & cõfirmat gingiuas, purgatque eas; & abluere caput aqua frigida post lixiuium singulo mense semel aut bis, fluxiones omnes prohibet, & caput roborat: dictũ est & *in primo libro* de Tithymalo, sed quia obest ventriculo, tutius existimabo acetum scillicitum, quod omnibus mẽbris naturalibus cruditate laborantibus valde vtile est, eo colluere os singulo mane probauerim. Sunt qui suffitum ex dente canino mirum in modum extollant. At Britannica confirmandis dentibus vtilissima est, sed tamen quæ sit, incertum habetur, lapathi agrestis folia habet, sed pilosa & nigriora, radice tenuiore, nigra, breuiore, folia quoque oblongiora sunt, sapor astringens: facilis cognitu tam distinctè delineata, difficilis inuentu. Laudatur ab Apuleio mirum in modum, *cap.* 19. seu quis mãdat illam, seu succum seruet in vsum, seu (dicit) puluere cũ vino diluto dentes colluat. Ex his autem quæ applicari possunt seu illini, nihil facilius oleo lentiscino, maximè his quibus dentes ob ætatẽ debilitantur, aut aëris iniuriâ. *Aliud* non probatum, sed quod omni ratione vtilissimum esse existimo: vngulas suum & dentes, & mandibulas derasas, & comminutas recentes, in ollam nouam coniicito, tantæ magnitudinis, vt fermè dodrantem materia occupet, eam tegito fictili operculo plano, atque fundum eius foraminibus

raminibus frequentibus atque exiguis ita repleto, vt nulla pars non perforata sit, nec tamen scobs possit descendere: hanc ollam veteri ollæ vitro oblitæ ex fundo ita intrudes, vt adamussim conueniat, quinetiam rimam equino fimo obline, supposito prius subere aut sambuci medulla, inde foueam in terra facies tantæ altitudinis, vt vtrisque depressis superior superficies superficiei terræ cohæreat: super hanc igitur & vndique ignem maximum accendens, affatimque per viginti quatuor horas nutries, demum refrigeratis ollis colliges oleum dentibus confirmandis vtile. Cæterum quantum virium sit in mandendo, & quantum intersit, experimento docere non grauabor. Anno MDLXIV. decimo Calendas Februarij, cum mihi dens qui proximus est canino inferiori dextræ mandibulæ nutaret atque doleret, hora xvij. mandebam helenij radicem, sed non cum sale præparatam, verùm valde recentem, ieiunaui ad horam vsque secundam, nihil sentiens incommodi, post cœnam collui os bis aut ter, statimque sensi tetrum quendam saporem atque odorem, atque adeò vehementem vt demirarer, tandem recordatus helenij quod dentibus attriueram, intellexi octo horis latuisse tantam vim in palato & oris partibus, quanta sufficeret, si exitialis fuisset, ad corrumpendas facultates cerebri, ventriculi, iecoris, atque pulmonis: tantum potuit mansa Inula, vt vno exemplo omnia intelligas. Verùm vt ad ordinem reuertar, quærendum est an in sanitatis dentium conseruatione vtile sit lapideas crustas ferro auellere? Equidem id censuerim, ademptis illis gingiuas melius adhærere, dentésque confirmari. Ergo vbi medicamento locus est, melius est quàm ferro: vbi ferrum sit necessarium, id agere præstat, si laboriosè non fiat. Quod si sine labore fieri non possit, abstinendum est: ferrum enim inimicum est dentibus, tum quia frigidum, tum quia asperum, tum quia gingiuas corrumpit. Cæterum & illud considerandum est, quod dentes qui mobiles sunt, nonnunquam adstrictione ossium mandibularum indigent; quo fit vt etiam in senibus adstringentia conueniant: multum autem differt id quod adstringit ab eo quod exiccat, propterea de his in sequentibus sermonem habebimus. Ideò ad curam transeamus, hoc solo proposito, quòd dentifricia probari solét ex cortice radicis nucis, vel ligno lẽtisci itémq; ex auro, tum verò ex lignis resinã habentibus, veluti ex larice. Quod vero detergit crustas lapideas, ex auro fiat duro; qualiter autem id fiat, alibi dictum est. Sunt & qui pennis auium pro dentifriciis vtantur. Et crusta panis vsta cum aqua plurimum dealbat dentes, & vinum rubrum cum aquâ separationis: dictum est autem hoc aliàs.

Quarto loco sunt quæ à proprietate agunt in quibus est id admirabile, quod si concoctio mala ventriculi, iuuatur, vt dicit Galenus 9. *de simpl. medic cap. proprio*, contactu Iaspidis: quomodo id fit; an tollit frigiditatem, quæ causâ exempli, sit causa imbecillitatis sine calore, an tollit imbecillitatem, & manet frigiditas, aut omnino fit imbecillitas concoctionis sine mala qualitate: & ita duobus modis erit causa sine effectu, & effectus sine causa. Aut si primum admittatur, tolletur qualitas sine contrario tam calida quàm frigida. Igitur hoc modo curabit non solùm omnem morbum in ventriculo Iaspis, sed etiam in omni membro, & ita quæ curant à proprietate, curabunt omnia membra, & à quocunque morbo. Dicemus ergo ad hoc, quod ea quæ à proprietate agunt, quinque modis agere dicuntur, quorum tres sunt proprij, reliqui non proprij dicuntur à proprietate. Primus modus non proprius, est vt in purgantibus medicamentis, qui fit à substantiæ similitudine, secundum Galenum: etiam secundus qui fit stuporem inducendo, vt de opio & torpedine, maximè in doloribus, & hic etiam non est proprius. Tertius est proprius, vt dixi, & sequentes, sed hic fit trahendo calorem ad locum ratione similitudinis in claritate, & luce, & naturâ. Quartus confirmando calorem qui est in membro ob similitudinem qualitatis, licèt in humano corpore elementa sint refracta multùm; in Iaspide autem longè minus: & hic modus fit quia calor quem producit Iaspis ratione suæ vitæ, & etiam quem reflectit iam receptus, ab humano corpore ad actum deductus per calorem ventriculi, redditur ad vnguem illi similis, & deducitur de potentiâ quasi ad actum, vt ligna quæ ardent, & ita fit vnus calor, & ideò augetur calor ventriculi; eius etiam operationes. Et hic modus agendi à proprietate, vt liquet, conuenit solùm inter rem & rem, vt Iaspidi cum homine. Et nec inter rem & rem generaliter, sed inter rem & partem rei, vt inter Iaspidem & ventriculum, non inter Iaspidem & cor: quia cùm fiat ratione similitudinis, & iam supponitur similitudo inter iaspidem & ventriculum, & ventriculus est dissimilis cordi: igitur iaspis est dissimilis cordi, non igitur ageret. Quintus modus est densando substantiam membri, & illius calorem. Quia ergo tribus modis auget vim membri. Ergo tribus modis oppositis contingit debilitatam esse vim eiusdẽ, scilicèt laxitate, imbecillitate proprij caloris, & superuenientis [MS. *super veritatis*] Sed & si non sit imbecillitas propter hos, sed propter frigiditatem gratia exempli, medicamentum tamen illud restituit, quod deficit ob aliam causam. Igitur patet ex hoc, quòd non omnis morbus pẽdet à qualitate manifesta: sed sunt tres alij præcipui, raritas substantiæ vel eius corruptio; paucitas caloris proprij, vel eius raritas; & paucitas caloris aduenientis. Et quòd omnis curatio etiã fit à contrario in his, sed non per se, quoniã frigiditatis quæ est qualitas, incõmodũ potest restitui, vel caliditate aduẽtitiã vel condensatã substantiã membri patientis, vel aucto calore proprio, vel condensato. At illud quod omnis curatio fiat per contrarium, tenet & intelligi debet, vt demonstratur ab Hippocrate, quia vbi Hippocrates adducit demonstrationem, debet intelligi dictum, quatenus attingit demonstratio; sed vbi non adducit, generaliter. Cùm ergo dicat 2. *Aphorism.* 22. *Quicumque morbi*

ex repletione fiunt, curat euacuatio, & quicunque ex euacuatione repletio, & aliorum contrarietas. Non negat Hippocrates primùm morbos aliter non posse sanari, sed dicit hoc modo, curari à causâ scilicet contrariâ. Et ita dictum est artificiosum, quia loquitur de causâ, & non de morbo: & verum etiam simul, quia dicit contrariorum adhibitionem curare morbos, non curationem semper fieri à morbo. Sed & à proprietate arcent dolorem Chelidonia, vnde illud Macri:

Dentis vt affirmant, prohibet contrita dolorem.

Laudatur & ab eodem cæparum succus; vnde illud:

Manè sibi dentes qui succo perfricat isto;
Dicunt hunc dentis nunquam sentire dolorem.

Ille idem mira de Erucâ refert, vt epota cum vino omnem doloris sensum auferat: sed iuuat verba eius referre.

——*Cum vino largiùs haustam.*
Indurare ferunt hanc contra verbera sensum.

Plinius *lib.1.cap.36.* etiam inquit; *Quinque folium quoque vino vel aceto incoctum, siquis quotidie manè id decoctum continuerit, nunquam laborare dolore dentium, debet autem assumi radix cum herbâ.* Dioscorides etiam *lib.4.cap. 22.* ait, *Eryngij radicem appensam prohibere abscessus, vndecunque futuri sint.* Simile de Astere attico seu inguinali idem refert, quòd *si gestetur, prohibeat in inguinibus bubones generari, vnde quidam etiam bubonium illam herbam vocitarunt.* Dignoscieur autem ex hoc peculiari signo, quòd flores noctu luceant sicut astra, vnde nomen etiam sumpsit. Ita ergo & de Pæoniâ, & maximè astrorum auxilio videtur: Masculæ enim radix, (*teste Plinio lib.27.cap.5.*) die plenilunij collo appensa præseruare videtur à podagrâ, mutare autem oportet, vt ferunt, in singulos sex menses. Verisimile autem videtur vnicuique membro, tum affectui, herbam aut aliud mistum genitum esse, quod ei adeò conferat, vt pro præsenti miraculo haberi possit. Tum verò generaliter vim cœlestem esse, quæ & morbis & causis eorum aduersetur, & membra ipsa sanet: cuiusmodi experimenta aliquando narraui. Quòd si ita est, tentandum maximè in comploratis, ne quod auxilium relinquamus. At postquam id magnâ ex parte incompertum est, siquidem herbæ illæ, cùm non plus faciant quàm medicamenta, sed solùm maiore dignum admiratione, & minore incommodo, forsan hoc in vsu partium animalium, aut ex obseruatione astrorum, vt dixi, inuenire tentabimus.

SECTIO II.

De curâ propriè dictâ eaque generali, huius affectus.

POst autem deueniendum ad generalem curationem. Quæ fit per sectionem venæ, generaliter omnem materiam in venis contentam minuit, & fluxiones auertit. Et sectio quidem copiosa fieri debet, saltem vnciarum duodecim, vel etiam plus pro ægrotantis viribus & habitu, & morbi magnitudine, & quanto celeriùs, & in loco calido, & ventriculo vacuo. De vnâ autem ad generalem pertinet considerationem, [MS. *contractionem*] non communem. Et ita purgatio etiam per se conuenit, cùm materia fuerit extra venas, aut valde remota à naturâ sanguinis, vel æger patiatur à sectione venæ, vel formidet illam. Reliqua ad generalem curam pertinent. Similiter inanitio, paucitas cibi & potûs, quies, somnus moderatus, aër morbo contrarius, non tristari, non irasci, non timere. Pro curâ autem generali communiter factâ, cùm diuidatur in quatuor partes, communem, generalem, propriam membro, & specialem communi modo factam: igitur cùm initio fluxionis cum dolore, periculum sit, ne materia ad membrum principale retrocedat, multa quidem simul ingruunt, quorum pars pertinet ad iam dicta, vt lenitio alui, si adstricta sit; & euacuatio totius corporis, si redundauerit humoribus, & cibi potúsque paucitas, & auersio per loca longinqua diuersa, & ex eodem fonte prodeuntia, vt ad primam magnam diuisionem ex opposito referatur. Et si dolor adsit, vt tepida actu, & acopa potestate applicentur; talia sunt veluti oleum chamæmelium, è semine lini, butyrum, sapa, aliáque, tum verò quæ vehementer repellunt, atque ea actu frigidissima, modò dolor & loci natura id admittant. Prope affectum autem, scilicet inter locum patientem & fluxionis, quæ vehementer adstringunt tepida, inde procedente morbo repellentibus discutientia admiscebis, etiamsi dolor non adsit. At si ab initio dolor non adfuerit, repellentibus tamen vteris. Cùm verò finis incrementi apparet, adstringentia ne amoueto à suo loco: super locum paucis repellentibus & leuibus adiice digerentia plurima; si dolor adsit, concoquentia pauciora. At si dolor non adsit, concoquentia plurima, digerentia pauca. Eam ob causam oleum rosaceum, quòd acopum sit atque adstringens, magno semper in vsu est. Dum verò fluxio desistit, multis concoquentibus digerentium aliquid & astringentium adiicito, nam & robur membri confirmant; & suppurationem accelerant constrictâ cute; & defluxum nouæ materiæ, quæ persæpe ad membrum imbecille, ad membrum calens, quæque in viâ est, sed auxiliis repulsa ferri solet, prohibent. Quæ verò discutiunt, non ex eo genere esse debent, quæ cutim rarefaciant; frustrà enim eorum alterum quæremus, densare ac rarefacere: sed quæ quod tenue est, in halitum resoluunt atque extrahunt: propterea neque omnino astringere decet, neque digerere. Cùm verò statûs tempore materia euanescit, mollientibus atque digerentibus æqualiter insistendum, adstringentibus vel minimè: at si mollis materia redundet, digerentia augebis. Sin durus locus manet, minuito digerentia, emollientia augeto, emolliunt quæ valde humida sunt & pinguia, & moderatè calida, vt adipes

adipes omnes & olea,ſed minùs,& butyrum. Quòd ſi ad ſuppurationem conuerſus fuerit, incide vel aperi medicamento, vbi inundatio apparet premente digito. Detracto pure iam abſoluto, concoquito quod reliquum eſt: vbi euacuatum fuerit, púſque fluit paucum,album,læue,æquale, minimè olens, caro viuida,vlcus ſine timore, ſine dolore, ipſum ſarcoticis imple, inde epuloticis,ſeruatâ membri figurâ reſtaurato, animaduertendo in curatione omnium morborũ membrorum quæ officium peculiare habent, aut valde nobile,vt oculi & aures,aut valde neceſſarium,& à quo non poſſumus diu abſtinere,& illud officium requirit robur, ſicut dentes,ventriculus,iecur;quòd curatio debet fieri cum confirmantibus membrum, & ita magis de corde & cerebro.Hoc autem vel fit per ea quæ confirmant ipſum membrum, & ſimul aduerſantur morbo,& talia eſt dfficile inuenire,vel per ea quæ conferunt membro, miſta his quæ aduerſantur morbo, & hoc eſt longè facilius:propterea primùm dicemus de his quæ iuuant dentes,& conſeruant illos,& de his quæ nocent.

Hîc verò aduertendum diligenter, quòd Galenus cenſet partes quæ perpetuo motu aguntur, vt pectus & pulmones, non poſſe coaleſcere, ſed ſi probè detergãtur atque ſiccentur, (hîc enim duobus indigent, quæ diuiſa vt conſolidentur; & vt ſi caua ſint, caro regeneretur; ſi non, vt partes conſtringantur,) callum (dicit) obducere poſſunt, vt non in poſterum febricitet, licèt ichorem quendam remittant, vt omnino cutim non generent: An hoc ergo ſemper verum eſt? Et ſi:cur?An melius eſt fateri, quod ſenſus atteſtatur, conſolidari diuiſa, & cutim obducere, ſed tenuem & infirmam, quoniam caro quantò profundior, eò humidior eſt. Vt ergo rem expediamus, omiſsâ difficultate, an inchoandum ſit à leuioribus, de quâ *in ſecundo Contradict*. 34. actum eſt, quoniam cùm morbus ſit notus, & locus non ſit periculoſus,nec pars ſit princeps, poſſumus ab æqualibus incipere, declinando tamen ad leuiora, & maximè quia morbus dat inducias. Sed maior eſt difficultas in hoc, an debeamus incipere à cauſa morbi, ſcilicet à curatione dentis, an à morbo ipſo, an à periculo, ſcilicet inflammatione gargareonis, an pluribus horum, & à quibus? Secunda,an debeamus ſingulis morbis, ſecundùm vnamquamque intentionem ſua ſcribere auxilia, quod videtur habere multiplicem difficultatem. Primum quòd cogemur repetere ſæpius eadem: ſecundum, quòd cogemur ponere auxilia noxia aliis diſpoſitionibus: tertium quòd ſermo reddetur nimis plexus; quòd ſi morbi plures, & plures intentiones ſimul comprehenderimus, fiat doctrina confuſa & incerta. Tertia eſt, an debeamus antequam purgemus, aut ſanguinem mittamus, dolorẽ priùs ſedare,propter dictum Principis, *quartâ primi, c.*1.*Et antequam ad diuerſum trahas,dolorem priùs ſedá.*Similiter eſt difficultas, an ſit purgandum, quia non eſt concocta materia, & etiam ante purgationem debeat vti inediâ, ne corpus inflammetur,& humores accẽdantur?Verùm dico pro primâ, quòd debemus incipere à curatione cauſæ.quia ſi illa potuit excitare affectum, quantò magis prohibere ne ſanetur,& tamen non neglecto periculo inflammationis gargareônis, neque ipſo morbo, qui cùm per ſe indicet de curatione, etiam ſemper. Ergo quilibet morbus, niſi ſit factus à cauſâ externa, duplicem habebit indicationem, vnam à ſe aliam à cauſâ,& ſi magnus fuerit,tertiam à virtute. Pro ſecundâ difficultate, dico quòd in generali oportet ſingulas intentiones & morbos ſeorſum explicare, ſpecialiter autem ſimul multorum habere rationem, & ita nullum inconueniens ſequetur. De euacuatione autem dico, quòd illud dictum: *Vbi fames, laborandum non eſt*: ſic intelligendum eſt: vt ei imbecillitati, à quâ nunquam natura ſe ſponte redimit,& ſunt duæ,fames & vigilia,nulla vnquam debet,niſi factâ reſtitutione,ſuccedere cauſa debilitans vireis, quia natura non fert,& ſi non poteſt redimere ſe ab vnâ, quanto minùs à duabus. Et ſi dicas quòd dormiendo vel dando cibum poteris recipere vires:dicam ego, cur non dediſti cibum, aut permiſiſti dormire, antequam euacuares; Et ſi dixeris, quòd non poteras dare cibum, propter morbum, cauſam, vel ſymptoma; nec erat in arbitrio tuo vt dormiret: dicam ego, num à debilitato longâ inediâ ſi detraxeris ſanguinem aut purgaueris, licebit dato cibo ſperare ſalutem? quia vel non conueniet, vt nec priùs conueniebat, & erit adeò debilis, vt non poſſit concoquere.At verò aliis cauſis,à quibus natura proſtratas vires recipit ſponte, licebit vel inediam, vel balneum,vel aliquid huiuſmodi adiicere, quoniam tales virium lapsûs aſſimilantur deliquiis animi;qui verò contingunt ex inediâ vel vigiliâ,veræ ſyncopi: nam in vigiliâ, vbi vires deciderunt, nunquam reſtituentur niſi per ſomnum, & in inediâ per cibum aut potum. At cibum & potum exhibere in magnis morbis, graue eſt & periculoſum: ſomnum adhibere, non eſt in noſtrâ poteſtate. Ergo vbi ab euacuatione ſanguinis, aut purgatione, aut balneo, aut fatigatione, aut dolore, aut triſtitiâ, aut Venere, aut morſu ſerpentis, aut potu veneni,quis ſe recreauerit,licebit tã inediâ, quàm & aliis euacuationibus,& medicamentis venenoſis vti: quamobrem in initio inediæ, talia adhibere conuenit. Eſt autem inediæ initium, donec homo perfert illam ſine vllo ſymptomate malo, præcipuè animi deliquio, aut delirio, aut pulsûs imbecillitate vel inæqualitate, vel inquiete, vel cùm exanguis iacet, & mortuo ſimilis. Multum autem intereſt, ætas puerilis, conſuetudo multi cibi ac plurimùm nutrientis, & præcipuè vini atque ouorum: vita omnino otioſa, vel nimis laborioſa, animus timidus, Venus frequens, temperatura bilioſa, diuturnus vſus leuium cibariorum atque multorum: verùm contraria producunt inediam, nihil autem magis quàm cruditates. Cibi ergo,panis, caro apri iuuenis, glandoſa vituli, alæ gallipauorum,iecora gallinarum, auiculæ, piſces friabiles, nuces, vuæ paſſæ, & quod eſt

ptisana ægris, oryza sanis: condimenta oleum, sal, mel, saccharum, sapa: potus aqua, & pro consuetudine, vini albi parum, æqualis cibo. Somni horarum ad vtriusque simul vndecimam partem vsque ad octauam tripla. In ægris quantò maior, tantò melior si ferre possit. Siquidem concoquunt, somnus, inedia, calor: quies quantò minor, eò deterior ad animum primùm, inde ad sanitatem, inde ad robur. Diuiditur ter in die ad summum, 7. *Artis curandi, cap. 6.* Sed purgatio ante coctionem materiæ, cùm nulla sit expectanda, nisi in febribus, imò nec præparatio, si oporteat negotium nullum præbet; verùm hìc minus necessaria est quàm periculosa: in vniuersum non oportet, cùm necessitas vrget, abstinere, imò nec tardare quouis modo. Quantum verò ad doloris sedationem, dicebat Princeps *quartâ primi*: *Cúmque materiam ad longinquum trahere volueris, loci dolorem priùs sedabis, vt ipsius minuatur coarctatio per attractionem, quoniam dolor est trahens, cúmque ad locum non obedit, ad quem ipsam trahis, non violenter agas, quoniam quandoque violentia illa ipsam mouebit & subtiliabit, & non trahetur, & fiet velocius declinans ad dolentem locum.* Hoc totum sumptum est à Rhasi *duodecimo Cominentis*, qui illud sumpsit à Galeno, *duodecimo Artis curandi, cap. 8. in fine*, vbi in coli dolore à flatu & humoribus crassis, non solùm antequam auertat, sed etiam euacuet, dolorem sedat cucurbitulâ impositâ. Itaque à dentis curatione inchoandum censeo, tanquam à causâ. Doloris autem ratio habenda non est pluribus in causis, vt cùm non vrget, vt in hoc casu; vel si nullum sit aliud præsidium singulare ab euacuatione; vel cùm incipiendum est à deriuatione.

Cura verò generalis per conferentia mébro est eadem quæ superior, sed ea est custodia hæc admixta curationi, veluti Plantago laudatur à Q. Sereno.

Sæpius hanc ipsam si dentibus atteris herbam,
Gingiuas reprimet tumidas & sanguine plenas,
Sicque solet dentis compescere sæpe dolorem.

Laudat & Plinius *lib. 1. cap. 67.* caprifici succum detractum tempore messis. Vermes quoque terrenos ex oleo dilutos in aurem infundere ex eodem latere docet. Cinerem quoque eorum denti imponere, maximè si exesus sit. Aliud ex eo, *cap. 53. & 55.* valde potens. Chalcanthum & cadmiam aceto incoque, & cum gossypio impone denti. Ex Scribonio Largo: Iubet is manducare portulacam ex aduersâ parte, ita vt succus traiiciatur ad locum dolentem, aut rhododaphnen, sic vt multa saliua ex ore decidat. Succus quoque solani tepens gargarizatus (dicit) benefacit. Marcellus verò *libro de medicamentis, cap. 12.* laudat, quod & à Scribonio ponitur, *cap. 56.* compositum medicamentum.

℞. *Succi peucedani, partes tres, Thuris partes duas, succi panacis & vuæ passæ, an. partem vnam. Misce, & dentem emplastri loco contege.* Laudat & cornu ceruinum vstum, vel decoctum scobis eius concoctæ in vino. Præter reliqua verò, quatuor hæc ascribit: *Radix terræ mali surculo eruta & commanducata, si ore contineatur, inter initia quidem excandescere facit dolorem dentiũ, sed mox potenter eum extinguet. Porcelli lactentis ventriculo, id est, aqualiculo exempto, quod in interiore cute luteum adhæret, lanæ coniuges, madefactáque eâ illum humorem auriculæ inseres, cuius è diuersâ parte dens dolebit, certissimo remedio statim subuenies. Mori radix tempore messis inciditur, ea succum aptissimum inhibendo dolori dentium emittit, quem ideò colligi, & seruari oportet, vt cum opus fuerit, dentibus imponatur. Æris florem florésque hederæ pari pondere in vnum terito, vinóque misceto, ac naribus moderatè, cum dentium dolor fuerit, infunde, statim omnis molestia dentium compescitur & sanatur.* Q. Serenus laudat vngulam porcæ in cinerem redactam, sed & Oleastrum, vnde illud:

Mansus item prodest succis Oleaster acerbis,
Hinc oscedo fugit, linguæ quoque vulnera cedunt.

Sed nihil melius, meo iudicio, Celsi auxilio: is enim *lib. 6. cap. 9.* inquit: *Hæc à Medicis accepta sunt, sed agrestium experimento cognitum est, cùm dens dolet, herbam menthastrum cum suis radicibus velli debere, & in peluem coniici, supráque aquam infundi, collocarique iuxta sedentem hominem vndique veste contectum, tum in peluem cadentes silices dimitti, sic vt aquâ tegantur, hominémque cum hiante ore vaporem excipere, vt supra dictum est, vndique inclusum, nam & sudor plurimus sequitur, & per os continuens pituita defluit, idque sæpe longiorem, sæpe annuam valetudinem bonam præstat.* Cæcilius Aurelianus in *Chronicorum secundo cap. 4.* laudat decoctum papaueris vel radicis dulcis, vel fœnigræci. Quæ omnia ego laudo: quemadmodum & illud de Erasistrato, qui sacrauit odontagogum (*id est, dentes educẽs*) Delphis è plumbo, vt intelligeremus dentes non nisi volentes, vt ita dicam, ac sequentes educendos esse, nec auulsionem, vt inquit ille, dentis esse sanationem, sed partis valde inutilis imminutionem. Itaque hæc est cura generalis dolentium dentium, quæ fieri solet vel per acopa, vel stuporem inducentia, vel quę agunt proprietate quadã, vel omnia auxilia quæ plerunque calefaciunt, aut pituitam multam educunt: multa etiam dicta sunt superiùs.

Memento autem præcipuè, quòd trium principalium membrorum contentorum, in eis iecoris quidem cura maximè perficitur medicamentis ebibitis; cordis autem per illita arteriis & è regione illius; at capitis per suffumigia. Et ratio est euidens in omnibus: cerebrum enim est remotum à medicamentis, & non habet adeò magnas arterias ac multas. Cor sepitur ab aëre per pulmonis carnem, & medicamentorum vis commutatur priùs, & debilior fit propria membro MS. absque vllo sensu, *priùs debilia, & propria membra.*] Sed iecur habet calorem imbecillem,

imbecillem, vt rapiat & attenuet vnguenta, nec suffumigia ad illud perueniunt. Quod autem falli in corde, & magis in cerebro est, quoniam plerique morbi illius habent consensum cum iecore, ideò putant medici, quòd iuuetur à medicamentis: & post suffumigia habent quas vocant Embrochas, sed non sunt adeò tutæ, & minùs etiam operantur, quoad occultas qualitates. Febribus ergo putridis adhibebimus medicamenta excerbationibus & rigoribus spinæ dorsi.

Pro curâ autem speciali, primùm quidem illud Galeni considerandum, in *libro de dissectione instrumentorum odoratus, cap*.1. quod etiam *alibi* repetiit: *Quatuor scilicet esse in hoc necessaria, scire habitum naturalem illius, tum etiam causas, dissectionem, ac huiusmodi, deinde morbum résque omnes præter naturam, velut causas, symptomata, ac alia, deinde instrumenta ad curandum necessaria, vltimò modum administrandi illa instrumenta, iuxta electionem, quantitatem, qualitatem, tempus, præparationem, atque alia eiusmodi.* Dictum est autem superius, & forsan (ita dicere liceat) meliùs, quàm vt separentur priora, scilicet naturalia, à modo: siquidem modus mihi videtur exhibere, quantum natura, habitus, ætas, ac huiusmodi ferunt: præterea quantum morbo debetur. Vt ergo ea generaliter, quę specialia esse debent tractemus, non erit necessarium vt distinguamus quantitatem]huic congruentem. Sed mittemus sanguinem, si dolor & abscessus fuerit adeò magnus, vt metuendum illi sit; aut si morbus sit ex sanguine, & hoc pro ratione; aut si vrina sit valde cruda, aliter non. Vtemur potiùs purgatione, quæ potest fieri sex modis simplicibus. Et est etiam modus septimus, de quo *ibi*, & *in libro de secretis*, vbi disputatum est, an vt dicebat Theophastus ille Paracelsus, vna medicina possit curare omnes morbos; & si sic: quomodo? si non: cur? Proponemus ergo modos compositos, velut cum cassiâ nigrâ quæ lenit aluum: & humores, acres educit. Et si morbus esset maior, dum fluxio fit, potest ac debet purgari corpus cum helleboro, quia est pars altior, & si infrà, cum veratro albo. Sed nō debet vnquam esse par periculum in medicamēto & in morbo: ergo multò minùs debet esse maius. Et similiter conuenit auertere materiam peccantem à locis maioris noxæ, non tamen cum cucurbitulis in dorso, quia locus est medius inter membrum patiens, & principale, Et ita conuenient frictiones, & vincula, post vniuersi corporis purgationem. Et debemus abstinere à cibo, & ratione fluxionis maximè, & ita per totum principium. Et dum fluxit, ratione coctionis, donec incipiat euacuari materia, vt præcipit Hippocrates, & hoc est tēpore incrementi & vigoris totius, qui habet duas partes, vnam in quâ perficitur coctio, aliam in quâ est coctus abscessus, sed nondum purgatur aliquid. Et ideò necessarium est scire, quòd in abscessibus sunt duo genera temporum, generationis, & coctionis. Et quatuor tempora generationis continentur in solo principio coctionis: ideò ob duplicem causam est necessario maior abstinentia cibi, in initio generationis, & ob vnam tantùm, in initio coctionis. Tempus autem in quo euacuatur materia ex abscessu, est declinationis. Ab initio ergo oportebit vti adstringentibus & repellentibus, & quia membrum est prope exangue scilicet dentem, non conueniunt frigida, nam augent dolorem, & ita magis trahitur materia; membra etiam exanguia læduntur à frigidis. Et etiam lenientia dolorem temperata, in ore sapa calefacta mediocriter. Sed melius est calefacere oleum rosaceum croco admistum, & imponere denti, & similiter ex his quæ à proprietate prohibent, vt dictum est de fabâ Ægyptiâ; & nos iam descripsimus medicamenta quę sunt calida moderatè, & quæ adstringunt, inter quæ est absinthium.

Deueniendo autem ad curationem specialem; dicebat Hippocrates *lib. de humidorum vsu: Calida aqua confert gingiuis denigratis.* Cùm enim abscessùs vel vlcera in gingiuis perseuerant, indigent his quæ detergunt & sorditiem auferunt, velut & in Epulidibus. Aqua autem calida detergit, & temperat prauitatem carnis corruptæ, & maximè sæpius repetita, atque id est generale auxilium. Specialiter autem dicebatur *septimo Epidemiorum: Melissandro cùm gingiua dolore corriperetur; & vehementer intumesceret sectiò venæ brachij, & alumen Ægyptium in principio sedabat.* Hìc desunt multa. Primùm quòd nescimus, quid sit alumen Ægyptium, de quo Dioscorides *lib.* 5. *c.* 81. egit, distinguens ipsum in tres species, scissile, rotundū, & liquidum; quod quidem alumen Ægyptium sit præstantissimum facilè reddere possumus: sed & habere ipsum licet cum reliquis mercibus: at verò de speciebus ipsis magna est dubitatio: nihilo seciùs Matthiolus existimat, scissile alumen esse difficile inuentu, habuisséque se refert à Lucâ Ghino Imolensi, Pisano Professore, sed pro singulari dono, non vulgari re. Reliqua duo primùm nunc inueniuntur Puteolis in Campanita, inuentáque sunt à Bartholomæo Maranthâ Medico nostrâ ætate, vt idem Matthiolus refert. At præter illa antiquorū, nostris temporibus multa alia genera inueniuntur; Rochæ, scaiolæ, primæ fæcis, catinæ. Quædam etiam ex prioribus composita, velut Saccharinum, quod simile sacchro sit, candidum, splendens, hoc ex alumine rochæ fit, candidóque oui, & aquâ rosaceâ. Verùm Catinæ, pro vitri artifices vtuntur, ex cinere herbæ gustu salsæ, quam Sodam vocant, fit. Scaiola autem amiantos est quod fit ex fæce vini, & etiam vsui est vitri artificibus. Reliquum est vt de eo quod plumeum vocant, & communi rochæ, cuius tanta copia est, loquamur. Fit autem alumen rochæ ex lapide satis duro, eiúsque sunt duæ species, album simpliciter, & quod ex albo rubet, quod melius est & efficacius: ingrati est saporis, subsalsi, & palàm astringentis; cuius vsus maximè ad fullones, & aquam separationis est: splendorem enim addit coloribus, efficitque vt recipiantur atque retineantur: inimicum ventriculo

ventriculo, tametsi adstringens, omniáque aluminis genera etiam notha, oris vlceribus & gingiuarum putredinibus conferunt, verùm alia magis, alia minùs. Optimum fore Ægyptium, haud dubium esse reor, & in vnoquoque genere, est enim substantiâ tenuissimum, quocirca & ignibus elaboratum, atque in aquam redactum longè melius est; reducitur autem vt tartarum, vel etiam distillatione, sed ea acutior est. Cùm verò adeò adstringat, plerique frigidum illud esse existimant; at non ita est, namque chalcantum, & chalcitis, & misy, & sory, adstringunt vehementer, quanquam calidissima sint. Alumen verò plumæ, scissile quasi nothum est, & ex lapidum genere. Præcipuæ illorum species præter id quod etiam cancrosis gingiuarum vlceribus conferant, familiaritatem quandam habent cum dentibus totóque ore, expurgant autem ipsum ab humidis superfluis, veteréſque authores Latini addito sale & melle vtebantur: verùm cùm, vt dixi, multiplex sit vsus, veluti foris in emplastris, vnctionibus, vnguentis, ceratis, liciniis, collutionibus, euaporatione, tum si mandantur, vel detineantur sub dentibus, aut perforatis illis immittantur, vsque eò vt pro amuletis vtamur, de quibus dicendum erit. Nunc ad rem redeo. Aliqui solent exustum mittere, sed an vsta vires habeant, paulò post dicemus. De quantitate igitur non magna est difficultas. Solet cùm miscetur sali & melli, tantundem salis addi, mellis decuplum aut etiam plus: propter illius insuauitatem authores ipsum refugiunt, aut addunt odorata & ventriculo grata, malobathrum, iuncum odoratum; sed malobathro caremus: iuncus odoratus Græcè σχοῖνος ἄνθος, vnde squinanthum corrupto vocabulo, aut spica Inda, sic enim & ventriculo commodius redditur. Verùm inuenitur & latercularium alumen: Princeps *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 7. vocat alumen scissum Iameni, scribítque ipsum calidum & siccum in secundo ordine. Ego verò de scisso non pugno: de alumine tamen rochæ dico, quòd est siccum in secundo, & forsan etiam in initio tertij, calidum autem in fine primi. Princeps autem videtur agnouisse vtrumque genus, & cùm vtitur alumine scisso appellat ipsum Iameni; cùm verò communi, alumen, vt *in octaua tertij*: quanquam nec in hoc seruet regulam generalem; sed cùm describit medicamenta Galeni, & Pauli, & reliquorum Græcorum, debet intelligi de scissili, quia illud est præstantissimum, & Græci non cognouerunt alumen rochæ: at cùm recitat medicamenta Rhasis & reliquorum Arabum, debet intelligi de alumine rochæ, quia Arabes non cognouerunt, aut valde pauci, alumen verum scissile [MS. *verò scissilla*:] nam alumen rochæ foditur in Hispaniâ, & est ibi copiosum.

Sectio III.

De curâ huius affectus, eaque speciali per diætam.

Deueniendo modò ad curationem specialem communium per pondus atque electionem, & per generalia hoc modo determinata, velut ratione victus, seu sex rerum non naturalium, ita faciendum. Primùm si aluus non demiserit, nec cibus sit in ventriculo, clystere vtendum est; aluus enim adstricta, multorum malorum causa est: nam & caput replet vaporibus, & iecur lædit, & ventriculi appetitum euertit: præsertim hæc omnia facit, si corpus malis humoribus redundet, & ideò procuranda est alui lenitio. Sed si cibus in ventriculo sit, illius coctio expectanda est, antequam clysterem committamus. Sed si aluus adstricta sit, & cibus in ventriculo, nec morbus patiatur inducias; tunc considerare oportet, an morbus sit circa pectus vel caput, & tunc subluere ventrem oportet, modò virtus valida sit, & ætas floruerit, 1. de Vict. in acut. text. 45. Ita ergo agemus. ℞. *Succi cassiæ nouiter extract. Orientalis* ℥ß. *Aloës hepaticæ electæ* ʒj. *Olei amygdalini dulcis, parum. Misce, & cum saccharo fiat bolus. Capiat statim, etiamsi modò pransus sit.* Quòd si [MS. *sicut*] in hoc casu glutire bolum non possit, dissoluat hoc ipsum cum decocto myxorum, & si videatur amarum, & sit vir delicatus, detur tantundem pulueris Polypodij recentis, cùm granis vij. Cinnamomi electi, communis tamen: nam Polypodium non adeò est malum ventriculo, sicut fertur: & ita poterimus intra quatuor aut sex horas vti sectione venæ, vel frictionibus, provt opportunum fuerit. Et intelligo per drachmas octo, vnciam vnam, ita vt drachma contineat scrupulos tres, & scrupulus obolos duos, & obolus siliquas tres, & siliqua grana quatuor frumenti, æreus verò granum & medium continet. Drachma igitur continebit grana septuaginta duo, & vncia grana frumenti DLXXVI. Verùm hi faciunt drachmam ex viginti scrupulis, id est, granis sexaginta, sic fiet vt vncia nouem drachmas & grana triginta sex habeat. Sed hæc est deceptio pharmacopolarum. Lupinus verò est tertia pars scrupuli, id est, grana octo, seu siliquæ duæ. Et hic modus ponderum, qui originem habet à granis tritici, est certior qui haberi possit, quanquam & tritici grana euarient, adeò vt Turcium & formâ & pondere magis simile est lobæ, de quâ Plinius loquitur *lib.* 18. *cap.* 7. Verùm credo intelligi debere solùm de nostro tritico, Turcicúmque ignotum fuisse antiquis, quòd Plinius ibidem nostrum describens, non Turcici vnquam meminit, & quamuis [fortè legendum, *cuiuis*] Italicum præferat pondere atque candore, laudatque Sophocleum:

Et fortunatam Italiam frumento canere candido.

Viginti

Viginti sex libras excedere solebât modius, Gallicum leuissimum quod vicenas: quæ ratio certa ponderis, ex dodrante cùm constet, discrimen statui potest, grauiori tamen attendendum. Dictum est de cassia, hæc, antiquis Græcis non nota fuit. Primus inter illos videtur Actuarius eam cognouisse. In *capite* siquidem *de Potionibus medicamentariis*, hæc habet de ea loquens: *Est fructus fistulosus, teres, oblongusque, concretum intus humidum ferens, non vna coalescens continuitate, sed ex interuallo intercedentibus lignosis tenuibusque membranis, septum seminalibus granis, figura & specie non dissimilibus, his quæ cognita nobis siliqua profert.* Loquitur etiam de ea infrà, dum sermonem habet de Myrobalanis: dicens, *At verò cassia ipsa bilem flauam, sed magis retorridam, & quæ iam in atram degenerauit, extrahit, quinetiam pituitam educit mediocrem.* Diximus autem Orientalem, quoniam multa aduehitur nunc ex Occidente, & est longè deterior, parum purgat & tardè, & cum torminibus, & quandoque non purgat. Dignoscitur autem ab Occidentali Orientalis, quoniam est rubra, & Occidentalis nigra, & Orientalis rursus est fermè duplo tenuioris corticis, & Orientalis etiam est grauior pari ratione, & est dulcior ac suauior intus, & splendidior, & pinguior, & differentia in operatione est maior dupla. De Polypodio autem dicebat Actuarius, *in capite de Simplicibus medicamentis purgantibus: Mediocriter aluum cit, & citra molestiam, purgat quoque bilem, & præsertim atram & pituitam, da tur seni scrupuli,* id est, drachmæ duæ:) & rursus dum de coniunctis humoribus purgandis agit: *Si atros succos exigere per aluum velis, adde filiculam quam vocant Polypodium.* Auerrhoës quoque illud præfert Epithymo; eligi debet quod dulce est, nec mali odoris: gustâsse me memini, quod non cederet glycyrrhizæ. Quod si morbus non esset in partibus superioribus, nihil melius esset vomitu: vomitus sanè conuenit, præcipuè vbi corruptio est cibi. *Princeps decima tertia tertij, tract. 3. cap. 7.* Si autem sola cruditas, non decet nisi vrgente causâ ciere vomitũ, [MS. *vere vomitu*] aliter singulis diebus oportet vti vomitu. Cruditatis enim nomẽ plura habet significata. Primùm est cũ cibus est in ventriculo ante coctionẽ sine vllâ noxâ, & tũc sumus in casu dicto, distinguẽdo de morbo in genere, & de magnitudine eius, tum verò de aluo adstrictâ. Secundum significatum est, cùm reliquiæ cibi remanent in ventriculo vltra duodecim horas, & eò magis vltra quindecim, & est in genere morbi, & tangitur à Principe *eodem loco cap. 8* & tunc debemus vti, (dicebat idem *tertiâ primi, doctr. 2. post princ.*) somno prolixiore & deambulatione, inde sumat modicum vini puri. Tertius modus est, cùm homo se ingurgitauerit cibo & potu, (dicit Princeps ibidem statim (docétque euomere debere si potest, & si non potest, bibat paulatim aquam frigidam, quia somnum prouocat, & cibum ad intestina deponit. Quòd si somnus non eueniat, aut non sufficiat, tunc considera, an immineat aliquod periculum morbi, an non. Si non sufficiat, quiæs & abstinentia cibi: si immineat, tunc purga cum his quæ vtilia sunt ventriculo, & principale est aloë, aut saccharum rosaceum, aut manna, aut tryphera, aut salnitrum cum origano, vel epithymum cum vino potenti. Et si omnia hæc non satisfecerint, indulgeat somno per 24. horas, & quieti, & abstinentiæ cibi, inde purgentur venæ & euacuentur. Alius modus cùm cibus est crudus in ventriculo, & adsunt signa incipientis corruptionis, velut ructus malè olens & nidorem referens, vel acidus qui pluribus communis est, tunc vomitu curandus est, aut multæ aquæ potu. Deterius hoc ipso est, si adfuerit cum cruditate putredo, sitis, abominatio cibi, odor fœdus oris, amara lingua; nausea, statímque est recurrendum ad vomitum. Est alia cruditas, quæ fit iam conuersis cibis in crudos in quâ sentitur quasi pondus plumpeum seu rei frigidæ cum quòdam leui dolore, & est causa longarum [MS. *cungarum*] ægritudinum, & tales non possunt vomere, nec hîc tractâdum est de illâ, nec de aliis, nisi voluerimus trahere totam medicinam ad hunc solùm; sed vt non decet hoc, ita neque poteramus hæc prætermittere, quia erant valde necessaria in hoc casu, vt statim videbimus. Sed volo perficere quod cœperam. Dico ergo quòd omnibus his generibus cruditatum sunt tria communia, non admittere missionem sanguinis, nec cucurbitulas, aut frictiones, vel vincula, non admittere exercitationem, non admittere alium cibum. Differunt autem in hoc, quòd cruditates quæ sunt sine corruptione, si bene homo se custodiat, non faciunt febres. Dicebat Galenus *primo de differentiis febrium, cap. 3. Et qui bonos habent humores, ac bene difflantur, & quiescunt, & quæ circa ventriculum atque hepar sunt, fouent, his febrire est impossibile: nam in eisdem resides ventriculi atque hepatis partibus quodcunque corruptum est, ac paulatim per tempus coquitur, atque optimũ fit.* Si verò aluus humida fuerit, ventriculúsque à cibis, sufficiet recta victûs institutio, quantum ad inanitionem & repletionem. Cruditatis autem mala in hoc casu, cùm in omnibus magna sint, maxima sunt. Sed priùs distinguere cruditatem oportet, in simplicem, malam, & nauseabundam. Simplicem voco illam quæ solâ morâ indiget, aut somno, aut deambulatione, vt corrigatur: éstque triplex, aut cùm nondum cibus concoctus est, v post prandium vel post cœnam, & est non [MS. *pòst*] sanorum exquisitè; aut cùm cibus tardatur in vẽtriculo, vt senibus, debilibus, conualescẽtibus, & est neutrorum, sicut & tertia, cùm ventriculus nunquam expurgatur à reliquiis cibi. Secunda dicitur mala, cùm cibus incipit corrumpi, & degenerat à bonâ coctione, ita vt non fiat bonus chylus, sed serosus, & humor crudus, & hoc est ægrotantium. Tertia adhuc est deterior, & est nauseabunda, & est cum corruptione, & de hac & præcedente dicebat Princeps, *vbi suprà. Præterea nihil est deterius nauseabunda satietate ex corruptione cibi in ventriculo factâ, ex cru-*

ditate malorum ciborum, quoniam cùm fastidium prouenerit ex grossis nutrientibus, hæreditate faciet iuncturarum dolores & renum, & dyspnœam, & podagram, & splenis & hepatis grossitiem, & phlegmaticas ægritudines ac melancholicas. Sed cùm ex subtilibus acciderit nutrientibus, prouenient ex ipso febres acutæ malignæ, & apostemata mala acuta. Hæc igitur generaliter. Specialiter autem dico quòd cruditates nocent quatuor sensibus exterioribus, & omnibus interioribus, & cerebro, & neruis, & omnibus partibus oris, quod nunc maximè est in proposito, & hepati demum. Et primùm de gustu, quia ascendunt vapores ex ventriculo ad os & linguam; & etiam quia tunica ventriculi est eadem cum tunicâ oris, & ideò cruditates malæ corrumpunt gustum maximè & gingiuas, & dentes, & gargareonem, & ideò in hoc casu nihil est peius, & est propriè quod dixit Princeps, *vbi suprà: Quod enim est deterius, est nutriens super nutriens quod non est digestum, ponere.* Similiter de cerebro, sensibus interioribus, & neruis, quia ascendunt vapores perpetuò, & nunquam cessant die nec noctu, ex ventriculo ad ipsum cerebrum. Et sicut ex primo conscensu [MS. *consensu*] fiunt aphthæ, gingiuarum corruptiones, dentium dolores, sitis, linguæ amaritudo, fœtor oris, cibi abominatio, gustus corruptus; ita ex hac secunda vertigines potissimè, comitiales morbi, vigiliæ, cataphoræ vtræque, resolutiones, obliuio. Decurritur autem tota cruditas ad iecur per venas mesaræi, inde si expellatur per ventrem, (dicebat Galenus *primo de differ. febr. vbi suprà,*) euadunt à febribus scilicet & magnis incommodis; aliter incidunt in obstructiones, febres, fluxus hepaticos, malos habitus totius corporis, aquam intercutem, morbum regium, abscessus diuersos, præterea lapides rerum & vesicæ. Quarto loco cùm deuenerint vapores ad reliquos tres sensus: nam de naribus clarum est per palatum; est enim via aperta ad partem cerebri, & ad nares quæ seruiunt olfactui. Ad aures quoque per meatus nuper inuentos, ex auribus ad os iuxta isthmum positos, vnde tinnitus, sibili, & surditates. Post hæc etiam ad oculos, vt 1. *de symptom. caus. cap.* 2. declarabat Galenus, atque vtinam ita docuisset modum. Dico ergo quòd postquam vapores ascenderint per palatum, deferuntur in glandulam, & exinde in peluim, per quam deueniunt ad cerebri ventriculos, atque inde per visus neruos concauos in oculum, atque hæc via in palato per os squammosum transitum habet, velut *in primo libro, c.* 6. dum generaliter de cerebri forma agit: sed sunt longè plura in palato foramina, ad quæ compendiosiore via [MS. *atque compendiosior via*] deferuntur vapores, velut *inferius* docet, *cap.* 12. transeuntque ad cauitatem inter squammas frontis, per quam fit respiratio adeò vehemens, vt vbi detegitur lumen extinguat: est autem proxima foraminibus odorum obliquis & anfractuosis, similibusque spongiarum foraminibus in osse fungoso, & prope instrumentum odoratus. Talia decuisset [MS. *defuisset*] Galenum exponere potiùs, quàm veteres bene meritos de posteritate immerito prosequi, velut Herophilum, Andream, Lycum, Marinum, cæterosque Alexandriæ Anatomicos, vt etiam iustè à Vesalio reprehenditur *lib. 7. cap. 6.* Ergo cùm tot modis cruditas ventriculi noxia sit, eam summo studio vitare decet, sed neque solùm patentem locum habere intestinorum & ventriculi, sed & animaduertere, an vrina liberè & iuxta solitam quantitatem profluat. Similiter & an è naribus iuxta consuetudinem, & quantum oportet: ex horum enim neglectu aut ignorantia homines in morbos, atque etiam graues incidere solent. Itaque diligenter procurandum, vt hæc tria loca præcipuè & libera sint, & commodè fluant, & quantum consueuere dimittant.

Post hæc ad exercitationem veniendum, quæ vt sanis commodissima est, ita ægris interdici solet, velut de Prodico dicebat Hippocrates 6. *Epid. sect.* 3. *text.* 21. inquit enim: *Prodicus interemit febricitantes deambulationibus, cursu, luctis, fomentis, febris enim deambulationibus multis, fami, luctæ frictionique inimica.* Mihi magis placet Cornarij versio: *Prodicus febricitantes interficiebat circuitibus, luctis, fomentis multis febris enim inimica fami, luctis, circuitibus, cursibus, frictioni, laborem labore.* Verùm vt alias docui, neque luctum, neque cursum seni vtilem esse censuerim, talia enim procul dubio vitam breuem efficiunt, etsi videantur robustiorem & incolumiorem, vt neque ludum paruæ pilæ in his probauerim. Simplex autem deambulatio procul dubio vtilis est. An verò sufficiant ambigitur: itaque [MS. *idque*] eorum meta sit voluptas, & vt iucundè id perferat. Cum excessu fuerit longa sanè deambulatio in locis [MS. *deambulatione locis*] patentibus ac siccis. Cæterum qualescunque se offerũt, nihil melius. Sest postquam tempus persæpe nõ suppetit, breuior per accliuia & decliuia, sed vt omnino leuiter & sine molestia perferat, & ludus pilarum per ferreum circulum. Hæc duo genera exercitationum primò seni & valida natura, moderatione adhibita, vt neque nimis leuia aut breuia, neque grauia vllo modo, sed continuato vsu æquata & ad voluptatem terminata, optima esse censeo, intendendo cum melius valemus, & promptiores sumus; remittendo cum languidiores & segniores, aut somno breuiore vti licuit. Cæterum in huiusmodi casu frictionibus assiduis, maximè in cruribus, & leuibus admodum contenti erimus, donec euacuato corpore, validioribus vti licuerit, nam nunc sumus in casu Hippocratis *sexto Epidemiorum, partic.* 5. *text.* 31. *Si impurgatus laborauerit, vlcera erumpent.* Cur autem potius vlcera dixit quàm pustulæ, clarum est vt vtrumque significaret, & præter id quòd acri ex materiâ fiunt, labor etiam magnus aliâ ratione non conuenit, cum atram bilem generet, (dicebat Galenus *quarto de tuend. sanit. cap.* 4.) Quanto minus seni? Verum vbi conueniat exercitatio, incredibile est quantum incrementi recipiat ex assiduitate, atque id præcipuè si velox sit, adeò ex continuitate effectus adaugeatur,

vt

vt contentis musculis omnium membrorum, & retento spiritu in maximis frigoribus stando sub dio non frigeas. Quòd si ad hæc, modicam celerem deambulationem superaddas, loco exercitationis moderatæ haberi poteſt, maximè si, vt dixi, per accliuia paululum fiat, éstque securior longè pilæ exercitatione, quam in sene non laudo, cum vel nimio excessu sæpe lædat, vel quia nimis languida parum iuuet, minúsque decora; & quod maius est, in eâ ætate lapsûs periculo graui valde exposita, quinetiam per se diuaricatis cruribus ramicibus oportuna: minor autem, & quæ solùm partes exerceat superiores, est læuigare chartham, sicut ego soleo gemmâ corneolo ingenti, aut brachiis colludere alternatim atque in crucem piscatorum more. Semper autem longa deambulatio breuiore melior, & in aëre libero melior est, quàm in cubiculis breuibus. Quod multum verò operetur hoc genus contentæ exercitationis, etsi exiguo tempore fiat, iudicat fatigatio & lassitudo, & fames, & calor, reliquáque huiusmodi: semper enim, vt dixi, plurimùm refert assiduitas, & omnium membrorum simul par nixus. Demum vt exercitatio ante cibos vtilissima est ad sanitatem, ita à cibo motus quiuis cruditates parit, & omnia morborum genera, vt *in libro boni & mali succi, cap. 3.*

Pro ratione autem cibi, cùm tria sint illius genera, vt *in libro de veteri Medicinâ* habet, solus potus nimiùm debilitat vires, cibus exercet partes ægras, & ideò malus, tum etiam quia difficulter deuorari poteſt, nec planè mandere licet, relinquitur vt sorbitionibus vtatur: sorbitiones enim tantâ facilitate superant ea quæ manduntur, quantò ab eis alimenti bonitate & perfectione superantur. Cùm verò tria sint genera alimentorum, Cerealia, herbacea, in quibus etiam fructûs continentur, & animalia: est præter id genus condimentorum, quod ad alimenta non refertur, salmuria, acetum, oleum, omphacium, succi herbarum, aromata omnia siue herbæ quæ bene olent, sapa, butyrum, saccharum, mel: sed mel etiam inter cibos numeratur, sinapis etiam, & huiusmodi. Manifestum quòd ex hoc genere sorbitiones fieri non debent, sed neque ex oleraceis, nisi è fructibus quibusdam herbarum & arborum: partes sunt radices, germina, folia, cerebrum, flos & fructus: flos vsui non est inter alimenta, nec scio florem qui in vsu sit. Priora quatuor nimis parum nutriunt omnia: fructuum autem seu seminum quæ horaria sunt, omnia acquosa, & præter id quod parum nutriant, corruptioni obnoxia. Reliquorum vt amygdalarum, nucis auellanæ sorbitiones fiunt gustu iucundæ, vt etiam ex peponum seminibus: admodum hæc parum nutriunt, plus auellana, sed & illa parum & difficulter concoquitur: ideò medicamenti potiùs rationem habent quàm alimenti. Nos autem præstantissimum quærimus alimentum. Cerealium autem præcipua sunt panis lotus, panis ex zeâ, cibus ex amylo, ptisana hordeacea, oryza. Præstat ptisana omnibus, inde panis lotus, itria, hæc Oribasius *lib. 4. cap. 11.* docuit ex Antillo, post alica. Galenus nescio quâ ratione magnificis disputationibus intentus, dedignatur hæc docere, vt nisi ex Oribasio superessent, desiderarentur. Ex animalibus autem quod tertium genus est, sorbitiones fiunt, lacte, ouis, carnibus. Carnem appello cuiuscunque animalis substantiam mollem ac plenam: verùm genus hoc omne pinguis alimenti, à Galeno in *octauo Artis curandi, cap.* 2. in febribus etiam ephemeris satis supérque improbatum est. Peculiariter lac in putridis (nisi paucis in casibus) Medici refugiunt, Sed de carne & ouis contentio est. Oua enim etiam in sanis Hippocrates damnat, quòd turgeant & inflent, 2. *de Diæta.* Cùm verò etiam putrescant adeò grauiter, (vt antea dixi, *lib. 1. in curâ prolapsus vteri*) in pestilentibus febribus deteriora erunt: velut etiam si durescant, vt in exurentibus febribus atque naturis, in quibus aluus valde adstricta sit. In his duobus enim casibus parum à veneni qualitate differunt. Præterea si in ventriculo aut iecinore copia prauorum humorum adsit. Sunt etiam vt dixi, naturæ humanæ dissimilia. Conueniunt tamen imbecillibus & quauis causâ emaciatis, & præcipuè conualescentibus omnibus, & febre lentâ laborantibus: optimum enim alimentum est, (nec ei quicquam deesse potest) quod perfectè cõcoquitur. Inter carnes autem præcipua auium, pullorum, phasianorum, gallipauonum Indorum, perdicũ, & columborum, & ex his alæ; vt glandosæ vitulorum lactantium: optima etiam & ad appetitum excitandum iecora auium, & piscium, & ranarum, sed præter cætera testudinem; vnde ex illis quòd maxima sint, contusa efficiunt iure pulli diluentes. Carthusiani ex ranis coxas postremas contundentes ex iure testudinum aut piscium parant: hæc sorbitio nutrit, febribus tamen vtilior quam ex carnibus. Vltimo loco est quæ ex piscibus fit assatis, dorsi scilicet carne: præstantissimi sunt saxatiles inter marinos, & cyprini inter fluuiales, maximè hi quos vocat vulgus *scardoas*, & generaliter squammosi, breues, lati, non crassi, carne albâ præditi, iecore sapido, qui facilè coquuntur super prunas, recentes, & ex his sunt percæ fluuiales; si quis nutrire magis velit trottas assumat. Possunt etiam fieri ex astacis sorbitiones, caudâ & chelis, sed duriores sunt, ideò diu coqui debent à cortice desumpta. In vniuersum diu ac diu tundi debent, maximè quæ lenta sunt, vt cancri, ranæ, testudines, aut crassa vt carnes: nam piscium assatorum caro, quæ circa dorsum est & caudam, cuiusmodi in vsu est, si bene tosta, minus exhibet negotij. Ergo in hoc casu, quia materia lenta est, pane loto aut itrio vteret: nam ab his quæ plurimùm nutriunt, in fluxionum initio maximè cauendum est. Vbi verò constiterint, venia conceditur, si non in intimis collectæ fuerint. De potu vinum noxium, & quia in capite, & quia materia cruda. Aqua cocta cũ saccharo & cinnamomo, vel iam coctæ misceantur.

De somno autem & vigilia dubium non est, quin somnus concoquat, quare tempore coctionis, id est, in statu & declinatione, vtilissimus est: vnde in *sexto Epidemior. partic. 4. Palam vigilans calidior est externis partibus, internis frigidior; dormiens autem è contra.* Sed de principio abscessuum dubitandum est, quia est vna auctoritas Auenzoar, quòd *in initio abscessuum interiorum debemus abstinere à cibo*, & habet rationem, quia in somno sanguis redit ad interiora: & in *eodem sexto libro Epidemior. partic. 5. Sanguis per somnum interiora magis petit.* In augmento autem cùm sit mista ratio, ratione principij vigilia vtilior est, ratione status somnus. Ideò in incremento tutior est vigilia quàm somnus, quia maius est periculum in magnitudine, quàm auxilium vel vtilitas in concoctione. In casu tamen debilitatis virium: in prima parte incrementi, licèt cogatur vigilare, in fine tamen illius poterit factis diuersionibus dormire. Similiter si abscessus sit celerrimi incrementi, vtpote qui debeat finiri in duobus diebus, tunc abstinebimus omnino à somno: si verò sit longior, vtemur somno post medium incrementi. Si verò sit scirrhus, possumus vsque ab initio permittere somnum, quia scirrhi si fiant per transmutationem abscessus calidi, à somno iuuantur, non læduntur: sin autem per fluxionem, adeò lenta est, vt tam diuturna vigilia ferri non possit. In isto ergo casu, vbi metus sit de abscessu gurgulionis, melius est vigilare & tutius quàm dormire, quia posset suffocari: ratione verò abscessus in gingiua, cùm sit potius exterior quàm interior, & periculum non sit magnum, ideo melior est somnus, & maximè quod vigilia faceret ad generationem febris, accendendo calorem naturalem: vnde hîc cadit vna dubitatio, quia vt visum est, dolor trahit materiam, & phlegmonas facit: sed in somno sedatur dolor, in vigiliâ sentitur. Ergo etiam in principio abscessus, videtur potius conuenire somnus quàm vigilia. Atqui in hoc crederem vigiliam esse vtiliorem: quia si dolor est paruus, Galenus refugit in *libro Artis Medicæ, cap. 2.* magis plenitudinem quàm dolorem. Sin autem magnus sit dolor, vix poterit somnus conciliari. Vbi tamen aliter fieri non posset, tum considerare oportet, an adesset plenitudo in toto, tunc oportet fugere somnum, quia plus facit ad attractionem somnus quàm dolor, quanquam corpus est plenum: & si corpus sit vacuum, somnus parum lædit, & multis modis iuuat, & minus trahit quàm dolor: ideò posset admitti somnus. Debet autem somnus esse non super plumis, sed gossipio, vel stuppâ serici, cum capite eleuato, & puluinari pleno paleâ frumenti, hordei, recenti, tenui, sicca, aut alga marina, & sint longiores somni, & rariores. Somni enim breues, si pauci sint, non sufficiunt ad humectandum corpus; si multi, corrumpunt temperaturam, & maximè si ex longis interuallis. Locus autem sit temperatus, & in die perflatus, declinans ad frigiditatem. Atque hoc de aëre etiam intellige: tempore tamen maturationis maneat in aëre calidiore. Quando vigilat vt videat aër semper sit purus, perflatus, clarus, siccus: & tempore somni ad frigidum vt declinans, reuocet sanguinem intus, & etiam vt temperet calorem naturalem, & ideò debet esse cum multis integumentis; in tempore autem vigiliæ calidior, vt adiuuet digestionem excrementorum. Præter reliqua vitare oportet ventos quoscunque, præsertim validos: hi enim nocent maximè plenis, & magis cacochymis, & adhuc magis debilibus, vt sunt senes & conualescentes, & Venere exhausti, præcipue verò in capitis imbecillitate, & morbis qui per circuitum euertuntur, vt comitialibus, vertigini, insaniæ, attonitis doloribus, & adhuc magis ac propriè in destillationibus, grauedine, raucedine; coryzâ, anginâ, asthmate, resolutione neruorum, doloribus dorsi, ophthalmiis, podagrâ, vbi sunt manifesta & præsentia detrimenta: omnis enim ventus calefacit cerebrum, & quanto calidior aut frigidior, sed frigidus etiam calorem cerebri simul obtundit. Constitutiones verò non semper ita, cum reliqua exsiccent. De febre autem aliàs diximus 4. *de Aëre, aq. & loc. comm. 5.*

Sed iam de animi affectibus dicamus: nam ex his qui morbum patitur, dupliciter laborat, & eo grauius vt cum illum hac causa contraxerit, quomodo ex iam facto conualescet? Idem accidit in occultâ intemperie aëris, nam calidam vel frigidam vitare & mutare licet, vt & alias quatuor res non naturales, præter vigiliam quam aliquando licet, aliquando non licet. Ob id qui ex tristitia ægrotant, plerumque pereunt: indicio sunt vigiliæ & delirium: obeunt enim fermè omnes, nisi insaniant. Generaliter lætitia, spes, quies animi bona sunt; timor autem & tristitia mala & noxia, & similiter curæ, & maximè molestiæ. Dico quod etiam ira sine dubio maximè nocet, adeò vt aliqui ex ira in leuibus morbis mortui sint. Dubitatio est hæc non contemnenda, quia Galenus videtur velle *alicubi*, quòd ira debilitet calorem naturalem, *alibi* vult quòd excitet illum & confirmet; de quo dictum est in *quarto, Contradict. 13.* In vniuersum ægris non conueniunt motus corporei, neque animi æstus, sed cum amicis lætis ac iucundis esse. In moribus oris sermonem multum vitare debemus.

SECTIO IV.

De cura speciali huius affectus per Pharmaciam.

QVod verò ad curationem per medicamenta attinet, illa [MS. *alia vt*] fit, vt dictum est, per communia auxilia, vt conueniunt huic dispositioni, eáque duplex, quæ respicit ad causam præparatam, & causam quæ morbum facit. Parata autem est vel in toto corpore, & est remota; vel in membris,

bris, ex quibus morbus oriri poteſt, & eſt propinqua: & rurſus cauſa morbi parata, vel transmitti poteſt vel trahi à membro læſo, vel propinquo, & maximè per dolorem. Conſurgunt ergo intentiones ſex principales vniuerſales. Prima à toto corpore vt purget. Secunda vt transmittat. Tertia, vt proxima per membra purgentur. Quarta, ne transmittant. Quinta, ne membrum læſum trahat, ſedando dolorem & calorem: nam hæ duæ ſunt cauſæ attractionis. Sexta, vt quod defluxit tollatur, & ſymptomata auferantur. Et ideò in purgatione vtemur primò lenientibus, inde præparantibus, pòſt ex electione purgantibus. Dicemus autem ſingillatim de vnoquoque ſuo loco.

Pro curâ igitur abſceſsûs in gingiuâ iuxta quatuor tempora. Primùm ergo ab initio adſtringentibus occurrendum fuit materiæ ad locum venienti. Ei ergo maximè conuenit oleum ex fructu terebinthi; nam Dioſcorides dicit, quòd refrigerat & aſtringit: poſt ipſum eſt lentiſcinum, quamuis in curâ propriâ authores omnes lentiſcinum miris laudibus extollant, terebinthini vix vllam rationem habeant. Per oleum lentiſcinum non intelligo ex lacrimâ, quod minùs ſiccat & magis calefacit, ſed duplex eſt vtrumque, vt *ibidem* docet ipſe Diſcorides: fit enim ex fructibus terebinthi, terebinthinum, & lentiſcinum ex fructibus lentiſci coctis in aquâ & expreſſis, quod optimum eſt in hoc caſu, quamuis vilius videatur, ſitque minùs odoratum. Aliud fit ex oleo, imbuto priùs cypero, iunco odorato, & calamo aromatico, cum foliis lentiſci ſeu terebinthi, paucíſque fructibus plantæ, ſic vt odorem potiùs quàm vim referat, quod non ſincerum eſt. Sic ergo goſſipio madefacto tangemus dentem aſſiduè, & oleum etiam in ore contineri iubebimus, cùm ex his ſit quæ etiam ſanis proſunt. In incremento autem, plurimùm adhuc oleo ex his altero vtemur: interdum ficum ſubiiciemus denti, & ex eodem illius etiam decoctum addito melle.

Pòſt autem vbi conſtiterit morbus, vtemur ficu, ſicúſque decocto, oleum relinquentes: vbi verò ſuppuret, aperiemus abſceſſum ære vel ferro,) nam æs melius eſt; vnde quærit Philoſophus 1. *Probl.* 35. *Cur quæ ære ſecantur, celerius ſaneſcunt.*) At ſi non, vrito; affert cum vulnere medicinam: non placet medicameto id effici. Quæ corrumpunt abſceſsus, idonea ſunt, & ſufficiat commemoraſſe ex Principe pauca, *tertiâ quarti, tract.* 1. *cap.* 3. Vnum ſimplex, & eſt radix narciſſi: alia compoſita ex cerâ, reſinâ, butyro, an parte vnâ, Pice ſiccâ & melle, an parte mediâ. Riſo quarta, ærugine octauâ. Aut quod eſt ab illo expertum, grana goſſipij, nux rancida, fermentum, caules, & cæpæ coctæ, ſinapis, & fimus columbinus. Vel facilè parabile, Diachylon diſſolutum in mucilagine ſinapis, & ſapone cum ficubus, & mel anacardi cum pice humidâ: & noſtri perforant cum capitello, vt deſcribitur *ibidem* à Principe. Vlcere facto purgandum eſt cum vitello oui & reſinâ. Sufficit enim, & eſt parabile domeſticum, Et ſi excreſcat caro, alumen ſaccharinum vſtum imponitur: pòſt cōſolidatur per ſe adhibendo collutiones ex vino in quo decocta ſit ſarcocolla inter præcipua, vel panacis ſuccus, ſaluia, verbena, ſcordium, iris. Illyrica, plantago, maximè quæ in riuis oritur, arum, & pentaphyllum. Si neceſſitas cogit, Cadmia adhibeatur. Quòd ſi fiſtula facta ſit, expedit ſcire an primum expediat ſanare eam? plerumque enim non expedit. Inde an poſſit? & ſi poſſit, an abſque ferro & igne? Et ſi non expedit, aut non poſſit, an ſit dilatanda? Lata enim magis debilitat & exiccat, arcta abceſſus parit & ſinus generat. Et vbi ſinuoſa ſit, an melius ſit incidere, an in vnum redigere vt penetret; an labia calloſa præcidere? Et cura in ſumma illarum apud Hippocratem abſque ferro, conſiſtit in lini filo crudo, noſtra ętate ſerico crudo, tithymali maioris ſucco, & ærugine ſeu flore æris toſto: eſt enim ſiccum vt æs, & vt illius flos, & demum quia toſtus. Noſtro autem tempore ſolent ſanari ferro & igne, & eſt compendioſior via. Præciduntur etiam labia ligno oliuæ illito chalcanthi oleo. Alias incidere nouacula ſufficit, vt tempore excidant. In vniuerſum melius eſt vt à naturâ fiat ſeparatio, vel vt præcidantur integrè, & ſanguis copioſus fluat, pòſt vrantur. Sed iam ad ſymptomata veniamus, vt ſunt dolor, vocis læſio propter materiam deſcendentem ad laryngem aut muſculos, vnde laxati vitiant vocem: quod vitium eſt frequens in his qui immodicè partes eas exercent, concionatoribus, venatoribus, cantoribus, tubicinibus. Fœditas linguæ, ex quâ ſaporum corruptio, & ciborum inappetentia ſequitur. Sed hæc facilè & mirum in modum eluitur omphacio cum aqua, & ſi voluptatem quærimus, additur Iulebum. Si tamen pulmone aut iecore vitiato altiùs inſederit vitium, eluetur quidem hoc præſidio, & rubea euadit, ſed confeſtim rubor is in puniceum fuſcum vertitur, vt ſit non ſolùm ſymptoma, ſed etiam ſignum diſtinguens & admonens nos de morbi magnitudine. Eſt etiam fœtor ſpiritus, ſed & is collutionibus odoratis & refrigerantibus tollitur, vt roſis, ſantalis, myrtis. Maximum autem eſt glandularum tumor, & angina. Quapropter de ea mox dicendum eſt. Anginam igitur curat Hippocrates in *libro de Victis in acutis*, poſt venæ ſectionem in brachio, & ſub linguâ, (vt moris eſt, ſed hoc non in principio) eclegmatibus, gargariſmis, ratione capitis, cerato inde [fortè legendum *eidem*] ſuperpoſito, tum etiam collo ſpongiis fouēdo. Cibus & potus ſit mulſa nō frigida: Gargariſmi eiuſmodi deſcriptio habetur, *ſecundo de Morbis*. Sed vbi iam materia defluxerit, origanum, ſatureiam, mentham, apium in mulsâ dilutiori coquit, addito nitri & aceti modico. Addit & ſuffumigium. Quilibet poteſt videre quæ ſcripſimus in illa: nam pituitoſæ anginæ curā docet *paulo poſt* ex aduerſo bilioſæ. At verò in *tertio eiuſdem* meminit veræ atque nothæ anginæ, curámque refert.

Sed quia non anginam curare docemus, neque etiam notham, verùm alium morbum, vt faucium inflammationem, neque illam propositum est curare, sed hunc morbum in hoc viro: hoc enim est prudentis Medici, vt vnius exacto exemplo omnia simul doceat, potiùs quàm generali curatione omnia quidem comprehendas, sed non exactè: hoc enim imperitis facilius, magisque placet; illud arte excellit, sed iudicium & diligentiam exigit, cæterùm absolutissimum est docendi atque tractandi genus. Ad arteriaca igitur deueniamus. Galenus siquidem *de Compositione medicam. sec. locos*, multa tradidit opportuna, verùm principale quod simplicissimum est, parabile, multiplicisque vsûs, efficacissimum, sine noxâ atque iucundum: hæ enim sunt conditiones optimi medicamenti, si id addideris, vt loco maximè adhæreat. Diacodion vocatum primum quidem illud simplicissimum est, vt quod semine papaueris & melle constet aut sacchаro, nonnisi additâ aquâ. Plures autem describit compositiones, nec satis scio quorsum [MS. *quorum*,] vnam tantùm docuisse artificiosum est, eámque genere optimam, & quomodo infinitis modis variari possit: assumamus ergo eam quæ est Galeni fermè, 3. *de comp. medic. sec. loc. cap. 25. & 9.* ℞. Capitum papaueris agrestis semen nigrum ferentis, antequàm maturescat, sed dum rubrum est, & tum decerptorum viridium ℔. ij. (hoc enim melius est definire, in quo parùm Pharmacopolæ possint aberrare, quàm dum volumus minima commoda sequi, & rem adamussim patienti congruam efficere, licentiam magnam aberrandi permittere imperitis artificibus.) Aquæ pluuiæ ℔. xij. si dilutius, xiv. si efficacius, x. iam habemus medium atque extrema? eadémque ratio siccorum iam, sed tamen nondum maturorum, tametsi enim leuiora sint, & ob id aqua illa minor iuxta molem videatur, memineris tamen tanto etiam esse imbecilliora, vt etiam pauciore indigeant aquâ. Quòd si pluuia desit, non valde aberrabis si fontanam eligas. Suadeo autem vt capita viridia, v. dixi, sint, aut humidiore loco asseruata, nec omnino vltra mensem Maij sequentis anni cùm iam oriri noua cœperint. Integra per diem totam quâ Sol orbem circuit, maceranda sunt. Sed si sicca sint aliquantisper, id est, vt dicunt, passa per duo dies, si magis sicca, per tres; at si planè, vt strepitum edant, etiam ad quintam vsque diem macerabis. Inde coques vehementi igne, nam vires minùs transfundunt, magisque flaccescunt donec mollia prorsus euadant & tumida: hæc abiectâ aquâ omni collige, & exprime vehementer, succúmque totum illum habeto, cui dimidium mellis Græci aut Hispani, pôderis succi addiicito, aut tantundem sacchari, quantum est succus: sed vtrumque priùs purgatum optimè oui candido. Itaque tamdiu coquito, vt si mel sit, consistat vngui impositum, Eclegmáque si dulce ac suaue: si saccharum, donec âbsumpto succo in solidam substantiam refrigeratum coëat: tale autem, quantò imbecillius liquido ex melle medicamento, tanto est elegantius atque suauius, vt commodiùs gutturi inhæreat, atque hoc simplicissimum, vt dixi; vides in tam paruâ re ac simplici, quot modis aberrent nostri cum Medicis ipsis Seplasiarij. Primùm album, non nigrum, omnes metuentes, quòd ex nigro papauere opium fiat, venenum eligunt; & in matura capita, non acerba; inde sicca, non humida? nec quærunt vbi nata sint, nam quæ in vallibus & lacustribus palustribúsque locis oriuntur, crassum emittunt crudumque succum, minimè vtilem, grauem, noxium, atque inefficacem: cultis locis autem & in montibus ipsis, quod optimum est papauer, Boréæ magis expositum, quàm Soli eligi debet. Familiaria sunt huic compositioni quinque radix dulcis, sertula Campana seu melilotum, acacia, rhois succus & crocus: quæ quando & quomodo, & cuius causâ, & quantum ex his addi debeat nunc referre tempestiuum erit. Verùm vt hoc ex ordine efficere liceat, primùm colligamus arteriacarum medicinam, quæ in ore contineri solent faucium & gutturis causâ, intentiones singulas. Quid enim simplicissimum sit, iam edocui, efficacissimum, vt quod ex veneni quasi genere sit, talia enim omnia sunt eâ [MS. *qua*] parte quâ nocere solent, si accommodata sint, etiam validissima: maximé quoque parabile, & iucundum, & quod optimè hæreat, dubitare non possumus, sed & quòd noxium non sit, docere niterer ratione, nisi ipsa experientia id comprobaret, adeò vt omnis probatio potiùs dubitationem afferre videretur, quàm auferre siqua esset. Dubium enim hoc esse non potest, cùm quotidie eo, & assiduè, & maximâ in quantitate vtamur, nec quisquam læsus, ne vel minimum, vel per vmbram, vt ita dicam, fuisse deprehensus sit. Quæ ergo, & cuius gratiâ arteriacæ compositiones effectæ sint atque inuentæ, hæ sunt causæ. Primum & principale, vt quod à capite descendit, & maximè acris pituita inhibeatur, quod & frequentissimum est ob lapsus cerebri, & ob situm difficillimum. Secundum, quod vt rarius contingit, tanto periculosius est, & frequenter contingit cùm ex pulmonis affectibus, fauces, gargareon, columella, larynx, & gula adeò afficiuntur, aut vnum eorum, vt vox intercipiatur, aut glutiendi cibum facultas. Tertium est cùm abscessus in his partibus contingit, eò periculosior præcedente, quò rarior. Inde etiam vlcus hoc, vt est etiam minùs frequens abscessu generaliter, in pestilentiâ tamen & Indico morbo huius ætatis, adeò frequens est, vt dici possit familiare.

Quæ autem his, tum cæteris morbis oris ac faucium conueniunt, arteriaca appellantur seu eclegmata, quæ retenta diu sub linguâ, partes eas commodè illinire possunt. Ea ergo omnia, aut adstringentia esse debent: vt materiam eò descendentem prohibeant, & quæ descenderit cogant, ne vel vlterius descendere possit, aut etiam delata crodere: quod Galenum 7. *de compos. medic.*

medic. sec. loc cap. 1. prætermisisse omnino, in enumerandis vtilitatibus huiusmodi medicamentorum, quod primum esse debuerat, abundè mirum est Secundum vt quod iam affluxerit detergant. Tertium vt humectent musculos ac emollianr, [MS. *vt hic mectet masculum ac immolliat,*] tum verò ficciores gutturis partes. Quartum vt sedent dolores qui adsunt. Quintum, vt obtundant acrium ichorum descensum. Vltimum vt siccent vlcera, si quæ sunt. Quod si his accidat vt somnum concilient, optimum & hoc erit: quanquam non verum sit, somnum effluxiones cohibere, nam in his quæ à capite in gulam aut pulmones deferuntur, tametsi minus descendat per somnum quàm per vigiliam in os, quia tamen neque expui materia potest neque exscreari, plus ad ventriculum & pulmones defertur somni tempore pituitæ, quàm per vigiliam. Itaque hoc medicamentum & obtundit quidem sensum, & acredinem humoris, & cohibet descensum, & somnum conciliat & humectat guttur, & dolores sedat, ratione assumpti papaueris nigri succi acerbi in omnibus his potẽtissimi. At quòd detergat siccétque vlcera si qua sint, mellis, aut sacchari beneficio facit, atque id validè, nec id dubium esse debet. Habemus igitur multiplicem illius simplicis vsum: sed si addatur succus radicis dulcis, dum illa incoquimus; mirum in modum musculos illos distentos laxabit, siccatos molliet, leniétque asperam arteriam: cùm enim hoc munus sit dulcium omnium, præcipuè tamen succi radicis illius nec est vt rationem huius reddam, ne nimis prolixus fuero, nec vt authoritate confirmem, cùm omnium authoritate clarius in hoc sit experimentum, tum efficaciâ, tum claritate iuuandi. At rhus & acacia vehementer adstringunt, & prohibent descensum humoris noxij vndecunque fluat, atque ob id omnia hæc ab initio vtilissima, conferúntque ventriculo, siquid ex descensu medicamenti in ipsum fluentis detrimenti acceperit. Sertula autem Campana, vt ait Dioscorides *lib. 3. cap.* 43. Galenúsque, concoquit inflammationes, ventriculóque confert, quare postquam inflammatio seu in musculis, seu in faucibus facta fuerit, miro erit auxilio. Crocus autem voci ac respirationis membris vtilissimus, adstringit, dolores sedat, itaque vndiquaque conuenit, & pro ratione addere oportet, si quid postulet; vbi pulmo laborauerit, croco vtemur; si ventriculus, etiam rhoë. Porrò radicem dulcem, & sertulam Campanam ab initio cum capitibus ipsis, & maiore quantitate quàm rhus aut acaciam incoquere oportet; hæc autem ipsa cùm succus ipse cum melle vel saccaro coquitur: Crocus, dum iam coctũ est, dum enim coquitur medicamentum, siquis iniicere præoeupet, vires omnes amittet. Rhus etiam & acaciam pondere drachmarum duarum adiicere sufficiet: aliter & suauitatem & vsum medicamenti ipsius corrũpent. Habes itaque examẽ Diacodij, sic enim appellatur medicamentum. Cæterùm interim vtemur dulcibus cibis & fauces lenientibus, ptisanâ, sapâ, butyro, lacte, amylo, ouis sorbilibus vt dicunt, vuis passis, pineæ fructu, sesamo etiam & saccharo, atque huiusmodi, qualia ex oleribus malua decocta cum putri modico, & ex oleis, dulci amygdalino; ex odoratis croco. Quòd si vox omnino lædatur, incredibile est quantum vtilitatis, balneum dulcis aquæ afferat. Quinimò & illud affert cómodi admirabile, vt distentioni atque conuulsioni, siqua ex dolore dentis accideret, mirum in modum resistat, adeò vt pro miraculo referre libeat, quod Paulus *lib. 6. c. 66.* scriptum reliquit: in his qui castrantur tot incisionibus, tótque aliis ex igne tormentis, cùm aliàs sanguinem mittere negligeret, quendam mirum artificem ad septimam vsque diem ex vulnere recenti, quod mirum est, quinquies singulis diebus in balneum tepidum commissos seruâsse incolumes à distentione, atque ideò à vitæ periculo, siquidem tales non aliter pereunt: vt etiam aliis in vulneribus, non solum videatur esse auxilium, sed efficacimum ad arcendam quamcumque conuulsionem distentionémve, nam vtrumque accidere solet, sed tamen magis distentio. Sed ad rem redeo. Per incrementa omissis, vt dixi, aliis communibus auxiliis, (nam Hippocrates cucurbitus etiam maximè confidit,) si abscessus fiat, concoquentibus magis vtemur; omnino autem solis, cùm [MS. *soli eum*] ad statum peruenit. Nimis autem longum esset, si singula enumerare velim: hoc vnum medicamentum adductum pro exemplo sit, reliqua tute [MS. *tutò*] inuenies, concoquentia cómmunia scrutando [MS. *scrutantur*] namque butyrum & althæa concoquunt, & in eclegmare, & in emplastro exteriùs adhibita: & Crocus etiam vtrobique admisceri potest, quòd facilem admodum efficiat spiritum, & prauitatem aliorum medicamentorum, siqua sit, tollat. Vbi igitur dolorem sedare oporteat, plurimùm conferunt acopa, & ego præstantissima enumerabo: Sapa tepida, lac, oleum rosaceum, decoctum ficuum, ficus ipsæ sub dente positæ, millefolij decoctum: ex calidioribus piper, pyrethrum. Ego tamen non tutò contineri sub dentibus posse crediderim, quæ calida sunt vehementer, quoniam materiam trahunt ad se: eo deteriora sunt quæ non euacuant pituitam, vt aqua separationis; vt enim præstantissimum est auxilium suo tempore adhibita; ita ab initio aliquando multùm nocet, si materia multa fluxerit. Deteriora sunt quæ totum os occupant, velut aqua ardens, vinum cum pipere decoctum, atque huiusmodi: qualis etiam est staphis agria. Meliora ergo sunt tepida quæ dixi, atque his frigida. Oleum verò lentiscinum etiam melius videtur rosaceo, tantum enim habet caliditatis, quantum sufficit ad mitigandum dolorem: est enim calidum in primo ordine, adstringit autem vehementer, si ritè factum fuerit, scilicet cum sale & in Sole, additis etiam rubi germinibus, cupressi quoque fructu: sed hæc magis ad ramices conferunt, nam vt in ore teneatur, iucundum esse debet: ipsum verò per se solum omni malo

malo sapore vacat, & in tertio ordine est adstringentium. Eligere autem oportet mastiche, (ita enim vocant lentisci lachrymam) candidam, recentem, mollem: quæ enim mollis est & candida, recens est, (Chia est omnis hæc, quæ sola non adulteratur, nam modò recentem eligas sufficit.) Oleum verò omphacinum frigidius est, magis adstringit, & si minus suaue dicas, non tamen amarum est, quoniam mastiche subdulcis est, licebit ei mel addere aut saccharum, sed omnino exigua est amaritudo. Itaque huiusmodi oleum præstantissimum esse video, non solùm ad dolorem sedandum, sed ad confirmandum dentem, & ad arcendam materiam ne amplius fluat. Si hæc non profuerint, ad aquam frigidam confugere decet, eámque assiduè permutare, donec dolor cessauerit. Quæ autem stuporem inducunt, in dolore dentium nunquam probauerim, nam stupidos in mandendo postmodum efficiunt, quod malum exitiale est, vitamque magis breuiat, quàm si dentes ipsi omnino excidant; atque eo malo interiisse maternam auiam meam, ab ipsâ matre sæpius audiui. Quæ igitur dolores dentium tollunt, omissis his quæ stuporem inducunt, causam morbi respiciunt, vt piper, pyrethrum, staphis agria, sed hæc non ab initio tuta [MS. *tota*;] alia intemperiem æquant, atque hæc semper conueniunt; alia acopa sunt.

Primùm igitur est cucurbitæ succus quem non solùm referunt dolorem dentium leuare, sed etiam illos confirmare: author est Plinius Secundus *lib.* 4. *cap.* 6. (hic sanè non is est, qui naturalem historiam scripsit, quippe constat Galeno posteriorem esse, cùm eius faciat mentionem *cap.* 9.) Sed & multi alij. Id verò contingit contrarietate substantiæ seu proprietate; verùm de hoc inferiùs dicam. Occurrunt autem plurima, neque enim plura in vllâ curâ laudata, neque pauciora probata. Inter reliqua tamen referunt Chelidonium multum prodesse. Malua est ex facilè parabilibus. Et quandoque adhibemus ob vehementiam doloris, glaciem super dentem: & quæ stupefaciunt, si modò sunt apponenda, vni denti dolenti sunt applicanda. Præstantissima sunt hyoscyamus, semen & radix, & opium.

De lenientibus aluum. ℞. Succi cassiæ Orientalis pinguis ʒiiij. Pulueris fumariæ, scilicet foliorum & seminis ʒß. cum saccharo, fiat bolus. Capiat ante cœnam per mediam horam, inde comedat ferculum ex pane cocto cum saccharo & iure, & in fine modicum pyri vel cotonei cocti. Inde sequentibus diebus præparetur materia hoc modo. ℞. Oxymelitis scillit. ℥iij. Syrupi de betonicâ. ʒv. Syrupi rosacei. ℥j. Aquæ decoctionis oxalidis, lupi salictarij, fumiterræ, betonicæ, & modici rutæ. ℥iij. Misce, & continuetur donec apparuerit hypostasis moderata, & vrina boni coloris: & tunc purgetur cum catapotiis Cocciis Galeni vel Rhasis, dando ʒj. diuisam in tria Catapotia reformata cum succo centaureæ, vel cum aqua vitæ post mediam noctem. Et in die antecedente comedat nonnisi semel panem coctum in iure pulli in manè; Vesperi autem bibat ℥viij. iuris pulli.

Præparantia autem singulis materiebus conueniunt ratione materiæ, vt biliosæ frigida & humida, melancholicæ calida & humida, pituitosæ calida & sicca: vel ratione substantiæ, vt crassæ attenuantia, lentæ dissecantia: vel ratione qualitatis annexæ, vt si putrida sit, cum his quæ putredini resistunt, vt in febribus: vel ratione loci, nam si plurimum materia distat, indiget tenuibus, & his quæ longius deducunt, & habent tenuem caliditatem: procul distant, quæ, vt aliàs dixi, in vesica, vtero, capite, pulmone, articulis. Vel ratione membri, vt quæ in iecore, confirmantia exposcunt iecur, cum materiam præparantibus, vt serim & absinthium. Vel ratione temporis morbi, nam validiora concoquentia debentur, quanto magis morbus processerit, Medico naturam imitante; natura enim magis concoquit in vna die prope statum, quàm quatuor in medio augmenti. Accipiemus ergo Syrupi de stœchade, Mellis rosacei, Syrupi acetosi, an. ʒvj. cum ℥iij. aquæ decoctionis infrà scriptæ: Betonicæ, lupulorum, fumiterræ, oxylapathi, vuæ passæ, florum nymphææ albæ, an. partem vnam. Cardamomi maioris, partem quartam, florum rorismarini & saluiæ, an. partem octauam: addantur hæc in fine, ex arte coletur.

Et ideò purgabimus ægrum præparata materia, cum agarico optime stylo comminuto, ne [MS. *non*] ligni aliquid decidat, & cum mastiche: sic enim omnes humores purgat, & sine detrimento vllo iuuat. Et mel additur non solùm ad suauitatem, sed ad operationem adaugendam. Hoc vnicum est remedium in omni materiâ, & innoxium. Quantitas à drachmæ dimidio ad sesquidrachmam. Priùs autem corpus & humores præparabimus, cum Oxymelite præcipuè, tum quandoque cum iuribus gallorum, vt in melancholia, purgat totum, & præcipuè caput & neruos, & iuncturas seu articulos, & ventriculum, & iecur, & pulmones, resistit venenis, & putrida educit, & ruptis confert. Verùm non inde est hominem mederi, & hunc hominem: nam non obscurum est vix ex centum libris agarici, vnciam vnam inueniri boni, quod ego expertus sum, dum pro me ipso quærerem, somnio quodam per agnata me docente: quamobrem desperans omnino bonum inuenire posse, ab illius vsu prorsus abstinui. Vitium hoc ex Veneta Republ. ortum habet, quæ cum alioquin omnibus commodis humanis ac virtutibus faueat, in tam exiguo lucello, tanto humani generis detrimento conniuet, siquidem à seplasiariis dealbatur extrinsecus, vt nigrum pro albo væneat [MS. *veniat*.] Rara auis certè, sed quæ si non possit vlla arte haberi, conandum tamen vt à mercatoribus, antequam seplasiarij in manus perueniat, ematur. Sunt autem certa rerum indicia ex locis, & temporibus, & origine, quæ noscere oportet, velut optimum Sarmaticum, quod in cedro vel larice oritur, fœmineum, oblongum scilicet, venis rectis, gustu dulce, leuissimum,

ſimum, candidiſſimum, friabile admodum, quod in farinam tenuiſſimam ſolo contactu diſſoluitur, ligni expers: ex temporibus autem [MS. *aut*] nouum, ſed quod in arbore perfectum ſit. Sed & tempore anni adeò mutantur medicamenta, vt ruta Maio menſe pro medicamento venenum euadat, conceptis quibuſdam inter folia vermiculis, qui ab his & telâ quadam aranearum ſimili integuntur, obliquatis tamen foliis, à quo malo etiamſi ſequentibus menſibus liberetur, ad vſum tamen cibi vel medicamenti interiùs ſumendi, inutilis redditur, arida abominanda, flaua venenoſa. Sic & abſinthium Iunio menſe muſcas quaſdam concipit, poſt quod tempus omnino inutile cibis redditur, horribile, inſuaue, venenoſum, & quod in eo ſummum bonum eſſe deberet, ſcilicet vt ventriculum confirmaret, atque foueret, tantum abeſt vt alterutrum efficiat, vt ipſum omnino euertat atque ſubuertat, abominationem cibi pariens, & viſcera exurens, præcipuè iecur, ingratum etiam viſu. Et ſcias quòd ſectio venæ minùs turbat corpus, & minùs mouet humores, ſed magis debilitat hominē, & ipſum ſeneſcere facit. Purgatio verò magis conturbat, ſed parum aut nihil debilitat. In euacuatione autem primùm totum corpus purgare oportet, inde partem, vt in hoc caſu caput, demum particulam ipſam. Et in his quæ omnino præter naturam ſunt, velut aquâ, vermibus, lapide, ſtatim. In his autem factâ præparatione, vbi febris adſit etiam, coctione.

Quod ad electionem autem medicamentorum, ea diuiditur in ſex genera, ſpeciei, partis, regionis, temporis, conditionis, atque præparationis. Speciei, vt hellebori ferentis rubrum florem, non album aut viridem, & nigram habentis radicem non albam, nam melior eſt & mitior tamen. Partis autem quòd hellebori radicem ſumimus, Cucumeris anguini aut ſuccum aut radicem, roſarum flores, thlaſpi ſemen, mercurialis folia, prunorum functus. Regionis: plantæ quarum vſui eſt radix, & quæ purgant, & quæ ſunt odoratæ omnes debent eligi ex Oriente, locis calidis, montibus, & locis perflatis. Contrà mutilæ quæ carent ſemine floréve, vt capillus Veneris, lichen, in vmbrâ & locis humidis. Et generaliter iſtud obſeruare oportet, vt locus ille eligatur, in quo maximè prouenire huiuſmodi plantam affirmat Dioſcorides; velut nardum in montibus, & locis aſperis; tuſſilaginem in ripis amænis iuxta aquas; thymum locis ſterilibus & ſaxoſis; helxinen in muris & ruderibus quibus gaudet, eligemus; in riuulis fontium ſium & ſiſymbrium; in campis anthemidem, papauer cornutum; trifolium in pratis; lactucam hortenſem, & ſi in cibis vti opus ſit, ſolanum, apium, & rutam ſimiliter hortenſem. Temporis autem, vt ſemina & fructûs cùm maturuerint; & flores & folia mediâ ærate; radices ſub fine autumni. Quæcunque odoratiores ſunt & calidæ, alias veris initio, quaſdam proximè ante nouilunium, alias ante plenilunium ipsâ die, ſereno tempore & puro. Conditionis verò vt hellebori radix quòd ſit carnoſa, plena, medullâ fermè nullâ, ſaporis valde acris, nec præter eam & elaterium vis inſignis vli radici, aut parti herbæ poſt ſecundum annum; ſed ſolum præſtat eodem anno collecta. Seruantur pleræque locis frigidis, ſiccis, puris perflatis, & pleraque in milio. De præparatione autem ſuo loco dicetur, dum de purgantibus medicamentis agemus. Quantitas in his quæ leniunt aut purgant, modò non ſint nimis acuta, plenior eſſe debet, quoniam plus euacuant, faciliùs & minore noxâ, quoniam præëunt materiam quam educunt, & ante illam exeunt, vt helleborus & colocynthis. At non ſic de ſcammonéa propter acumen, nec de his quæ ad mutandam temperiem ſumuntur: ea enim æqualia eſſe debent morbo, & ſi aberrandum ſit, melius eſt infrà ſubſiſtere, quàm vel minimum excedere.

Obſeruandum autem eſt in omnibus diligenter, ne quidquā erres: plus enim damni affert minimus error, quàm vtilitatis egregia curatio; minimè autem id accidit, primùm cùm præſentia auxilia futuro tempori obſunt: velut in ramicibus inteſtinorum, dum inteſtino retinere cupiunt ne deſcendant, durum puluinar ſuperligant latúmque, ne inteſtinum aliquâ parte labi poſſit in ſcrotum, atque id tum impetrant, ſed compreſſo peritonæi ſacculo, quo teſtes & vaſa ſeminaria & Erythroides continentur, ſacculus neceſſariò extenditur in latum ac longum, vnde faciliùs inteſtina deſcendunt, vbi vel minimùm ſine vinculo fueris teſticuli quoque laxantur, & vaſa ſeminaria, vnde ex Enterocele ſarcocele poſtmodum aut hydrocele gignitur, maioréque curâ indigemus, maioréque compreſſione, & latiore puluino, ita res indies deterior fit. Quamobrem non lato, ſed profundo ac rotundo, aptóque [MS. *actóque*] puluino indigemus, etenim id ſufficit, cùm diuiſo per latum ſacculo etiam, vel lineam tantùm inteſtinum deſcendere non poſſit, quoniam dimidum ſpatij non ſufficit ad recipiendum inteſtinum, multo minùs ſi id tranſuerſim fiat anguſto ſepto & tenui, & ſi ſub vinculo, Ceratum ex pelle arretinâ optimè confectum, ſummâque induſtriâ denſatum ſuperponatur: eiuſmodi enim quæ vi non duritie retinent, & morbo & cauſæ morbi opitulantur, nihîlque præterea prorſus obſunt: & Ceratum quidem perpetuò die noctúque: vinculum verò interdiu quidem ſemper deferre oportet, ac tamdiu vt inteſtina (ita dixerim) dediſcant iter illud atque deſcenſum; Caligis etiam vti oportet quæ ſurſum retrahant ſcrotum, tangántque imum oſſis pubis; quinimò & ſi femoralibus lineis, vt olim, quis vtatur, haud [MS. *aut*] abſurdum erit. Eâdem ratione & loco caſtrationis, quæ adeò violenta res eſt, vt noſtrâ ætate vix vnus aut alter ex viginti adultis ſeruetur, quoniā qui conſuunt, antequam præcidant, conuulſioni ſeu diſtentioni potiùs,

tiùs illos obiiciunt, ex quâ moriuntur: qui vinciunt, adeò decurtant sacculum, vt vix consolidari possit, & consolidatus magno incómodo intestina retineat, quippe oporteret vt illius imum ad os pubis vsque molliter descenderet; itaque cum tot tormentis nec intento potiri licet, aut vix: quamobrem & diuisione transuersâ, aut per lonhum, vel candenti igne, vel medicamento vocato capitello opus esset, vt contracto ignis vi sacculo, & denuò restauratâ carne, angustus fieret meatus. Adeò verò vel hæc consolidatio succedere potest, aut non omnino, & mult minùs quæ fit præciso sacculo & teste: nam hic & pars aufertur membri seminarij, nec labia oris mutuò se re p ciunt, & omnino restaurationem nerueæ cuiusdam substantiæ fieri oportet: at in diuisione quam diximus, nihil perit ex sacculo, labia labiis opponuntur è regione, & restauratio è carne fieri potest. Quapropter non solùm tutissima & nullo pæne cum dolore fit, sed etiam aptior est ad finem consequendum, vitæque commodior. Quare vt dixi in dentium curatione, quoniam morbus nullus magis est recidiuus, obseruare diligenter oportet, ne omnino in aliquo delinquas neque alios præsertim ministros delinquere finas, nec vt remedia præsentia futuro tempori, loco teli [MS. telli] aut veneni habeantur. Pluribus enim modis peccatur: Primùm errore instituentis curam, cùm minima pars eorum quæ ignoramus, sit illa quam scimus: deinde auaritiâ artificum, maximè huius generis, scilicet Medicorum ocularium, dentium, herniæ, & eorum qui lapides vesicæ extrahunt, qui vel drachmâ vnâ hominem interficerent; assueti enim crudelibus officiis, & omnino imperiti, nihil habent pensi præter pecunias. Admittunt etiam plurimos errores, tum ob imperitiam, tum negligentiam; quibus accedunt & fortuiti errores, & rarò materia delecta adest. Deest quoque iudicium, vt pro singulari peritiâ, quæ vnicuique conueniunt, aptare possint: &

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui,

Ea autem in quibus Medici ipsi per se, apertè & turpiter peccare soleant, nunc subiiciã. Dare vinum in fine febrium, & maximè post cibum, tum quia membra sunt excalefacta & siccata, & ideò inflammantur, vt palea in clibano. Secundò quia tales habent caput maximè imbecille, vinum autem deducit materias ad caput, vnde facilè incidunt in doloré, delirium, & conuulsionem: & moriuntur.

Secundum est dare aquas thermarum, aut ligni decoctum, pro intemperie iecoris amouendâ; nam incidunt in hydropem, & moriuntur.

Tertium est cùm in defluxione à capite vtuntur stillâ, & oculi vel dentes sunt imbecilles; & incidunt in morbos oculorum, aut amittunt dentes.

Quartum est, cùm conantur curare omnes morbos quibusdam certis medicamentis, velut vino ex scobe chalybis: nam fieri non potest vt æqualiter conueniant, & ita vel deducuntur ad pericula, vel transmutantur in alios morbos, vel omnino non curantur ad vnguem. Ita dico de Electuario ex scobe chalybis theriacâ, & similibus.

Quintum est cùm vtuntur balneo, non exquisitissimè purgato corpore, & maximè in senibus febrientibus, vnde incidunt in scirrhum visceris, & moriuntur.

Sextum est cùm in morbis ventriculi exhibent medicamenta valida, & trahunt ad locum; & vinum, putantes calefacere ventriculum, & siccant, nec calefaciunt.

Septimum est cùm in magnâ plenitudine multorum humorum mittimus sanguinem, aut euacuamus potenti medicamento; cùm hi etiam, teste Hippocrate, ad magnam imbecillitaté deducantur, nec finitur cacochymia, sed vires debilitantur interim.

Hæc sunt quæ habent speciem recti, & tamen Medici decipiuntur, nam in aliis quæ numerum non habent, contingit ex imperitiâ stupidâ, vel ambitione.

Exteriùs autem primùm reuulsione vtendum est: ea namque tantum potest, vt collisis diu capitulis musculorum brachij eiusdem lateris, vbi carpo iungitur, repentè gulæ huiusmodi dolores, & fauciũ glandularum abscedunt, æg érque prorsus liberatur. Similiter & cucurbitulæ super nates & inter femora, multùm alleuiant caput. Quocirca quæsitum est iure merito in morbis grauibus capitis, comitiali, destillatione, dolore vehementi, ac huiusmodi, an fontes magis conueniant sub poplite, an sub humero? Et mihi videtur quòd si sint per consensum membrorum inferiorum, reuulsio à poplite melior sit: sin ipsius cerebri vitio, sub humero. Deriuatio autem solâ fit sectione venæ, aut ad summum hirudinibus, vel cucurbitulis incisis, quoniam ex venis materiam influentem educere oportet. Hoc ergo in casu reuulsionibus potiùs opus erit, maximè, vt dixi, iuxta musculos brachij ex inferiore parte, quoniam secundùm rectum sunt, & longissimè deducunt ex parte propinquissimâ: hoc enim optimum, nam crura etsi longiùs distent, minùs tamen reuellunt, quia non propiùs deducuntur, sed multis intermediis. Ita reuellemus quæ à renibus, & vesicâ, vtero, coxâ, & testiculis ad pedem; quoniam vt dixi, tres illas conditiones obseruare oportet, eiusmodíque reuulsio facillima est, celerrima [MS. *celeberrima*,] & vtilissima. Sed neque reuulsio bona est solùm in initiis morborum, sed toto etiam tempore vsque ad declinationem. Optima enim est curatio partium, quæ fit deducendo hinc inde excrementa, & sanguinem cucurbitulis, hæmorrhoidibus, frictionibus auocando, non semper quidem, ne coctio imbecillior reddatur, sed in plenis corporibus, aut qui vitiosos habent succos, aut [MS. *an.*] qui copiosiore vtuntur cibo, aut exercent se. In eodem genere sunt clysteria; sed quia morbus est leuis, à maioribus auxiliis est abstinendũ, nam Clysteria debilitant iecur, quia tollunt eius alimentum. Lotiones extremarum partium sunt valde vtiles, cùm humectent corpus, præter id quòd humores & vapores auocant. Deriuantia quoque ad propinquam partem, velut Errhina conferunt,

runt, & per suturas, vbi morbus esset magnus per emplastra ex sinapi, stercore columbino, sapa, & ficubus, nam hoc est vtile. Quod enim dicit Trallianus minimè obstat, quia non cerebrum incalescit, sed pars exterior, quia materia contrahitur, & fit duplex auersio ab inferiore parte ad superiorem, & ab intus extrà; & ita pars interior refrigeratur ex casu, sicut ex contactu niuis pars interior incalescit. Tertius modus est adstringendo partem ne mittat, velut cum emplastro ex santalis, galla, fructu cupressi, acacia, sanguine draconis, spina alba, corticibus [MS.] *radicibus*] mali punici, spuma argenti, bolo Armena vulgari, & huiusmodi cum aceto. Quartus cum his quæ cohibent vapores à ventriculo, qui etsi non adiuuent multùm causam propriam, vt dictum est suprà; nocent tamen multis modis. Ergo in hoc auxiliabimur, à cibo dando pyra vel cotonea cocta, berberes, & corna condita, atque Trageam Francisci de Pedemontibus, vbi materia non sit calida. Ea verò quæ concoquunt, teste Galeno *tertio de simpl. medicam cap.*17. obscurè, vbi docet, quòd adstringentia modicè, plurimùm autem tenuia & tepida, vt non digerant, adiuuant ad coctionem, velut oleum rosaceum. Et *in quinto, cap.6.* clarius, vbi agit de concoquentibus vtroque modo. At nunc propositum est non solùm concoquere, sed resoluere si fieri potest, ac digerere, scilicet quòd naturalem concoctionem adiuuat calor omnino similis naturali, & ideò dabat exemplum de pueris ventriculo applicitis & catulo. Sed si suppurare omnino propositum sit, adstrictio maneat eadem, vt calor corrigatur. Calor autem paulò augetur, vnde *inferius* ponit aquam temperatam, hydrelæum, oleum contemperatum, & *cap.9.* ponitur ex hydrelæo farina triticea, & panis ipse modice coctus: nam farina calida est & humida, vti adeps suillus & vitulinus, & magis gallinaceus, & anserinus, nam hæc propriè ad suppurationem iuuant. Quòd si siccis vti præstet, in duobus casibus id agere oportet, nam erit vel cùm materiam duram frigore congelatam emollire propositum est, aut cùm digerere atque resoluere, vt manifestum sit in neutra concoctione propriè nunquam opus esse exsiccantibus, sed semper, vt dixi, humectantibus naturalibus, calefacientibus aliquo plus, sed tenuibus & modicè adstringentibus. Ergo quænam sint iam dictum est. Solùm distinguere oportet, an tendat ad resolutionem; id fit manente calore, duritie paulò diminuta, magnitudine euidenter imminuta. Contra si albescit, incalescit, molle fit, magnitudo manet aut augetur, ad suppurationem tendit. Est & auxilium quod habetur *6.part.6.Epid.* his verbis: *Quibus in dolore dentium tenuia à naribus promanant, his postridie à pipere bene adaptato crassiora profluunt, nisi alia præualuerint; Hegesippo enim somniferum medicamentum ex eo non præualuit, sed dolorem magis ac vehementer adsciuit.* Quod ad expositionem secundæ partis dictum est loco suo *in Commentariis*, nunc solùm restat vt dicamus de morbi auxilio: materia quæ influit ad dentes & gingiuas, cùm tenuis fuerit, crassa retinetur; & in eo casu piper multùm iuuat educendo crassiora. Quomodo autem ritè adaptetur, non dicit. Etenim poterit adaptari dentibus & naribus; cùm enim dixit, *tenuia à naribus profluunt*, videtur innuere vt piper adaptetur naribus; sed si sic, non aliud eueniet quàm vt sternutamentum prouocetur, nec profluent crassiora, verùm vt prius tenuia, & fortassis tenuiora quàm prius, confertque in attracta materia. Melius est ergo vt intelligamus quod in continuo vsu est, scilicet vt grana piperis super dente dolente, aut sub eo contineantur, hoc enim primum dolorem maximè sedat, vt siquid aliud; deinde calefaciendo cerebrum, calefacit materiā crudam quæ in eo continetur, & eam educit colliquatā, vt antea tenuis profluebat.

Meminit Hippocrates *in primo De morbis mulierum*, Piperis Indici, sed sub alio significato, nempe medicamento oculario: at Piperis, vt simplex est medicamentum, plura sunt genera. Primum est Orientale quod in vsu est, & antiquis omnibus cognitum. Secundum est piper anthropophagorum, quod in corniculis oritur, nigrum, acerrimum, sed substantiam habet melli sed acri similem; sunt qui existiment & probè, esse cardamomum [MS. *propè est cardamomo*] Serapionis. Et rursus est piper Indicum Occidentale, minus Orientali acre, & vt ita dicam insipidum præter acredinem. Est etiam piper quod in lobis habetur, seu siliquastrum. Rursus fructum thæmelææ & chamelææ, quidam vocant piper montanum, sed est maleficum, quamuis acre sit. Est etiam piper aquaticum, quod quidam putant esse genus persicariæ foliis subnigris, similibus fermè foliis persici; quamuis Dioscorides menthæ dicat, valde acribus. Mirum verò videtur, quòd cum siliquastrum non minus acre sit, imò magis quàm piper, eiúsque magna copia paruo comparari possit, cur non illo vtantur. An quia non odoratum, vel non densum? Est enim semen herbæ, Piper autem arboris hederæ similis; ob id forsan non eandem eius mistum retinet vim, vel quia noxium esse existiment, certè ad medicamenta efficax erit. Sed vtamur rotundo pipere, quod alterius est generis quàm longum, decipiturque in eo Galenus. Eligere oportet acre, nouum, ponderosum, diúque continere sub dente, aut suprà dentem.

Circa hoc notandum est, quòd post huiusmodi purgationem illam, de quâ dictum est suprà, quæ est totius corporis purgatio, debemus purgare caput ipsum, & non per partem eandem; cauendum est enim diligenter, ne materiā ducamus supra membrum læsum: ideò vides Hippocratem, hîc in morbo dentium purgare caput, non per os, sed per nares. Nec solum debemus purgare ipsum caput, vnde fluit meteria, sed si oporteat etiam alia adhibere remedia; veluti emplastra acria & attrahentia ad aliam partem, velut escharotica post aures, & exurentia in humeris, at quæ exsiccant caput ipsum & confirmant, cuiusmodi est hoc, derasis capillis in sutura coronali impone emplast

emplastrnm huiusmodi. ℞. Santalorum rubr. & citrinor. an. ℥.ij. Rosarum, seminis sampsuchi. an. ʒj. Mastichis. ℈. ij. Rutæ siccæ. ℥ ß. Confice cum aceto acerrimo. Iuuat & imponere quandoque cucurbitulas siccas in causâ frigidâ: numerantur enim à Principe inter ea quæ calefaciunt locum. Simili modo & quæ in aurem instillantur. Ita poteris perficere curam capitis, tanquam membri laborantis.

Est autem obseruanda etiam in his quæ à proprietate agunt, actio communis, & causa manifesta, velut in Elephantiasi & nebulâ oculorum, & hebeti visu etiam ob neruos obstructos. Nam communia sunt caro viperæ, & testudinum, & columborum; nam singula horum purgant sanguinem à crassitie, ideò sanare possunt. Rapa autem, & euphorbium, & chelidonia vtroque modo conferunt visui non elephantiasi, vt contrà Alselhaa compositio ex semine citonij Indi, quod est magnitudinis nucis, & est absque cortice, & semen acre vt gingiber, elephantisi non visui. Et rursus quæ proprietate prosunt, secundùm partem vtilem ei generi, vltima sunt; uelut caro viperæ prodest proprietate visui, fella prosunt exteriùs, fella viperarum erunt vltima. Et rursus proprietas etiam in ipsa ratione medendi vtilis est, velut foramen oculi in depressione nebulæ non consolidatur, ideò si non post quatuor aut sex dies eodem foramine cernatur, debemus iterum deprimere illam.

SECTIO V. & VLTIMA.

De curâ speciali huius affectus per Chirurgiam.

PRo curâ verò Chirurgicâ, seu quæ per manuum administrationem fit, cùm ad suppurationem res deuenerit, nec rumpitur, oportet ferro scindere, atque inde purgare ac siccare. Sed quia non perfectè suppurant, non sunt secanda, nisi periculum sit ne intus rumpantur. Solùm ergo bene suppurata, & quæ periculum afferunt ne intus vertantur; aut vt materiâ crudâ eductâ, & auxilio linamentorum quæ calefaciunt, concoctionem licèt ægrè recipiant, ferro tangenda erunt. Atque in his etiam considerare oportet, qualia sint, velut strumæ & elephantiasis, & an versâ vice habitus sit succulentus, & ætas florens, & morbus recens, & nondum perfectus scirrhus. Aliter si seces, cùm antea concoqui non potuerint, refrigerata post sectionem non suppurare poterint, quare in vlcera Ghironia & malefica, & profunda callosaque transibunt. Quæ autem suppurant ex his, vel quoniam materia calida trahitur, vel quia locus est debilis, vt partem, non totum concoquere possit.

Cùm ergo hîc periculum non adsit, ne intus rumpantur, nonnisi perfectò pure rumpi debent. Cognoscitur autem pus bonum mollitie, colore, sedatione doloris, & pruritu suaui. Quòd si strumosa sint, aut scirrhosa, aut elephantica, alia quidem laminâ plumbi tenui, alia communibus calefacientibus & siccantibus, vt totâ aristolochiâ, mollientibus quoque tum humidis tum siccis quæ resoluant adhibere oportet; & venenis præparatis magna vis inest, metallicis quidem exteriùs, interiùs aut exteriùs carnibus viperarum; purgare autem corpus cum educentibus cruda, congelata, terrea, & valde crassa, vti attenuantibus, extenuare victum, exerceri, inungi [MS. *iungi*,] dormire. Loci mutationis ilia & venter, & quæ sustinent emplastra mollia.

Quæ verò ad dentis luxationem pertinent sunt quæ adstringunt, & quæ glutinant, hæc autē emplastica vocantur. Quæ adstringunt, vincula, suturæ, puluinaria; potestate alia frigida, vt galla Illyrica, alia calida, vt chalcantum. Quæ vtrumque præstant, rhus, acacia, (sed ea non habetur,) thus; & de his *quarto de simpl. medicam. c. 5.* & *quinto eiusd. c. 9.* quæ glutinosa sunt: optimū ex his refertur à Galeno, *quinto Methodi, c.* 8. Et sanè temperatum esse debet, & calidum modicè, quod ad interiora curāda applicatur: calidū euidenter, quod ad externa & exanguia, velut in luxatis & costis; frigidum quod ad vasa glutiranda: eiusmodi est tela aranæ cum aceto, & acetum nigrum cum emplasticis per se plurimùm iuuat.

Reliquum esset dicendum de eorum quæ relicta sunt tum symptomatum, tum affectum indiciis & emendatione [MS. *initiis emendatione* ;] sed cùm manifesta sint, & balneis alia, alia iecur, ventriculum, caputque confirmantibus tolli soleant, satis sit attigisse, qualiter emendari debeant: plerumque enim caliditas præter naturam, frigiditas verò calorem extinguens, & siccitas vtrique communis oboritur, ita balneis, leui exercitatione, somno, iucundis, atque his quæ confirmant, tum læsam partem, vt dentem aut gingiuam, tum in quo est vtpote cerebrum tum commune omnium principium, scilicet iecur, & quæ loca eius funguntur vice, veluti ventriculum, emendabuntur.

Atque hæc de curatione minimi morbi. Est autem minimus morbus, tum ratione membri, cuius functio neque est principalis, neque necessaria vitæ, neque nobilis; tum ratione magnitudinis, est enim abscessus paruus; tum ratione essentiæ, & hoc modo non est minimus, nam quilibet abscessos est morbus magnus; vel ratione conditionis, & sic est minimus quia non est durus morbus: ergo maximus erit, scirrhus iecoris confirmatus, nam est in principe particulâ, & principali quoad [MS-*quod*] vitam, intelligendo vitam simpliciter, qualis est in plantis; fundamentum enim totius vitæ, & omnium operationum [. MS. *operantium*] eius, est iecur: & est maximus ratione affectûs & qualitatis eius, scilicet abscessus durus. Si ergo accederet tertiū, quòd esset maximus in magnitudine, esset prorsus insanabilis. Si ergo fit maximus solū ratione mēbri & morbi, adhuc esset difficillimæ sanationis: & ideò vtemur auxiliis maximis, à corroboratione

boratione membri, vt sunt limaces & iecur lupinum; vel à naturâ cibi, vt sunt vuæ passæ; vel à natura medicamenti, & hæc triplex, emollientium, resoluentium, educentium: emolientia, ammoniacum optimum (& meliùs bdelium [MS. *Delium.*] si inueniretur;) ammoniacum enim fit optimum repurgando, terebinthi & lentisci lachrima. Oportet enim tenuem esse caliditatem, & pinguem quæ emollit; talia enim dum calefaciunt mollescunt & odorata sunt, quamobrem & belzoi seu assam odoratam laudarem, & gummi elemi, talia enim sunt, sicut & myrrha. Rursus quæ resoluunt, crocus, cinnamomum nostrum, & sinapis. Quæ verò educunt, iunci odorati flos, spica nardi, chamæpitys marrubium, semen petroselini, semen cucumeris, quod etiam temperat calorem aliorum. Ex his verò quæ & proprietate, & vt medicamenta iuuant, est fel vrsi; ex oleribus radix filicis, & herba seris quæ est species cichorij, & securidaca. Ego autem vterer facili medicamento, hoc modo: ℞. Olei de croco. ℔. j. Ammoniaci purgati ℥. iiij. Misce, donec dissoluantur: & si opus esset celeritate, incoque per tres dies in balneo Mariæ, inde abiectâ omni sorde, & excolato diligentissimè, eius quod relinquitur, capiatur pars crassior quæ in fundo iacet, & quinta pars mastichis; scilicet huiusmodi spissamenti. gr. 50. mastichis gr. 10. vtatur. Exteriùs verò iuuant emollientia, & similiter cucurbitulæ incisæ, sed & hirudines applicatæ valde vltimum est, & maximè cùm scirrhus est in gibbâ, caustica per fusos vel fungos, & est vltimum.

Medicamentum per vnam diem sanans, ad scirrhum lienis, *octauo de medicamentis secund. loc.* ℞. Myrrhæ, mannæ thuris, vtriusque quadrantem, Sinapis Alexandrini, nasturtij, vtriusque sextantem, Aceti scillitici, quod satis est. Sinapi & nasturtium tundito ac cribrato, mannam verò & myrrham dissoluito, eísque arida addito, & simul aceto subacta, ad malagmatis formam reducito, & à secundâ horâ, vsque ad nonam imponito. Postea verò duabus fasciis obligatum in balneum inducimus; atque vbi relaxatus fuerit, in calidæ solium dimittimus, in solio verò longiori temporis spatio moretur, cruribus extra aquam emotis. Ne verò in animi deliquium delabatur, acetum & pulegium odoretur, fascias paulatim dissoluat. Egresso porrò à balneo salsamentum citra panem exhibendum est, & vinum mari mistum: sequenti die eadem offerenda sunt: tertiâ verò gymnasiis vtendum, quæ spiritum acutum reddere valent, atque huiusmodi est cura maximorum morborum.

Reliquorum autem morborun (vt omnes diuturni sub vnâ ratione ac differentiis comprehendantur sunt [MS. *vt sint*] septem modi: aut enim finem habent, velut febres & abscessus molles, præcipuè qui mutantur; alij fine carent, quorum quidam sunt perniciosi, quidam non; quidam possunt sanari absque vitæ periculo, quidam cum vitæ periculo, vt lapis in vesicâ, enterocele, quidam neutro modo, vt carcinoma vteri: quidam etiam istorum semper augentur, vt lapis vesicæ; quidam siquis aberret solùm, vt enterocele; quidam neutro modo, vt nodi in articulis vel vinculis. Et quidam sunt quorum symptoma est perpetuum; quidam quorum symptoma est per circuitum, sed causa est perpetua & euidens, vt enterocele; alij quorum causa est perpetua, sed non euidens, vt comitialis. Et rursus eorum qui per circuitus redeunt, quidam nocent vitæ manifestè, vt dolor ventriculi & syncope; quidam occultè, vt comitialis; quidam augentur, vt enterocele; quidam nullo modo, vt podagra. Et hoc quia sunt in membris huiusmodi, velut exolutio in corde, comitialis in cerebro, enterocele in intestinis, podagra in articulis, qui non sunt necessarij vitæ. Eorum etiam qui solâ ratione victûs sanari possunt, nullus est in compositione; sed quidam ex his sunt, in quibus potest sanari symptoma, in quibusdam etiam morbus. Hi autem qui sanari non possunt, plerique sunt in compositione; & hi vel à naturâ, vel acquisiti.

LIBER TERTIVS, DE FACVLTATIBVS MEDICAMENTORVM.

Vbi omnes vires medicamentorum tam actu, quàm potestate explicantur, & inter reliquas purgantia aluum medicamenta, tum lenientia numerantur.

PROOEMIVM.

IAM verò expeditâ ratione totâ curandi, de instrumentis dicere necessarium est. Cùm enim tria sint quæ Medicus scire debet, *libro de vocalium instrumentorum dissectione, cap.* I. Locus, modus, & instrumenta: de instrumentis ac modo hic pertractandum est, quo finem consequi debemus. Itaque de scientiâ vsúque operationis primarum qualitatum, & reliquarum etiam facultatum medicamentorum, tum quomodo hæ ex illis profluant, quæ nemo attigit alius idipsum *in hoc tertio libro* agere decreui. Verùm hæc contemplatio forsan ad priorem partem pertinere videri poterat; quanquam verò etiam huius pars esset, non idcircò in hanc traduxi, vt partes fermè æquales redderentur; aliam etiam ob causam aliqua ex tertiâ parte in primam transtulimus, scilicet vt specialis tractatio purior [MS. *prior*] redderetur. Igitur de primarum qualitatum operatione nunc primùm dicamus, non vt ordo peruertatur, sed exquisitissimus seruetur. Quis enim ambigit, quin sic futura sit tractatio pura, aliarúmque partium auxilio omnibus morbis eam applicari posse?

PARS PRIMA.

De primarum qualitatum atque ex his ortarum operatione.

CAPVT I.

Varias facultatum in medicamentis diuisiones explicans.

PRO generali ergo consideratione [MS. *curatione*] proponamus, quòd medicamenta & res aliæ duo habent per quæ agunt, scilicet & substantiam, & qualitatem; nam reliqua velut quantitas non agunt per se, sed sunt agendi modi seu auxilia. Et principiorum quidem agendi vnumquodque duplex est, aliud quidem secundùm comparationem ad partes corporis, aliud autem secundùm propriam naturam: namque substantia contrarium non habet, nec qualitate per se prædita est. Agit ergo similitudine aut ad membra & spiritûs, & hanc operationum proprietatem dicimus, cochileæ ventriculo, & iecur lupi iecori humano: aut ad humores, & vocatur medicamentum expurgans, velut Cnicum cum pituitâ, Rhabarbarum cum bile; & sunt simplicia quæ valde dissimilia sunt humano corpori, propter compositionis naturam velut metalla ob elementarium partium crassitiem, & hæc sunt venena à proprietate. Sed hæc huius non sunt considerationis, quę tendit ad sanationem, non ad interitũ. Qualitas autem duplex est, quæ ab elemento, & recepta in materiâ, & hæc est quadruplex, calidum, frigidum, siccum, & humidum: etenim non plures neque pauciores sunt qualitates, quæ primò sint in simplicibus manifestæ, & per quæ agunt, ac in talia penetrent: vnde tertium operandi genus, sicut quartum à cœlesti vi. Velut Cynorrhodi radix in morsu canis rabidi, neque enim similitudine substantiæ illi confert, cùm illa ad substantiam referatur, venenum autẽ accidens sit; nec simile illi, imò contrarium, cùm

cùm expellat ipsum; nec euacuat illud, vt sit simile humori; nec est contrarium veneno qualitate, in omnibus enim quæ qualitate agunt, à similibus propemodum eadem prouenit actio, & à validioribus eadem & celerius & facilius, licet cum quadam noxâ, velut à lactuca calidus ventriculus temperatur, temperabitur & ab endiuia, & facilius & celerius à portulaca, licèt forsan non sine aliquâ alia noxa. At nulla alia res frigidior cynorrhodi radice, vel siccior hoc potest: constat igitur quòd hoc illi conuenit ex qualitate cœlesti. Declaratum enim est à nobis, quòd in omni misto est qualitas elementi, & vt est permutata à calore cœlesti, vt dixi calidum, siccum, & reliqua: & quæ est impressa à calore cœlesti, non vt est in elemento, & hæc est qualitas cœlestis: iam ergo habes quatuor modos agendi principales.

Qualitates autem primæ sunt duplices; in actu, quæ non indigent ad agendum alio auxilio, ignis enim per se vrit, glacies refrigerat: & in potentiâ, quæ per se non possunt agere, vt piper, quamuis sit calidissimum medicamentum, nisi tamen teratur & attenuetur à calore naturali, est frigidum. Qualitates in potentia habent quatuor ordines vt temperamentum, vt sint nouem in actiuis, totidem in passiuis, omnes L X X X I. At vnumquodque medicamentum, vel est tenuis, vel crassæ substantiæ, aut mediocris, vt sint tria per L X X X I. multiplicanda; & omnia C C X L I I I. Essent etiam densa & rara, sed densum semper auget actionem, rarum minuit. Ergo non est causa vt multiplicemus actionem medicamentorum absque necessitate. Oportet ergo vt consideremus actionem harum qualitatum per se, & vt producunt opera secundarum facultatum. Princeps *l. 2. tract. 1. c. 4.* miscuit primas, secundas, & tertias qualitates simul, sed melius est eas separare, omittendo operationes primas, quæ sunt calefacere, vrere, ignire, infrigidare, congelare, extinguere, humectare, labefactare, dissoluere, siccare, arefacere, marcorem inducere. Atque eadem fermè sunt earum quæ actu tales existunt. Vt verò sciamus, quæ sint causæ secundarum qualitatum, oportet intelligere quænam dicatur substantia tenuis ac crassa; actu enim similes arte [MS. *ante*] reddi possunt, tundendo diu, & super porphyritem cum aqua terendo diutius, & si non sufficit, siccatum denuò tere [MS. *terrere.*] Galenus *6. de simpl. medicam. cap. de zinzib.* tenuia medicamenta appellat, quæ facilè à calore nostro dissoluuntur, & patiuntur celeriter, quæ verò magis imprimũt, crassarum sunt partium. Sed & de Castoreo loquens, 11. *de simpl. medicam.* vult esse tenuissimarum partium, ideò dicit esse efficacius, quòd magis penetret: nec sibi contradicit, quia hæc magis calefaciunt, quia maiorem partem mutant crassa, quia retinent suam vim diutius. Rursus *tertio de simpl. medicam. cap.* 10. dum vult ostendere succum rosarum esse tenuissimarum partium, dicit, quia *celerrimè siccatur, nihil lentoris obtinet, & aliorum vnguentorum vim obscurat, quoniam tenuitate illa sua præuenit, occupans olfactus sensum.* Idem *tertio de composit. medicam. secund. gen. cap.* 2. diffusè si vnquam alias, sed absque ratione causam substantiæ medicamentorum tenuium explicauit, illud docens, omnia medicamenta tenuia esse calida aut temperata, nisi sint acida, acetum acerrimum præfert, quia limonij succum ignorauit, hic enim longè aceto tenuior est. Tenuem ergo substantiam tam in aqueis quàm terreis inueniri affirmat. Ego tamen formam tenuitatis, quam ille inuenire non potuit, declarabo, & est quod concoctum est optimè; illud idem vt sit leue necessarium est; videri tamen potest graue, quoniam substantiæ terreæ coniunctum etiam esse potest. Tale igitur plerumque ob id, calidum est & siccum, aut si humidum ex leui humido: & vt plurimum est veluti flos quidam. Ita flores omnes comparatione partium eiusdem plantæ, tenuis sunt substantiæ; & flos salis, & nitri, & asij lapidis, subtilium partium sunt, reiectâ parte cruda, cuiuscunque generis sit atque elementi, non quia terrea: vnde etiam ignea quædam crassæ sunt substãtiæ, veluti allium. His visis ad secundas facultates, quas primæ cum substantia pariunt, & similia opera in corpore nostro deuenire iam tempus est, & in vniuersum sunt qualitates diuinæ, corporeæ; in actu, in potentia; primæ, secundæ, tertiæ; similitudo substantiæ ad corpora vel spiritus, & ad humores. Secundæ igitur sunt attenuare, condensare, rarefacere, aperire, obstruere, sordidare, detergere, emplasticum esse, id est, adhærere & obturare, poros aperire, emollire, indurare, pus mouere, concoquere, attrahere, resoluere, incidere, lentum reddere, astringere, repellere, crudum facere, lauare, lubricum facere, tendere, laxare, glutinanare, exprimere, erodere, excoriare, exulcerare, putrefacere, exedere, escharam inducere, digerere, & sunt triginta tres. Velut tertiæ sunt, confirmare, carnem gignere, cutim restaurare, (quæ vocamus epulotica) & semen aut lac generare, vrinam prolicere, aut fæces, aut sudorem, aut vomitum, aut hæmorrhoidas, aut aperire ora venarum, vermes occidere, lapides atterere, frangere vomicas, pus educere, flatum discutere aut generare, anodyna seu acopa, visum acuere, auditum liberare, pectus purgare, fœcunditatem inducere, somnum aut vigilias producere, pediculos occidere, pruritum sedare, cibi appetentiam excitare, impinguare vel extenuare, etsi cibi non sint; vrinam & sudorem beneuolentia reddere, tophos confractis ossibus gignere, eosdem dissoluere iam genitos, febres discutere: vt in vniuersum (præter minùs necessarias, velut quæ pruritum excitant, & compositas, vt menses ciere; componitur enim ex sanguinem prouocantibus & aperientibus ora venarum; & scirrhum curare, ex emollientibus & discutientibus; & ita de sanantibus vlcera, & capillos generantibus) sint X X X I V. quæ ex secundis facultatibus non minùs prodeunt, quàm illæ ex primis. Primæ autem sunt calefacere,

lefacere, inflammare, colliquare, vrere, refrigerare, torporem inducere, congelare tepefacere, siccare, arefacere, marcorem inducere, temperare, humectare. læuigare, & dissoluere, XV. quibus [MS. *diebus*] addantur inde etiã qualitates diuinæ, & similitudo ad corpora vel humores, erũt LXXXV Genera Autem septem, scilicet qualitas diuina, & similitudo substantiæ ad corpora & ad humores, & qualitates in potentiâ [MS. *impotentia*] primæ, secundæ, tertiæ, & in actu, quarum etiam sunt semptem differentiæ in actiuis, ignis, vrens, tepida, glacies, gelida, subfrigida, temperata, vt sint in vniuersum xiij. Quibus addantur illæ quæ ex humido & sicco in substantiâ proueniunt, vt ignis vel aqua feruens, & duæ compositæ ob contrarietatem insignes, potestate calida, actu frigida; & potestate frigida, actu autem calida, de quibus seorsum agetur. Tandem relinquentur differentiæ ab humido & sicco in actu, de quibus seorsum dicemus. Præter has omnes differentias, explicare conueniet successiones calidarum ad frigidas, & frigidarum ad calidas, exempli causâ potiùs quàm tractationis: nam qui non nostra legit, nec illi diffusa historia sufficiet; nostrorum autem operum studiosis multo magis hæc breuiter tradita, quàm illa longa narratio. Primùm igitur sumamus exemplum ab oleo chamæmelino, quod ex substantiâ tenui valde & proximâ temperamento: calidâ tamen & humidâ, atque in hoc fermè mediâ pinguique, nam concocta est & actu humida: huius ergo sunt & similium, emollire, concoquere, obturare, secundùm substantiam rarefacere, secundùm vires temrare dolores, & lassitudinem mitigare, febres quoque discutere: vt huius coniugationis sint hæc septem præcipua, sed & octauum, sed non valde id potest, scilicet sudorem ciere. Quæ enim rarefaciunt & attenuant auocántque, si eadem discutiant aut resoluant moderatè, sudores mouent: ex his sunt metasyncritica, quæ ex profundo trahunt & aperiunt meatûs cutis, quæ constat calida valde esse, & cutim ipsa exurere, prauos humores absumendo. Quæ verò vrinas mouent, sicca omnia sunt & tenuia; quæ aluum, minùs calida & crassiora: inde omnia acria vrinas cient, sed minùs acria sint, aut salsa, aut nitri saporem redoleant, liquidáque sint, quæ aluum subducunt; velut brassicæ, betæ, lentium, mollium piscium ius. Somnifera verò cùm duorum sint generum, quæ stuporem inducunt, spiritûs enecant naturæ proprietate, non vt Galenus putat, frigiditate namque in Opio nullum est aliud frigiditatis indicium, non dolores in ventriculo gignit, non sitim sedat, amarum est, Venerem non parum excitat, & si modicè assumatur, furorẽ gignit. Ergo somnum excitat, non tam extinctis spiritibus (tunc enim mortem affert,) quàm sideratis quemadmodum in labore natura fatigata spiritûs sistit, & somnum ob id adipiscitur; & ita in Opio, & nuce somniferâ, hyoscyamo, & mandragorâ, & solani specie illâ quæ somnum mouet, & fabâ inuersâ. At quæ somnum mouent iucundum, alia quidem quodam lentore retinent spiritûs, & ipsa tamen habentia partem tenuem per quã feruntur ad caput, vt vina dulcia; velut enim viscum, ita horum vapor spiritûs continet: sic dulcis harmonia, & auium concentus, & susurus aquarum. Alia verò cùm sint frigida & humida, omnis acredinis expertia, velut lactucę & albũ papauer. Ideóque omnia quæ aluum mouent, etiam vigilare faciunt, quia spiritûs stimulant.

Quæ autem putrefaciunt aut erodunt, velut auripigmentum, cantharides, & misy, similiáque omnia, siccitatem habent in materiâ crassâ, eius comparatione quod colliquatur: ideò metallica carnes, cantharides solum sanguinem dissoluunt, Primùm ergo erodunt, inde colliquant, demum putrefaciunt: siccum enim iunctum calido, cùm tale fuerit vt naturæ humanæ conuenire non possit, colliquat. Est autem colliquatio non vna actio, alia enim colliquantur à calido, quia humida sunt; atque ea sunt quæ ob humorem ardere nequeunt, sed liquantur: alia quia corrumpuntur & est putredinis genus. Vtque priora non corrumpũt vicinas partes neque fœtent, ita hæc contrario modo se habent. At Galenus cùm multa de his dixerit, *3. de simpl. medicam. cap.* 21. 22. 23. quomodo id fiat dicere ausus non est. Ego autem rem ipsam declarabo, exemplo ab eschará auferendâ deducto, quãuis non prorsus simili: etenim constat si quis eam abducat sine morâ ac repente nullum fieri dolorem; similiter & nullum, aut per quàm exiguum, si sensim ac maximè lente, vtpote in duabus horis eam detrahat At maximus fit dolor, cùm neutrum horum seruatur, velut siquis in exiguo tempore eam detrahere conetur, nec tamen totam simul: ita è diuerso, si siccitas tanta fuerit, vt colliquet plus humidi quàm resolui possit, (hic medius modus est,) tum putrescit particula, quia humidum illud nec resolui potest, quia copiosum nimis, nec cõcoqui, quia partes tenues & aqueæ non possunt consumi, & ideò necesse est putrescere particulam. At verò si medicamentum exurat, vt tantum absumatur, quantum colliquescit, necesse est siccari particulam, & vri non putrescere. Si verò cõsumptio aquei humidi præueniat colliquationem, necesse est concoqui: putrescit ergo quasi colliquata particula à multo calido externo interiorem corrumpente, præcipuè humido quamobrem & aqua feruens, licèt minùs calida quàm ignis, plus tamen illo calefacit, tum quia penetrat, tum quia humida est. Hæc igitur est ratio erosionis, colliquationis, & putredinis.

Frigida verò quia à natura inimica, primùm constringunt particulam, aduersùs contraria muniendo, inde successu obstruuntur meatus, reliqua condensantur; vnde quæ ad locum fluunt repelluntur, & robur particulæ additur; postea verò cum refugientibus spiritibus, locus nimis refrigeratur atque constringitur, humidum exprimitur, dolor fit conuulsis partibus his, quem morsum vocamus, adeò vehemens aliquando, vt erosionem putes, & Medici dubitent

dubitent an à bile proueniat, demum desertâ particula vniuersim à calore necesse est illam putrescere, atque hic alter modus est putredinis. Non memini autem doloris, quoniam hoc commune est accidens etiam aliarum causarum, veluti contusionis & vulneris: verùm omnia quæ continuitatem soluunt, quouis modo hoc agant, dolorem mouent, alia pungendo, alia morsum faciendo: non tamen adeò exulcerat frigidum velut calidum, erodendo, colliquando, ichores exacuendo.

Caput II.

De variis calidi operationibus, inprimis de vstione.

EOrum autem quæ primis qualitatibus & per se agunt, calidum propriè separat, & partes disgregat, quoniam cum motu est vehementi, 12.*problem.* 5. Assimilatur enim cœlesti calido, hæcque est prima eius operatio, celeriter moueri. Secunda, celeriter diffundi. Tertia, separare. Quarta, rarefacere; quæ enim separata sunt, maius occupant spatium, ideò rariora sunt 5.*de generat. animal. cap.* 3. Quinta, attenuare, nam quæ maius occupant spatium, tenuiora sunt, quoniam sub eadẽ materiâ & formâ maius spatium continetur. Sexta, resoluere. Resoluere dicimus cùm formam mutat, non quòd desinat, vt cùm humidum in vaporem, vapor in aërem transit, dicemus humidum illud resolutum esse. Septima, est attrahere: hic magna difficultas, quoniam calidum, vt dixi, effundit & expellit; quomodo igitur attrahere potest? Videtur autem calor propter hoc attrahere, quoniam diffundit, & loco eius, ne vacuum detur, seu ne partes conuellantur, necesse est corpus aliud subingredi; vnde ex aduersâ parte eius à quâ [MS. *aqua*] diffunditur, trahit: velut candela diffundit à superiore parte, trahit ab inferiore: ergo & emplastra dum diffunduntur ex superiore parte. Alius modus est, vt ex eadem parte trahat, à quâ diffundit, vt in remissionibus: velut contingit in cucurbitulis, cùm enim quod rarum euasit, remisso calore condensatur, contrahitur, trahitque per consensum consequentes particulas. Nutrimentum verò trahitur ob hoc, quoniam attenuatur atque diffunditur, necesse est igitur vt ampliùs occupet spatium, atque ideò ei appropinquet, tum verò & eius caloris qui superior est, attractio est efficacior, quoniam quod tenue est, [sursum tendit.] Octaua operatio, est condensatio. Nona, colliquatio, de quibus agit Aristoteles 2. *de partib. animal.* nam quæcunque terrenâ parte vacant, antea verò coacta erant, dum attenuantur, mobilia sunt, atque ideò colliquata appellantur: quæcunque verò terrena, dum quod tenue est resoluitur, coguntur, vt lateres, [condensata dicuntur.] Atque hæc quidem generalia, & in humanis corporibus. Vt verò ad inanimata comparatur, eius proprium est tenue à crasso separare, atque ideò & attenuare, & crassum facere dicitur. In Chymicis autem operationibus separat aquam, inde pingue oleum, pòst oleum tenue terreo tenui exusto mixtum, demum quod relinquitur est terra crassa & exusta. Est vinosum in quibusdam quod concoctum est, ideò ab igne transit in aliud genus aquæ. In particulis verò ipsis, cùm quod tenue est, solum euanescat attrahatur verò quod crassius est atque magis crudum. necesse est deteriorem fieri particulam; crassiorem quidem, si plus est quod trahitur quàm quod digeritur; tenuiorem, si contrario modo; molliorem, si minus est terrei quàm concreti humidi; duriorem, si secùs. Calidum verò exurens, si copia humidi adsit, plus trahit quàm digerat: si non adsit copia humidi, exsiccat: ipsum verò per se corrumpit particulam. Peculiariter autem extremum calidum, velut ignis, nocet neruis, vt dicebat Hippocrates in *libro de articulis*: quod simul intelligendum est etiam de vinculis & ligamentis, & quæcunque contrahi possunt. Ideo ossibus & carnibus (nam hæc si pereant, rursus generari possunt) nì immoderatè adhibeatur, parum obest. Cæterum ignis quamcunque tollit intemperiem, quamobrem & omnes morbos soluere potest: quod etiam sentit Hippocrates, *septimâ aphorism. vltimo.* Verum & de hoc in *præcedenti libro* locuti sumus. Sed tria obstant quò minùs omnes morbi per illum sanari possint à horror auxilij, atque doloris metus distractio propriæ facultatis; vnde circa ossa tutissimè adhibetur, oportet autem diligentissimè adhibere, vt quod solum est excrementitium humidum, & in quo praua qualitas viget, absumatur, bonum seruetur, ideóque auro igneo ac tenui, longiore tamẽ morâ si opus est, potiùs quàm crassiore curam facere oportet. Porrò ad terrorem vitandum, aquâ vtuntur ex chalcantho, nitro, alumine, & calce, tum acriore cinere. Est autem duplex modus; vnus est vt chalcanthum, alumen & nitrum distillentur: alius vt eadem exurantur, & calce ac cinere roboris additis coquantur. donec aqua in formam olei redigatur, excolare oportet atque excoquere, donec contrescat. Tertium quod omnibus difficilius est impedimentum, contingit cùm aliunde causa influxerit, seu materia, seu vapor, seu qualitas, seu particula auxiliaris, veluti si lingua balbutiat propter præcisum neruum ad eam venientem: in his omnibus ignem adhibere, esset excindere particulam, imò prorsus corrumpere, non curare. Dicebat Hippocrates *quintâ aphorismorum, à 17. aphor. ad 25.* de his (nam frigidi opposita est ratio:) *Calida, frequenter ea vtentibus, has noxas inducit, animorum effœminationem, neruorum impotentiã, mentis torporem, sanguinis eruptiones, animi deliquia, hæc ad quæ mors. Frigida verò cõuulsiones, antrorsum ac retrorsũ distentiones, nigrores, & rigores febriles. Frigida inimica ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ; calida verò grata. Quæcunque perfrigerata sunt, excalefacere oportet, præterquã à quibus sãguis erũpit, aut erupturus est. Vlceribus frigida mor-*

dax, cutem obdurat, dolorem non suppurantem facit, nigrefacit, rigores febriles inducit, conuulsiones, distentiones. Quandoque verò in distentione sine vlcere, iuueni carnoso, æstate media, frigidæ multæ affusio caloris reuocationem facit: calor autem hac soluit. Calida suppuratoria est non in omni vlcere, maximum signum ad securitatem, cutem mollit, attenuat, dolores eximit, rigores, & conuulsiones, distentiones mitigat, capitis grauitatem soluit: plurimum autem confert ad ossium fracturas maximè denudatas; ex his autē maximè his qui in capite vlcera habēt, & his quæ à frigiditate moriuntur aut vlcerantur, & herpetibus exedentibus, sedi, pudendo, vtero, vesicæ: his calida grata est & iudicans, frigida verò inimica & occidens. In his frigidâ vti oportet, vnde sanguis erumpit, aut erupturus est, nō super ipsas partes, sed circa ipsas vnde fluit, & quæcunque inflammationes aut flammei ardores, ad rubrum & subcruentum colorem ex nouo sanguine tendunt, ad eas ipsas, nam veteres nigrefacit, & ad sacrum ignem non exulceratum confert, siquidem exulceratum lædit. Frigida velut nix, glacies, pectori inimica sunt, tusses mouent, & sanguinis eruptiones ac defluxiones inducunt. Tumores in articulis, & dolores absque vlcere, & podagricas affectiones, & conuulsiones, horum plurima frigida multa affusa leuat & attenuat, & dolorem soluit: torpor enim moderatus dolorē soluit. Aqua quæ citò calescit, & citò perfrigeratur, leuissima est. Non est mihi sermo nunc de calido naturali, de quo *alibi*; neque de putrido, de quo in *libris de Venenis* actum est: verùm de calido ac frigido auxiliari seu inimico, quippe cùm necesse sit, nos perpetuò obuiare aut extremè calidis, aut extreme frigidis, quod tamen raro accidit, tum verò calidis simpliciter, aut frigidis, aut temperatis, atque ab illis mutari, cùm corpus nostrum in perpetuâ mutatione consistat; calida verò & frigida maximè mutent, verùm calida magis, vt visum est, ita vt morbos aut gignere aut tollere possint, tum verò & applicari; cùm auxilia multifariàm queant [MS. *quæ*] obesse: constat hanc tractationem inter omnia alia, ad humanos vsus maximè esse necessariam. Verùm quoniam à generalibus ad specialia descendere oportet, quæ sint vires temperati scire necesse est: éstque temperatum multifariam dictum, quod est in medio inter calidum & frigidum exquisitè, quod cùm ad naturam humanam comparatur, pro frigido habendum est, quantum humana natura exquisitè temperato calidior est. Itaque hoc temperamenti genus inter frigida numerandum est, verùm hoc habet præcipuum cum omnibus quæ ipso calidiora sunt, minùs tamen calida quàm sit humanum temperamētum, vt sint iucundissima, præsertim aër & leuis aura. Secundo modo dicimus temperatum, quod ad calidum declinat tantundem, quantum corpus humanum, ídque simile homini prorsus est, atque de hoc sermo erit. Manifestum est autem quòd hoc quibusdam calidum, qui scilicet frigidiores naturâ sunt, quibusdam frigidum qui sunt calidiores, videatur. At verò tertio modo temperatum dicimus, quod cuique simile est; vt contra fermè quod cuique est contrarium moderatè, quia iucundum: sed & hoc intelligere oportet. Itaque temperatum [MS. *temperamentum*] omne calefacit refrigeratos, refrigerat calefactos, atque hoc nisi immoderate sint supercalefacti aut refrigerati: tunc enim calefacti calidioribus quàm tepidis refrigerandi sunt; refrigerati aquâ frigidâ sunt calefaciendi, inde ad temperata trāseundum. Temperatum sanos confirmat, voluptatem affert, molestiam tollit, somnum conciliat, coctiones iuuat, corpus impinguat, mollit, & bonum colorem facit, laxat tamen & eneruat, maximè si humidum fuerit, & ad calidū declinauerit. Balneum verò aquæ temperatæ mulcet super omnia corporis molestias omnes, detergitque cutim, nitidámque reddit. Verùm in ægris dicebat Hipocrates, *tertio de victu in acutis, text.* 58. *Balneum peripneumoniæ magis quàm ardenti febri confert; nam lateris pectorisque & dorsi mulcet dolorem, sputum maturat educitque, & spiritum facilem reddit, lassitudines tollit, mollit articulos & cutem per summa conspicuam vrinas ciet, capitis soluit grauitatem, & nares humectat.* Sed redeo ad calidi & frigidi vires, in quibus tria maximè (quod ad specialia attinet) consideranda sunt. Primum est consuetudo, quæ facit vt valde noxia etiam moderatè ferantur; velut calefacere lectum, malum est & fluxiones facit, concoctionem debilitat, eneruat vires, & caput replet: nihilominùs est necessarium in valde senibus, macilentis, conualescentibus, infantibus, perfrigeratis, tum vbi suspicio est madefacti lecti, atque in his & huiusmodi, melius est vti lecto bene exsiccato, & ad frigidum potiùs quàm calidum declinante, id fit diuturno igniarij cum perpetuo motu, paucóque igne circumactu. Similiter & mansio iuxta ignem corpus rarefacit, neruos languidos efficit, & ad conuulsionem & reuulsionem præparat, visum obscurat, lippitudinē gignit, concoctionem labefactat, caput implet, grauat, sitim excitat & vigilias; nihilominùs omnia mollit consuetudo, & in magnis frigoribus vtilis est, exsiccat præterea superfluum humidum; materias corruptas ad cutim trahit, vnde pruritum & scabiem auget: vtilis est, imò necessarius [focus,] in aëre primùm corrupto, vt nihil melius, maximè si odoratata imponantur, acetúmque acerrimum spargatur, & vrina hircorum atque caprarum: sed & valde senibus hyemis tempore foculus conuenit, diúque expedit apud illum manere: quod verò optimum est, vt magnæ [MS. *mannā*] flammæ splendidæ quouis tempore, minùs tamen æstate, leuiter deambulando, discincti tamdiu se exponant, donec incalescant, vestésque induant, pòst lotis de more vultu ac manibus aëri se exponāt atque exerceantur, percellit enim huiusmodi repentina mutatio corpus ipsū, alacréque ac vegetum reddit: & vt Hippocrates Galenúsque testes sunt, corpus firmius atque robustius efficitur, valetudo prospera, sensúsque exacuuntur. Secundū considerationis genus est circa annexa; velut calidum cum humido dissolui dura ratione humidi,

midi, non calidi: & calidum cum ſicco exſiccat, ſed & calidum per ſe exſiccando extenuat; vigilias & ſitim facit, quæ non ſunt opera calidi. Tertium eſt ratione membrorum: nam cerebrum maximè læditur à calido propter mollitiem [MS. *mollitionem*,] iecur propter temperiem, & ſanguinem in eo contentum; iecur frequentiùs & quaſi ſemper, cerebrum vehementiùs, vt ſæpe cauſam mortis præbeat: nihilominùs Hippocrates exurebat iecur, ſed anguſtis ſtylis & fungis. In vniuerſum calidum cum humido iunctum, cùm fuerit extremum, deterius eſt igne, non ſolùm in cerebro & iecore, ſed in præcordiis. Eſt autem calidum amicum ventriculo & inteſtinis, & inimicum oculis, amicum auribus. Calidum præterea eſt inimicum cordi exteriùs, aër autem frigidus in reſpiratione eſt amicus cordi. Similiter calidum eſt amicum ſenibus, frigidum inimicum. Iuuenibus contrariâ ratione frigidum ſemper amicum, calidum ſemper inimicum. Infantibus velut ſenibus calidum amicum, frigidum inimicum: ſed in hoc differunt à ſenibus, quoniam vehementer calida plurimùm ei nocent.

In vniuerſum verò vſtio omnes finire ſolet morbos: ſed periculoſa eſt circa venas & arterias mala in neruis, nam eos contrahit, & dolores maximos mouet, ſed & circa fines muſculorum. Oculus vnus non patitur vſtionem, nec etiam propinquam: inimica eſt etiam cordi & ventriculo: periculoſa iuxta cerebrum: oſſibus commodiſſima, nam putridum à ſano ſeparat: ad carnem medio modo ſe habet, omnem intemperiem [MS. *intemperiem*] corruptam tollit, non corruptis omnibus frigidis atque humidis, tum etiam illis quæ humores alienos generant, etiam calidi ſint ſiccìve, atque ſine putredine vtilis eſt. Vigilibus inimica eſt, & his qui nimis [MS. *minus*] molles ſunt animo atque timidi. Securiſſima infra caput, ſi ad illam quæ in capite fit, comparetur. Vere melior eſt, inde æſtatis initio, aut autumni, vel in hyemis fine. Quæ cum auro fit, ſæpe pus non mouet, & minùs nocet, minùſque horrenda eſt, ſed æqualiter oportet illud ignire, ac ſæpius tangere ne molle fiat, flectitur enim antea. Quæ fit in locis magis periculoſis aut mollibus, ex rarâ materiâ fieri debet, vt in ventris partibus per fuſos ligneos vel etiam fungos, quemadmodum faciebat Hippocrates. Neque expectare debes imbecillitatem virium, aut corporis conſumptionem. Eſt enim vltimum auxilium, quia nihil potentius, non quòd in fine omnium adhiberi debeat, aut quòd poſt ipſum nihil aliud adhibere debeamus.

Porrò eorum quæ vrunt & humida ſunt, profundior læſio fit, quoniam aquæ ſubſtantia vel olei magis penetrat, atque ideò etiam putredinem maiorem excitat. Oleum autem magis vrit, quoniam denſiorem habens ſubſtantiam; diutius retinet feruorem: ſed quoniam craſſius, eſt minùs penetrat quàm aqua. Videtur autem magis penetrare ob continuitatem ſubſtantiæ, minúſque putrefacere, quoniam magis terreum eſt quàm aqua: & ob id vſtio cum eo, media quaſi eſt inter ferrum candens, & aquam feruentem, eâque longè ſalubrius, maximè ad neruos. Vſtio enim non ſolùm intemperies tollit, ſed & putredinem, & ſiccat manantes fluxiones ortui adhibita, & dolores ſæuos finit, & conuulſionem quæ ex dolore & neruorum puncturâ euenire ſolet, prohibet.

CAPVT. III.

De poteſtate calidis, aut frigidis.

SEd iam videamus, quid ſit poteſtate calidum, aut frigidum, temperatúmve. Eſt autem quæſtio nobiliſſima, paucíſque nota Philoſophis aut Medicis noſtrâ ætate. Primùm igitur quæramus, an calor putridus ſit poteſtate talis, an actu? Videtur enim in corporibus, quod putridum eſt, calidius eſſe velut in febribus; exteriùs autem quæ putrida ſunt, alia calida eſſe videntur, vt de fimo columbino; alia frigida, vt in pleriſque videtur. Ergo perfecta putredo non ſine calore eſſe actu dico: nam de potentiâ haud dubium eſt. Imperfecta autem putredo, putredo non eſt, & ob id expers caloris. Deinceps quærendum eſt, an qui caliditate conſtare morbi dicuntur, actu calidi ſint, an poteſtate tantùm. Videntur enim primò febres, non ſolùm poteſtate, ſed actu calidæ eſſe: vruntur, ſitiunt, & tangentes etiam vrunt: præterea actus ab ago dicitur, non eſt actio niſi eorum quæ agunt, quæ actu ſunt, morbus autem lædit operationes; morbus autem caliditas vel frigiditas; lædere autem agere: caliditas igitur agit, & actu eſt. At verò verſâ in contrarium ratione, dolor qui fit à calore, ex mediocri ſæpe calore fit, & refrigerato membro per frigidam aquam aſſiduò [MS. *aſſiduam*] manet, per tepidum ſuccum aizoi tollitur, vt experimentum docet; tollitur autem omnis morbus per contrarium, poteſtate igitur qualitas nocet. Præterea piper & cæpa dolorem afferunt in linguâ, nec mediocrem, & non niſi à caliditate; nam neque proprietas, neque durities, neque motus eſt, ad quæ confugiamus, & tamen neque calor ſentitur, niſi poſt dolorem, atque hic non tantus eſt, vt dolori pro quartâ parte reſpondeat. Huiuſmodi dubitationes arduas, difficiles, vtiles, neceſſarias, ſcitúque iucundas decuit Galenum attigiſſe, ſed abſit, niſi inuenta aliorum non attigit in huiuſmodi, eáque vel ſibi adſcripſit, vel damnauit: ſed de hoc ſatis, ne dum arguimus, imitemur. Dicamus ergo quòd ſicut ignis calidiſſimus eſt actu, ſed & Sol calidus, poteſtate autem nequaquam, nam neque amarus eſt, neque acris, neque in illud conuerti poteſt, nec facultatem habet vllam aliam, quàm quæ ex actu ſequitur. Contrà piper & ſinapis facultatem habent in plantâ, alterum acerrimum, alterum valde amarum, & tranſmutantur, & vires habent; actu autē prorſus calida non ſunt. Media verò eſt natura

hominum & animalium, inter ignem & piper, inter glaciem & aizoüm, inter Solem & cassiam odoratam aut cinnamomum, inter aquam & endiuiam seu intubum. Ita quæcunque sunt in nobis, nec potentiæ nec actus prorsus sunt expertia, sed & actus habent imperfectos; nam neque frigida pituita velut glacies, neque potestate vt aizoüm, sed tamen saporem habet acidum, & tactu frigida est, & cùm emunditur, & cùm egeritur. Similiter & bilis, & calida tactu est, & amara: sed neque calida, vt sol in æstate, neque vt gentiana, amara. Itaque omnia media esse apparet. Similiter & de præternaturalibus. Piper acre est calidum, cùm linguam tangit, non tamen adeò calidum est vt Sol. Sic in doloribus qui fiunt à calido vel frigido modicum discrimen, seu incrementum calidi seu frigidi, magnam differentiam parit in dolore; & hoc quia modica caliditas in actu, cum eâ quæ est potestate, magnum efficit dolorem. In putredine verò secùs est, nam calor ille, sicut calor ignis, in actu est, & propterea febris est morbus toto genere ab aliis distinctus. Atque hæc de intemperiebus quæ sunt in humoribus, & ex consequenti de febribus putridis. Verum intemperies quæ sunt in membris, sunt in actu, non potestate, quia membra non fiunt amara, neque salsa, & non patiuntur dolorem nisi leuem. Et si quis dicat quòd homo ex insolatione vehementè patitur doloré: dico quòd hoc nō contingit, nisi ex attractione materiæ vel vaporis; quia multi qui passi sunt eandem insolationem, & tamdiu, & quorum caput sentitur calidius capite ægrotantis, prorsus non dolent: igitur qualitas illa fixa in membro, non est magna valde. Et si quis obiiciat quòd in exustione ignis, apparet magnus dolor, & magna qualitas: Respondeo quod etsi imprimatur magna qualitas, & tunc stridet caro & fumat, & fit vlcus; statim tamen cessat intemperies illa magna calida: verum remanet dolor vehemens propter vlcus manifestum seu occultum, & intemperiem actu calidam, & intemperiem potestate, quæ est in humoribus corruptis. Ex hoc patet quòd calor hecticæ est totus calor in actu. Et si quis obiiciat, hectica est calor in actu, ergo indiget tantùm frigidis in actu: dico quòd ratio non valet, sed bene sequitur, ergo indiget frigidis in actu. Et etiam sequitur: Intemperies ista est ex qualitate in potentia. Ergo indiget contrariis in potentia solum, & non actu.

Galenus verò cum in 1. & 2. *de temperam.* declarasset quid esset actu calidum, in *tertio* de his quæ talia potestate sunt, acturum se pollicetur; dicens *cap.* 1. *Est autem breuis eius, facillima, & clara explicatio, quippe quod quale dicitur, tale nondum est, sed potest tale esse, id hoc esse potestate dicimus. Maximè autem propriè illa sola potestate talia esse dicimus, in quibus natura ipsa suopte impetu ad absolutionem venit, si nihil ei extrinsecus impedimento sit.* Sed hæc extra propositum. Pòst subiungit: *vtrumne sub prædictis iam modis comprehendantur, an alia quapiam ratione dicantur, quæ dicta nondum sit. Bitumen namque, resina, & seuum, & oleum, & pix, calida potestate sunt, quod vtique energia calida celerrimè fiant: etenim celerrimè inflammantur: præterea cùm corporibus nostris admouentur, ea manifestissimè calefaciunt. At chalcitis, misi, sinapi, nitrum, acoron, meon, costus, & pyrethrum, cùm nobis sunt admota, calefacere apta sunt, alia magis, alia minus, non tamen sunt idonea vt in flammam vertantur.* Non possum non indignari tot verba, tantam obscuritatem, tantam perplexitatem in oratione, quasi desit difficultas in rebus. Sic illud in *arte Medicâ. cap.* 89. de qualitate imaginaria, & quæ potestate talis est: nam ad quid imaginarium? melius sane erat qualitatem actu, ab ea quæ potestate est, distinguere. Simile & illud: *At quicquid quidem potestate calidum est, huic nondum in naturâ suâ calidum frigido præpollet, sed in propinquo est vt præpolleat, adeo vt breuem opem, quo vincat, extrinsecus requirat, hanc illi modo frictio abundè præstare potest, modò vel ignis, vel corporis alicuius naturâ calidi contactus.* Quis non videt quàm indistinctè comparet calidum potestate ad frigidum actu? nam si ad frigidum potestate, vtique præpollet statim. Sed & in summa conatur ostendere, quidnam sit calidum potestate in rerum natura, vt quod facilè ardet, illudque idem esse cum eo quod calidum est potestate, tametsi videat nec arsenicum, nec chalcanthum in flammam aut prunam facilè verti, cum tamen calidissima sint, nostri corporis comparatione. At fac vt ita sit: quanto melius erat se contrahere ad qualitatem, quæ talis potestate est in comparatione ad hominem? vt postea facit *cap. vlt.* vbi labitur quàm grauissimè: inquit enim. *Propria verò est vna in singulis ratio cuiusque qualitatis, seu medicamentum sit, seu nutrimentum, vt tale esse dicatur, si celeriter tale id fieri appareat, quale esse diximus, & quod nutrit celeriter nutriat, & quod vt medicamentum celeriter calefaciat.* In quo nescio quid dicam: nam sic ptisana calidior erit pipere aut carne; celerius enim multò concoquitur, vel ipso Galeno teste, *libro de ptisanâ, cap.* 6. Sed modò dixerit quantumuis bene, cum non defuturi sint, qui per cuniculos fugam moliantur; (sanè calidum dixerim vnumquodque, quod vbi ad actum peruenerit, calefacit: calidum vehementer, quod vehementer calefacit, non quod celeriter calefacit; multò minus quod celeriter nutrit, quandoquidem hæc sit vltima conditio: nutriunt enim celerrimè tenuissima, humidissima, naturæ humanæ simillima, & quæ moderatè calida sunt velut pinguia, tantum abest vt vel calida nutriant, vt calidissima prorsus non nutriant, & moderatè calida, in quarto ordine sint causarum nutritionis) Nos potestate tale dicimus, quod cum ad actum in nostro corpore peruenit, tale actu efficitur: neque operimenta potestate talia dixerim, (quamuis enim calida non calefaciunt) velut Galenus *secundo de simplicib. medicament. cap.* 23. qui illa numerat inter potestate talia, cum neque actu verè, neque potestate calida dicantur, sed ex accidenti:

neque

neque enim hoc solo modo calidum dicitur, quod neque potentiâ neque actu calidum est: sed trifariam, primò, vt operimenta; secundò, vt qui ex aquâ frigida incalescunt; tertiò, velut calx, & sulphur, & pluma. At verò quomodo aqua frigida calefaciat, abundè dictum est, scilicet calore intus contracto, vnde seipso robustior redditur. Sed quomodo operimenta calefaciant, id scitu iucundum. Quædam enim grauitate motum obscurum faciunt, motus autem quiuis calefacit: sed seu motus adsit, seu non, inter operimenta calefaciunt, plumea primùm & maximè omnium, inde pelles, post lana; colligunt enim vapores qui extra prodeunt calidi, quamdiu homo viuit & valet, quantumuis frigida sit cutis. Colligunt autem, quia rara valde, vt plumæ; vnde plumæ leuissimæ: aut quia licèt non adeò rara sint, pinguia tamen sunt, & ob id lana illota calidior est. Collecto igitur vapore calido multo operimenta incalescunt, quæ corpus excalefaciunt. Indicio est quòd priùs incalescunt operimenta quàm homines. Porrò quæ mediam naturam habent, ad vtrumque genus reducenda sunt, scilicet actus & potentiæ: at reliqua duo, de quibus diximus, ad actum tantùm. Nam vt ad tertium hoc genus redeam, etsi Galenus *secundo de temperamentis, cap. 2.* dicat actum à potestate distingui, quòd actus sensu dignoscatur, potestas solâ ratione; nihilominùs multo diligentius res indaganda est. Quomodo? vt discrimen operationis in actu, & qualitatis potestate doceamus, quod ab antiquis, vt pleraque alia pulchra (quòd principiis rerum naturalium veris, quæ ad qualitates pertinent, caruerint) intactum relictum est: initio facto ab exterioribus, in quibus euidentior operatio qualitatum in actu; sicut in interioribus, earum quæ sunt potestate. Dicamus ergo quòd calidum actu, vt demonstratum est, maiorem motum habet quàm calidum potestate: etenim ignis magis vrit longè quàm chelidonium minus, quamuis in quarto ordine calidorum à Galeno habeatur, *octauo de simpl. medicam. iuxta finem*; sed & allium & cœpe; calidissima etiam posuit lauri folia, *secundo de composit. medicam. sec. locos, cap. 1. sect. 10. iuxta finem*, & tamen manduntur. Sed & Asiæ petræ flos calidus & tenuissimus omnium terrestrium, vt *tertio de composit. medicam. sec. gen. cap. 2.* Hæcque omnia quæ in quarto ordine calida sunt, maximè si crassarum sint partium, escharam mouent admota cuti, vt Galenus testis est *quinto de simpl. medicam. cap. vlt.* sed non vt ignis: quædam verò non prorsus, vt Asiæ petræ flos, tum quia non adeò calidus, tum quia tenuissimus. Hoc igitur primum discrimen, celerius agere ac vehementius, quia magis calida, & cum maiore motu: qualitas enim illa quasi per se sola est, aut cum aërea substantia coniuncta: at quod potestate tale est, quoniam non adeò explicatam habet qualitatem, substantiam crassiorem secum iunctam habet; quo fit vt etiam remoto medicamento vratur magis pars quàm admoto igne, licèt admoto igne magis doleat propter vlcus. Est tertium discrimen, quòd quæ potestate calefaciunt, aut exustione calida facta sunt, vt calx, cinis, bitumen, sulphur, chalcitis, chalcanthum; aut putredine, vt cantharides & buprestis, indicio quòd antea vermes fuerunt; & dryinus serpens, indicio est quòd malè oleat; & dryopteris, malam qualitatem relinquunt. Ergo quæ actu calefaciunt, celeriter & vehementer, sed amoto medicamento parum agunt, & nullam aliam qualitatem imprimunt: quæ verò potestate, lentius ac minus calefaciunt, sed & diutius sublato medicamento, & peregrinam relinquunt impressionem siccitatis quæ exurit, & putredinis quæ corrumpit. Similiter & in interioribus medicamentis, quæcunque calida sunt, præter caliditatem ipsam, proprietatem substantiæ imprimunt, velut cor lupi, pulmo vulpis, viperæ caro, pineæ, & intubum: nam eadem est ratio frigidorum quæ calidorum. Sic ergo & magnum discrimen erit, inter caliditatem quæ fit ab igne & operimentis, & eam quæ fit ex oleo è populi nigræ floribus; *auocant* enim (vt dicebat Galenus in 4. *de tuenda sanitate, cap. 6. in fine.*) *humores extra, exercitatio, frictio, balneum, fomenta, iracundia etiam*: sed & cucurbitulæ; at nihil eiusmodi cum oleo illo, quod non solùm auocat, sed diutius id facere potest etiam à motu: tum verò concoquit, Concoquit autem cùm sit calidum in tertio, non minus quàm anethinum, quod est in secundo ordine, atque chamæmelinum. Id quâ ratione faciat, nunc dicendum est. Cùm concoctio innati sit caloris, non aduentitij, eadem caliditate quâ traxit, attenuat ac liquat, & suo lentore quicquid non tenuissimum digessit, retinet: contentum autem paucum & tenue, nec vlla ex parte concoctioni sua frigiditate resistens, à calore naturali vincitur, tum ob has tres causas, tum ob eiusdem caloris multitudinem ad cutim medicamento attracti. Atque eadem ratio de medicamentis ebibitis.

His visis alia consurgit maior difficultas de tertio genere caloris, de quo Galenus *quarto de simpl. medicam.* loquens de calore fructus concoquente, hæc habet: *Tum quòd calido maturescunt côcoquunturque omnes clarum est; tum quod idipsum duplex sit, alterum proprium & cuique ingenitum, alterum externum, à Sole videlicet, sed tamen naturæ ipsorum conueniens ac familiare.* Non me torquet id de calore Solis, quòd concoquat, seu vt oleum de populi flore, quemadmodum dictum est, seu quia diuinum sit quiddam, calor Solis, atque ob id naturali calido permisceri natum; & quia ad propositum non est: verùm de calore illo quæstio est, qui in arboribus concoquit fructus; hic enim neque actu est, sensu enim non percipitur. Quòd si dicas esse, sed non percipi; idem dicam de pipere & ligno, euerteretur que tota ratio caloris qui potestate est: sin autem dicamus calorem illum potestate tantum esse, nimis multa sequentur incommoda, & actionem esse sine agente, & animam sine instrumento, & opus sine vitâ.

Quamobrem dicendum est, calorem illum esse potestate, quia sensus id ostendit, sed actum habere ex Sole, sicut semina quæ non germinant, nisi stato tempore, interim quiescunt, quia calorem actu ex se non habent: non discernitur autem ille calor ab homine, quia planta omnis frigida est in comparatione naturæ humanæ. Sed video quòd dicturus sis, sinapis planta quando germinat, tum ficus quæ calidissima est, 8. *de simpl. medic. cap. de syce.* non tamen est calida ad tactum, & tamen admota corpori humano exurit illud. Respondeo quod calor ille potestate, Solis vi, sed non totus deducitur ad actum; neque deducitur ad actum perfectum, sed sufficientem vitæ illius: vel dic, quòd calor ille in actu non vrit, quia non est nisi calor Solis; applicatus autem fit calor igneus, quia putridus, putrescit enim quicquid applicatur homini, tanquam ab alieno calore in actu. Et etiam hæc aduersitas potest contingere, quia elementa sunt refracta in homine, non eodem modo in cane, multo minùs in planta. Et ista sufficiunt apud Medicum: quia diuersitas hæc contingit comparatione ad aliud quàm ad corpus humanum: & Galenus vult in *tertio de Medicam. sec. gen. cap. 6.* quòd tota hæc comparatio fiat ad corpus humanum, & non solùm humanum, sed dicit temperatum, quod esse verum potest in tractatione, sed in operatione non est verum. Sed neque hoc ipse Galenus obseruat, imò variat medicamenta iuxta naturam corporum & ætates, vt in pueris vtitur valde humidis medicamentis, & in iuuenibus siccioribus, & in senibus siccissimis. Imò ipse dixit in *septimo Artis curandi, cap. 15. in princ. Quæcunque calidiores natura partes ex frigore laborant, hæ & liberalius & diutius calefieri postulant; sicuti etiam quæ frigidiores natura sunt, si ex calore laborent, refrigerari; & sicciores, si ex humiditate male habeant, siccari; ad eundem verò modum & humectari, quæ humidiora naturaliter sunt, vbi ex siccitate laborant, tum vberius, tum diutius postulant: quippe eatenus redeat ad naturam, eorum quodque necesse est, quatenus à natura recessit, ac veluti quadam via retroferatur, quæ in diuersum agat ei, quæ facta est in ipso, transmutationi. Contra vero pars quæ calidior natura est, si calido morbo ægrotat, exigua breuisve temporis refrigeratione eget; sicut quæ frigidior est, calefactione; ad quem modum in humidis quoque & siccis se habet: siquidem paruùs est in huiusmodi, in id quod præter naturam est lapsus: quare & rursus in id quod secundum naturam, reditus.* Sed hæc satis intelligenti; nam non intelligenti ad hæc comprobandum, quid sufficiet.

Superest vltima quæstio, de calore puelli atque catuli, quem Galenus *septimo artis curandi, cap. 7. in fine*, satis collaudat; diciturque quod Dauid Rex Iudæorum, dormiebat inter duas puellas, vt confirmaret calorem naturalem, eo quod erat valde senex. Hîc ergo duplex est quæstio. Prima est, quomodo calor ignis debilitet calorem naturalem, & calor operimentorum conseruet, & calor pueri vel virginis augeat. Secunda est generalis, quomodo calor admotus exterius, possit confirmare calorem natiuum. Contrà tamen vult Aristoteles *quarto Meteor. cap. 1.* & Galenus *secundo de differ. febr. cap. 9.* qui volunt quod omnis calor externus dissoluat natiuum, imo corrumpat & putrefaciat: & ad hoc est triplex ratio. Prima, quia calor externus auocat naturalem, rarefacit & debilitat. Ergo quomodocunque iuuet, non poterit tantum iuuare quantum nocet. Secunda, quia calor aduentitius consumit humidum, quod est subiectum caloris innati: omnis enim calor est cum motu, & omnis motus separat, & omnis separatio attenuat, & omne quod attenuatur, tandem dissoluitur. Igitur dissolutio subiecto proprio, necesse est calorem etiam minui. Tertia ratio est, quia videmus homines in quouis calore, etiamsi sit ex congregatione hominum, malè se habere. In oppositum præterea quæ dicta sunt *tertio de victu in acutis, comm. 29. Coctioni autem perpetuo calidum opitulatur confertque, frigidum verò renititur & aduersatur.* Et manifestum est quod loquitur de calido actu non potestate, quia Hippocrates habet in *textu: Oxymel perquam tepidum dabis.* Dico ergo primum, quod aliud est de coctione alimenti, aliud materiæ morbi loqui. Calida & humida actu conueniunt in coctione materiæ morbi, tum quia attenuant eam, tum quia remouent impedientia coctionem: at in coctione cibi sufficit calor naturalis ab exercitatione adiutus. Quòd si aliquid sit impedimenti, debet adiuuari à simili. Si ergo calor pueri potest concoquere cibum proprium, poterit etiam congeminatus concoquere alienum; sicut videmus de duobus pueris aut viris simul dormientibus, qui sunt calidiores quàm si dormiant separatim; & quatuor libræ carnium melius coquuntur in duobus lebetibus propè positis cum duplo ignis, quàm si singuli sint separati, & adhibita fuerit vnicuique eorum, medietas eiusdem ignis. Coctione igitur meliore factâ, postmodum calor naturalis augetur: idem dico de adolescentula. Quare concludo quòd puellus vel puella applicata ventriculo, per se debilitant calorem naturalem, sed per accidens confirmant; cùm & in hoc casu plus iuuet quod est per accidens, quàm noceat quod est per se. Idem dico de puluinari plumeo, quod didici à matre mea, & teneo perpetuo super ventriculum, de oleo ex nuce myristica, vel lentiscino, quorum vtrumque probaui, quibus melius etiam est oleum de absinthio Macedonico odorato. Ista enim colligunt calorem, & auocant ad locum; & licèt debilitent aliquantisper, auocando ipsum exterius, attamen magis iuuant trahendo ipsum calorem à toto corpore ad ipsum ventriculum horâ coctionis, & tale detrimentum in robustis non sentitur; & in imbecillibus est necessarium, ad euitandam maiorem iacturam, quam subituri essent. Ergo in vtroque casu conuenit. Ideo patet quod talia auxilia non debent adhiberi, nisi cum cibus concoquitur, aut si est inunctio, paulo ante assumptionem cibi.

CAPVT

Caput IV.

De actu calidorum, ad humanum corpus comparatorum, effectibus.

SEd iam magis specialiter de reliquis agamus: & primùm videamus, quibusnam calida in actu conueniant, initium facientes à perfusionibus in præcordiis, quas semper calidas esse oportet, teste Galeno in *libro de Medico, cap.* 13. ratioque id suadet; nam præcordia calori nimis assueta, nimiùm perterrentur à frigidâ, ideò dicebat Hippocrates in *libro de Humidorum vsu*: *Spina, pectus, dorsum, præcordia, frigidâ magis aggrauantur; calidâ verò gaudent, & ferre ipsam possunt: propterea sanè spina, pectus, dorsum, præcordia, contraria perpessa sunt: & thorax quidem & ventriculus à frigidâ superatus molestè fert, & mortem minatur, quia maximè desuetus est. Imus quoque venter calidâ delectari videtur, & extremæ partes, & vesica, & genitalia, & penis glans, & quæcunque naturâ frigida sunt, & tegi assueta: quicquid enim insuetum est, longissimè à familiari calore abest, ideò natura auersatur: similiter & vlcera, & ambusta, & desquammata, & posteriora magis quàm anteriora calidâ gaudent, velut contrariâ ratione extremitates, quas nudas habere solemus, & in syncope, frigida*: è diuerso *vbi crudus humor abundabit, semper calidis vtendum est*, dicebat Galenus *duodecimo Artis curandi, cap.* 3. *in fine*. Quòd si syncope ex humoribus crudis adueniat, dicit, primâ vice dabimus vinum frigidum aut frigida dilutum, reliquis autem vicibus, vinum frigidum calidâ dilutum. Vnde colligitur regula generalis, quòd nihil dandum est calidum, quod à calore corrumpatur, velut vinum, aqua ardens, & huiusmodi. In doloribus verò capitis, dicebat Galenus *secundo de Medicam. sec. loc. cap.* 1. *sect.* 2. factâ purgatione totius corporis est animaduersione dignum, quòd debemus applicare tepida, vbi materia sit frigida, sed vbi sit calida, debemus applicare frigida. Et ita deuitat calida semper, & hoc, quia periculosa est vehemens caliditas in actu, non autem ita in potentiâ: nam adhibet emplastrum de fimo columbino, *quinto Meth. cap.* 13. Calida enim in actu possunt trahere ad cerebrum materiam, aut quod periculosius est (quia supponitur corpus purgatum,) facere fluxionem repentinam. In lotione tamen capitis, Auenzoar iubet adhiberi calidissimam, quantum ferri potest, & ita est in vsu. Et causa differentiæ est duplex. Prima, quia non præsupponitur ibi materia congregata, & caput etiam sanum Secunda, quoniam quæ multum excalefaciunt, nisi multum digerant, vehementer lædunt. Quæ omnia colliguntur ab Hippocrate & Galeno, *quinta Aphorism.* 16. tum verò maximè circa cerebrum, hæc periculosissima sunt. At lotione capitis quæ fit cum feruido lixiuio, necesse est tum ob digerentem facultatem, tum ob crebram & abundantem superfusionem difflari & euacuari omnia excrementa, caputque alleuiari: præcipuè si ex Celsi præcepto *lib.* 1. *cap.* 4. frigidâ lauetur: inquit enim cùm de balneo calido locutus esset priùs: *Capiti æquè nihil prodest, atque aqua frigida; itaque is cui hoc infirmum est, per æstatem id bene largo canali quotidie debet aliquandiu subiicere: semper autem etiamsi sine balneo vnctus est, neque totum corpus refrigerare sustinet, caput tamen aqua frigida perfundere: sed cùm cæteras partes attingi nolet, dimittere id, ne ad ceruices aqua descendat, eámque nequid oculis, aliisve partibus noceat, defluentem subinde manibus ad os regerere.* Verùm ventriculo frigido & sicco cùm frigida minimè conueniant, neque cataplasmata calida Galenus admittit *septimo artis curandi, cap.* 7. *in fine*: neque in calidâ & sicca intemperie, frigidæ aquæ potum suadet *cap.* 9. Et generaliter siccæ partes à calidis semper, à frigidis autem si lædantur, grauiùs læduntur. Verùm feruida ventriculo iubet Galenus applicari auxilia, *octauo artis curandi, cap.* 5. causam addens quòd à tepidis exoluitur ventriculus: ita intus etiam *primo ad Glauconem, c.* 14. in imbecillitate ventriculi calida aquam frigidam dari iubet, in frigida vinum calidum. Videtur ergo caput contrarium esse ventriculo: in capite siquidem extrema refugit, probat tepida; in ventriculo refugit tepida, probat extrema: quod etiam alia ratione facit, quoniam scilicet vis medicamenti ad imum vix penetraret, quandoquidem & illius os, quod stomachum vocant, & fundus ventriculi plurimùm distent à cutis superficie. Verùm vt cerebri normam sequuntur cor, & iecur, & testes; ita ventriculi, vterus & intestina. Vesica verò calida vehementer perfert, frigida non ita. Renes contrariâ ratione frigida perferunt, calida non semper; tamen in doloribus, tepidis est vtendum, vt suo loco declarabimus. Illud verò memoriæ mandandum, quod scribitur ab Hippocrate, *secunda aphorismor.* 51. quòd cùm *plurimum atque repente calefacere, vel refrigerare periculosum sit*: id solùm triplici in casu facere conueniet; aut vt repentè id agamus; aut vt periculum omnino absit ob virium robur vel munimen; aut vt necessitas cogat. Cæterùm non solum calida, sed etiam feruentissima in neruorum vulneribus in vsu esse debent. Actu quidem dico: nam & de potestate quis ambigit, cum *tertio de medicam. sec. genera, cap.* 2. Euphorbium adhibeat? & de actu rationem exponere oportet: qui enim sine ratione nouit, nec certè nouit, nec ad alia traducere potest. Calidissima igitur omnem intemperiem ex vulnere nerui ortam (est autem frigida) tollunt, & humorem noxium auferunt, vnde conuulsionis periculum adimunt, & vitæ, & siderationis; congelatur enim neruus ex frigore, & ob id contrahitur & conuulsionem parit, à calore verò mollescit, distenditur, & confirmatur, atque hoc etiam magis accidit ob nutrimentum quod ei inest glutinosum. Cæterùm in aliis vulneribus vehementer calida potentia Galenus refugit, *tertio Methodi, c.* 8. apertè. De actu autem calidis dicemus.

Consideran

Considerandum est etiam, quibus maximè conueniat, aut calefacere, aut refrigerare: & calefacere quidem conuenit primùm refrigeratos, ne membra lædantur; deinde eos quibus ex stipatâ cute sudor non profluit, quod consulit Galenus *tertio de tuendâ sanit. cap.* 10. Calor enim sudorem cit, quoniam liquat humores attenuátque, præcipuè autem quicquid est serosum in corpore toto; vnde occurtens aëri frigidiori quàm corpus nostrũ sit, (nam & æstiuus multò frigidior est visceribus nostris,) in aquam cogitur (non secùs ac fumus qui ex fistulis seu canalibus vasorum, in quibus herbas destillant,) & exit. Et cùm volumus refrigerare corpora, & multò magis humectare, vt Galenus docet in tertianâ febre faciendum esse, *primo ad Glauconem, cap.* 9. Et cùm volumus pus mouere, non solum actu sed potestate calida, de quibus *quinto de simpl medicam. cap.* 9. agit, admouemus, nempe calida moderatè in vtroque scilicet genere: nam calida vehementer prohibent suppurationem. Sed neque vlcera putrida, neque exesa, nec ea ad quæ fluxio assidua peruenit, talia enim à calido & tepido deteriora redduntur & irritantur, ex *comm. ad Aphorismum* 22. *sect.* 5. Circa quod notandum est, quatuor esse ordines calidi in actu ac frigidi, velut & calidorum ac frigidorum potestate. Nam post temperatum (gratiâ exempli) magna est latitudo suauis teporis [MS. *temporis*] & ancipitis caloris, quæ tota sub temperato continetur: vbi verò manifestè sentitur: sed non solum non lædit, verum neque permutare videtur, tepidum dicitur, éstque initium primi ordinis: vbi verò nos manifestè excalefacit, nullum tamen prorsus affert dolorem, & consuetudine reditur iucundum, cùm primo occursu iniucundum quendam afferret sensum, vocatur initium secundi ordinis: vbi verò sensum lædit nec ferri potest, ablato tamen calido nec dolor, nec vitium in particulâ remanet, tertij ordinis initium est, vocatúrque feruidum, vt secundus ordo absolutè calidum: at quartus ordo vrentium est, cùm & sensus grauissimè læditur & dolor maximus excitatur, & particula corrumpitur. Horum cuiusque propria est quædam operatio: nam vrentibus vtimur ad auferenda corrupta ossa, ad tollendam malam intemperiem ex membro, ad humores corruptos delẽdos, ad morsum venenatorum auocãdum, ad sistendum sanguinem, ad præcisionem magnorum membrorum, multiplicis necessitatis causâ. Feruidis autem vtimur in maximis frigiditatibus, in attrahendo discutiẽdóque vehementer, tum verò maximè in doloribus, flatuosis, cùm adhibemus cucurbitulam, quæ ex genere feruidi auxilij est; imò etiam in dolore ex flatu cum materiâ, priùs adhibet cucurbitulam, antequã immittat clysterem ex oleo rutaceo [MS. *rosaceo.*] Et hoc est quod dicit Princeps 4. 1. c. 1. *Et Cùm ad diuersum trahere volueris, dolorẽ prius seda.* Porrò vtilitas cucurbitularum est multiplex: inflationem enim discutiunt, & ob id dolores leniunt, solutâ intemperie etiam grauitates alleuant, phelgmonas auertendo minuunt, quæquæ in profundo sunt, ad superficiem transferunt, capitis materiam euacuant, cataphoras sedant, & bonos somnos conciliant, fluxiones sistunt, & sanguinis eruptiones cohibent, nihilominùs mensium circuitûs deficientes adiuuant, velut & hæmorrhoidarum sanguinem trahunt, si consuetus iam defecerit, rigores quoque finiunt, & circuitus noxios impediunt: sed & corruptos humores attrahunt ad cutim, animi defectiones tollunt, exolutum ventriculum roborant, & ciborum appetentiam excitant. Hoc autem maximè ex loci differentiâ duplici, aut per se, velut quæ inter coxas bonæ, quæ super spathulas malæ, aut cõparatione, auertendo, auocando ex intimis, deriuando & euacuando; tum ratione propriâ. Siccæ confirmant sed non euacuant; quæ cum incisione sunt, euacuant sed debilitant: & rursus ratione magnitudinis & multitudinis caloris. Dicebat enim Galenus 12. *Artis curandic.* 8. quòd cucurbitula magna cũ multo igne, etiamsi materia adsit crassa & lenta similem præcantationi effectum in sedando dolore agit. Tum ratione opportunitatis temporis. Et Princeps cucurbitulas connumerat etiam inter illa, quæ augent calorem naturalem. Calidorum verò opus seu caliditatis nam non facio discrimen inter calidum & caliditatem: quanquam non ignorem Galenum 1. *de elementis, c.* 6. & 1. *de Temperam. c.* 7. nimis iusto plura more solito nugari, tanquam deesset materia vtilis, & multiplex, ac necessaria ad implendum chartas: nihilominùs res ad tria capita redigitur. Primum vt intelligamus per caliditatem, solam qualitatem, rectâ nominum ratione vtendo; per calidum autem, ipsum etiam subiectum. Secùndum, quòd in calido naturali adeò qualitas est annexa substantiæ, vt parum intersit, dicásne calidum caliditatémue, & vnum sæpius pro alio accipiatur. Tertium, quòd in his quæ ex accidenti calida sunt, cùm ad opus referuntur, parum interest, calidúmne dicas an caliditatem, quandoquidem principalis operatio calidi sit calefacere, & rursus nullam qualitatem agere absque subiecto:) est, quòd per se excretiones omnes mouent ac prouocant, adeò vt etiam calida aqua adhibita, alui excretiones creet, teste Galeno *quinto in sextum Epidem. comm.* 27. Idem etiam dicebat in *tertiodecimo Methodi, cap.* 8. quòd modicè calefaciẽtibus dolor sedatur in phlegmone, nam mitigant [MS. *iram mitigat,*] & digerendo etiam phlegmonem minuunt, vt tamen videatur tam de caliditate quæ in actu est, quàm quæ in potentiâ est, intelligere. Et vt regulam quasi generalem constituam, ne Galenum toties arguere cogar: medicamenta omnia talia debent adhiberi tam intus quàm extrà actu, qualia sunt potestate, vt lactuca frigida, & anethum calidum, chamæmelum tepidum. Quæ regula colligitur ex *nono Methodi, cap.* 5. dum dixit, Erysipelas interius non aliàs meliùs etiam ante coctionem, quàm frigidæ aquæ potu sanari. Et euidentiùs in *libro de Marcore, cap.* 8. Erysipelas marcori iunctum si sit, curat

rat frigidis actu & potestate, tam intus quàm extrà. Verùm euidentissimè *primo de compos. medicam sec. gen. cap.4.* in Erysipelatis curatione medicaméta frigida potestate, niue refrigerata adhibet. Sic igitur intelligendus est *quartodecimo Artis curandi, cap.3* vbi eiusdem morbi docet curationem. Sed obstat quòd in *quinta aphorismor. 23.* tam Hippocrates quàm Galenus licèt consulant adhibenda frigida in erysipelate non vlcerato, (& intelligitur de frigidis actu) tamen negant in vlcerato frigidis vtendum: & ideò bene fecisset Galenus talia distraxisse: & nunc rogo Medicos istos, qui se adeò Galenicos profitentur, vt mihi dicant, quomodo Erysipelas curarent, vt tametsi adiuti ope nostrâ, cùm vnum hìc, aliud ibi, aliud alibi præceptum tradiderit, non satis constet cum illis omnibus quid agendum. Quòd si modo periisset liber de Medicamentis secundùm genera aut, ἀκέφαλος extitisset, tota illius morbi tam sæui, támque familiaris vbique, cura excidisset; nisi quis existimet parum interesse in huiusmodi affectibus. an tepida, an temperata, an frigida, an frigidissima adhiberi debeant: nam calida non commemorabo; quippe neminem sanæ mentis futurum spero, qui id existimet bonum esse. At tepidis multos lapsuros credo, cùm multos labi videam, nec paruo detrimento; nam si frigidissima iuuant & conueniunt, tepida nec conueniunt, nec sine magno detrimento adhiberi poterunt. Ergo vt dixi, par ratio erit actus atque potestatis, nisi quòd ob vehementiam qualitatis calidæ actu, sufficiet medicamenta calida facultate, tertij & quarti ordinis, calida satis, non tamen feruentia adhibere, & in erysipelate vlcerato, donec erysipelas manet, frigida quidem potestate, temperata autem actu applicare. Sed vt ad ordinem redeam, calida actu vehementer, vt dixi ex *tertiodecimo Methodi*, phlegmonas augent & dolores. Quinetiam sine phlegmone, vt dicebat Galenus *secundo de differ. febr. cap. 11.* sola caliditas vel dolor in corporibus repletis fluxionem facit. Quinetiam generat rigorem & horrorem: vbi corpus plenum fuerit malis humoribus: velut *tertio in sextum de Morbis vulgaribus, comm. 26.* & *quarto de Tuendâ sanit. cap. 2. & 6. in fine*, docet Galenus: à calido enim & frigido horrores fiunt & rigores, atque eodem modo, scilicet motu ipso: sed calor quidem trahit, frigus autem intus compellit, vnde etiam magis mouet rigores & horrores, trãseuntibus humoribus acribus super membra neruosa, & præcipuè musculos. Præterea calor etiam refrigerat, atque id sæpius ac multifariàm: primum quidé euacuatâ calidi innati substantiâ, tum etiam humoribus calidis, vt Galenus docebat *secundo in sextum de Morbis vulg. comm. 9.* Vel quòd corpore rariore reddito [MS. *cum corpore rariore addito*,] frigori ingrediendi fit obnoxium; aër enim semper frigidior est comparatione viscerum, eúmque modũ docuit Galenus *secundo ad Glauconem. c. 2. in fine*: vel cùm id quod calefacit actu, potestate refrigerat, velut balneum; atque hunc modum etiam non intactum reliquit Galenus, *quinto in sextum Epid. comm. 36.* Caliditas præterea desipientiam parit, tangitur à Galeno optimè *primo Prorrhet. comm. 8.* per exemplum carbonum, & est calor in actu, & per exemplum domus illitæ calce recenti nuper, & est caliditas potestate. Circa quod scire expedit, quòd quæcumque calida sunt vehementer potestate, calida etiam sunt actu, velut fodinæ chalcanthi, vt etiam narrabat Galenus *nono de simpl. medicam.* vbi dicebat, quòd vincti illi nudi ob caliditatem manebant: idem dico de fodinis sulphuris & bituminis, & domibus vbi calx seruatur. In his omnibus calor est adeò vehemens, & propinquus actui, vt ex quauis causâ in actum transeat, seu per antiperistasin, seu per putredinem, vt in fimo equineo, seu per calorem in actu, velut à Sole, seu per attractionem, seu per motum; in calce autem domui illatâ remanent partes crassiores, quæ per antiperistasin, licèt à principio non potuerint vnà cùm tenuioribus inflammari, tandem accenduntur; & ita metallica calida potestate, fermè semper fiunt calida actu: sed & semina, & piper, sinapis, thlaspi, garyophylli; & radices, præsertim cùm valde siccæ fuerint, & redactæ in puluerem, excalefaciunt aërem, vt gingiber: idem dico de lignis, vt agallocho, & fructibus duris, & nuce myristicâ, & macere eius cortice. Talia, dicit Galenus, & potus vini faciunt desipientiam etiam sine humoribus ebrietati similem, vt *sextâ Aphorismor. comm. 51.* Plerumque tamen insania fit, caliditate vapores ad caput impellente vel attrahente, quoniam rarò vel nunquam ex solâ qualitate fit, vt dicebat Galenus *tertio in sextum de Morbis vulgar. comm. 36.* Et causa quod caliditas modò attrahat, modò impellat, dicta est superiùs: sed hìc magis distinctè, & est triplex: prima, ignis trahit à parte, à quâ est motus, & impellit ad partem, ad quam est motus; & ideò impellit ad partem superiorem, quia ad illã mouetur, & trahit à parte inferiori, quia mouetur ab illâ; & hoc est ex consecutione corporum, & est declaratum à nobis *secundo de subtilitate.* Secunda est, quia trahit humidum pingue, & trudit humidum aqueum. Tertia est propria in corporibus animalium, quia trahit nata ascendere, vel ratione leuitatis, vel nutrimenti, vel impulsu, & expellit grauia vel excrementa, vel quia in loco cõtineri non possunt. Ipse verò calor fertur vel ad alimentũ vndequaque; vel sursum, cõtrarietate naturæ terræ & aquæ; vel ad principiũ, sicut ad cor in animalibus; vel quia truditur, vt à vento; vel quoniã deficiente materiâ, per cõtinuitatem, ne inane admittatur, sequitur quod trahit. Porrò non solùm insaniæ à calore fiunt, sed & multi alij morbi, vt dicebat Galenus *libro de tremore & palpitatione, cap. 6.* & principaliter febres, & erysipelata, seu ignis sacer Latinè? tum verò carbunculi, & vigiliæ, inquies & motus varij, vt *secund. de locis affectis, c. 9. iuxta fine.* docet Galenus: vbi etiam dicit, calidarum aquarũ balneas, licèt minùs quàm potabilium, somnum inducere.

Est etiam illud animaduertendum, quod calor ille qui totum motum seruat, naturalis dicitur; vnde qui maximè mobiles, maximè vitales, ideo mobilissimi [pueri :] contrà senes maximè inertes & tardi. Qui verò motum omnino tollit, exitialis est, velut ignis vapores ex antris sulphureis, ex fodinis auripigmenti. Qui verò partem [motûs] prohibet, putridus vocatur; ideò calor putridus humidus est, nam siccus motum prohibere non potest, & ideò non est exitialis, nisi valde exuberet. Calor igitur siccus dicitur aduentitius, quia naturalis non est, eo quòd motum impedit; nec putridus, quia non valde motum impedit, ideò dicitur aduentitius. Et si quis dicat quòd impedit & suffocat, quando est magnus. Dico quòd non est verum, imò experimentum docet, quòd si sit planè siccus, prius vrit quàm suffocet: videmus enim in clarissimis diebus, quamuis ardentissimo Sole, in locis liberis homines non suffocari; in nocte, quæ non est pro quartâ parte calida, homines suffocari in cubiculis. Sed & in rebus non viuentibus, calor conclusus putredinem generat: vnde *quarto de simplicibus medicam. cap.* 12. Acetum, quia ex putredine genitum est, calefacit. Quocirca dubitare expedit, num calidum possit astringere; nam crocus est in secundo ordine calidus, & siccus in primo, vt *septimo de simpl. medicam.* habetur, & est tenuium partium, & tamen astringit, *sexto de composit. medicam. sec. loc. cap.* 1. tum de sexcentis aliis: nil mirum est de atramento sutorio, quòd cùm calidissimum sit, etiam valde astringat, quoniam crassarum sit partium. Respondeo, quòd esse astringens necessariò est terreum: cum hoc tamen esse potest, quod præualeant partes tenues multitudine, vel etiam partes illæ terreæ sint adeò exustæ & ex materiâ prius bene concoctâ, velut cinis surculorum fabarum, qui inter cineres est vehementis caliditatis, & astringit propter eam quæ in fabâ est vehementem astrictionem, vt etiam possit esse tenuium partium.

Reuertendo ergo ad ordinem & propositum, dictum est quòd calida adaugent phlegmonas & dolores, & tamen reponuntur in genere eorum quæ sedant dolores. Respondet Galenus *secundo de victu in acutis, comm.* 1. quod calida fomenta ex se digerendo per halitus, minuunt phlegmonas & dolores: in quantum verò trahunt à toto corpore, augent vtrumque. Si igitur plus trahunt quàm dissoluant, augetur phlegmone & dolor: sin autem plus dissoluant quàm trahant, minuitur. Trahunt autem plus quàm dissoluant, si corpus sanguine plenum fuerit, dicit Galenus; addo ego, & si sanguis crassus fuerit, & cutis densa, & humores mobiles, & si fomenta lenta sint & potestate crassa, (nam quod ad caliditatem attinet, de eâ quæ est in actu, sermo est apud Galenum.) Contra si corpus sit mundum, & fomenta tenuia, nec lenta, & cutis rara, & humores quieti & tenues, plus dissoluetur quàm attrahetur. Docet autem hoc in *tertio de simpl. medic. cap.* 17. inquit enim: *Quæ autem penitus tenuia calidaque sunt, magis digerunt discutiuntque humores ex corporibus, quibus admouentur, quàm alios ipsa apponant.* Simili ratione calida & emplastra & vnctiones, & suffitus, grauitatem capitis faciunt, quoniam calidum attenuat, quod verò tenue est, caput suapte naturâ petit, inquit Galenus *quinta Aphorismorum, comm.* 28. Idem inquit in *libro de instrumento odoratus, c.* 6. addens, quod talia quæ vehementer odorata sunt & calida, non solùm aggrauant, sed etiam implent & lædunt caput, & dolores quandoque excitant: nihilominus videtur dicere, *primo in primum Epidem. comm.* 8. quod cum vigent calores, caput est firmum; quidam legunt *infirmum*, ex contextu sequentium. Dico quod potest legi vtroque modo; quia æstate capita sunt leuiora quàm hyeme. Ideo aliud est dicendum de constitutione totius temporis & aëris, & aliud de qualitate applicatâ vni parti: calidus enim aër difflat corpora, & extenuando humores, pura reddit illa, & colliquat excrementa cerebri, & illud mundum reddit, & etiam eius temperat frigiditatem: & ideo nati in regionibus calidis sunt ingeniosiores & sapientiores quàm in frigidis. Aliud est ergo de medicamento vel auxilio speciali, aliud de constitutione aëris generali [loqui.] Et similiter aliud est de naturali statu aëris & quieto, aliud de præternaturali constitutione factà à ventis; nam calida semper est mala: vnde illud, *tertia Aphorismorum*, 5. *Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes.* Similiter calor in tempore non proportione respondenti, velut vere & hyeme, semper lædit & aggrauat, quia fit mutatio maior, quæ percellit corpus vehementer, & ideo etiam vehementer lædit; vt etiam *tertio de Tuenda sanit. cap.* 10. & est regula generalis: cùm omnis calor & frigus & actu vehemens, lædat corpus vehementer, tum cum vnum alteri succedit repentè & permanserit, etiam vehementissimè lædit. Excipiuntur quoties in robusto corpore & consueto, cum volumus illud robustius reddere, facimus innatationem frigidæ, sed non debet esse longa. Similiter & post frigiditatem vehementem, quæ morbum aut dolorem fecerit, viribus validis admouere calorem vehementem, non solum liberat ab affectu, sed etiam voluptatem affert. Quandoque calida adhibemus necessitatis causa, velut balneum, vt in *libro de Renum affectibus, cap.* 4. Secus si necessitas absit, vitandum, quia vires deiicit, vtendumque tepidis: non solum autem actu calida deiiciunt vires, sed etiam potestate; nec solum deiiciunt vires, sed etiam febres accendunt: quæ duo mala sunt potissima, communiaque tam calidis actu, quàm etiam potestate, vt *libro de sectione venæ, cap.* 6. sed in his quæ potestate, cum ad actum reducuntur. Interest autem (quod maximè considerandum est) inter potestate calida & actu, quod quæ calida potestate sunt, magis accendunt febres, parum deiiciunt vires; quæ autem actu, multum deiiciunt vires, parum incendunt febres. Causa autem quare calor non naturalis deiiciat vires, colligitur

ex

ex Galeno, *primâ Aphorismorum, comm.* 15. cùm dixit quòd *calor naturalis expellit solùm excrementa; non naturalis autem non solùm inutilia, sed vtilia.* Dico, verum esse quod de naturali dictum est; sed vt diligentiùs intelligas, de non naturali distinguere diligentiùs oportet: diximus enim suprà, quòd non naturalis calor duplex est, ascititius, & præternaturalis. Ascititius dissoluit serosa, & tenuia, & spiritus maximè, & liquat humores, non tamen nisi raro, & ex longâ & validissimâ exercitatione; dissoluit humidum morbosum, & ideò non breuiat vitam, imò plerumque potiùs producit: sed incendiarius qui est febribus communis [MS. *communibus,*] dissoluit etiam vtilia ac necessaria vitæ, scilicet humidum paratum nutritioni membrorum, & ideò longæ febres breuiant vitam, & similiter qui sæpius illis ægrotant, tum propter id, tum maximè propter alia, vt sectionem venæ, purgationes, vigilias, [breuioris sunt vitæ.] Istæ tamen febres non putrefaciunt humores sicut pestilentes, quæ fiunt ex putrido calore, neque corrumpunt humidum proprium membrorum, sicut hæcticæ confirmatæ, ideò hi calores sunt deterrimi. Tertium discrimen est caloris per se & per accidens, velut enim calor siccus attenuat, humores digerit, atque extenuat particulam aut totum: cum humido autem suppurat & implet: tum verò quæ tenuia sunt magis digerunt & extenuant pari ratione caliditatis & siccitatis: quod etiam verum est in his quæ potestate calida sunt, vt declarabat Galenus *vndecimo de simpl. medicam. cap. de Castoreo*: ita constitutio calida, si fuerit etiam sicca & cum tenui aëre, vel cubiculum, vel sacculus, vel puluis inspersus, erunt multò vtiliora capiti quàm frigida, licét sicca & tenuia. Simili ratione calida non nocent oculis, si tamen sint vapores, & maximè acres vehementer oculis nocent; ideò fumus valde noxius est illis, non quia calidus, sed quia vapor, & acris: quæ ratio vera est etiam in potestate calidis, quemadmodum docet Galenus *quarto de compos. medicam. sec. loc. cap.* 1. *sect.* 7. Tepida verò, vt antea dixi, sedant dolores & expertia sunt noxæ debilitandi, vires conueniunt plerisque cataplasmatibus, quoniam primò omnibus imbecillibus, non enim debilitant vires; febrientibus, quia non intendunt febres [MS. *feces*;] omnibus morbis & doloribus frigidis, nisi fuerint valde frigidi, quanquam & in his conueniant: tum verò in phlegmonis, & doloribus calidis omnibus, præterquam igne sacro; in quo etiam ex quatuor casibus conueniunt in tribus: primus, cùm fuerit vlceratus; secundus, cùm fuerit inueteratus morbus, tertius, cùm fuerit valde profundus, nam si adhibueris medicamenta frigida, actu magis calefacient, cutim densando, quàm refrigerabunt, cùm longiùs absint à loco patiente, & interposita sit multa caro, velut de pulmone: at in ventriculo Galenus applicat frigida actu, quoniam parum interiacet carnium, & nihil ossium. Quocirca dubitare expedit, cur in huiusmodi affectu non vtatur aquâ frigidâ tantùm, quia si frigida actu conueniunt, potestate frigida nihil prodessent; non enim possunt prodesse, nisi deducta fuerint ad actum; & non possunt deduci ad actum, nisi sint calefacta. Ergo vel actus vel potestas sunt superflua. Propterea dico, quòd veritas est quòd aqua frigida plurimùm potest; nihilominùs bene faciunt etiam potestate frigida, & Galenus ea adhibet propter duas causas: prima, quia vbi profundus aliqualiter fuerit affectus, frigida (vt dixi) in actu, non adeò penetrare possunt, & etiam densando excalefaciunt: diximus enim suprà, quòd frigida potestate non adeò densant cutim, vt frigida in actu. Secunda causa est, quia ex frigidis potestate tollitur causa morbi, & fit impressio diuturna. Et licèt frequenter remouendo, antequàm incalescant, non reducuntur ad actum secundùm se tota; tamen ob vehementem caliditatem morbi, partes tenuiores ad actum deducuntur, & ita iuuant. Et si quis obiiciat ex *decimo de compos. medicam. sec. loc. cap.* 9. quòd ex caliditate immoderatâ cum humoribus crassis & lentis fiunt flatus, & dabat exemplum de Priapismo, & ita possent augere dolorem. Respondeo quòd discrimen est inter calidum externum & internum, quia ex calore externo tantus non potest generari flatus, quantus discutitur, & maximè si fomentum fuerit planè siccum & tenuium partium: & ideò concludo quòd tepida mitigant dolores.

CAPVT. V.

De operationibus frigidi.

RELiquum est vt postquam de calidis egimus generaliter, idem doceamus de frigidis, paucis verbis: non cùm calidum & frigidum sint contraria, in his quæ sunt per se, contrarios semper faciunt effectus, plúsque semper facit calidum quàm frigidũ, quia calidum magis agit; præterea calidum adiuuatur à sicco, frigidum ab humido; & vt calidum exiccat plerumque & per se, ita frigidum humectat per se & plerumque: calidum quoque & frigidum, vbi vnum & eundem effectum pepererint, tunc si vnum per se id effecerit, aliud efficiet per accidens; & eo in casu cæteris paribus plus aget quod per se, quàm quod per accidens. Idem dico vbi sint causæ contrariorum, & vnum sit causa per se, aliud per accidens. Vel vbi vnum & idem ex his sit causa contrariorum, vnius per se, alterius per accidens, semper id cuius est causa per se, erit validius & maius, quàm id cuius est causa per accidens, præterquam quod secunda causa genita per accidens fuerit validior causâ per se; velut aqua frigida per se refrigerat, eadem densando cutim, colligit vapores calidos præter naturam, & cogit calorem naturalem; collectio caloris præter naturam, & densitas caloris naturalis, plus faciunt ad calefaciendum, quàm frigiditas aquæ ad refrigerandũ.

Igitur aqua plus calefaciet per accidens, quàm per se refrigerabit.

De membris, cùm medicamenta debeant esse semper contraria morbo, & similia membro & naturali temperamento, *tertio Artis curandi, c. 3.* eius rei ratio est manifesta, quia vtroque modo membrum restituitur naturali statui & sanitati; manifestum autem est quòd intelligitur potestate. Sed de actu dico, quòd membra alia calida sunt proprio calore, quia sanguinea, vt cor, iecur, musculi: & hæc indigent calidis ob naturam, & frigidis ob sanguinem & spiritus, ne dissoluantur à calore: ergo mediis inter illa, & sunt temperata. Vel sunt frigida naturâ, calida autem aduentitio calore; & hæc indigent frigidis, vt cerebrum, & oculi; & ideò lauare caput frigidà post calidum lixiuium (nam aliter sordes non eluerentur,) adeò vtile est cerebro, neruis, & sensibus. Vel sunt exanguia & frigida natura, vt auris, cubiti, genua, ventriculus, articuli, nerui, & talia indigent calidis, non quia frigida, sed quia exanguia, ideò à frigidis dolores fiunt, à tepidis exoluuntur.

In his verò quæ intus assumuntur, stat dubitatio an debeant actu esse calida, vel frigida, vel temperata; vel partim calida, partim frigida, vt plerique nostro tempore, qui ferculis & carnibus non nisi feruidis vtuntur, potûs verò prægelidos, vt etiam niue & glacie imbutos præcipuè æstate amant: quæ consuetudo, vt rectè dicebat Princeps *septima tertij, cap. 2.* destruit dentes, & ego vidi experimento, vt aliàs testatus sum. Nec etiam refugere oportet, ad id quòd tepida moueant nauseam; hæc enim consuetudine constant. Dico ergo quòd potus debet esse frigidus in actu, quia sitis est appetitus frigidi & humidi, & potus qui non est frigidus, est medicamentum & non potus: neque debet esse frigidissimus, quia declaratum est quòd hæ duæ qualitates, calidum & frigidum, cùm extremæ fuerint, destruunt non solùm functionem, sed etiam facultatem & membrum. Debet ergo eatenus esse frigidus, vt sitim extinguat & delectet, & contentus in ore dentes non lædat; & quanto minùs frigidus, tanto melior; & valde frigidus potus, maximè in ieiunis, aliquando solus generat ascitem, & nonnunquam tympanitem. Cibus autem si sit frigidus, extinguit sitim, & confirmat calorem naturalem; sed tamen debet esse temperatus, quia est melior dentibus. Et etiam frigidus, cùm diu necesse sit eum mandere, omnino fit temperatus, & lædit aliquando dentes, aut offendit illos; & post temperatum, est frigus: reliquæ qualitates non sunt tutæ aut etiam malæ, præterquàm in medicamentis, quæ feruida potari debent, vt dicebat Auenzoar, & bene; nam neque malus odor, neque sapor sentiuntur, nec adeò commouent nauseam, & celeriùs operantur, & non adeò affligunt ventriculum, quia celeriter exeunt; & si dentur causa refrigerandi iecoris, vel renum, vel calefaciendi splenem, vehementius operantur, quia statim transeunt ad illa membra integris viribus: excipiuntur quæ exhibentur refrigerandi ventriculi causa, quæ debent esse frigida; vel humectandi, quæ debent esse temperata, vt diutius moram trahant in ventriculo.

Præterea considerandum est in mistione caloris in actu cum calore in potestate, velut dictum est de medicamento, gratia exempli, in exterioribus, an emplastrum ex chamæmelo plus calefaciat calidum quàm tepidum? & an celerius? & hoc est quærere, an possint deduci ad actum per alium calorem quàm per nostrum? Et responde (quia responsiones debent esse demonstratiuæ,) quòd calor externus cùm differat toto genere à calore nostro, fieri non potest, vt prorsus deducat ad actum, imò potius corrumpit vim illorum; verumtamen quia postmodum res attenuata per calorem illum, longè facilius & celerius deducitur ad actum calore naturali, ideò in hoc prosunt ad accelerandum opus. Et quòd verum sit id, in suffitu argenti viui liberantur à lue Indicâ, & celerius quàm ex inunctione: inunctio tamen est efficacior suffitu, nisi morbus sit in capite. Et ideò isti Empirici imponunt, dicentes quòd ex suffitu seminum porri vel alterci, liberantur homines à dolore dentium, hausto fumo per os: nam vel vis quòd semen illud deducatur ad actum ab igne, & hoc iam docui esse falsum, vel vis quòd deducatur ad actum à dentibus ipsis, & hoc est absurdum, quoniam dentes sunt ossa & solida, nec fumus ingreditur in illa, nec adhærere potest tamdiu & in tanta quantitate, vt hoc agat: relinquitur vt hoc fiat ex cerebro; sed est difficile vt aliquid assumptum in cerebro operetur, peculiariter in hunc dentem; & etiam non videtur fieri posse, & sine magno detrimento, vt cerebrum alioquin sanum hauriat tantam quantitatem vaporis venenosi: & dato quòd cerebrum adhuc esset ægrum humidâ intemperie, esset periculosum. Amatus quoque Lusitanus dicit de illa radice alterci calida applicata denti, quod forsan contingit ex sola qualitate. Certè difficile est talia admittere vt vera, nisi in his quæ magnam vim habent, velut radius pastinacæ, sed ibi est causa euidens, quia oportet vulnerare gingiuam. Calor præterea vehementius agit circa oscula venarum & arteriarum, introducendo venena, & introducta extrahendo, & aperiendo illa, vt sanguis prodeat: atque hæ sunt operationes calidorum & frigidorum. Temperata autem conueniunt sanis, & omnibus fermè, quia relinquunt naturam in suo statu, neque assuefaciunt. Appello autem temperata, non vt Galenus *secundo de Tuendâ sanit. cap. 7.* dicit, medium verè tantum, hæc enim momentanea sunt & fermè ridicula: sed temperatum voco quod vnicuique medium est inter calidum & frigidum, quodque iucundum & suaue, non tamen sic in siccis & humidis, quia debent esse purissima quæ admouentur, nullum autem humidum sicco iunctum potest esse purum: ideò vsus eorum quæ exterius admouentur, debet esse, vel humidorum prorsus, vel prorsus siccorum, quia talia pura sunt & munda.

CAPVT

Capvt VI.

De facultatibus secundis & tertiis, oriundis ex primarum miscella.

Qvæ autem potestate calida sunt, aut frigida, aut temperata, docet Galenus dignoscere *tertio de temperamentis, cap.* 8. vt applicata corpori, nec calida:nec frigida actu,sed temperata videantur;si excalefaciunt, protinus calida per se dicenda sunt & manifestè. Similiter & si iuuant statim frigore affectos,aut si nocent iam excalefactis.Quòd si vehementer id agant,aut cutim rubram reddant & exulcerent, vehementer calida, ex Galeno *sexto de simpl. medic. cap. de Pulegio.* Quòd si admota statim excalefaciant, paulo pòst autem refrigerent, calida sunt per se,& frigida per accidens,aut composita ex partibus calidis tenuibus, & frigidis crassis. Quòd si calefaciant tardè & parum, erunt parum calida. Et similiter assumpta interius, hæc in magnâ copiâ detegunt sese generando sitim, excalefaciendo corpus,& vigilias faciendo. Produnt etiam se saporibus ipsis. Acria enim sunt calidissima, inde amara, post dulcia,post pinguia: dulcia quidem sicca, pinguia verò humida; salsa sicca sunt & composita ex partibus frigidis, superat tamen calor; acida frigidissima, post astringentia,& acerba. Insipidus quoque sapor frigidus est humidissimúsque; vt astringens siccus; & acerbus in medio est, sed frigidior astringente; austerus verò ad caliditatem declinat & siccitatem. Ex odoribus quoque iucundi & suaues [MS. *non suaues*] omnes calidi, acres (vt dixi) calidissimi, fœtidi calidi. Galenus quoque *tertio de composit. medicam. sec. gen. cap.* 2. [docet quod] in his quæ humida sunt,calidiora celerius concrescunt; vnde Strobilina resina, calidissima; abietina, minus calida, quia serius concrescit, terebinthina, adhuc temperatior,permanet enim liquida. Calida etiam quædam sunt vt medicamenta, quæ tamen frigidum exhibent alimentum, cùm terrea pars tenui calidæ adiungitur, vt in vitice; ideò etiam talia plus extrà calefaciunt quàm intus; vt contrà quæ calida substantiâ crassâ constant, tenuissima verò frigidâ, vt limonij fructus; cortex enim calidus & crassus, succus autem tenuis valde & frigidus,*quarto Contrad.* 10. Quæcunque igitur calida sunt in quarto ordine & tenuium partium, absumunt carnem mollem promptè & citra dolorem, *septimo de simpl. medic. cap.de Cedria*, vt Asij lapidis flos. Eadem quoque acria, si fuerint admota, exurunt cutim, pilos abradunt, & corpus glabrum reddunt, vt tithymali succus, *octauo eiusdem, cap. proprio.* Quæ verò calida & sicca sunt in tertio ordine, tenuia sunt, & humores per cutim digerunt, vt *ibidem* docet, *cap. de Paronychia.* Præterea frigida vt tenuiora sunt, & calida vt crassiora, eò magis cutim mordent, vnde aër frigidus magis quam calidus cutim vrit. Quæ verò tenuiora sunt, & non valde calida, non mordent, vt Galenus *quarto de simpl. medicam. cap.* 14.*in fine.* Multa verò calidæ substantiæ crassa, & frigidæ tenuia, *secundo eiusdem.* Quæcunque verò acria & sicca, vrinam mouent, dicebat Galenus in *libro de Renum affectibus, cap.* 8. Addebat verbum *Calida*, sed frustra; cùm omne acre calidum sit; nam de humido aliud est: cùm quædam acria sicca sint, vt piper; quædam humida, vt cepæ: nam bulbi, quos scalongias vocat vulgus, sicci sunt; sunt enim amari & tenuem habent acredinem, vix enim calefacti exuunt illam; propterea vrinas mouent, suntque bulbi esculenti non cepæ. Quæcunque etiam multum excalefaciunt, si humores crassi sint & lenti, liquant & fundunt, & flatùs generant, & dolores idcirco adaugent admota fomenti loco aut emplastri, nisi tantundem digerant atque discutiant, dicebat Galenus *duodecimo Artis curandi, cap.* 8. & ob id digerentia adhibere oportet, & præcipuè attenuantia & incidentia.Sed & vehementer calida in affectibus renum vitare oportet,quoniam lapides solent generare, materiam crassam lentámque, siqua supersit, cogendo; fermè autem semper superesse solet in doloribus renum. Vnde quanquam Galenus consulat *secundo de locis, cap.* 5. calorifica adhibenda tanquam communia colicis & dolori renum: nihilominus longè calidiora conueniunt colicis, & longè sunt tutiora quàm in renali morbo, tam intus quàm extrà, tamque actu quàm potestate. Porrò quæ calefaciunt parum, multúmque astringunt, concoquunt & emplasticam habent facultatem. In vniuersum non eadem est ratio in his quæ actu, & in his quæ potestate talia sunt: nam in viuentibus operationes omnes ad calorem referuntur. Calida & humida vehementer attrahunt & expellunt; sed attractio pluri calore, & minore humido; expulsio minori calore, & maiore humido indiget. Concoctio calore multo, moderato in magnitudine, temperato in humido & sicco. Retentio sicco fit, minoréque calore indiget. At medicamenta quæ retinent, sicca sint oportet, frigidaque calidis sunt efficaciora. Quæ autem concoquunt, calida & humida. Quæ verò attrahunt, calida,& magis sicca quàm humida. Quæcunque autem calefacta refrigerant,refrigerata calefaciunt, seu ex medicamentis, seu ex cibis, qualis est conus fructus, (*septimo de simpl. medicam. cap. proprio*,) seu strobilon inter cibos, & inter medicamenta Cadmia (licèt non parum exsiccet, *nono eiusdem,c.de ærugine,*) inter temperata connumerari deberent. Interest autem hoc generaliter inter cibos & medicaméta,quod cibi sunt,qui à calore naturali patiuntur,atque hi nullam habent qualitatem extremam calidam vel frigidam; & substantia constant adeò elaboratâ à Sole, vt à calore nostro subigi [MS.*subiici*] queant: propterea ossa cibus non sunt,multo minùs ligna, minimè terra,neque colluuies,neque putrefacta,non enim subacta sunt à calore Solis, sed corrumpente:neque tithymalli,aut euphorbium

aut aizoüm. Contrà quæ non euicta à calore Solis sunt vt subigi queant, medicamenta: quæ putrida aut proprietate substantiæ exitialia, venena: quæ verò calidissima vel frigidissima, medicamenta venenosa.

Quæ autem sicca sunt citra morsum, media verò inter calidum & frigidum, terreæ substantiæ vel etiam aqueæ, ea emplastica sunt, velut amylum aut pompholyx. Ex his autem alia sicca planè sunt, alia lenta. Dico emplastica, quæ poros obstruunt. Quæ autem astringunt poros aut partes, & ipsa sunt frigida & terrea & crassa, vt rosa, nam pars terrea crassa est; crocus enim & thus etsi astringant, partes huiusmodi habent *ex septimo de simpl. medicam.* Acida verò in frigidâ substantiâ tenui sunt, ideò penetrant. Quædam verò humida sunt, velut aqua lactis in calido loco posita; sunt & sicca quædam; omnia tamen minùs quàm astringentia: atque huiusmodi quodammodo intermedij [MS. *inter media*] sunt sapores: nam astringunt simpliciter frigida, sicca, crassa: dissecant tenuia, frigida, quia tenuitate penetrant, & dissecant frigiditate seu siccâ seu humidâ; facta autem sunt tenuia priùs à calore segregante, inde relicta ab eo quasi diffugiente: vnde cortex limonij fructûs valde calefacit, quia succus vehementer dissecat, nec simile quid habet.

Verùm acerbus in quauis substantiâ semicoctâ inuenitur sapor, quæ aquea sit simul ac terrea; sed commutatur maturescendo à calido, dulcescitque, vt castanea & myrti fructus; vel humido solo, & si tenuis sit, acidus sapor euadit; aut calido simul atque humido, & si tenuis sit admodum substantia, vincátque calor, fit austerus; sin autem crassior, dulcis. Non ignoro aliter sentire Galenum, *quarto de simplicib. medicament. cap.* 8. sed nimis operosum esset, præsertim in tam contractâ tractatione, velle illum de singulis erroribus coarguere. Vult enim quòd acerbum, si humectetur, euadat austerum; sicque austera frigida erunt, cùm pleraquæ vina talia, calidiora sint. Austera ergo confirmant & condensant, quia temperatè calida ex tenui aqueo, tenuique terreo constant. Acerba autem frigida sunt & incocta, aliàs terrea multùm, aliàs minùs, ventriculo inimicissima. Ergo cùm acida ventriculo non sint inimica; astringentia, quia condensant, austera quia astringunt, & tenuia sunt, & calida: acerba crassa & frigida, & parum cùm astringant, prætereà cruda, meritò omnibus membris naturalibus membris naturalibus sunt inimicissima, nec vsui vlli nisi ad strenuè refrigerandum. Minimè autem nutriunt inter ea quæ non sunt naturæ inimica; nam amarum non nutrit, neque modicè acria, aut salsa, aut acerba nutrimentum effatu dignum præbent. Maximè verò pinguia, deinde insipida & dulcia fermè pari ordine, post quæ sunt astringentia, sed ægrè conficiuntur, & acida. Et generaliter nutriunt quæcunque humido concocto abundant, eáque pinguia appellamus: lac enim nutrit, vt pingue, non vt dulce; nam saccharum & mel parum valde nutriunt. Quæ ergo moderatè calida & humida, & tenuis substantiæ sunt, fundunt parum, læuigant, ac molliunt: calida verò & vehementer humida laxant, & cibi fastidium pariunt. Quamobrem demiror de Galeno vehementer, nec scio quâ ratione aut experimento ductus, dixerit *quarto de simplic. cap.* 10. pinguia nutrire, vt dulcedine participant, quin potiùs contrarium dixerit, dulcia ipsa nutrire, quatenus participant pingui. Calidum verò & siccum terreæque substantiæ, quale amarum est, detergit, aperit, & attenuat, si cum hoc tenuis sit substantiæ. Et si calidum sit vehementiùs, discutit flatus etiam, & vrinas prouocat. Calida verò & humida quæ temperata sunt, in pus mutant foris admota, nec humectant nec siccant. Quæ autem ex his plus attrahunt quàm consumant, nec sunt impensè calida, ea omnia emolliunt: ob id emollientia calidiora sunt pus mouentibus, siccantque, cùm illa humida sint. Quæ autem indurant, alia quidem implendo; alia siccando, alia cogendo; atque ex his quædam congelando, velut frigus aquam in glaciem; quædam solùm astringendo, quoniam terreâ sunt substantiâ. Similiter quæ vacuant, alia calida sunt quæ digerunt, alia frigida quæ exprimunt. At in pus mutatio (vt ad id redeam,) cùm fiat operatione mistà ex externo internóque calore, emplastica debent habere admista, vt calor naturalis per externum, vt dixi, non exhalet. Quæ verò indurant, dicit Galenus esse frigida & humida, & adducit experimentum de semperuiuo & portulacâ: sed hæc non indurant quatenus humida, sed quatenus vehementer frigida. Et quia vidit multas difficultates huius sententiæ, dixit quòd duri [MS. *eius*,] curatio est per emollientia, scilicet quæ sunt calida & sicca; cúmque cura fit per contrarium, ideò dura sunt, quia frigida & humida. Et quia videbat, quod istud magis conueniebat frigido & sicco, dicit, quòd dura huiusmodi sunt facta per euacuationem, & ideò sunt magis sicca quàm dura; sed vult quòd dura verè sint per congelationem, & probat hoc à sanatione. Sed demiror de Galeno, qui adeò contra veritatem ipsam hîc nitatur: nam durities est à frigore, non vt humido vel sicco: sed excedente, vt cùm ex aquâ fit glacies: nonne suis se verbis conficit? nam à frigido sicco fit durities potiùs quàm humido, vnde glacies fit magis tempore sereno quàm nubiloso; & soluitur à calido humido magis quàm sicco; sed plura molliuntur à calido sicco quàm à calido humido, quia rarò vehementer calida sunt humida, sed potiùs sunt sicca; & si sint humida, sunt crassa; & hoc decepit Galenum,

Quæ verò tendunt, sunt sicca, vel frigida immodicè: contraria laxant. Hîc alius error Galeni magnus, quia non debemus intelligere, quæ laxant particulam præter naturam, non per se; nam & sic euacuantia & siccantia etiam, hoc vulnus facere poterunt: at

at hæc non dicuntur laxantia. Sed laxantia dicuntur quæ particulam sanam[MS. *solam*] laxare possunt,& ex hoc etiam ægram, sed per se. Quæ autem laxant ægram particulam, non dicuntur laxantia,sed medicamenta contraria causæ facienti morbum. Ideò quælibet medicina debet dici talis, vt comparata ad corpus sanum, & per hoc etiam est apta ad faciendum eundem effectum in ægro. Et ita debet intelligi hoc generaliter in omnibus facultatibus, tum primis,quàm secundis, & tertiis Et est regula generalis & pulchra, quam cùm Galenus non animaduertit, in mille absurda incidit.

Contraria verò emplasticis, quæ poros aperiunt, eosdémque detergunt. Accidit autem hîc Galeno,quod prodigis viris contingere solet, qui postquam nimis effusè, vbi non oportebat, pecunias impenderunt, iidem, vbi oporteret,auari imò potiùs inopes redduntur. Itaque quæ exteriùs detergunt poros & aperiunt, (inquit,) eiusdem fermè generis sunt, quæ & interius id facere possunt, calida & sicca omnia, & ob id salsa, vel amara, vel nitrosa, id est, ex salso amara. Atque hæc præclarè, sicut & illud : quòd quæ exteriùs, applicantur, si astringentia sint, nihil prosunt,velut absinthium, quoniam pori angusti sunt, & calor imbecillis (hoc autem prætermisit, sed dictum existimemus :) interiùs verò plus etiam iuuant, quoniam & calor potens est, & ampli meatus, adeò vt ex vtroque auxilium habeant, scilicet detersis meatibus, inde astricto viscere. Sed hîc, vt dixi, plurifariam deficit : primùm quòd supponat substantiam esse tenuem ; at quomodo absinthij aut salis substantia tenuis erit ? terreum sal & non probe concoctum, absinthium quoque : neque verò quæ extenuant omnia tenuia sunt, neque omnia amara detergunt, velut opium ; neque sal vstum, & reliqua quæ nimia coctione amara reddita sunt.Quænam ergo propria erit horum substantia ? qualis, vt ita dicam, cuneorum in penetrandis lignis, calida, sicca, tenuis, crassa : tenuis enim penetrat, crassa attenuat & impellit, atque ideò detergit : impellit autem vt crassa, non tamen vt attenuat, vt crassa, sed vt crassa calida & sicca: velut enim ferrum ignitum comminuit omnia, quia substantia crassa est, & calor ac siccitas ingens, non ita flamma ; ita quæ attenuant, nam quæ [MS. *itaque attenuant namque*] crassa sunt,aut frigore aut siccitate coaluerunt, frigore quidem congelata; siccitate, resolutis partibus tenuibus. Ergo superueniente calore ac siccitate in materiâ densa, necesse est coacta per congelationem attenuari colliquatione,& per siccitatem;resoluto residuo humidi comminui. Omnia igitur talia eiusmodi sunt. Quæ vero Diuretica sunt, seu quæ vrinam prouocant, calida sunt & sicca atque tenuia, & non parum ; ob idque pleraque bene odorata sunt vt cyperi omne genus, smyrnium, seseli; separant enim quod serosum est in sanguine atque expellunt, quoniam in venis admista sanguini, non possunt manere in eis, neque alio tendere. Atque idem faciunt [sudorifica,sed tenuissima sunt,adeò vt difflentur, etiamsi non calida & sicca sint, quia tamen præoccupant, nec in venis contineri possunt,omnia sudorem mouent, præsertim cùm tempus calidum est, & regio, & calor naturalis validus ; eiusmodi est decoctum ligni Indici, hordei,floris fœniculi, & cyclaminis. Vnde manifestum est quòd sudorifica persæpe ad vrinas trahunt, & diuretica sudorem prouocant. Quæ autem rarefaciunt,modicè calida sunt, ac tenuium partium,& minimè sicca.Quæ autem aperiunt meatus, sunt calida & sicca immodicè & crassa. Quæ verò ora venarum aperiunt,calida,sicca,terrena,crassa,acria,vt fel taurinū, & succus porri. Et similiter quæ crustam inducunt, vrentia sunt & crassa omnia : ergo putrefacere ac colliquare possunt, ob id cruda substantia, neque odorata nisi per mistionem. Quæ verò vrunt, putrefacere possunt,etiamsi tenuia sint,& colliquare, & odorata esse. Quæ igitur crustam faciunt, omnia vrunt, quia vstio communis est tenui crassæque substantiæ.Non potest autem tenue medicamentum crustam inducere, quia non manet, & etiam quia plus colliquat humidi,quàm absumat.Epulotica verò quæ cicatricem inducunt, siccant ac refrigerant : ideò cutim potius quàm carnem generant, vt alumen etiam exustum lotum. Cæterùm quæ carnem generant, minùs refrigerant quàm epulotica, detergunt autem citra morsum : quomodo verò detergant, quia acria sint,non tam ipse dixit quàm nos, namque bene meministis parum acria & tenuis quidem substantiæ non mordere, præsertim in vlceribus vetustioribus,& exterioribus,& sanescentibus, & duriorum corporum atque partium : namque in mollibus carnibus & recentibus vulneribus, minúsque sordidis euellicare solent.

Quæ verò lac & semen generant,sanguinem concoquunt cum leui frigiditate, si lac generare debeant, velut lactuca & crystallus ; alia in pituitosis attenuant & concoquunt, vt apium & Sion : quæ verò semen calidiora sunt natura. Quæ libidinem excitãt,partim corroborãt cor, vt ambra:partim flatum crassum generant, vt auellanæ ; partim semen, vt bulbi ; partim stimulant, vt stinci & aromata. Quæ verò menses mouent,tanto calidiora sunt his quæ lac generant, quanto lac est frigidius sanguine: differunt ab his quæ vrinam mouent,quoniam diuretica separant,ideò sicciora sunt & tenuiora quàm quæ menses trahunt.Quod si quæ medicamenta vtrumque faciãt,aut[MS. *his*] ratione humoris, aut partium eius [id faciunt :] Apium enim quod tenue est & aqueum, & verè vrinas mouet : quod verò crassum ac lentum ac bene compositum,per vterum educit Ideò quæ lac generant, diuretica esse non debent, neque diuersa est via mammarum & vteri, imò contraria. Quæ ergo lac generant, minus calida esse debent, & longè minus sicca, & minimè acria : contraria his quæ vrinam mouent: media quæ menses. Semen autem tollunt ac lac,immodicè frigida & sicca omnia: peculiariter autem semen frigida valde,etiamsi

humida

humida sint, velut portulaca & lactuca, & quæ flatum discutiunt.

Causa autem cur quædam magis ad splenem tendant, veluti in scirrho splenis, manifestum est, quòd etiam intus emollientia & attenuantia, & discutientia conueniunt, & quæ ad lienem [MS. *aliena*] tendunt, hæc autem omissâ proprietate eiusmodi sunt, & vt neque iecur, neque ventriculum offendant, crassæ quidem substantiæ, veluti cappares, & quę sapore quodã ac naturâ similia sint sanguini, qui ad ipsum splenem defertur.

Somnifera verò alia quidem humectant vehementer, vt lactis colostra, peponum semina, violæ lactucæ: alia autem quia cogunt spiritum, illius substantiam tenuiorem dissoluendo, & ob id sistunt, velut opium, styrax, viticis semen, crocus, iridis radix, aloë Alia quia vtrumque faciunt, & ob id papauer in pretio habetur.

Caput VII.

De facultatibus medicamentorum arte acquisitis, item de odoratis, Lithontripticis, specificis membrorum, & quatuor modis assumptorum.

Dubitatur an medicamenta exusta retineant proprias vires suas: & videtur quòd sic. Paulus enim *libro tertio*, *cap. 26.* in smegmate dentium vtitur aristolochiæ radice combustâ, & ceruino cornu combusto; quæ palàm conferunt ipsis dentibus, aliter ita posset quouis cinere vti. Verùm quod difficultatem facit, est quòd id quod vritur [MS. *quo id quod vritur*] planè corrumpitur, nec solùm amittit odorem, & saporem, & colorem, sed etiam substantiam ipsam. Galenus suo more verbum vnum tangit, *nono de simpl. medic. cap de Chalcitide*, dicens quòd Chalcitis exusta fit mitior contra morem multorum aliorum, quæ exusta redduntur acriora, & postmodum abluta adhuc fit minùs mordax, communi ratione omnium eorum quæ lauantur. Dico ergo quòd quæ vruntur alia quidem perfectè, & ita vt prorsus in cineres redigantur; alia solùm igniuntur, inde extinguuntur, vt ligna tum cùm transeunt in carbones, & magis metallica & lapidea. Quæcunque igitur perfectè exuruntur, & in cineres reducuntur, amittunt omnem substantiam naturamque priorem; neque propter hoc necesse est omnes cineres eiusdem esse naturæ atque temperamenti: namque cinis stipitum [MS. *strepitum*] fabarũ exsiccat vehementer & astringit, sed & calefacit: lixiuium ex illo destillationibus multum prodest, adeò verò calefacit & exsiccat, vt quasi vrat: nam etiam in transmutationibus alia ex aliis fiunt, quoniam etsi nihil maneat qualitatum, aut proprietatis, aut mistionis, terreum semper manet, aliúdque alio magis impressionem recipit, atque his duobus differunt vsta ab vstis semper, non quòd proprietatis aliquid maneat. Quæ verò terrea plura sunt & tenuia, cineres efficiunt acriores: contrà crassa & multâ aquâ plena, minùs mordaces. Quæ verò mediocriter excoquuntur, scilicet vt solùm igniantur, deinde extinguantur, dimidium etiam (vt ita dicam) retinent virium, velut calx, carbones, cornu cerui, neque enim solent exuri exactè; atque hoc modo [MS. *huiusmodi*] oleum educitur, velut è chalcantho, priùs enim aduritur. deinde oleum extrahitur; oleum autem substantiæ compositæ principalis pars est. Alia ratio: quoniam quod fit, dum fit partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem: quod ergo non vritur, integrum est; quod vstum est, nihil retinet virium; quod igitur ex dimidio vritur, dimidium virium etiam retinet, partim quidem primarum & naturalium, partim earum quæ per vstionem accedunt. Ita quæcunque calidissima sunt, velut chalcitis, & quæ ex eo genere sunt, minùs mordacia euadunt, absumtâ [MS. *in mordacia euadunt, absunt à*] tenuiore parte: contrà quæ crassa sunt & densa, magis acria fiunt & mordacia, velut calx; densa enim est, non acris ab initio, carbo non ita, est enim rarus. Absumtis ergo tenuibus partibus, crassis attenuatis, rara & acria omnia, non acria euadunt; densa verò non acria, è contrario modò fiunt acria. Cornu igitur ceruinum adustum vim habet aduersùm venena vim etiam exurentem atque siccantem, parum tamen exurit, quia rarum est. Quæ verò exuruntur atque lauantur, mitiora fiunt, & omnino minùs calida.

Contingit etiã vt medicamentorum vires arte augeamus, velut cùm iungimus glutinosa astringentibus; & cùm volumus vt adhæreant & vt penetrent, atque in calidis ac tenuibus destillatione facilè impetramus. Difficilius est terrea tenuia facere, & liquida glutinosa; quæ ambo in ramice intestinali curandâ sunt necessaria, vt glutinet, tum ob affectum, tum vt adhæreat, & vt penetret, maximéque astringat, nec sit frigidum; nullum enim membrum internum admittit frigida sine noxâ. Ergo maxima vis est in aceto acri & nigro, cui si addantur gallæ Illyricæ, & chalcanthum tenuissimè contrita, & agitando spissentur, & exprimantur, vehementer, tum bitumen, & acacia, vel rhois succus densatus iungantur, thusque & mastiche, apud ignem Ceratum fiet efficacissimum, in quo plus potest ars conficiendi quàm præcepta. Modus alius est, vt gummi pyri syluestris cum âquâ destillationis gallæ viridis & foliorum quercûs dissoluatur, ac in caldario condensetur. Metallorum autem vis, auri, atgenti, ac chalybis, à Principe sic in vsum redigitur, *tertiâ quarti, tr. 3. cap. 3.* Chalybs accenditur & extinguitur in decocto myrobalanorum Bellericarum & Emblicarum; XXI. & toties in vrinâ vaccæ, & colabis, & assumes fœcẽ, ea enim patitur & vincitur à corpore humano. Argentum similiter cedit in vsum, si limatum aduratur in cochleari ferreo cum aqua salis, (quæ triplex est; separationis ex alumine, halinitro [MS. *halitrino*] & lateribus, ignita, ex salis octuplo

octuplo,sulphure,tartaro,& vino, *ex lib. de Dynamidiis* : & quæ sale ammoniaco solo constat,)ac modico sulphuris citrini Aurum limatum cum plumbo miscetur & liquescit, inde rursus limatum miscetur cum octaua parte plumbi non purgati , & rursus limatum vritur vt argentum, & remanet aurum solum cum plumbo secundo. Astringentia præterea metallica sunt,cuiusmodi hoc. ℞. Aluminis,chalcanthi,stibij an. ℔.ij.Vrantur in galea ferrea ignita:inde igne reflexo aqua detrahatur,quæ pura est, & seruetur : inde igne adhuc vehementiore facto,oleum tam simplex,quàm aquæ commistum : pòst vratur cinis,& subtilissimè teratur,& ei tantum aquæ collectæ addatur, vt redigatur in formam mellis; post in caldario misceatur cum muccoso succo symphyti , vt in cerati formam tenax euadat.

Compositionis autem medicamentorum, non ea est,quam vulgò existimant,ratio:neque enim ad vnum morbum , quæ fiunt, ex pluribus quàm tribus aut quatuor , constare debent. Si enim ex optimis componenda sunt, optimum autem vnum;vel si regionis, aut loci,aut vetustatis causa,non existimetur optimum,duo erunt aut tria,quibus si addatur quod corrigit , non possunt esse plura. Male igitur faciunt , qui plura hoc numero miscent , velut qui cephalicum illud capellum vocatum,miscuit ex viginti forsan medicamentis : & pleraque antiquorum , nam exemplo perperam theriacæ vel mithridatij vsi sunt : hæ enim compositiones ad venena erant, quæ tam materia quàm serpentium diuersitate innumerabilia erant. Medicamentum etiam ad morbos plures,velut renum dolores,quartanam, lipothymiam,vermes,vigilias;in his ergo licuit,aut cùm quis pluribus morbis laborat , vel cùm morbum ignoramus;plurium enim vicem obtinet;vel cùm iter acturi,nobiscum deferre volumus, præcipuè per aquas : nescimus enim qui morbi aduenturi sint. At si his illa duo iam inuenta satisfaciunt,quid opus est pluribus? Cætera velut ordo virium , aut cùm ob regionis varietatem,aliquid melius esse putamus,vt in Italia prassium ad iecoris morbos, non eam exigunt multitudinem,sed hoc sufficiet addere illis tribus aut quatuor medicamentis ; in illo tantò plus aut minus dabimus , aut contrarij aliquid permiscebimus.

Vires autem medicamentorum præcipuas,ex 17.*libris de compositione medicamentorum* selectas subiungam : sed priùs de odoratis agendum est ; odor enim inter vires secundus est.Sunt ergo præcipua odorata numero tredecim, è quibus tria sunt tanquam Reges; moschus præsertim Orientalis, zibethum , & ambra , & hæc omnia ex animalibus : & septem suffitus, thus,styrax, assa dulcis,ladanum,lignum iuniperi siccum, caryophyllum,& rosa. Et duo ligna , Agallochum & santalum:& quod nondum vidi, laudatur tamen vt suffitus frigidus ad dolores capitis,& vocatur Anima alba. Ista sunt principalia hac tempestate. Praui autem odoris maximum est ouum subuentaneum, quod gallinæ solet supponi, cùm per multos dies computruerit , adeò vt vix ferri possit, inquit Nicolus : ideò agitatum ac suppositum vtero prolapso , cogit statim ipsum redire ad locum , etiam (dicit) vbi pluribus mensibus iam descenderit, ita expertum se ait. Consulit autem in omnibus his, vt ex aduerso cucurbitula applicetur , quod non solùm facit ad retractionem , sed & ad siccandum vincula, & resoluendos flatus.

Sed vt principale exequar,exemplum sumamus à lapide exterendo,qui si sit in vesica,validioribus indiget,tum quia procul magis, tum quia durior , tum quia maior plerumque , & vesica etiam frigidior , & eius capacitas adeò magna , vt medicamentum non commodè lapidi applicari possit, nec si applicetur, diu hærere. Quapropter terreæ substantiæ esse oportet omnino , & vt vim retineant eò vsque, terrea enim parum admodum aut nihil immutantur in ventriculo, vel iecore , vel etiam venis : & propter sympathiam , vt ex animalibus ad membra hominis confirmanda ; cerebrum & ventriculum,gallinæ partes eædem;cor, intestina, iecur,lupi paria;vesicam,apri aut tauri vesica;genitale,cerui;vterum, leporis aut dorcadis vterus. Atque simili ratione vt ligamenta robustorum animalium, & vt etiam [forte legendum *ita etiam*] terrea maioribus viribus prædita sunt. His tribus causis talia esse expedit medicamenta , quæ lapidem frangunt,illumque præcipuè:ergo & incidendi vim habere & detergendi,& modicè calida esse oportet , inquit Galenus *decimo de compos.medic.sec.locos,cap.*1.Dico & tenuia valde,tum potestate,tum substantia,vt penetrare possint,atque sic diuidere;sed & proprietate quadam imbuta magis:neque enim sufficit id ipsum quòd incidant, quoniam quæ actu incidunt , motu indigent , & nisi habeant , non incidunt : nam & in grauissimis non nisi longo tempore acies acuta incidit , idque etiam beneficio solùm motus licèt occulti , vt *in naturalibus & Mathematicis* docuimus : at medicamentis motum tribuere non licèt : trifariam ergo frangunt lapidem , vel quia cùm penetrauerint , humectant ac dissoluunt , velut oleum & aqua ; vel quia siccant immodicè , atque ita compagem eius tollunt , velut lapis Syrius præcipuè fœmina ; aut quia inflantur , & inane occupando spatium , disiungunt partes , vt scorpij cinis. Manifestum est ergo quòd oporteat talia valde penetrare : facit (vt dixi ,) medicamentum tenue tum potestate , tum actu , & calor ; vnde in balneo , vel saltem cubando in pluma danda sunt. Sed & balneum ad alia etiam vtile est , scilicet ad frangendum , dum medicamentum inflatur & crescit. Et quæ tenuissima sunt , membra neque lædunt , neque vellicant , vnde vesicæ innoxia : nec proprietatem negligimus. Præter ea medicamentum etiam quod propiùs admoueatur excogitauimus , tanquam natura compositum ex quatuor partibus , elementis , vt dicunt , similibus. ℞. *Lapidem Syrium seu Iudaicum fœminam* , (nam aliud ex his non cognouit Galenus,

Galenus, Princeps autem addit *decima octaua tertij, tract. 2. c. 19.) Vitrum candidum purum* in pollinem redactum, & ferreo cochleari candente exustum, inde aquâ fabarum detrahatur quod leuissimum est, & reliquum rursus vratur, donec totum in florem transeat, inde aquâ siccata colligatur, & *Cinerem scorpionum* (positis scorpionibus viuis in olla figulina contecta luto, & olla in furno [posita,] ex quo panis eductus fuerit per noctem, neque enim ignem patitur, vt vratur, & euanescant vires pænè totæ, & substantiæ magna pars.) His verò addimus *florem stercoris columbini*, pro quantitate pænè omnium: in vase vitreo concluso per dies X L. aut saltem X. in fimo equino conficiatur, inde destilletur, & ex aquâ mittantur per catheterem, (euacuata vrina, & in balneo) ℥ij. Et contineat diu, & si potest superdormiat, etiam dato graui somnifero, & hoc quater fiat: vnde ad ℥viij conficiendas, maxima quantitas vitri exigitur, scorpiones supra mille. Manifestum est autem quod aliud est negotium in expellendo ipsos: nam quæ expellunt, alia quia multum prouocant vrinam, vt radix scolymi, & lachryma terebinthi, quæ etiam leuiter atterit illos: alia multitudine, vt aqua thermarum Villæ, quarum proprium est, vt per vrinam educantur, quia terreæ sunt: nam non vt lac aut oleum succedunt, quoniam astringunt terrea & retinentur, & retenta trahuntur à iecore, & ideò transmittuntur per vrinam: quare rectè dixit Princeps, quod omnia talia nocent vesicæ, refrigerant enim & siccant eam, & terra replent; vt autem euacuetur, repositum est in fortuna.

Hîc lacuna sesquipagellæ in MS. codice extat.

Quæcunque verò bene odorata, habet partem vnam calidam, siccam, tenuem, & bene concoctam. Tenuem quidem, quia aliter non possent resolui vapores ab ea: calidam, quia non possent difflari: concoctam, quia non posset esse odor bonus, nisi materia concocta esset: siccam, quia vbi est impressio perfecta caloris in tenui substantiâ, necesse est vt sit siccum omnino, quoniam omne humidum crudum exhalauit. Ex quo patet, quòd in viola licèt humectet, est [pars eiusmodi,] quia cùm ipsa sit tenuis substantia tota, humidum non coctum exhalat cum parte sicca & odorata, & ideò cùm sit plus ipsâ parte quæ odorem spargit ob tenuitatem substantiæ, ideò plurimùm humectat cerebrum, tum quia humida pars est maior, tum quia penetrat, eo quòd tenuis sit. Nymphææ autē albus flos non adeò humectat, tametsi longè maior sit pars humida quàm violæ, eo quòd crassa est, vt parum ascendat in vapore odoris. Succus autem limonij, quia non est calidus, neque concoctus est, ideò non bene olet, neque olet, quoniam partibus calidis caret. Pomum mandragoræ, quia humidum est valde, & odorem mittit, necessario bene olet: si enim olet, partes habet tenues & siccas, quæ non possunt in multo humido eleuari, præsertim cùm sit crassum, nisi à calore potenti, qui cùm sit naturalis, partem tenuem & siccam necessario bene concoquit; igitur ex dictis bene odoratus est. Sed humida cùm siccantur & bene olent, antea malè olentia, vt Turcicus garyophyllus lutei caloris, & multorum foliorum, necessario abundant humido multo crudo, sed tenui, quod eleuatum cum concocto vincit illud: tenuis enim pars sola & calida mittit odorem, seu cocta sed bonum, seu cruda [MS. *crudum*] sed malū. In quibus vero quod prius bene olebat, siccatum malè olet, vt flos albæ nymphææ, humidum est, crassum, multum quod putrescit, exhalante humido cōcocto, & tunc solùm fœtet; aut non exhalante, & tunc simul partim fœtet, partim bene olet. Cùm vero humidum est, & non bene olet dum incalescit, necesse est vt fœteat, velut caro quia putrescit, & humidum corrumpitur. Quæ vero humida putrescunt, & demū vbi siccata fuerint, bene olent, in his aliquid adiunctum fuit bene olens; aut substantia fuit densa, quæ non putruit bene odorat; aut forma caloris naturalis quædam prodiit, quæ concoxit bene partem tenuem siccam, atque ita factum est fragrans. Exēplum primi est, si caro condiatur multo caryophyllo & croco, imo quibusdam non adeo bene odoratis, sed densiore substantia. Exemplum secundi est in carne Gazel, quod est animal moschum generans, à putredine enim siccatum optimè olet. Exemplum tertij in stercore anguis, cui prænomen impositum est Calyx: licèt enim omne stercus fiat à calore putrido, nihilominus tamen cùm ex eâ ortis sit calor naturalis, sicut in semine bene olet. Quæ vero substantiam validam habent & crassam, licèt bene concoctam & siccam, parū olent, etiamsi benè oleant, velut piper. Quæcunque autem substantiam habent tenuem, paucam, & multam & crassam; & vtramque incoctam, sed tamen cum calore vehementi, talia prauè valde olent: & ideo talia sunt calida humida, & breuis vitæ, parumque differunt à putridis, velut cimices. Ergo omnia odorata roborant particulam, quatenus talia sunt, quia sicut spiritus delectati luce foras trahuntur, ita etiam odore ad particulā trahuntur, maximè autem ad vterum, inde ad cerebrum, inde ad ventriculū; renes autem non: quoniā ob consuetudinem cum alantur nutrimento vrinario, gaudent male odoratis. Mēbrum autem robustum pellit quod noxium est, & retinet quod est ei vtile. Quæ vero robustū reddunt membrum, quia sicca, si sint calida, omnia retinent, duplici ratione; tum quia humidum quod est coniunctum materiæ contentæ, per quod fluere potest, siccant, tum quia calidū trahit ad se, nō ergo repellit, & ideo cùm etiam intus penetret, æqualiter astringit partes, ergo retinet. Hoc igitur etiā patet experimento in chalcantho, quod cùm sit astringēs potentissimū, tamen retinet, nō repellit: ita crocus, & spica Inda. At astringēs quod frigidū est, & quanto frigidius) quia omne quod astringit, quia siccū, non quia odoratum, ideo astringit, quia partem vi contrahit) solùm astringit superiorem partem, quia penetrare non potest, & astringit ob villos, vt dictū est; igitur velut in crumena & intestino, astricta parte superiore, inferiores villos laxat, & ita repellit, vbi nullum

lum sit os ex aduerso, exprimit vbi adsit, sicut dicebat Galenus, *secundo de Alimentis, cap. 22.* de fructibus astringentibus, qui post cibum assumuntur. Et ideò cùm talia astringant per villos, necessariò retinent calida tam noxium quàm innoxium, frigida repellunt. Simiter autem expellunt. vt dixi, si locus pateat ex aduerso, etiam vtrumque scilicet tam noxium quàm vtile. Sed quæ astringunt & sunt odorata, vt crocus & thus, siquidem calida sint, vtile retinent valdè, vtrâque scilicet ratione; quod verò noxium est, retinent vt calida astringentia, maximè in membris quæ villos habent, vt ventriculo, & corde, & intestinis; in his autem quæ villis carent, plus expellunt quàm retineant, vt in iecore & cerebro. Frigida autem odorata, partim contraria his, partim similia; nam noxia valde expellunt aut repellunt, scilicet vtraque ratione; retinent vtile, mediocriter in villis prædita non sunt, fermè retinent; vt si odorata sint, nec astringentia, nec frigida. In vniuersum ergo astringentia odorata, cùm alia sint calida, alia frigida: & quod continetur, vtile vel inutile: & demum membrum, aut conclusum, vnde repellitur; vel apertum, vnde expellitur: & parenchymate, vt cerebrum, & iecur, & pulmo; vel villis constet: fient sexdecim differentiæ compositæ, omissis aliis quæ à magnitudine virium, & modo applicandi, & occasione, tum naturâ materiæ (siquidem absinthium expellit bilem, & retinet pituitam) sumi possent.

In medicamentis quæ conueniunt vni membro, quinque scire necesse est, & si exteriùs applicentur, sed. Primùm, vt sint tepida, nisi in oculis, nam illi gaudent frigidis ob calorem, modò non retineatur vapor, tunc enim tepida vtilis est: aut si partes exteriores immodicè calent, vt in erysipelate, vel secundùm substantiam, vt in hecticâ, in cæteris tepor facit, vt etiam frigidum profundiùs penetret, quod sentimus imponendo frigidam aquam valde, cum manu calidâ super renes, vel alium locum. Secundum, vt sint potestate calida, vt longius ferantur tenuium partium, vt profundiùs penetrent. Quartum, vt medicamentum sit proprium membro, velut tamariscus spleni. Quintum, vt scias qualitates primas, quæ actioni illi conueniunt: si sit simplex intemperies, facile est, nam contrariis opus est. In secundis facultatibus, quibus primis opus sit, vt in astringentibus, vt sicciora sint quàm calida; repellentia etiam frigida sint & odorata. In tertiis modum etiam & substantiam, vt ad generandum lac, calorem temperatum qui dissoluat, & humidum, ne quod dissolutum est siccetur; & si volumus copiosam eius generationem, addemus etiam substantiam, vt in lactucâ & erucâ viridi. Vltimū est vt sint potestate huiusmodi ad educendum per aluum, & eò tenuiùs atque potentiùs, quòd calor loci per quem trahitur, vtpote oris & narium, est minor calore ventriculi, aut iecoris, vt Electuarium pro bile & aquâ à cerebro detrahendâ.

Sunt præterea quatuor modi eorum quæ sumuntur, ad potestatem collati, vel vt non agant nec patiantur, vt aurum, argentum, & forsan chalybs, nisi quòd, vt dictum est suo loco, grauitate & duritie aperit obstructiones: Alius, vt patiatur tantùm, velut vitellus oui, solùm enim immutatur & nutrit. Tertius, vt mutetur & mutet, velut medicamenta, crocus & scamonium, incalescunt enim primum & dissoluuntur, inde vnum eorum calefacit, astringit, exhilarat, purgat alterum. Quartus est cùm non patitur, & tamen agit vt gemmæ in pollinem redactæ, & euidentiùs metalla præparata: quòd enim nihil passa sint secundùm substantiam, indicio est quia pleraque ex his, vt aurum & argentum, si colligatur stercus, manent & nihil depereunt: ob id que nil illa agere creduntur, quia nil patiuntur: agunt autem experimento, & quia passa sunt secundùm qualitatem à præparatione, velut elementa quorum nulla substantia corrumpitur, adeò tamen mutatur, vt vnius pars caro, alia lignum appelletur. Chalybs ergo seu ferrum exiccat, refrigerat, astringit, præcipuè ventriculum & iecur, confirmat venas & membra nutrimenti, purgat sanguinem, & corrigit illius impetum, resistit putredini, educit aquam, aconito ebibito resistit, & hoc præter substantiæ auxilium, purgat enim & aperit obstructiones, confert Elephanticis. Argentum autem minùs refrigerat, & siccat, & purgat ferro, sed magis roborat membra & vires, ferro meliùs sanguinem purgat, auxiliatur vitæ magis, & contra elephantiasin & melancholiam, & magis prohibet putredinem. Sed aurū densat membra & spiritus, & roborat cor, & illius palpitationem tollit, & putredinem omnem præsertim pulmonis tollit, & oris etiam elephantiasin & melancholiam sanat, & vitam producit, exhilarat hominem. Omnia hæc etiam conferunt valde scabiei, & lepræ, ac vitiligini. Et Medici prætermiserunt vires horum, quia non animaduerterunt præparationem, sed solùm vsus meminerunt: quorsum enim nobilibus medicamentis tantum de illis immiscuerunt; Aperit & aurum & argentum limatum obstructiones.

PARS SECVNDA.

De purgantibus medicamentis in genere.

CAPVT I.

Variæ medicamentorum purgantium diuisiones.

SED iam de purgantibus aluum, ac lenientibus agamus, quorum effectus adeò euidentem habet vtilitatem, vt nullâ in parte Medicina gloriosior euadat,

euadat, & qui aliàs eius vsum contempserunt, & nunc etiam Barbari, hoc solùm se indigere fateantur. Igitur de hac, tanquam artis maximâ, & generosissimâ parte agendum est. Cùm enim quæ per aluum educuntur, alia quidem per se, vt stercus & bilis; alia non propriè, velut qui per hæmorrhoida educitur sanguis, nam ad anum venæ illæ terminantur, & sanguis qui ex eis fluit, per aluum educi videtur, cùm tamen non verè hinc educantur, de vtraque euacuationum harum dicendū est, atque hæmorrhoidarum primùm. Inquit igitur Hippocrates *secundo Epidemiorum, sect. 3. Abscessus eorum, in quibus fit interceptio, & reciduæ meritò ob id eueniunt, facere oportet: optimi verò potissimùm sunt* (ait ibidē,) *inferni, & longissimè infra ventrem, & remotissimi à morbo, & qui per effluxionem fiunt: nam qui hæmorrhoidas habent* (vt docet *sexto Epidem. sect. 3.*) *neque pulmoniâ, neque laterali morbi, neque phagedænis, aut terminthis, aut dothienis, fortassis neque lepris corripiuntur, tum aliis* quæ in Aphorismis dicta sunt, *phthoë* scilicet, *hydrope, insaniâ, renum doloribus, atque varicibus*, vt ob commodum de his inter aluum purgantia dicendum sit. Nam de aliis, sodoribus videlicet, vrinis, atque vomitibus, tum etiam sectione venæ, hirudinibus, cucurbitulis incisis; hæ enim omnes & ipsæ euacuationes sunt vniuersales: tum etiam de specialibus, velut sputis, dictum est.

Ergo quæ per aluum purgant, tribus generibus distinguuntur: Re quæ purgatur, modo purgandi, ac loco. Et res quæ purgantur, sunt octo, sex secundùm naturam, & duo præter naturam: nam licèt sit ichor in venis, procurare non debemus, vt his per aluum, etsi naturalis sit, excernatur: sed per vrinas, aut sudores; fit enim vis naturæ: nos autem hîc tantùm de vtilibus purgationibus dicere instituimus. Naturalia ergo excrementa appello nunc, stercus ipsum, flauam bilem, & vtramque nigram, scilicet naturæ temperamento exustam, & non exustam; tum verò vt dixi, sanguinem, non solùm eâ ratione quâ impropriè per hæmorrhoidas expurgatur, sed vt etiam à quibusdam medicamentis non ipse, sed quicquid in eo vitiosum est, euacuatur, vt infrà docebimus. Quæ tamen euacuatio ad vnum membrum suprà dictorum posset reduci, scilicet excrementorum omnium sanguinis, sed claritatis causâ, ab aliis eam distinximus. Sub his etiam omnes humores vitiati & corrupti seu à febre, seu ab aliâ causâ continentur: quamuis in purgando putrefactos iam nec furentes, iubeat Hippocrates coctionem expectari; in verè naturalibus solam præparationem. Similiter & sub vnoquoque genere species suæ continentur, velut sub pituitâ humor crudus, sub exustâ bile æruginosa & cærulea. Non naturale autem excrementum, pus, & aqua hydropicorum. Secunda diuisio à substantiâ humoris: quædam enim crassum, alia tenue in vnoquoque genere purgare solent; & alia multum, alia paucum. Tertia est, quoniam quædam vnum humorem tantùm, alia plurimos; atque in purgantibus plurimos, alia (gratiâ exempli) primò & principaliter bilem putâ flauam, inde pòst ac minùs pituitam, vt rhabarbarum; alia conuerso modo, vt agaricum. Ideò siquis misceat ac fermentet vtrumque, ex æquo purgabunt. Similiter alia bilem crassam, quasi mistam pituitæ, qualis in tertianis nothis, quæ neque est bilis per se: crassa est enim, multóque frigidior sincerâ, neque admista pituitæ crassæ, vt quidam opinantur, cùm ex illâ hemitritæus; ex hac vt dixi tertiana notha generetur. Idque diligenter animaduertere oportet: quanquam enim ab iisdem medicamentis vtraque harum materiarū expurgetur, est tamen quoddam exiguum discrimen, tum in electione, tum præparatione medicamentorum, quod non leue commodum affert. Atque hæc de prima diuisione.

Secundum genus medicamenta purgantia distinguendi, ex loco actionis sumitur. Quædam enim medicamenta solum ex vētriculo, intestinis, osculisque venarum mesaræi trahunt. Quædam ex venis mesaræi & cauâ tantùm parte iecoris trahunt, velut aloë, & hiera Galeni. Quædam ex gibbâ etiam iecoris, & toto venoso genere, velut rhabarbarū, non tamen ex vniuerso corpore. Alia ex articulis ipsis, capite, & pulmone, & vtero, quæ sunt membra remotissima, vt Elaterium, colocynthis, & sagapenum. Atque primo generi nomen lenientium indictum est: secundo conuenit illud planè arabum, benedictorum; quanquam non soli, nam & rhabarbarū, & fumaria, & lupulus, benedicta sunt; nos innoxia appellabimus, & tamen à tertio genere sunt, non secundo. Quarto generi violentorum nomen apertè & meritò conuenit. Distinguamus ergo, (neque enim exigua est vtilitas hoc facere, sed maximorum errorum causa non distinxisse) in imbecillia, robusta, violenta. Imbecillia non excedunt cauum iecoris: Robusta, quæ vndiquaque venas permeant: violenta ad remota vim suam transferunt, & non parum nocent; neque enim talium vllum innoxium est. At robusta sunt partim innoxia, vt rhabarbarum; partim noxia, vt cnicus, epithymum. Quæ ergo leniunt, necessariò in quatuor species diuiduntur: alia enim fæces molliunt, vt succus cerasorum dulcium: alia leniunt parietes intestinorum, vt mucus seminum cotoneorum & psyllij: alia mordent, vt iura chamarum, piscium mollium, cochlearum, muria, & talia plura. Alia astringendo compellunt descendere fæces, velut cydonia aut pyra post cibum, & myrobalanorum fructus. Dicebat Gabriel Falloppius talia non educere, scilicet cotonea & pyra post cibum, nisi ante cibum mollientia quis præsumpserit, quod verum est vt multū educant, non vt aluus aliquando deiiciat. Sed myrobalani adeò constringunt, vt cùm nonnihil propè trahant, lenire aluum videātur. Quædā verò ex his duo habent, veluti olea molliunt, & simul lubrica reddunt intestina. Malua etiam quam palàm est ventrem mouere, sicut & ius galli antiqui mordet & mollit.

mollit. Sed propositum non est de Lenientibus hic agere, nisi eatenùs vt ostendamus non posse esse plura genera lenientium, neque pauciora his quatuor: nam aut vas quod continet, afficitur, vel materia contenta: si hæc, necesse est vt emolliatur: si vas, vel vt constringatur, vel irritetur, vel vt contineat ob lubricitatem non possit: nam irritari est cum motu expellere; constringi absque motu: at inter hæc duo nullum est medium. Non igitur dantur plures modi leniendi ventrem.

Tertium genus distinguendi medicamenta purgantia, est ex modo: atque hic triplex: vel in comparatione ad medicamentum præparatum, aut non præparatum (nam ex natura præsupponitur optimum.) Aut comparatione operationis, quòd educat multum aut paucum, velociter aut tardè: vel comparatione ad consequentia, quòd educat cum molestia & iactura corporis; aut sine molestia & quòd iuuet. Sic fertur de tragorigano, & de absinthio vsus ipse ostendit, & de rhabarbaro ratio docet, & de syrupo rosaceo nonnunquam, tum etiam manna expertus sum.

Quod ad præparationem attinet, dicit Falloppius quòd medicamentum purgans redditur leniens ex modo exhibendi, qui est quadruplex, aut ob quantitatem, vt sit exigua: secundò, ob ablutionem medicamenti: tertiò, ob coctionem: quartò, ob compositionem. Sed verè omisit modos alios præcipuos & meliores, quos nunc subiiciam. Primus est separationis illius nobilis, de quâ locuti sumus in *primo libro*, per quam ex quauis fermè re, & præcipuè semine tametsi minimè purgare potente, fit medicamentum quod purgat adeò violenter, ac si esset helleborus albus, per quem soluuntur dolores præcordiorum annui, vel etiam diuturniores. Et siquis dicat quòd hæc præparatio non est hîc in proposito; ideò prætermissa à Falloppio, qui volebat loqui nonnisi de præparatione, per quam minuitur vis medicamenti in purgando, adeò vt ex purgante fieret leniens. Dico quod eâdem viâ fit vtrumque, ex non purgante violentum, & ex violento leniens; sicut apparet de oleo seminis ricini, quod est violentarum virium in purgando, & tamen eius oleum lenit, parùmque differt ab oleo seminis lini. Secundus modus est per separationem, quæ fit in destillatione, ex quâ maximè etiam validissima medicamenta, in lenientia aluum transeunt: de quo egit Conradus Gesnerus, & diligentius Theodoricus Dorsthenius. Aqua ergo vitis albæ, octo vnciarum pondere pota hoc potest, aluum scilicet lenire, cùm ipsa radix violentum sit in purgando medicamentum: debet autem extrahi succulenta, scilicet per balneum Mariæ, exactè & vehementer ferueat, & diu destillatio perseueret, & ad vltimum vsque, donec feces siccæ prorsus remaneant, & vt vapores exitu prohibeantur, longo vasis collo, sed diligenter præcluso. Similiter absinthij & aloës aqua aluum leniunt, & lathyridis, tum regalis consolidæ, cuius flos calcari assimilatur, ex vnciis tribus; ebuli autem aliquanto plus: verùm super omnia aqua hellebori nigri, adeo vt drachma sufficiat cum vnciis tribus vini nigri, vt contra aqua foliorum sistit aluum: & Esulæ, violentior quàm vt ferri possit: fomariæ quoque aluum mouet, aliquibus vrinam, aliis vtrumque: caryophyllatæ quoque purgat, etiam crassos lentósque humores. Lactucæ vero si copiosa sit aqua, ventrem mouebit ac deiiciet, cùm per se herba non purget. Aqua quoque radicis iridis viridis, aluum mouet: non mirum est de aquâ maluæ quod ventrem leniat, maximè ex vnciis octo epota; nam vt dixi, ipsa herba mouet ventrem. In eodem genere sunt aqua quinquefolij, porri, belis, seu primulæ, sed ex vnciis sex; tum polypodij, & generaliter omnium quæ plurimùm in purgando possunt; tum aliorum. Quid dicam de aquâ iactis, quam Galenus refert esse innocentissimam omnium quæ corpus laxare possunt? Ferunt etiam aquam foliorum sambuci, & magis florum, purgare omnes humores, si pondere dimidiæ libræ sumatur, cùm etiam ipsa sit innoxia. Ergo tam multa sunt in hoc, velut aqua turpethi seu turbith, tithymallorum, cyclaminis, radicis cucumeris anguini, & colocynthidis: mansueta sed debilis ex foliis aut floribus violarum. Inter composita est nostra aqua experta. ℞. Electuarij rosati Mesuæ, de succo rosarum, succi cassiæ nigræ an. libram mediam. Asari viridis, aut cassuthæ ℥ij. destillentur in balneo Mariæ: quantitas ab ℥ß. ad ℥j. Tertius modus est per circulationem, de quo in *libro de Æthere*. Quartus per vstionem, qui est præcipuus cum primo. Verùm quintus est in vsu ex pluribus constans, lotione, mistione plurium sibi succedentium, inde sæpius repetatur siccatio in Sole, quomodo parantur Catapotia. An vero ex purgantibus medicamentis lenientia fieri possint, nunc videndum est.

Principio hinc sumpto, quod medicamenta quæ purgant omnia, vim imprimunt in ventriculum & intestina, per quam trahunt humorem, quia omnis attractio fit ab anima, vt etiam concoctio, & reliquæ facultates per se. Dico per se, quia quædam constricta expellunt, sed omnia indifferenter, ob frigus vel artificium. At ego loquor, cùm quid attrahitur, aut expellitur, vel retinetur, vel concoquitur naturaliter. Et quamuis conetur labefactare Fallopius hanc claram veritatem, ac quasi principium cognoscendarum omnium naturalium rerum & actionum, nec cùm pluribus agat, respondeat argumento, verùm principium petens, rem euidentiorem relinquit, quàm ante responsionem. Etenim cùm id ab initio supposuissem, nil mortuum operari aliquid proprium, non partem animalis, non plantæ alicuius, nec elementi: cùm autem sint infinita quæ propono, recurrit ad Herculeum lapidem, quem iam dixi & edocui viuere. Quis sanus iudex tam largâ optione datâ, & à sæculo, & quod videamus medicamenta operari in viuis, & non in mortuis, non potius concedat hoc vnum, etiamsi esset absurdissimum, lapidem illum viuere, quàm tam generale atque vtile dogma negare velle? cùm præsertim

constet, hunc lapidem viuere, mori, ægrotare, sanescerere, & quod hoc verum est de omni genere lapidis venenosi. Accedit vt dixi, quòd peruerteretur vniuersi ille ordo pulcherrimus, quo decretum est nihil habere vim, nisi ab animâ, nec vllam esse operationem: cuius origo non sit anima: nam & elementa mouentur ab animâ mundi, & calor naturalis omnis à sideribus. Alia habent operationes solùm nomine, id est corruptiones operationum, vt calor ignis vrit, vstio non est operatio vera & naturalis: motus frangit pondus, rumpit funem & impedit, vt in horologiis: frigus corrumpit sata, & huiusmodi. Quis adeò amens, vt hæc non videat? Dico ergo quòd medicamenta quæ purgant, proprietatem imprimunt in membra: nullum leniens medicamentum proprietatem imprimit: ideò transmutari non possunt verè. Sed dices, medicamenta lenientia multitudine suâ purgant, velut mucus psyllij, & ius pulli iuuenis, & cassia nigra, & aqua lactis. Dico quòd succus cassiæ, & aqua lactis sunt medicamenta propriè: reliqua duo adaucta possunt mouere diarrhœam & fluxum ventris, sed nunquam purgabunt aliquem humorem determinatum, sed in hoc bilem magis, in illo pituitam. Cùm verò dicis: at cassia & aqua lactis; sunt ex concessis medicamenta purgantia, & tamen plerumque solùm aluum leniunt. Igitur commutantur. Respondeo quòd istud verum est, quòd cùm medicamentum habet duas vires, lenientem & purgantem, vt vna sopiatur, alterâ manente: sed in non habente, nisi vim purgandi, velut scammonio vel colocynthide, hoc nunquam accidere potest. Et si dicas, quod iuncta cum cassiâ nigrâ vel tali, hoc agunt in corporibus duris: dico quòd non est verum, quia adiuuant lenitionem, vt dixi, imprimendo, & ideò mouent humores, licèt non educant eos, ob paucitatem medicamenti, & ideo multo magis nocent quàm lenientia, corrumpendo statum & temperamentum naturale membri, & mouendo humores, nec educendo.

Hactenus de primo modo, scilicet paucitate medicamenti: at de tribus aliis fieri potest, sed non eo modo quo dicit, scilicet per transmutationem: verùm nihil prohibet, quòd si medicamentum habeat vim & leniendi, & purgandi, quin corrupta per coctionem, aut separata per ablutionem, aut cohibita per mistionem vi purgandi, relinquatur tota vis leniendi integra, aut pars illius, aut etiam augeatur. Sed quòd vnum transmutetur in aliud, est absurdum. Atque hæc de primâ parte tertij generis, distinguendi medicamenta purgantia: in quo obseruandum consulo, ne velis permiscere illa, vtpote leniens purganti, vt meliùs aut vehementius leniat, sed potius contrario modo, vt faciliùs purget, iuxta *Aphorismum 9. particulæ 2. Corpora cùm quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere*: qui debet intelligi non solum de præcedenti tempore, sed vbi occasio desit, de præsenti.

Reliqua duo sunt, quòd multum educat aut parum: nam cassia nigra plurimum educit, & tamen non procul: at Sarcocolla & Ammoniacum procul, non tamen multum: & similiter tardè talia educunt, licèt procul: & omnia medicamenta quæ velociter educunt multum educunt: & etiam conuerso modo inferre licet; quoniam velocitas prouenit ex robore medicamenti per se, & tunc educit multum: quandoque ratione humoris propinqui, vel mobilis, vt paucum scammonium, vel aloë ipsa statim mouet aluum, quia educit solùm feces in eis, illæ autem sunt in ipsâ viâ: non tamen necessarium est in eo casu, vt multum trahant, quia purgatio illa fit celeriter ratione materiæ, non medicamenti: Medicamentum autem quod procul trahit, necesse est vt habeat substantiam contumacem quæ mutetur vel ratione densitatis, vt sarcocolla; vel caliditatis & roboris, vt scammonium; vel vtriusque, vt euphorbium, ideò est principale in hoc. Aloë ergò non procul trahit, cùm vtraque conditione careat: est enim terreæ & aqueæ substantiæ, & non à genere lachrymæ, sed succus herbæ & pinguis admodum folij, ideò etiam effœtarum virium.

Tertium est, vt educat cum molestiâ, aut sine molestiâ. Et quæcunque educunt sine molestia, etiam parum nocent; imò si bene oleant, vt tragoriganum; aut astringant, vt aloë; aut vtrumque habeant, vt rhabarbarum inter medicamenta simplicia; & hiera Galeni inter composita, iuuant etiam membra, præter id quod purgent. Quæ verò violentur educunt, ea parte plurimum nocent, & quæ malum odorem habent: nam si odorata iuuant, olida nocent: & quæ sunt immoderatè sicca aut calida.

Quòd si simul odorata sint, & violenter educant, velut hiera Themisonis, tunc si sine impedimento & largè educant, non nocent & iuuant; secus nocent absque iuuamento. Eadem dico de asaro, sed id non est violentum, nisi primo modo: ideò ipsum est proximum potiùs hieræ Galeni simplici quàm Themisonis.

Medicamenta igitur genere distinguuntur, aut enim leniunt, aut sunt imbecillia & innoxia; nam etsi imbecillia noxia essent, non nocerent eatenùs quatenus purgant, sed alio modo: aut robusta, & hæc sunt aut valida, & innoxia, aut noxia; aut inualida, & noxia, aut innoxia; & violenta sunt valida & inualida; malefica & non malefica: nam omnia violenta ipso nomine noxia sunt, sed sunt, præsertim valida (scilicet quæ multũ & celeriter educunt) malefica ac quasi venenosa, quorum mitissimum est quod sciam, helleborus niger: nam Cucumis anginus, colocynthis, scammonium, & helleborus albus, ferri non possunt; vnde praua sunt, & per se humanis vsibus omnino abdicanda. Dicamus ergo primum de singulis generibus.

Capvt II.

Lenientium à purgantibus distinctio.

MEdicamenta lenientia non conueniunt, cùm aluus dura est, forsan enim excitabunt dolores, & Curtius peremit filium Nobilis de Florentiâ, hac causâ, cùm tamen esset Medicus insignis, & fassus est errorem: nec cùm materia est in ventriculo, nam tunc eiicienda vomitu est, si tamen biliosa sit: nec cùm materia turget, aut concocta est, indiget enim medicamento proprio: nec cùm feces euacuare necessarium est, quæ superiùs sunt coactæ, nam mollientia sufficiunt, vt vuæ passæ, sunt enim cibi mollientes, qui tametsi è genere sint lenientium, non tamen sunt lenientia, nisi cùm sumuntur in magnâ quantitate. Solùm igitur conueniunt, cùm materia fuerit melancholico in ventriculo, aut durus homo ad vomendum, aut in intestinis superioribus coacta, vel in ambitu, & osculis venarum mesaræi, mordens intestina. Quæ verò hoc agunt, debent esse proxima temperamento, vt minus malè afficiant, & necesse est etiam vt talia sint: nullum enim medicamentum leniens, est valde calidum, quod non purget strenuè; nec potest esse valde frigidum, & leniens, aut crassum: quocirca aqua etsi plurima bibatur, non lenit aluum [MS. *leniunt alium*,] nisi excalefactis, vt in febribus vehementibus aut vrentibus; nam est crassa, & frigida bibi solet: quocirca quantum mollit feces, tantum impedit vim expultricem. Lac ergo, iura & olea, ac similia aluum leniunt. Quæ autem solùm feces ducunt, σκυβαλοφορητικά à Galeno dicta, qualia aloë maximè lota, media quasi sunt inter lenientia & cibos. In quo genere solùm maluam cognosco: Galenus tamen posuit terebinthinam, & cnicum cum ficubus; sed ego parum fido: passæ autem vuæ pingues & sine arillis, aqua imbutæ bonæ sunt; ius caulium etiam cum vuis passis: nam de his quæ detergendo leniunt, plura sunt, vt ius leguminum, phaselorum, fabarum, pisorum, cicerũ.

At imbecillia medicamenta purgantia rarò conueniunt in febribus, quandoque tamen, & generaliter cùm materia est in ventriculo, mesaræo, & causâ iecoris, & est certi generis; nam lenientia non sufficiunt: reliqua traducũt materias à gibbâ iecoris, & vltrà, per venas angustas, & faciunt obstructiones indomitas & perniciosas, ex his tamen lenientibus plerumque prodest copia medicamenti. Si tamen materia crassa sit, aut tenax, iuuanda est calefacientibus, attenuantibus & naturæ familiaribus: ideò in huiusmodi, adeò probata est hiera Galeni simplex, de quâ mentionem suprà fecimus.

Robusta autem medicamenta, vires omnia exposcunt, non solùm quia validiora, sed ne in transitu ex cauâ ad σελεχιαῖαν, (neque enim alio transire possunt,) hæreant, & ita non solùm non educantur, sed vel in scirrhum transeant, vel phlegmonen in eo excitent, vel quod frequentiùs accidit, hepar putrefaciant vel febrem diuturnam & periculosam generent. Non conueniunt ante coctionem perfectam, nisi in materiâ turgente: nec in materiâ turgente non præparatâ; nec vbi iam decubuerit; nec si longius absit, quoniam non eò pertingũt; nec si materia sit citra gibbam iecoris; nec si incipiat abscessus. mouent enim & turbant, nec prohibere possunt, aut reuellere quantum opus est; nec si in venis magnis materia turgeat, neque enim obedit, sed tandiu expectandũ est donec ad paruas peruenerit. Violẽtis autem non est vtendum, nisi cum materia procul est à viâ, vt in hydropicis, capite iuncturis, vtero, & pulmonibus; vel si admodũ multa & per totũ corpus sparsa, vt in morbo regio absque febre: vnde qui purgant hos, cum adest febris, maximè acuta, occidunt plerumque illos, & vt dixi, innocentior omnium est helleborus niger, aut scammoniũ præparatum; & ideò tutior est Confectio Hamech in febribus, electuario de succo rosarũ, aut de psyllio. Ita qui purgant morbum regium absque febre cum rhabarbaro, similes sunt suscipientibus potentiorum inimicitias frustrà, & vt dici solet, canes irritantibus. Multo verò minus in imbecillibus ægris talia competunt, quàm priora omnia. Et cum necessitas vrget, vtemur epicrasi, & dabimus parum ex medicamento violento, & calidum valde actu, & tenue & compositum cum his quæ sunt amica naturæ ob consuetunem, temperamentum, astrictionem, & odorem. Et separatio terrei vbique & aquei in his bona est. Et coctio etiã melior est longè circulatione. Et cõpositio illa cum exiccatione in Sole, nisi quod terreum est, separatur, parum prodest, nisi in fluxionibus vt podagrâ, & destillationibus. De vstione verò quia est tractatio peculiaris, & declarata in *quarto libro de secretis*; hic sermonem non habeo: verum omnibus collectis singula distinguam. Appello igitur medicamenta lenientia, quæ feces educunt tantum, nulli peculiari humori detrahendo addicta, quorum vsus necessarius est ad exonerandum aluum, in ægris etiam, non solum in sanis. Sed & cum purgare voluerimus: inquit enim Hippocrates *secundâ Aphorism. 9. Corpora cùm quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere.* Atque in medicamẽtis depellunt feces, vt eorum opus adiuuent; nam si id faceres tentaueris maiore quantitate purgantis medicamenti, id violentius aget.

In omnibus autem his tum purgantibus, tum lenientibus, multiplex contingit difficultas, alia quidẽ ratione eorũ qui illa tradiderunt, alia ratione ipsius rei. Eorum enim qui scripserunt, varia fuere ingenia, studiáque, atque in plerisque ementitæ gloriæ. Obfuit pluribus existimare se scire quod nescirent. Id vtinam cum satis latè pateat, tamen in Medicis Principum, qui aliâ viâ quàm per doctrinæ verã opinionẽ ascenderunt, maximè viget. Vsus præterea malus docendi imperitos cum fastu illo maximo: atque

atque id peccatum in Professoribus publicis, qui concursore non agitantur, magis viget: existimant enim suas nugas ab omnibus probari, quemadmodum adolescentulis atque initiatis. Φιλαυτία quoque omnes non exagitat, vt placeant quæ parum bona sunt. Alij ab adolescentiâ, Dialecticâ ac Mathematicis tum Philosophiæ studiis non satis instituti sunt. Cupiditas etiam lucri, aut inopia detinet multos, vt inelaborata, & vt ita dicam, incocta prodant: velut ad generationem cibus non subactus ad vnguem, nihil prodest, sed semen exigitur; ita oportet vt longâ cogitatione res intelligantur, antequam scriptis mandentur, præsertim cùm inuolutæ sunt, & erroribus iam scatent, cuiusmodi est hæc doctrina: quòd etsi elaborata sit maxima pars, aliquid verò inculti relictum sit, totum decorem etiam amittit. Ex rebus autem ipsis non minor difficultas, tum ob regionum diuersitatem, vt non vbique eadem sint, quæ specie conueniunt, & ob nominum errorem, vt vnum pro alio sæpe subiiciatur: tum verò præcipuè ob duas causas, vna quòd quæ purgant humores, sub minore quantitate sumpta, aut quia inanita sint ob vetustatem, aut ob aliam causam, lenire videntur; alia contra cùm solùm leniant, humorum verò qui est in ventriculo & intestinis vnà cum fecibus educant, videntur eum humorem posse purgare: alia causa est magis propria, quoniam cùm intestina interiùs circumuestiantur pituitâ, si quid purgat feces paulò vehementiùs, aut detergit acriùs, purgare pituitam videtur, cùm tamen ex lenientium solùm sit genere. Aliæ etiam sunt causæ horum grauiores quàm videantur, non cognoscere humores, tum ratio ipsa distinctionis eorum, tum opinionum varietas. Primùm enim illud verum non est, quod tamen plerique pro constanti habent, bilem crassam cõpositam esse ex bile pituitáque: aliud enim est bilis crassa, quæ fundamentum est notharum febriũ tertianarum; aliud bilis pituitæ admista, quæ efficere solet hemitritæum communem minorémque. Sed neque illud verum est rursus, medicamenta quæ humores crassos excernunt, educere etiam semper tenues: sic enim nullum esset medicamentum, quod nigram bilem educeret. Cùm autem in pluribus hoc verùm esse cernamus, suo loco de his distinguendum erit. Similiter cùm dicimus melancholiam purgari, nondum compertum est, an eo nomine exusta contineatur; & si continetur, an vtrumque genus, & quod à melancholiâ naturali factum est, & à flauâ bile. Atque etiam versâ vice. Sed & pari ratione, an sub flauâ bile, viridis, cœrulea quam isaridem vocant, vt ab eodem medicamento cum cæteris educi possint. Ob hæc igitur, quod traditum est ad hanc vsque diem, quanquam plurimi egregij viri laborârint, potiùs ad Empiricam exercitationem, quàm ad artem pertinet. Etenim in his cùm plura desint, tum ea quæ tradita sunt, ratione omnia careant, pleraque erroribus etiam maximis scarent, omnia verò sint obscurissima, adeò vt cùm ordine careant, id vitium pro nullo inter tot peccata habeatur. Et in antiquis magis reperere errores. Plinius quod sæpe testatus sum, Grammatici partes agit; nam & Grammatici est de omnibus dicere, vt Priscianus ait; & tamen hoc ipso, in tantâ inopia bonorum authorum, indigemus: nam à recentioribus fides desideratur. Sperabam aliquod auxilium à Brasauolo viro sanè erudito, sed hac in parte, seu tum impeditus, seu nimiùm sibi tribuens, parum diligens & minùs oculatus fuit, vt videatur Plinium præ manibus sumpsisse, & iuxta singula sua experimenta, quorum etiam maximâ ex parte oblitus erat, omnia descripsisse; præter enim immodicam illius prolixitatem, quæ ei familiaris fuit repetit pleraque, & modò eadem, modò contraria dicit, in quod tamen vitium necesse est eos incidere, qui non certâ methodo aliquid scribunt. Et in plerisque dum experiri vult, lenientia cum iure, sale, & oleo exhibet, quæ ipsa per se lenire possunt quamcunque aluum: deinde quorũdam tantam copiam exhibet, vt longè maius sit detrimentum ex multitudine sperandum, quàm ex deiectione auxilium, velut in gingibere semunciam. Poterat verò innumera sub vnâ regulâ comprehendere, quemadmodum [MS. *quoniam admodum*] nos facturi sumus, quæ singillatim docendo, præter tędium & prolixitatem, sibi dum videtur contradicere, obscuriora reddit. Præter hæc eiusmodi compositio non redolet Italicam maiestatem, sed barbaram quandam etiam humilis & sordidæ literaturæ consarcinationem indignam illo prorsus; in quâ illud etiam est absurdissimum, quòd Dioscorides Arrio Imperatori scripserit, quod ob mille causas esse non potest. Verùm quoniam ex experimentis disciplina constat, non suaserim neque in damnatis id tentare, vt miseriam misero adderem, nec periculosè, sed obseruare alios qui id experti sint, tum etiam summâ ratione instructum, si [MS, *sed*] id non succedat, longè inferiore quantitate experiri, quàm [illi,] vt etiam sis procul à periculo: in canibus autem maximè, suibus, ouibúsque ac capris, & cuniculis; tutissimum est autem quod sumitur ab auibus; non enim inuentum est medicamentum prorsus innoxium gallinis aut columbis, quod homini coctum & propinatum sub mediocri quantitate nocuerit; neque enim tentandum in his, vt medicamenti vim percipias, sed vt experiendo ne noceas, quod primum est intentum, pòst homini exhibendo animaduertes, si rugitũ mouet, tormina ac dolores, è purgantium est [genere,] etiamsi non educat. Vt verò sciamus quomodo tutò tentare possimus, considerandum est an sit ex medicamentis Dioscoridis, & tunc ille prodit quæ venenosa sint. Sin autem non sint ex illis, tunc cõsidera an sint metallica, vel emittentia lac, omnia enim hæc venenosa sunt. Sin autem ex his non sint, an folia habeant lucida, an grauem odorem, an saporem tetrum ex acri & amaro mistum, qui proprius est venenis.

Capvt III.

Lenientium medicamentorum variæ species:

QVæ igitur ventrem leniunt, non omnia connumerare [lubet:] sed alia quidem quòd cibi vel potus loco habeantur, vt lutea ouorum, tenera cerebra gallinarum condita saltem sex, adhibendo melicrati iisdem totidem vncias, quæ per se idem possunt: butyrum, pòst mel; sufficiunt autem duæ vnciæ è singulis. Quædam quia vtilia valde, vt semina citri ad quadraginta, seu arantij, seu limonij, aut pomi Adami medulla tusa, vel in decocto: confert ventriculo, iecori, renibus, cordi, cerebro innoxia est, ob id sine corticibus danda, quoniam lignea & terrea omnia ventriculo sunt inimica, tametsi cum illis magis leniant. Quædam quia propriam præter id quandam vtilitatem habent, velut viticis semen, quod flatum discutit, & obstructiones aperit, & borrago quæ cordi tam salutaris est. Quædam quia in promptu sunt, & vbique ad commodum parata, vt ius caulium. Alia quia suauia & innoxia, vt saccharum sed libræ dimidio, mel coctum ex vnciis duabus. Alia optima, vt sphondylij radix ex ℥j. quæ etiam capiti confert & ventriculo; est enim ex beneuolentibus. Quædam propriè id faciunt, vt oleum amygdalinum dulce, quod etiam pectori difficulter anhelanti, & vrinæ cruciatibus prodest: cui succedit quod ex oliuis detrahitur. Quædam quia tota id agunt, velut smilax clematitis, beta, mercurialis: singulæ enim partes harum, aluum molliunt. Nonnulla quia potenter id faciunt, adeò vt nomen ἐλατήριον inmeruerint, velut aloë. Demum alia quoniam præter id humorem peculiarem purgant, velut cauliculi vitis agrestis, & quæ ex purgantibus medicamentis omnia. Quædam plura complectuntur commoda, velut vt dixi, smilax clematitis; purgat enim pituitam & aquam, & non solùm folia, sed etiam semen & cauliculi cocti ac crudi ex acetario, ducunt aluum. Quæ verò nullo horum vndecim modorum id agunt, prætermittere decet vt inutilia, semper enim vsum cum iactura temporis compensare debemus: velut illud de X L. amygdalis, & Hippophaës, ac similia: de succo fructuum mororum per se quidem inutile erit [medicamentum;] in Rob, vt dicunt, quod anginæ vtile est, (est autem syrupi species) vtile erit. Neque tamen etsi doctrina lenientium medicamentorum omnibus vtilis, exercitatio & vsus perinde erit: debilitat enim viscera & vires, & hominem post senectam primam breuioris vitæ facit: sed his solùm qui enterocelen patiuntur, aut flatus, vel intestinorum dolores; his enim necessarius est vsus, cùm feces sint duriores, aut exitus vltra diem naturalem distulerit: nam terminus temporis etiam in his est semel in die naturali, & fæcum, vt sint figuratæ: liquidiores autem sæpius excernere, malum, etiam in his, nedum in sanis.

Dico igitur quòd quæ leniunt aluum, vno ex octo modis id efficiunt, quorum primus est multitudine: nam etsi multitudo per se sit modus, cùm tamen excesserit, præsertim in re humida, manifestè [assumpta] deiiciunt aluum, velut caseus recens humidus, caro suilla, maximè lactentium porcellorum. Sic amygdalæ L X. recentes, & nuces pariter virides, lactucæ, & eiusmodi. Quanquam enim natura sua aluum non deiiciant, pondere tamen prægrauant, vt natura cogatur excernere, tum verò etsi non lenirent, copia fæcum insusitata, quæ redditur ob cibi multitudinem, imaginem lenientis medicamenti præbet. Dicitur autem multum, quod sex vncias excedit, in mediocri natura, ætate, & consuetudine. Ozimum ergo, vt ad rem redeam, cùm sit humidum valde, licèt calidum, ventrem lenit, si multum sumatur.

Quæcunque purgant, vt dictum est, debilitata paucitate, aut coctione, aut destillatione: vel non adulta, velut surculi multarum plantarum, vitis syluestris, seu attagenæ; clematidis non solùm surculi, sed etiam folia teneriora, bryoniæ item surculi, dracunculus maior, & folia etiam cocta, allium quod nondum digestum est in spicas, & huiusmodi: vel si fuerint iuncta cohibentibus: alia quia per se lenia, vt flores violæ in acetario, & sambuci etiam vel ebuli; Tamarindorum quoque vnciæ dimidium, plus autem purgat.

Humida prætereà, licèt non pinguia, in copia sumpta, licèt non excedat limites, id est, dimidium libræ, velut lac, maximè asinæ, sed eximere oportet butyrum, [MS. *sed excedere oportet, butyrum,*] thermæ, ius quodcunque maximè capi, magis etiam galli, & veteris, myxorum decoctum, mustum maximè dulce ante cibum per horas quatuor sumptum, succus glycyrrhizæ fluidus, vel decocti glycyrrhizæ iustum pondus; dixi hoc esse vj. vnciarum, cùm in aquâ vncia vna eorum quæ non purgant, aut dimidium eius medicamenti quod purgat, incoquitur. In omnibus fructibus, præcipuè myxis sufficiunt xx. & in prunis xl. coctis, vt edantur, & ius bibatur, sed sint maturi, non austeri, neque acidi, nec astringentis saporis: magis autem si cum rore colligantur, vt etiam in vuis; sed adeò mouent cerasa sic collecta, & cum nucleis deuorata, vt referant dolores pedum leuari. Hoc non tam cerasorum munus quàm roris, qui cum fructibus omnibus, & floribus, & etiam per se mouet aluum. Succus mori fructus, & sycomori, & aranciorum dulcium, atque vt dixi, omnium huiusmodi. Vuam tamen passam absque arillis ego soleo edere, & exhibere aquæ infusam, & plenam atque inflatam. Plus etiam lenit & mouet aluum Cretica, ex qua Pramnium vinum fit. Cynoglossi etiam folia decocta aluum leniunt. Præterea omnia liquida quæ flatus excitant, seu natura, vt raparum decoctum, seu casu, vt aqua seu vinum.

Ex saporibus dulcia omnia leniunt ventrē, seu

ſeu quòd laxent, vt *quinto de ſimpe. medicam. cap. 26.* ſeu quòd detergant, vt in *libro de Diſſolutione continuâ, cap. 2.* ſed hoc cum ſiccâ ſubſtantiâ: cum humidâ ſentit quòd molliant, *ſeptimo de ſimpl. medicam. cap. de Ceraſis.* Ergo & lac ſubducit magis, & mellis vnciæ duæ ſufficiunt, & ſacchari vnciæ ſex, abſque torminibus & moleſtiâ vllâ: nam mel tormina facit, ideò eſt ex principalibus: & mihi ſufficiunt totidem drachmæ, & pauciores in aquâ diſſolutæ: & ita de omnibus valde dulcibus; vnde etiam ſiliquæ coctæ, quamuis ſiccæ ſi edantur, & ius earum bibatur, ventrem leniunt, & renes valde confirmant. Lac verò aſinimum quaſi medium naturâ eſt: vide *infrà, numero 126.* & *ſeptimo comm. in Hippocratem de Aëre, Aquis, & locis, comm. 4.*

Præter hæc ſunt omnia quæ ſtimulant, ſapore acria ſcilicet & ſalſa, ſed hæc deteriora, quòd cùm detergant pituitâ quæ inteſtina veſtit, vbi aluum laxauerint, magis aſtrictam reddunt. In hoc genere ſunt cepę, & allia, & porri, ſingula cocta ſub cineribus, & dracũculi germina, & lapathi ſurculi, & herba ac radix narciſſi, & aſcalugiæ, & aſphodeli. Eſt etiam illud de pipere, in *Problematis Ariſtotelis,* quòd exiguũ illius laxat ventrem, multum prolicit vrinam. Gingiber maximè viride & conditum. Naſturtij quoque ſemen à drachmis vnâ & dimidiâ ad duas. At ſalſorum maior etiã copia eſt; namque in genere herbarum, cremor braſſicæ præcipuus eſt hac ratione, (dico primam aquam) tum betæ, atriplicis, & ſpinachiorum Et ſimiliter Corallina ex drachmis duabus, & tartarum album, & aqua marina, & ex marinis animalibus omnia quę ſicco integumento prædita ſunt, velut oſtrea, chamæ, conchæ, locuſtæ, gammari, aſtaci cancri; & quæcunque ſunt molli carne, velut polypi, ſepiæ, loligines: & rurſus quæcunque nutriuntur plantâ in littore maris, vt chachile, ſed pauca; quæ in aridis locis oriuntur; & ius omnium leguminum fermè, præterquam fabarum, & præcipuè cicerum rubrorum, ſoluit enim bene ventrem. Gari vnciæ duæ cum iure. Et ſunt quæ proprie leniunt ventrem, pellentia ſtercus, vt craſſiæ nigræ medulla, & myxa quamuis vt dixi, aliâ ratione. Alia ſunt quæ vt pinguia, velut oleum commune, & amygdalarum dulcium, & omne genus horum, ſub quo etiam ius carnis continetur, licèt etiam vt humidum, & vt multum. Oleum amygdalinum amarum, licèt ſapiat medicamentoſum, & breuiſſimo tempore ranceſcat. Et quæ veſtiunt inteſtina, in quo genere ſunt mucci quicunque pſylij ſeminum cotoneorũ, vel maluæ, vel boraginis vel myxorũ, atque huiuſmodi. Hæc ante cibum multò ſumi debent, hæcque omnino non purgant, tametſi à purgante materiâ, velut vrticæ ſemine detrahuntur.

Demum ſunt quæ aſtringendo leniunt, ea non vt reliqua, ante cibum præſumi, ſed à cibo ſumi debent, velut cotonea cocta, & pyra ſeu cocta ſeu cruda, & meſpila, & tricocia, & mirobolani omnes, quamuis è medicamentorum genere, ideóque in modicâ quantitate, & ante cibum; ſicut & medicamentum Arabum, quod conſtat ex malorum punicorum dulcium, ſed etiam magis acidorum ſucco, in vaſe æreo rori expoſito per noctem. Quantitas eſt vnciarum ſex ad ſummum.

Et ſunt compoſita ex huiuſmodi, velut mel cum Pramnio vino, aut melicratum ex vnciis ſex. Modus conficiendi eſt hic: Muſtum potens ſume poſt viginti dies, & ei quintam partem mellis deſpumati adde, agitabíſque arundine perpetuò donec albeſcat per dies quinquaginta, inde tege linteo, vt exhalare poſſit, pòſt mundâ manu collige quicquid ſupernatabit, ſeruabíſque in dolio gypſo oblito, vere intricata parua vaſa condes, & gypſata diligenter operies, inde frigidâ cellâ, vel arenis fluuialibus ea repone, nam in perpetuum ſeruatur. Refertur inter aluum lenientia ſeſami ſemen, cuius præcipua eſt vtilitas à me bis experta, inſanabiles penè pruritus tollere; & polygonati etiam ſemen; non ſatis quomodo id agat, nouit: efficit tamen vtrumque ex drachmis duabus. Eodem modo ſucci praſſij drachmæ tres, aut tantundem ſtyracis, (quæ cum hoc profundum prouocat ſomnum) vt ſuccus à regio morbo liberet, cùm pulueris etiam duæ drachmæ ad ambo ſufficiant, ſiquis tamen aſſiduè vtatur alterutro. Picem etiam referunt aluum mollire eodem pondere, quod proprium ſit reſinarum omnium quia colliquent forſan & detergant; ita terebinthina & lentiſcina, ſed eodem pondere, quæ quàm multa erit. Sed & vnguis odorati puluis, qui quamuis redoleat bene, vétriculo tamen eſt parum vtilis & amicus.

Sunt præterea quæ aluum leniunt experta, & perſæpe meliora medicamentis, ſanè tutiora, vt Coriandra ſaccharo obducta & læuia tria aut quatuor impoſita educunt fæces, ſed exigitur ſpatium dimidiæ horæ. Hoc cęrtè tutius quàm auxiliũ Sauonarolæ in Hercule Ferrariæ Principe, pro quo centum accepit coronatos, pro tam præcipiti conſilio. ô fortunam ac ſtultitiam hominum: tempus æſtiuum [erat,] iuſſit ambulare per quinquaginta paſſus nudis pedibus ſuper marmoreum pauimentum, aquâ frigidâ inſperſum, ſtatim commotus eſt venter, inde cùm purgaſſet copioſè, (iam enim tres dies erant, quibus aluum non exonerauerat) pedes calidâ aquâ, in quâ herbæ odoratæ incoctæ erant, lauari iuſſit, & in lecto interquieſcere. Sed quid ſi nõ demiſiſſet: periculum doloris coli [MS. *colli* manifeſtũ impendebat: ex quo ſub mediocriter iracundo Principe, cùm tot alia eſſent ſalutaria mors impendebat.

Animaduertendum eſt etiam quòd leniendo ventrem, perducitur homo ſæpe ad colicam fæcum, & hoc quia eiuſmodi lenientia educunt ſolùm partem tenuem, & relinquunt craſſum, & etiam quia natura aſſueſcit expectationi auxilij, & ideò pigritat in expulſione excrementorum. Idem quoque accidit in omnibus medicamentis lenientibus, quæ ſunt è genere purgantũ, nam educũt partem interiorẽ, & relinquunt craſſam,

crassam, & præsertim si fuerint è genere educentium humores tantùm tenues. Tertiò idem accidit ex medicamentis quæ educunt vel constringendo, vel lubricum faciendo, vel detergendo, & generaliter in omnibus quæ non molliunt fæces; & hoc potest dici piscari hamo aureo, nam propter leue commodum, homo incurrit vitæ periculum ex coli doloribus vehementissimis. Sunt etiam medicamenta eccoprotica [MS *encoproteta*.] diuersa à genere lenientium, & hoc multi non animaduertunt, propterea quòd per accidens pleraque lenientia aluum, etiam educunt fæces: sed quæ propriè educunt feces solas per superius, nondum comperta sunt: quæ autem educunt cum aliquâ parte humorum, sunt etiam duo tantùm quod sciam, Aloë hepatica, & polypodium coctum cum iure pingui; & illud idem ostendit pauperies Principis in docendo medicamenta expurgantia feces, nam connumerat siclam inter præcipua, quàm puto esse [MS. *putresse*] betam, & quæ non educit feces, sed partim mollit, partim detergit. Galenus autem vtitur lachryma terebinthi, cum decuplo medullæ ficuum siccarum. Et scias quòd omnia quæ expurgant aluum, solent ipsam reddere astrictam, quia vel euacuant partem tenuem tantùm, & ita relinquunt crassam, quæ siccatur & indurescit, & ita aluus astringitur: vel educunt crassam tantùm, & ita educitur pituita quæ circumuestit intestina, & redduntur aspera, vt non possint facilè feces effluere: aut educunt crassa & tenuia simul, & nisi incidant in læuitatem intestinorum, necesse est vt diu maneant excrementa, antequam impleantur intestina, & ideò natura assuescit torpedini cuidam non emittendi feces, & cùm pertransierint aliquot dies, necesse est vt magis augeatur siccitas earum, quàm multitudo, in comparatione ad repletionem intestinorum, & ideò sequitur periculosa astrictio: sed causa quòd non frequenter accidat hoc, est vsus ptisanæ & ouorum recentium, quæ leniunt ventrem, & clysteria quæ molliunt. Et proprium eorum quæ educunt feces, est multitudo & pondus; hæc enim impellunt ipsas feces: nam à similitudine difficile esset euacuare feces, quoniam si medicamentum esset substantia simile fecibus, & feces retinentur ab intestinis ob consuetudinem. Ergo illud medicamentum non poterit irritare intestina ad expellendum feces, & ideò oporteret vt esset perfectè simile fecibus exactis, & tunc esset valde abominabile, & forsitan quòd istud conuenit fecibus quorundam animalium, inter quæ numerant stercus muris, quo vtuntur in suppositoriis, & dicunt quòd euacuat potenter: non tamen inuenio qui dicat quòd debeat exhiberi per os, & maximè quia vix fieri potest, vt sit adeò abominabile, vt non perturbet ventriculum excitando vomitum, & corrumpendo ipsum, & ideò tutior via videtur esse in mollientibus aluum cum modica astrictione & detersione, quæ omnia cùm sint in beta, videtur optima, sicut etiam vuæ passæ pingues, & ficus siccæ excorticatæ, sed vsus ficuum non esto nisi coctarum: vsus autem vuæ passæ est bonus vtroque modo, scilicet coctæ & crudæ, sed debet ablui diligenter decies aquâ frigida, purgando eam ab omni immunditie; deinde debet infundi per tres horas saltem, & non plus quàm per nouem in aquâ frigidâ, quia sic redditur humidior & iucundior gustui, & non amittit vires, neque suauitatem. Et in vniuersum fidere oportet potiùs abstinentiæ & moderationi cibi, quàm medicamentis præparantibus, velut Oxymel scilliticum, & quæ incidunt, attenuant, aut purgant quouis modo excrementa, & his etiam plus quàm lenientibus, & lenientibus plus quàm purgantibus: & causa est, quoniam primùm homo hac confidentia transgreditur metas iustæ rationis viuendi, non solùm in cibis & potibus, sed etiam in Venere, somno, laboribus, aut otio; & nunquam adeò bene emendatur error, quàm bene admittitur. Optimum enim est non errare: pòst errare, & statim corrigere: pòst corrigere, sed non statim: pòst non corrigere, sed continere se: pessimum omnium est non corrigere, nec continere.

Omnia etiam medicamenta quæ aluum mouent, debilitant iecur duabus causis, & persæpe tribus: primùm quia illud priuant alimento proprio, & quod deterius est ordine: quoniam ex tenuibus intestinis trahit quod est vtile ad sanguinem bonum generandum, pro alimento spirituum & caloris naturalis: ex crassis autem, quod necessarium est ad sanguinem generandum, pro sua & ventriculi substantia reperanda. Si ergo homo educat ea quæ sunt in intestinis tenuibus, quæ sunt maxima pars intestinorum, necesse est vt per duos aut tres dies iecur destituatur alimento substantiæ suæ: neque enim omnia fiunt ex omnibus, vt existimauit Anaxagoras; sed ex determinato alimento, & parte alimenti cuncta, velut etiam cibi solidi, liquidi, solidioris & liquidioris. Id manifestum est ex his qui caseo vtuntur plurimo & fermè solo, in quibus augetur robur, vt etiam testatur Hippocrates, *secundo de Diæta*, *& in libro de Veteri Medicina*, qui illum appellauit nutrimentum robustum, & ita minuit ingenium. Secundò quia fit motus contrarius motui naturali: nam medicamentum etiam leniens trahit à cauâ iecoris versus intestina per venas mesaræi; iecoris autem munus ordinarium est, trahere ab intestinis ad cauam per illud idem [iter,] ideò sunt motus contrarij. Et ob id quæ prouocant vrinam, sunt magis vtilia iecori, quam quæ leniunt aluum aut purgant. Ob hanc causam neque debilitant ipsum, vt illa, imò iecur gaudet huiusmodi operatione, vt illa tristatur, & facilè & statim cadit ex ea in hydropem aut malum habitum; nisi commodum & necessitas faciat illud tolerabile. Quod si medicamentum sit nimis calidum, debilitat etiam ipsum caliditate superfluâ, quæ est illi peculiariter inimica, sicut etiam siccitas: si frigidum, debilitatur ventriculus non parum, cui frigidum est inimicum, quia exanguis; sicut etiam humidum, quòd illum laxet. Quòd si medicamentum expurget, & quanto

quanto violentius, præter hæc tria incommoda, alia tria adducit: nam primum educit aliquid de vtili cum inutili, vt *sextâ aphorismorum*; vnde rectè inquit Princeps *tertia prim. Doctr. 3. cap. 1. Omnis medicina purgans purgat & inueterat.* Secundum, quia perturbat corpus totum: & ideò dicebat Galenus in *libro de sanguinis missione, c. 12. Non est nostrum sistere medicamentum cùm volumus, vt in venæsectione sanguinem.* Tertium quod est deterius omnibus, quia materiæ deducuntur à gibbâ iecoris ad cauam, per venas de quibus dubium est an committantur, adeò vt seu committantur, seu non periculum sit præsentissimum generationis abscessus in eo, vel corrumpendi ipsum vt putrescat, aut vt fiat obstructio insuperabilis, ex quâ febris diuturna, & nunquam habitura finem consequatur, aut saltem morbus regius, aut malus habitus, quem Græci καχεξίαν vocant, vt alibi docuimus: neque in transmutatione ad pulmonem, cùm tussis adest, veteris, nam periculum est ne tussis cesset: & si recesserit, putrescet materia, & febris accendetur, vt æger persæpe nullo ex morbo moriatur, velut contingit Vlyssi Gozadino Bononiensi Senatori. Idem dico de venæ sectione, & alui lenitione ex cassiâ, sed hæc minora, nam sectio venæ eâ deterior est. Atque hæc de medicamentis expurgantibus seu lenientibus, propter morbos illos qui sine eis sanari non possunt, & vt tempestiuè adhibeantur, memento dicta esse, ne pulchritudo rei, aut ambitio, vel auaritia ad fallendum concreditos fidei tuæ, te perdat & illos. Reliquum est vt doceamus quod sæpe attigimus, scilicet cibos liquidos vt lac, multitudine transire in medicamentum leniens aluum; sicut & medicamentum leniens purgare humorem aliquem. Ideo multiplicata quantitate Brasauolus sua experimenta confirmabat: fiunt ergo tres ordines: liquida multitudine aluum molliunt, vt ius carnis; mollia leniunt, & lenientia etiam purgant, licet medicamenta dici non possint. Id autem septem modis, aut si vim habeant aliquam purgandi, sed leuem acuta detegunt, vt cassia; vel si multitudine onerent, vel si calida colligunt; aut si materia in ventriculo aut intestinis contenta sit; vel si prope locum multa leuis calida; vel si iam parata sit expulsionis, vt qui talia exhibent, dum vagãtur diarrhœæ aut dyseteriæ. Demũ cùm artificio attenuatũ & excalefactum medicamentũ transmutatur: quod etiam contingit ex compositione, vt si plurimum gingiberis addatur: tum etiam ex corruptione atque putredine.

CAPVT. IV.

De medicamentis purgantibus proprie dictis.

SED iam ad medicamenta purgantia reuertamur, doceamúsque an quæ leniunt, omnes humores educere possit? Est autem quæstio admodum vtilis & proposito congruens. Dicimus ex quocunque humore posse fortuitò partem educere, manere tamẽ maximè in coli fornicibus ac cauitatibus, humorem crudum densum, alium hærere tunicis, vel melancholiam, etiam manere immobilem, & excrementa quædam hac retrimenta, velut leguminum cortices, quæ solum paulatim educuntur: bilis quoque tenuis partes subterfugere euacuationem, vt longo tempore aut purgante medicamento opus sit. Antequam autem veniam ad singulorum medicamentorum enarrationem, illud explorare vtile fuerit, vt sciamus quid & quãtum, vnumquodque medicamentorum possit: nam Galenus *cap. tertio libri tertij de simpl. medicam.* vim hanc in substantiæ medicamenti ac humoris similitudinem refert: & dicit quòd Cnicum est simile pituitæ: sed mirum est de hoc homine, qui adeò prolixus est in reliquis, quæ nullius momenti sunt, ad fastidium non paruum vsque; hîc adeò breuis, vt cùm dederit hoc vnum exemplum de pituitâ, cùm tot alia sint, quæ pituitam purgant, quæ alba non sunt, sed flaua, vt sagapenum, ammonicum, opopanax; deinde alba quæ flauam bilem educunt; alia quæ nigram: tamen nescio quo vultu tam audacter & vno exemplo contentus protulerit, causam esse similitudinem in substantiâ, adeò vt persuaserit hoc etiam aliis, quanquam Auerroës & Princeps in hoc dissentiant, tum Meluë *cap. 27.* Verum quod addit in superpurgatione semper leuiorem humorem sequi, intelligendum est, vbi medicamentum non euacuet duos humores, vnum post alium: velut polypodium quod post nigram bilem euacuat pituitam, & non flauam bilem. Cur ergo lac & cerasa non purgant pituitam, cùm sint candidiora cnico? Ideò dico quòd medicamenta euacuant, vt Aristoteles docet, quia amara & acria; & ideò si isti sapores sint in substantiâ simili pituitæ, vel densâ non terreâ, euacuant pituitam; si in vaporosâ & tenui, bilẽ; si in terreâ & crassâ, & acris sapor prædominetur, melancholiam: & ideò polypodium, epithymum, helleborus, habent vim subamaram & acrem, & euacuant bilem exustam, excepto polypodio quod acre cùm sit, subamarum non est, & ideò euacuat solùm melancholiam naturalem. Hanc ergo substantiæ similitudinem Galenus ex alio sumpsit, & non intellexit: nam vera est, quia terrea omnia quæ purgant, si acria sint, cùm etiam sunt subamara, bilem proprie nigram, non sanguinis fecem educunt, & à magnitudine saporis, intelliges robur medicamenti; & à velocitate operationis in linguam, velocitatem & robur purgandi. Auerroës autem *quinto Collig. cap. 21.* præter hæc, tribuit facultatem hanc proprij humoris purgandi, non solùm medicamentis, sed etiam à membro proprio: & dat exemplum de sagapeno, quod ab articulis trahit. Sed quia hoc potest fieri per coniunctionem medicamentorum purgantium & confirmantium membrum illud, ideò non tractabo de hoc, satis sit nouisse vtrumque genus. Illud quoque animaduertendum:

uertendum, quòd nullum medicamentum omnes humores simul trahit, nisi lenendo id agat, sed naturâ similiorem loco leuioris. Certum est enim quòd si similitudine trahit; necesse est vt magis assimiletur vni ex reliquis quàm alteri; neque ergo tenuiorem semper. Quomodo ergo intelligendum, nisi vt referatur ad idem genus, bilem tenuiorem quàm crassam, & melancoliam tenuem ante crassam, & reliqua huiusmodi, non bilem ante melancholiam; sed vt tenue & crassum ad idem genus humoris referatur, non ad diuersa. Omne autem medicamentum imbecille permistione tenuium & calidorum medicamentorum ac dissecantium, velut gingiberis & salis ammoniaci euadit robustum: & robustum violento simile, non tamen vere violentum, neque ex imbecilli simile violento. Per separationem autem atque vstionem, non solùm ex robusto efficitur violentum, sed etiam ex imbecilli. Eadem quoque ratio est de transitu inualidi ad validum: sed hoc est longè facilius, quam permutatio ordinis dicta. Est etiam consideratione dignum, quòd medicamentorũ vsus transmutatur quadrifariàm, vel ratione modi, vt cùm damus helleborum album loco nigri, vt excitemus vomitum in morbo attonito, tum quia vomitus, vt actio, vtilis est, tum quia per aluum adeò torpida natura nihil educeret. Securiùs per clysteria & glandes etiam in vtero, sed tantùm non possunt, verùm etiam tanto minus agitant, & ita cum sunt sensu aut facultate priuati, vt in infantibus, amentibus, attonitis, resolutis, syncope, animi deliquio, hystericis, distentis comitialibus, & conuulsis. Secundò cum ex maiore morbo ad minorem consimilem, vt quæ prosunt [MS. *possunt*] comitialibus, eadem & vertiginosis. Tertiò contrà, vt quæ resolutis, eadem attonitis. Quartò à consimilibus diuersis, velut medicamenta comitialium cum adhibimus resolutis. Et iuuat etiã considerare formam, velut cum volumus curare caput, damus catapotium vnum magnum ex Alephanginis, ante somnum, scilicet post cœnam. Medicamentum quoque purgans torrefactum, euadit astringens. Et similiter acrnes fructuum maturorum, vt cotoneorum & malorum Medicorum sensim, coquendo adiectæ oleum emittunt, non enim putrescit.

In exhibendo ergo medicamenta valida atque robusta, vt est helleborus, memento non esse superdormiendum, ne humores agitati nec educti, prius aliquid mali agant quàm euacuentur. Exhibitionem autem cibi statim, id est, ptisanæ, laudat Hippocrates, ad mitigandum illius & vim & noxam vt sit quasi frænum. In his quæ benigna sunt & inualida, somnus iuuat ad actionem, & est sine periculo: cibus tamen non est dandus, tum quia noxa nulla est emendanda, tum quia impediret actionem inualidi medicamenti: somnus enim adiuuat actionem, & impendit purgationem; cibus autem actioné debilitat, & purgationem non impendit, sed potius iuuat. Nunquam tamen si post primum somnum sponte experrectus fuerit, super dormiendum; uigilia enim collectum humorem indicat.

Dicemus ergo singillatim de vnoquoque medicamento purgante iuxta ordinem suum, & electionem, & quantitatem, & modum, & si crassum aut tenuem humorem purget, & ex quo genere sit, si sit validum an inualidum; sit turbet, aut non; si maleficum, aut salutare, aut neutrum: & quod maximè vtile est, præparandi rationem, & quibus etiam præcipuè, præter medicamenti rationem, conferat seu morbis, seu membris; & si in temperamento excesserit, aut detrimenti aliquid insignis afferat, admonebo.

PARS TERTIA & VLTIMA.

De medicamentibus purgantibus in specie.

CAPVT I.

Quæ purgando leniunt.

1. Cassia nigra.

NON eadem est ratio horum quæ sequentium; nam cùm omnia quæ purgant etiam educant feces, & aluum moueant, omnia sub hoc titulo comprehendi possent; at magnum est discrimen horum ab aliis, similiter & vsus. Nam hæc primùm aut molliunt feces, aut intestina vestiunt, aut comprimunt, aut detergunt, nec purgant per se, sed quia materiam eiusmodi inueniunt in itinere, scilicet in intestinis, aut etiam propè, illam trahere possunt, velut vnguentum rosaceum bilem flauã educit, si in mesarçi venis prope intestina fuerit, non tamen pituitam, multò minùs atram bilem: ita cùm sint tria purgantia medicamenta, quæ aluum omnia deiiciunt, & quæ leniunt ventrem; hæc humores omnes qui in viâ sunt, educunt, & magis tamen vnum quàm alium, vt psyllij mucus bilem, non pituitã, de horũ nullo hîc sermo est, sed de his quæ ex quo leniunt & purgant, nec procul humores ducũt, sed certũ humorem, & propè tantùm: psyllij enim mucus, de quo minùs videtur, longiùs trahit bilé. Inter hæc igitur collocabimus, quæ humores educunt, sed nõ à iecore, talia, enim purgãt; nec solùm eos qui in viâ sunt, palàm enim est illa esse lenientia aluum simpliciter, sed quæ propè tantùm, & certi generis: vocat id Dioscorides mouere aluum. Quæ igitur ex his bilem purgãt, & non calefaciunt, omnia etiamsi non propriè leniant, vt decẽ priora, optima sun his qui sanguinem miserunt, cùm quasi

animo destituuntur, aut morsum ventriculi sentiunt, aut turbatur venter, his enim solis, quoniam euacuatio alia præcessit, & motus ille non est spontaneus, ideò non est tutum violenter trahere, & tamen trahere oportet. Ex lenietibus ergo manifestũ est, solùm tria prima conuenire, præcipè autem primum & tertium. Huiusmodi est Cassia nigra, cuius vis est purgare omnes humores, sed magis lenit aluum quàm vlla res nota. Gignit etiam flatus, quibus inducit tormina, sed vt dictum est, eo magis mouet aluum. Datur succi eius semuncia, sed non purgata bene à cortice, dilutáque pondere vnciæ, si optima sit, qualis quæ rubra, ponderosa, tenui cortice, intus splendida, succosa, suauis ac dulcis, & aduehitur huiusmodi ex Oriente. Quæ verò ex Occidente affertur, leuis, nigro & crasso cortice, intus rudis non suauis, licèt dulcis, non pinguis. Tormina tolluntur berberi frigido, aut aniso, vel origano Orientali. Solet sumi ante cibum statim, aut certè non plusquàm per horam, pectus lenit, renes purgat. Affertur condita saccharo, dum viridis est, quæ purgat clementer, & est medicamen Principum. Mesuës nimis effusò illam laudat, cùm articulis, & ventriculo obsit, & iecur debilitet, ansámque peccandi intemperatis præbeat. Nec scio quibus prosit, præterquam gulonibus, biliosis, & nonnullis ad lapidem renum paratio: bona est pueris, non vt præstans medicamentum, sed quòd libenter deuorent ob dulcedinem, spontè enim lingunt eam, imò clanculùm surreptam. Sed & quidam eo tædio gaudent, vt apice gladij parui eam paulatim sugant. Et est medicamentum purgans pus è ventriculo, & ad duritiem eius, & confert etiam iecoris obstructionibus, maximè cum lacte camelarum. Et confert tertianæ nothæ in fine & in principio etiam, & phlegmoni renum, & lapidi multipliciter.

2. Mercurialis.

Proxima huic, & minùs inimica ventriculo est Mercurialis: cuius semen cùm aromaticum quid sapiat, si incocta iuri edatur, iúsque bibatur, lenit aluum, purgatque bilem & pituitam crassam, sed non procul. Idem quoque faciunt surculi cynocrambæ; succi eius libra media, imò vnciæ quatuor purgant eosdem humores. Eius tamen est vna species, quæ acerbissimos mouet dolores, eámque omnino cauere oportet. Calida est & sicca in primo ordine, & tenuium partium maximè conuenit pueris & senibus, ac imbecillibus; imperturbatè enim aluum mouet siquid aliud. Est ex eâ masculus semine geminato, fœmina multiplici. Adhibetur etiam in enematibus purgandi causâ: quæcunque enim purgant epota, etiam in clysteres indita idem faciunt, non tamen conuersâ ratione [MS. *conuersatione*;] Coriandra enim saccharo obducta aluum leniunt suppositа quia irritant, non tamen deuorata idem agunt. Eadem ergo ducunt epota medicamenta per aluum, & per vomitum, & clysteribus indita, & per nares attracta, vel etiam commansa, aut imposita sumini, aut arteriis illita; de quorum causâ, si eam Galenus nouisset, longas scripsisset Iliadas.

3. Vnguentum rosaceum,

Et hoc lenit efficaciter, & non longiùs trahit bilem propterea purum eligi debet. Eius descriptio habetur apud Dioscoridem *lib.* 1. *cap.* 39. Recipit autem præter rosas, etiam iunci odorati non paruam quantitatem. Confert dysentericis, siccat vlcera, lenit & purgat bilem: sed tamen ex oleo omphacino constare velim, aut clysteri immitti? vtroque autem scilicet oleo & rosâ aluum lenit; altero solùm, nec integrè quidem purgat: peculiarem habet vim ad dolores capitis leuandos: temperatius est quod absque iunco fit. Hucusque mitia inter quæ etiam quod subiungitur, adnumerari potest.

4. Polium montanum.

Calidum est in secundo ordine, siccum in tertio, tenuiúmque partium, & ob id vrinas ac mẽses mouet, & lapides atterit, strenuúmque est auxilium ad vlcera praua sananda: quod cùm ita sit, singulare erit ad anteriora, velut in phthoë laborantibus: aluum quoque purgat ex æquo, ac lenit, nec vllam noxam habet; nam & obstructiones aperit, & lac multiplicat, & ipsũ melius reddit, & veneno viperæ aduersatur. Incidit præterea & flatus discutit. Et apud nos bonum inuenitur. Eligi debet, ex generali regulâ à Galeno datâ, *primo de Antidotis, cap.* 12. in omnibus odoratis quod est odoratissimum eius generis. Confert lapidi renum.

5. Caphura.

Sicca est in tertio ordine, & calida in initio primi ordinis, verùm adeò digerit humores calidos, vt refrigerare videatur, præsertim iuncta frigidis, quorum vim ac substantiam in profundum deducit. Odor & sapor (omitto modò quòd facile ardeat) ostendunt eam esse calidam: sed quanquam siccissima sit, siccitatem illius tenuitas substantiæ superat: à drachmâ ad duas lenit aluum & purgat, libidinis incendia, siquid aliud, tollit. Ideò etiam gonorrhœam patientibus, ac fermè solùm vtilis: nocet tamen ventriculo, & iecori, & cerebro: ideò medicamen alterius ordinis est.

6. Ammoniacum.

Purgat maximè pituitam, & lenit aluum. Calidum est & siccum in secundo ordine, sed ob substantiæ densitatem vehementius calefacere videtur. Prodest neruoso generi crudis humoribus infarcto, nihilominùs nocet ventriculo, sed etiam magis iecori, cum quo nullâ familiaritate iungitur. Quantitas est drachmarum duarum.

7. Rosma

7. Rosmarinus.

Huius pars inferor radicis, quemadmodum & apios seu agrioraphani, per inferna ducit, non tamen est tutum; neque enim vllum medicamentum quod vomitum cieat, amicum ventriculo dici potest. Cùm verò sit odoratum ex hoc genere, aliis medicamentis quæ purgant, meritò adiici debet: adiuuat enim purgationem ipsam similitudine facultatis, tum etiam leniendo: & cùm odoratum sit, detrimentum aliorum medicamentorum tollit. Dantur drachmæ duæ, vel decocti ex quatuor drachmis vnciæ sex: calefacit & siccat vltra primum ordinem.

8. Filix.

Proxima temperamento, aperi obstructiones strenuè, educitque menses: surculi eius cocti, & cum iure ipso sumpti aluum leniunt, purgant humores etiam mediocriter crassos: seminis eius ignota est ob paucitatem facultas; neque enim dubium est effundere semen, quod ego habeo subrubrum & fuscum, valde exiguum, non exactè rotundum, quamuis antiqui flore & semine hanc plantam carere existimauerint.

9. Chamæpitys.

Non adulteratur, vt reliqua quæ superiùs commemorauimus, neque enim pretiosa est: vnde necesse est deteriùs consultum diuitibus quàm pauperibus; siquidem pretiosis, & soli, & maximè vtuntur medicamentis diuites. Assimilatur temperamento & facultatibus omnino polio, vt in illius penuriâ, hac vti possimus. Plus hæc prodest morbo arquato quàm polium, adeò vt referant oues marcidas & tabefactas, vsu huius herbæ sanari atque impinguari, quanquam hoc argumentum ad coniecturam pertineat, non tamen ostendit ita fore ad vnguem. Peculiariter educit pituitam. Amarior est polio, & ob id, & quia non bene olet, ventriculo & iecori minùs amica. Confert renum lapidi.

10. Sambuci & ebuli cortices medii.

Horum cortices medij aluum mouent, & leniunt purgántque, sed nullum tamen proprium humorem. Dantur pondere dimidiæ drachmæ, parum amici sunt iecori hi, sed ventriculo minùs; sunt enim odiosi, ac lignei, & violenti, ideò nonnisi præcipuâ cum vtilitate exhibendi.

Capvt II.

Quæ bilem flauam ducunt.

11. Manna.

HÆc vocatur ros Syriacus, quoniam ibidem primò inuenta est ab Hebræis. Dicebatur autem manhu, id est, quid est hoc? admirantibus illis: vnde dicta postmodū manna, duplici (n) apud nos. Galenus *tertio de Alimentis, cap. de Melle*, refert plurimam colligi in Libano monte qui Syriæ est, sed non agnouit quòd purgaret aut leniret. Vocatur autem hæc ab Arabibus Tereniabin, apud nos Orientalis, cuius in Officinis penuria est apud nos. Nam tres illius sunt species: Haser, quæ est Indica, vt saccharum candidum splendida, & dura, & ideò vocatur saccharum haser seu alhaser, & alio nomine Siracost, & est optima & nobilissima. Ignobilis Italica, quam vocamus Calabrensem, cuius adeò magna copia est, vt toti Europæ satisfaciat. Media, vt dixi, Tereniabin, quam pro Siracost substituere licet, sicut Tereniabin, Calabrensem: at Calabrensem pro Siracost substituere vix licet. Conueniunt omnia mannæ genera in nouem conditionibus: omnia enim primùm generantur ex rore congelato frigore noctis; vnde etiam omnia à calore facillimè dissoluuntur, & præcipuè humido, adeò vt liquescant: propterea tenue est humidum & terreum, vt salis; non pingue, vt adipis & ceræ, quod ab igne dissoluitur, & crassum remanet: manna autem liquescit in aquæ substantiam. Substantia verò omnium est tenax, alba, splendoris quippiam continens, & subrufa, nec expers viroris, & pinguis. Conueniunt etiam omnes species in suauitate & dulcedine, omnis alterius saporis, tum odoris expertes. Quartò quòd omnes calidæ sunt in primo ordine & humidæ, sed diuerso ordine, aliæ enim in primo, aliæ in secundo. Euacuant etiam bilem, & sine molestiâ vllâ, & ob id sunt medicamentum Principum & delicatorum, & puerorum, & maximè infantium, & senum, & debilium, & conualescentium propriè, conferúntque omnes iecori & ventriculo; & est earū proprietas conferre conuulsioni præcipuè puerorum, & ideò educunt etiam pituitam sed tenuem, & è iecore propriè, sed cum lacte camelarum, & è cerebro ac neruis: per se etiam, & suî similitudine ac substantiâ illi conueniūt. Exhibetur vel cum iure pulli, cum simpliciter euacuare bilem voluerimus: cùm verò humores frigidos è iecore, & aquam in ascite (plurimum enim conueniunt ei morbo,) dissoluere eas expedit cum lacte camelarum, vel decocto cardamomi, vel myrobalanorum emblicarum, ac Chebularum, ac citrinarum. Valent etiam plurimum suppurationi factæ in ventriculo, quoniam pus & saniem educunt absque molestia, & maximè Siracost, & præcipuè cum cassiâ nigrâ, est enim vltimum

mum. Differunt multum inter se: nam Siracost ob duritiem substantiæ maximè confert iecori, inde ventriculo, minúsque purgat: Tereniabin autem vt plus purgat, ita minùs confert ventriculo & iecori: & eâ etiam ipsâ minùs Italica, est enim minùs concreta, tenuis, atque concocta, & ob id etiam magis purgat, si optima sit: Tereniabin autem inuenitur etiam multa in Africâ, & ideò in Occidente, non solùm in Oriente, melior Italicâ, non tamen adeò bona vt Orientalis. Italicæ tria sunt genera: quæ colligitur è frondibus: & est virescens splendida, cuius dimidium vnciæ purgat egregiè sine molestiâ, & est optima & suauissima: post quam est illa quæ colligitur super truncis arborum, nitida, sed non adeò suauis, neque potens nec perspicua: declaratum est enim à nobis, quòd viridis calor est magis perspicuus albo & flauo: tertia est quæ colligitur in terrâ, praua, sordida, impura. Sunt etiam duo alia genera, sed quæ adnumerari his non debent: Gossypina, & est Orientalis cùm inueterascit; in mecum enim copiosum gossypio similem transit: alia est adulterina, conficitur ex saccharo diatragacantho, & scammonio, quæ pessima est. Harum igitur nullus est vsus. Dignoscitur bona suauitate & splendore cum perspicuitate: senescit intra triennium, sed multo antè si non diligentissimè seruetur. Italica (nam de hac sermo in posterum erit) seruari ergo debet in pyxide vitreâ, vel argenteâ, vel aureâ, puris & oblitis oleo glandis vnguentariæ, & sic omnino vt aër prorsus arceatur, & in cellâ vinariâ, vel loco humidissimo. Modus exhibendi est, vt dissoluatur in iure, vel decocto calido, & quicquid supernatat pingue, fœtidum, spumosúmue cochleari argenteo detrahatur; deinde quod clarum est effundatur; quod subsidet in imo, seu fœdum, seu turbidum, seu corpulentum abiiciatur, idque ter aut quater fiat, donec vt aqua perspicua euadat, vel vt ius pulli, inde bibatur. Quantitas est ab vnciâ mediâ vsque ad vnciam vnam: verùm si non sit frondis, accipere oportet vnciam cum dimidiâ. vt sic expurgatâ proximâ integra quantitas relinquatur. In eâ quæ communis est, quædam similia cicerum corticibus inueniuntur, adeò vt si substantiam eius sumat, ventriculus maximè lædatur, ac multò magis quàm ex cassiâ, tamarindis, atque huiusmodi, adeò vt dum hoc nescirem, aliàs deceptus, frustrà in perpetuum ab eâ abstinere decreuissem. Sic autem sumpta, & non commansa, innoxia est. Plus ergo sumere non expedit: nam si bona est, frustrà; mala autem etsi euacuet, etiam nocet. Vnde antiqua cùm plurimum habeat pinguis terrei, obest ventriculo, quoniam plurimum assumere necesse est. Fastidit etiam ventriculum recens ob nimiam dulcedinem & pinguedinem; propterea ita temperanda est, vt suauissima sit: id faciemus, si debitæ quantitati iuris sensim mannam addiderimus, & vbi decrescente iure minùs dulcis euadat potus, iuris aliquid adddemus. Detrahitur ex mannâ per destillationem aqua, mel, saccharum, quod vice sacchari haser fungitur, nec quicquam illi similius, tum etiam oleum, idémque fit ex melle, sed partes non purgant. Lenit ventrem non solùm communi ratione illâ, quòd omnia quæ purgant, etiam ventrem leniunt; sed peculiari, quòd abundè humida sit, & modicè calida, vt etiam de ozimo dictum est. Mansa quoque, & pro eclegmate in ore detenta, lenit, siquid aliud, pectus: & in aquâ maluæ dissoluta, multam è cerebro trahit pituitam, leuátque sincipitis dolores. Cúmque tam benigna sit, in aliquibus corporibus est venenum, scilicet ob tenuitatem proprietatémque cœli. Meminit eius Theophrastus *tertio de Historia plantarum, c.9.* sed non vt medicamentis: & in summâ non est medicamentum simile huic in purgando, & leniendo absque fastidio, nisi sit casu, veluti cùm vtimur Pramniis vuis siccis, aut similibus cum pane solo, & bibimus aquam per multos dies; efficere enim solet diarrhœam lenem, cum quâ corpus purgatur & roboratur, quasi sit spontanea. Vt redeam ad rem: medicamentum est febrium, in initio, & præcipuè tertianæ: & si non ducit, additis granis sex scammonij cum tantundem caphuræ: & conuenit variolis & morbillis, sed magis in fine. Porrò de causis horum & aliis dictum est alibi, scilicet in *libr. de Alimento, Comment.* 49.

12. Tamarindi.

Secundus his locus meritò debetur: nam præter id quòd bilem & ipsi flauam ducunt, etiam sistunt feruorem, sunt enim frigidi valde, & iuxta initium tertij ordinis, & siccant non parum, ideò non leniunt aluum, nisi forsan astringendo: sunt etiam suaues gustu. Putant esse genus dactylorum: Tamar enim Arabicâ lingua dactylum significat. Sed non est, quinimò potiùs est genus pro specie positum, ob similitudinem suauitatis, non fructûs; tum quia nihil prohiberet, quin ex acerbis Africæ dactylis simile medicamentum fieret; tum quod grana illius nucleo dactylorum non sunt similia; quinimò referunt esse fructum racemosum acidi saporis; sunt & astringentis ac salsi, neque enim aliter seruari possent quàm sale conditi: ob id cùm exhibentur, priùs aqua calida abluendi sunt, aut frigidæ infundendi ac permutandi. Optimi sunt splendidi, & subnigri, recentes, pingues, teneri, subdulces, cum villis tenuibus. Cùm dantur, medullam cribro exprimere oportet, quantitas ab vnciâ ad duas. Saccharum reddit suauiores ventriculo, commodiores; vt aluum leniant validiores. Si coquantur in iure, quod commune est omnibus leuiter purgantibus, & edantur, & ius bibatur, magis purgant, & minùs lædunt, sed minùs etiam refrigerant & æstum tollunt. Mites, & omnino tuti: & sunt medicamentum nauseæ, & variolarum & morbillorum, & febrium acutarum ab initio: & si non sufficiunt, cum scammonio.

13. Violæ

13. Violæ purpureæ.

Hæc planta humilis est, & planè herba, cuius etiam folia aluum leniunt, & pectori conferunt; sicut & flos tenuis & parum efficax, sed odoratus: & somnum conciliat tam odore ipso, quàm etiam sumptus pro medicamento, velut & nymphæa, non vt bacchara quæ solùm odore. Violæ autem albæ radix & ipsa quid habet præstans, cùm vicem subire balsami existimetur: verùm non est præsentis instituti de ea tractare. Viola autem hæc refrigerat & humectat, ordine primo, apud illos qui talia in ordinem reducere posse confidunt. Purgant bilem flauam, & est mite medicamentum, sed & sicca idem potest, tum verò amara est; ventriculum labefactat, ideóque saccharo condita melior est. Habet vim stuporem inducendi. Decocti quantitas vnciæ sex; succi drachmæ totidem; syrupi vnciæ tres; conditi verò vna. Cerebrum odore suo recreat. Conuenit syrupus eius ab initio ad purgandum in tertianis & ardentibus febribus. Est enim regula Principis, *à minori ad maius*: generaliter autem in omnium febrium principio: & si non sufficit, additur scammonium cum caphura.

14. Pruna.

Quæ ex his dulcia sunt & acida, præsertim Damascena & Armena, à forma potiùs quàm à regione sic appellata, vim habent purgandi bilem, & vt dixi, leniendi aluum, suntque mitia, sed ventriculo parum amica, & minùs quàm tamarindi. Ideò ex decocto dantur vnciæ octo, atque simul fit ex carnibus eorum electuarium, quod vocant conseruam seu conditum, quod aluum lenit, & purgat bilem: atque hoc ipso præstant pruna tamarindis. Recentia meliora sunt siccis, nisi quòd & ipsa febres excitare possunt: contrà recentia longè magis aluum leniunt, & sunt salubriora. Referunt Armenos perforare truncum arboris duobus aut tribus in locis, & immisso scammonio reddere fructus ad purgandum non mediocriter efficaces. Optima ex his sunt, quæ myrobalana vocantur, magnitudine eximia, dulcedine non parua, odore iucundo, ventriculo non insalubria: pòst oblonga, valde dulcia, matura, pinguia, odorata, & magna. Conueniunt ad purgandum in initio tertianæ puræ.

15. Myrobalani citrinæ.

Et ipsæ leniunt aluum constringendo, & bilem flauam purgant, ac magis prunis, & non sunt inimicæ ventriculo, multum obsunt tamen, licèt astringant, quia lignosæ, nec odoratæ. Mesues nimis profusè eas laudat, forsan tunc non adeò lignosa erat earum substantia, cùm essent recentiores: optimæ enim sunt carnosæ, recentes, colore citri immaturi. Contritas iuuat cum similibus sui generis oleo amygdalino recenti perfundere, miscereque in Sole, ac in vmbra postmodùm siccare, idque sæpius repetere, donec formam mellis acquisierint; pòst cum aquâ in quâ saccharum dilutum sit, rursus perfundere, ac in vmbra siccare, atque repetere, donec dulcescant: nam harum vsus salubrior est, & magis purgant. Sunt qui myrobalanos scribant, malè cùm sit glans vnguentaria, at huiusmodi fructibus nihil est cum vnguento; μύρον enim Græcè, Latinè pigmentum seu vnguentum dicitur: quamobrem malè faciunt qui nomen alterius rei, scilicet glandis vnguentariæ eis imponunt.

16. Myxa.

Sebesten vocant Arabes fructum similem pruno, sed minorem, & minùs carnosum; humilior est & planta pruni arbore: cognita Græcis post Oribasium: & producit viscum, & est ventriculo amicior prunis, propinquiórque temperamento illis, adeò vt possit inter medicamenta temperata numerari, educit & ipse bilem. Carnium eorum substantia ex sesquuncia, aut succi drachmæ sex leniunt ventrem & purgant, velut cassia nigra. Confert pectori atque pulmoni, & anhelosis. Et viginti quatuor ex illis iuri incocta absque ossibus, & comesta, & epoto iure aluum mouent, minùs tamen quàm cassia, & minoribus cum torminibus: mitia sunt. Iuuant in tertiana notha, præcipue in fine.

17. Rosarum succus.

Rosa est frigida in primo ordine, sicca in secundo, multísque ex partibus constat, manifestis, tum occultis. Floris folia, semen, capillamenta, calyx, & foliorum partes angustæ, candidæ. In singulis rursus partibus aquea leuiter odorata, & terrea copiosior sed tenuis & bene concocta, aërea subdulcis, hæ duæ partes mediocriter odoratæ sunt, ignea verò odoratissima, ex qua etiam robur & amaritudo. Earum etiam species plures sunt, candidæ, rubræ, & ex albo rubræ, luteæ, pallentis lutei oui instar, quas noui; nonnullæ Centifoliæ vocatæ, ob multitudinem foliorum, aliæ paucorum, aliæ quinque foliis contentæ; agrestes, domesticæ; odoratæ, inodoræ; tenaci & quasi perpetuo folio, aliæ caducæ præterea caninæ, quæ Cynorrhoda ob id vocantur. Sunt pingues aliæ, aliæ euanidæ & tabescentes. Dignoscuntur odoratiores scabritie corticis, nec copia maxima foliorum, nec paucitate despectæ, nec magnitudine, nec paruitate insigni, non luteæ, nec rubræ, nec albæ, sed mistæ, tanquam dona iuste distribuente natura. Verùm nulla est planta Medicinæ vtilior: flos ipse in acetariis bilem euacuat, aluumque subducit, vt sæpius sum in meipso, dum iuuenis essem, expertus. Succus purgat validiùs, & bilem ipsam detergit. At flores adhuc inclusi calyce siccati astringunt, roborant, refrigerant, præcipuè candidi. Pilorum qui in calyce sunt, & seminis vis maior astringendi, siccandi, & tamen quia odore carent, minùs amica naturæ sunt.

Existimat Mesuës in vnoquoque genere præferri debere puras iuxta genus illud, vtpote ad astringendum rubras, ad refrigerandum albas, ad purgandum mistas, denique paucioribus foliis ac leuibus: albas tamen putat magis astringere, quòd sint frigidiores; ego minùs, quòd humidiores. Fit mel rosaceum, saccharum, ac syrupus: vnumquodque sæpius infundendo, & cum rore, vt purget, & paucioribus mutationibus, ac sine rore vt astringat. Præterea aqua, oleum, vnguentum, pastilli, thymiamata, electuaria penè innumera, vt iam sint quindecim. Fit & acetum, & vinum, quamuis tantò paucioribus vinum placeat, quantò pluribus acetum. Condiuntur & rosæ saccharo, res rara gratia, vt etiam paucis nota; Neapoli tamen aduehitur, sæpeque degustaui. Succi quantitas, vnciæ duæ; foliorum, totidem drachmæ, nec est excessus. Siccantur in furno, nec amittunt odorem, & inter lintea munda, recentia folia seruantur non inodora. Purgant tamen rosæ, & succus, non solùm bilem, sed & aquam, quod & Syluius animaduertit. Porrò si vires & vsus rosarum peculiares referre velim, longè maiorem librum quàm de centaureæ viribus Galenus, aut betonicæ, Antoninus Musa, brassicæ Cato, iure merito conficere possim. Sed sufficiat meminisse olei, quod omnibus conuenit morbis: nam quantum rosa est frigida & sicca, tantùm oleum est calidum & humidum, fitque medicamentum temperatum, admodum concoquens, digerens, astringens, repellens, leniens dolorem. Habet & rosa quippiam peculiare ad stuporem inducendum, aqua scilicet. Confert autem tota rosa maximè cerebro & cordi, quod magnum est; pòst iecori & pulmonibus; minùs ventriculo, & intestinis; minimùm [MS. *nimium*] & tamen aliquid renibus & vesicæ. Exteriùs autem pænè æqualiter omnibus, & etiam articulis & carnibus magis quàm neruis. Incoctæ vino rubro astringenti atque potenti placentæ, vnde detracta est aqua, sanant assiduo fotu non calido sed temperato podagras; quibus malè oleum applicatur. Sed iam ipsa iucunditas rei me extra id quod proposueram, rapiebat. Ad rem redeo. Ex rosis conficitur Algeleniabin, maximè cum saccharo, modò cum rore; quod purgat etiam pituitam crassam, quæ tamen obuia est, lenit; vtilis est ad purgandum ventriculum prægnantium; in principio etam tertianæ non puræ aqua algeleniabin: & est vt capias, aquæ feruentis libras decem, foliorum rosarum mundatorum, libras quatuor. Infunde per noctem & diem, tegendo vas; inde exprime optimè, & adde sacchari libras decem aquæ: & fit geleniabin, & cum prioriaquâ similiter factâ purgat.

18. Lupus salictarius.

Multorum est generum, sed eum intelligo qui ascendens super arbores, trunco aspero, itidem & foliis quoque, flore obscuro, quasi vaginulis amplis semine refertur, & tumentibus ob insitum aërem. Hic abundat vbique, nascitur enim in sepibus: & ex hoc totus Septentrio conficit suum zythum seu halam. Est autem flos cum semine saporis amari non obscurè, odoris grauis. Trunci, surculi, & germina vere manduntur. Refrigerat in primo ordine, & est proximus temperato [MS. *temperamento*] in humido & sicco. Sed sicci flores, & semina minore quantitate purgant bilem flauam, & maximè cum saccharo rubro, leniendo ventrem. Est autem saccharum rubrum, aliud quod solidum aduehitur ex Insula B. Thomæ, quæ est sub æquinoctij circulo, molle, minùs dulce, & quod facilè liquescit, ad multos vsus commodum: aliud quod Officinæ conficiunt ex omni sorde, vt superiùs dixi, ad enemata solùm aptum, neque enim ingenuus vir ipsum degustare possit. Ideò debent qui seruiunt ægro, solidum accipere, puluerem Officinis relinquere, vel ad clysteria, vt dixi, vel ad externa [MS. *extrema*] medicamenta conficienda. Est ergo flos lupuli siccus, temperatus in calore: & siccus ventriculo parum vtilis, purgat tamen sanguinem, ideò est è genere mediocrium medicamentorum, velut rosæ succus, non vt reliqua quæ anteà dixi. Præterea aperit lupus, detergit, digerit, vrinas prouocat, concoquit, & resoluit, ob idque febribus plurimum confert, mutuo enim hæc se inferunt ac consequuntur.

19. Psyllium.

Eius mucus refrigerat & humectat, sitim extinguit, purgat bilem flauam & temperat, vestit sua substantia intestina, & ardorem lenit, & aluum, lubrica reddendo intestina, mollit ac purgat. Est in secundo ordine refrigerantium & humectantium, quoniam nullum frigidum humectat magis, quàm ex secundo ordine. Thoraci quoque æstuanti vtile, & ipsum leniens, raro experimento quòd frigida leniant pectus, sed multò tamen plus quàm violæ. Cum aceto agitatum phlegmonas, erysipelata, & herpetas, calidosque tumores reprimit. Substantia illius calida est in secundo ordine, ac sicca adeò vt commodè edi possit. Vnde Mesues inter adurentia collocauerit, causam erroris non intelligo. Mucus eius est medicamentum sanguinis reiecti à pectore & pulmone: & propriè conuenit calidæ intemperiei iecoris: & est medicamentum hecticorum. Vesicæ quoque scabiei, & vrigini vrinæ, & ad partum facilem efficiendum. Sed si solùm lenire, non purgare volumus, vtimur muco altheæ seminis lini: pleraque enim semina mucum emittunt.

20. Tragoriganum.

Proximum est gustu pulegio, & bene odoratum, aperit ora venarum, salubre ventriculo, pectori amicum, crassos humores incidit, bilem purgat, mite & bonum, calidum tamen & siccum non parum: eiusmodi

modi etiam calida & ficca profunt venenis viperarum & flatûs difcutiunt.

21. Nafturtij femen.

Innoxium eft & ipfum, & creditur pondere drachmarum duarum folam purgare bilem, liquat tamen pituitam, & fundit eam; incidit præterea, eft enim acre non parum, & detergit, amicum vifceribus, hoc enim nomine intelligi volo omnia membra naturalia. Calidum eft in principio tertij ordinis. Sed iam ad violentiora tranfeamus.

22. Thlafpi.

Notum eft femen: violenter purgat bilem craffam: excitátque vomitum etiam; & ob id iuncturarum morbis omnibus, quoniam ad eas humor bile ipsâ pro vehiculo iunctâ confluit, commendatur à Diofcoride & Galeno: ex Cappadociâ optimum eft. Educit etiam fanguinem. Quantitas drachma vna odoratis mifta: eius loco femen hypericonis probatur. Eft exiguum, nigrum. Probatur generali regulâ recens, & nitidum, guftu acre. Eft proprium eius frangere abfceffus inter nos, & coxendicis dolori auxiliari. Sed vitandum prægnantibus. Quæcunque autem ab articulis ducunt, eadem etiam à neruis trahunt; & viciffim quæ à neruis trahunt, educunt ab articulis.

23. Nucum iuli.

Manardus refert purgare bilem. Cùm verò tot melioribus liceat eam purgare, non eft vt eis vtamur, nifi vel cùm ruri fuerimus, vel cùm fiftere volumus menfes. Calidi funt in primo ordine, ficci in tertio, acrémque quandam fimul atque aftringentẽ habent vim in tenui fubftantiâ: aftringens vis ad venas penetrat, imbecilla cùm fit, non poteft cohibere feces. Acris enim [vis] fubftantiæ craffæ nonnunquam iungitur vt in pipere; velut in rosâ aftringens tenui, quamuis ordine rerum, contrario modo res fe habeat: ludit natura in huiufmodi eleganti viciffitudine. In dyfenteriâ non incommodi vt reor, fed neque ventriculo, neque iecori multis rationibus poffunt effe falubres.

24. Lychnis agreftis.

Huius femen referunt drachmarum duarum pondere multam bilem purgare. Calida eft & ficca in fine fecundi ordinis, & fcorpionibus maximè aduerfatur, non folùm veneno interdicens, fed eos occidens.

25. Caffutha.

Innafcitur hæc herba aliis, velut Epithymus & Epithymbre; cuius fuccus pondere vnciarum duarum, bilem purgat, & craffam etiam, liberátque à regio morbo, & eft è robuftorum genere. Ventriculum tamen lædit; ob id facchato iungitur, quoniam ipfum adiuuat ad pellendas fæces, vt minùs laboriofum fit naturæ propelle noxium humorem, & ventriculum iuuat. Calida eft in primo, ficca in fecundo, & aperit obftructiones iecoris: Confert febribus antiquis, propriè infantium: Conuenit maximè cum apio, & eft è genere capillarium. Scire autem oportet, omnes herbas quæ aliis innafcuntur, purgare, eumque humorem atque naturam inducere, quam habet planta cui innafcitur, vt fi caffutha endiuiæ innata fuerit, refrigerabit, & iecori plurimum conferet: & fi lathyridi, purgabit vehementer, & erit venenofa. Ipfa verò per fe tot modis confert iecori, vt ei amica cenfeatur. Vidi enim aliquos ex huius fucco, â magnis morbis eius liberatos, tam frigidis quàm calidis: binæ vnciæ in iure pulli coquuntur, bibuntúrque fex vnciæ iuris cum femunciâ facchari de Madera: nam hoc eft purius rubro, Candidum autem vitiofum, & aftringit, quod cum alumine conficiatnr.

26. Thapfia.

Cortex radicis huius, pondere drachmarum duarum bilem educit: fucci autem drachma; liquoris verò grana duodecim, purgant bilem, & maximè craffam & vitellinam, eò vfque vt etiam nigrã. Liquor fluit incisa plantæ parte dum viuit; lachryma, quæ non incisâ fponte fluit; fuccus, qui ex contusâ educitur, vt iam eruta fit ac pænè mortua. Vbi igitur lachryma eft, nil vehementius aut melius: inde liquor, fed impurior etiam, non folùm imbecillior: qui tamen eft huius plantæ, vrit & excoriat. Succus autem omnibus infirmior eft.

27. Pycnocomon.

Eius radix bilem flauam purgat: femen verò fertur terribilia fomnia oftendere: ob id quanquam noftrâ ætate ignotum, placuit ipfum hîc adnumerare. Inquit Diofcorides: *Radix vt malum rotundum, paruum, odore terræ, nigra feu pallida, trunco quadrato, folio erucæ afperiore & craffiore, flore ozimi, femine marrubij, nafcitur faxofis locis.*

28. Scammonium.

Liquor eft radicis plantæ lac ferentis, adhærentífque aliis velut lupus, & tam flores eius quàm radix, ne quid deeffet ad prauitatem fignificandam, grauis funt odoris & iniucundi. Propterea vehementiffimum eft, violentiffimum, & naturæ humanæ inimiciffimum. Probatur clarum, fpongiofum, leue, glutino boũm fermè fimile, nec mali odoris, fed proprij non iucundi, quod linguâ tactum lactefcat, manibus tractatum in puluerem foluatur: Orientale, maxime ex Antiochiâ optimum; peffimum ex Africâ. Quod quanquam per fe bilem folùm educat, & præfertim flauam, tamen omnia alia medicamenta dirigit, acuit, ac roborat, adeò vt iunctum medicamentis pituitam purgantibus, pituitam purget præftan

præstantissimè, ac si nihil aliud, sed solum illum humorem educere natum foret; idemque de melancholiâ. Imperator hoc medicamentorum dici meretur neque scio medicamentum nostris in regionibus vllum, quod humorem vt debet purget. Scammoniū autē efficit, vt illa facilè, celeriter, & multa; ac procul educant, attenuando etiam & colliquando humores. Quantitas eius est granorum sex, etenim supponimus optimum esse, nam maiorem quantitatem exhibere cogimur, cùm prauum fuerit & antiquum. Multis modis corrigitur, primùm in cōpositis, hinc inter faciles modos optimus, inter optimos facillimus. Optimus autem simpliciter est, vt per circulationem impositum in aquam ardentē trium coctionum, & sex mensium spatio circumactū ac defæcatum: eodem enim tempore primùm vitalis fit infans, vt vult Hippocrates. Cùm enim in omnibus mistis propria quædam sit vis ab animâ illius fabricata, quæ dum anima recedit, sopitur, potestatem solùm retinet; eadem separatur assiduâ diuisione partium per ignem factâ, ab elementis; (seu sit diuina vis atque cœlestis, vt Mesuēs existimat, seu ex mensurâ elementorū, vt Auerroēs, seu ex vtraque mista, vt Princeps:) & traducta in aquam illam, per similitudinem impressionis formæ, non absimilis figuris in artificiis ex sigillis factis, opus perficit quàm celerrimè & potenter ob substantiam calidissimam, tenuissimam, & naturæ principalium membrorum maximè amicam, vnde sine noxâ prorsus cerebri, ventriculi, cordis & iecoris, quibus vehementissimè aduersatur, educit. Tertius est Hippocratis, vt aromatibus condiatur, verùm non vnū sit; sufficiebat Hippocrati mitiora tractanti, vt helleborū; in tam violento Rege & ambitioso non sufficit: nihilominus in robustis, & cùm materia turget, velut dictū est præstat correcto [MS. *corto*.] Quartus modus est Galeni vt in cotoneo coquatur, in quo & per quē pluribus modis mitescit, sed est tam imbecillius, ne dicā multò magis imbecille, quàm melius, ignis etiā valde paruus adhibeatur, vt potiùs sub cineribus quàm prunis coctum sit, túncque Diagredium vocatur ab Officinis, id est, quasi efferatum. Per se durat annis viginti, sed indies minùs validum redditur. Calidum est siccúmque in tertio, & amarum, nauseabundum. Quod verò tam præstans est vt furiosum videatur etiam extrà appositum, singularem aliquam vim habet: decet enim Regem quemcunque, aliquid habere admiratione dignum, etiā cùm non imperat: ob id antiqui formam in Rege dignam optabant, proceritatem siquidem corporis, ac speciem in vultu. Ideò odoratis copulatum, acetòque postquam fermentauerit dissolutum, præstans est auxilium omnibus capitis doloribus antiquis. Est autem abortiuum medicamentum, quod etiam matres necare possit. In vniuersum autem quod ad correctionem attinet, eiusmodi præparatio à circulatione potior erit. Capias scammonij libram mediam; butyri eiusdem diei, libram vnam; mali cotonei attriti cum tyrocneste, tantundem; caryophyllorum optimorum in puluerem redactorum, vnciā. Coquantur in vitreo vase optimè concluso per tres dies ac noctes in balneo Mariæ perpetuò feruenti, inde vtatur adiecto semine apij, & citri ac seseli. Dicitur medicamen medicamentorum & morborum, non autem ægrorum, neque enim vlli confert: est autem è septem vnum. Et eius alexipharmacum, maximè in febribus caphura: debet enim tum etiam associari alicui miti medicamento, veluti mannæ, tamarindis, myrabolanis citrinis, cassiæ nigræ. Et est medicamentum morbi regij solum cum hierâ Galeni.

Caput III.

De pituitam ducentibus.

29. Myrobalani Bellericæ, Cheblicæ Emblicæ.

Hoc nomine duo intelligimus, pituitam scilicet, atque humorem crudum; quod etiam discrimen non videtur ignorasse Galenus in *primo de Alimentis*, *cap.* 2. Sed tamen humorem crudum sub educentibus humores crassos comprehendemus: satis sit intellexisse, quæ pituitam purgant crassam, non educere æquè bene humorem crudum, educere tamen posse aliquid: at quæ educunt humorem crassum, omnia educunt pituitam. Humor crudus dicitur, qui subterfugit naturæ coctionem sine separatione in ventriculo, atque aliis in partibus: at pituita propriè dicta, quæ subterfugit naturæ operationem in ventriculo, cum separatione terrei excrementosi. Porrò quinque sunt pituitæ genera, quæ rectiùs pituitosa dici possunt: pituita naturalis, mucus, humor crudus, pituita præter naturam, & crassæ bilis pars, quæ tamen vt aliàs sæpe monui, nullo modo est pituita, sed bilis crassa; nam bilis quæ pituitæ admiscetur, est verè pituita, & longè differt à bile crassa. Cùm ergo de pituitam educentibus sermonem habemus, intelligimus naturalem, & præter naturam, ad quas portio crudi humoris consequitur aliquando. Eadem tamen mucum educunt vt leniunt, non vt purgant: quædam autem peculiariter etiam illum trahunt; crassam autem bilem quæ crassa educunt, vt etiam crudum humorem: etenim humor crassus biliosus, sæpe etiam melancholiam secum habet, persæpe vtrūque. Porrò mucilaginosa alia fiunt in ventriculo, quibus intestina vestiuntur, & quæ cùm educuntur, gaudium sunt imperitorum Medicorum, cùm non prosint nisi in coli dolore ex eiusmodi pituitâ: in aliis nihil significant aliud, quàm quòd deterseris leniendi loco, & ægri ventrem licciorem ac duriorem te reddisse scias. Alia fiunt in cerebro, quæ descendunt ad ventriculum, quæ vt alia educuntur, sed sunt crassiora & tenaciora, quia denuò à ventriculo decocta.

Quæ

Quæ verò per palatum & nares descendunt, aut in cerebro manent, non per aluum purgantia; sed commodè per errhina & apophlegmatismata ducuntur, quanquam si æger sit patiens, commodiùs concoquantur inedia.

Myrobalani ergo Belliricæ, & Emblicæ, & nobiliores omnibus his quas vocat Syluius (vnde nescio) Cepulas, seu Chebulæ, euacuant pituitam, & bifariam conferunt iecori, cordi, & cerebro, tum etiam ventriculo, (sed non adeò cum lignosa sint,) & quod astringant, & pituitam purgent: omnia enim quæ pituitam superfluam purgant, ensibus omnibus tam internis, quàm externis & moribus, ac coctionibus conferunt, sed si nimis exquisitè purgent, corpus siccant. Earum ergo vsus est, vt oleo macerentur, vt de citrinis docuimus, inde exhibeatur expressi succi vncia media: minùs hoc obstruit quam decoctum, & melius purgat. Vsus etiam est conditarum seu recentium, non tamen adeò vtilis vt quidam putant; qui enim perpetuo auxilio assueuere, nec sine illo, nec cum illo, rectè officio suo funguntur. Propterea forsan in cerebri morbis vtiles. Porrò conditura omnium siccorum, oleo fit; humidorum & amarorum, sale; eorum quæ dulcescere possunt, melle, sacchare, & cassiæ nigræ succo, sed hoc ad molliendum ventrem. Qui autem sumit myrobalanos, dicit Mesuë, caueat ab vsu piscium. Et myrobalani cum aloë, velut in Catapotiis Assaiaret, sunt medicamentum vertiginis; vt in Catapotiis lucis, oculorum. Et talia iuuant etiam ratione formæ. Et ex his sunt Tripheræ dictæ, vel quia triplex ferant auxilium, vel quia ex tribus generibus myrobalanorum constent, quanquam pleræque ex omnibus quinque; & vna, scilicet magna, sine his fiat. Conferunt autem maximè ventriculo, præcipuè Parsica, quæ sola purgat satis potenter. Sunt medicamentum intestinorum diarrhœa laborantium. Et Chebulæ proprietate sua conferunt febribus antiquis: Emblicæ verò purgant etiam atram bilem, acuunt mentem, cor confirmant, & lætitiam gignunt.

30. Sphondylium, seu spondylium.

Quòd eorum quæ pituitam educunt, vsus non sit satis vtilis homini, paucitas commodorum auxiliorum id declarat: neque enim præter commemoratas myrobalanos, quæ etiam obstruunt, quicquam noui vtile vndiquaque præter sphondylium, nisi salem adnumerare velis, qua ratione his duobus subiicietur. Ergo radix huius (cùm semen etiam id præstet, sed grauè olet, ideoque parum ventriculo amicum) quæ odorata est, in acetariis ex vncia vna de more sumpta, pituitam purgat, & cum hec aluum lenit. Similis est fœniculo, & est herba frequens iuxta riuosi. Peculiariter prodest capiti. Et radix prodest morbo regio. Eius quoque semine (cùm ex fœniculo, vt docui *primo libro*, oleum adeò potens detrahatur, ad pituitam è cerebro educendam) quid validius excogitari poterit, si in oleum conuertatur [MS. *conuerso?*]

31. Sal lapideus, & panis.

Alter vocatur gemmæ à splendore, alter repurgatus & candidus: validior est lapideus, etenim vrit in gustu: purgant pituitam, tenuem & crassam colliquando. Plus iuuat quàm ducat. Mesuë credit coniunctam esse operationem, quòd colliquet, inde constringendo educat. Resistit venenis: appetitum cibi excitat. Quantitas lapidei, drachma; communis, vncia media.

32. Nitrum.

In eadem classe est nitrum, cuius drachma & media pituitam & crassam educit: & quamuis nitrum hoc nostrum, idem non sit cum antiquorum nitro, tamen & ipsum purgat; & Brasauolus experimentum mirū de hoc se vidisse refert. Habet autem miras vires, postquàm calidum in initio tertij ordinis, & magis etiam siccum, adeo refrigerat: flatus discutit, & crassæ substantiæ est, inciditque potenter.

33. Tartarum.

Eiusdem classis est Tartarum, sed minùs violentum. Pauca quantitas, vt dixi, mouet aluum: vncia dimidia educit pituitam, & à locis longinquioribus, quòd naturam referat aquæ ardentis, quæ in fece vini continetur. Sed leniētia pleraque vberius sumpta purgant, quoniam vis quæ in illis purgandi certum humorem occulta inerat, aucta educit humorem ipsum, quem mouere parua quantitas non poterat. Simili ratione vehementer agitato corpore ob motum velocem, leniendi humores tenues facile educuntur: verùm in his quæ solùm molliunt, id non accidit, cùm emollitio motum tantum obscurum habeat: & pariter in his quæ intestina lubrica reddunt. Sed cur aliquando pauca cassia nigra magis mouet aluum quam multa? An quia multa in eo casu magis mouisset, & pauca minus, conuerso modo? vel quoniam multa subigitur, & in alimentum transit, vnde etiam reliquum; pauca verò à calore attenuante non concoquente subigitur statim, & prius purgat quàm euinci possit. Olei vires in primo libro descripsimus. In vniuersum Tartarum magis siccat & attenuat, quàm purget.

34. Vlmus.

Eius cortex rugosior, externus, ac crassus, in puluerem redactus purgat pituitam ex vnciæ vnius pondere; sed ventriculo obest, tum ratione substantiæ, tum temperamenti, & quia minimè odoratus est, & quoniam in puluerem redactus: omnis enim puluis etiam sacchari ventriculo odiosus est: præcipuè autem ob multitudinem. Eius tamen vis præcipua in ruptis sanandis, seu ossa sint, seu membranæ, constringit enim illas: secùs inter tot præcipua nullius est vsus.

35. Cappares.

Salitorum cremor epotus, purgat pituitam,& fœces, & sanguinem etiam violenter: neque enim solum detergit, sed abradit, & caparum ratione,& salis. Sumuntur autem vnciæ sex.

38. Hermodactyli Officinarum.

Quamuis recentes radices Ephemeri strangulando interficiant, & adeo celeriter, vt inde nomen Ephemeri promeruerit: siccæ tamen potentur pituitam, & procul, & crassam educunt, vt Brasauolus expertum reliquit. Dices, quid veneno[opus] in tanta copia securorum medicamentorum, præcipuè cum nullas alias præstantes vires habeat? Est in venenis hoc sanè præcipuum, quòd cum non nocent, plurimum irritant naturam,& etiam quandam vim habent validam, nostrum corporum comparatione [MS. *compatione*,] vt subigant & educant humorem vehementer, ac quasi cum imperio quodam: nam membra vt dixi, non medicamentum, trahunt & expellunt.

37. Opopanax.

Succus est aut liquor plantæ calidus & siccus in tertio ordine, grauis odoris: & ob id quæ talia sunt ex succis aut liquoribus, pituitam crassam & lentam purgant à remotis, velut cerebro, sensibúsque eius, neruis, articulis, & musculis. Purgat autem à remotis, quoniam tarde, & ideo vis eius subigitur in ventriculo & venis, vt ex his non possit educere; sed prolata, vbi calor naturalis est impotens, exanguia membra diuturnitate moræ immutat, donec colliquent humorem & expellant: hæc autem tarditas prouenit ex densitate substantiæ illius. Apud antiquos alios non pro purgante medicamento habitus: sed & Brasauolus purgare negat. Constat tamen additum in Catapotia fœtida, illorum augere vim: & strumarum, ac vlcerum Chironiorum esse medicamen bonum, & rigorum febrilium, & vterinorum morborum. Cuius quantitas est à drachmâ vnâ ad duas. Tanto vero euidentius purgare manifestum, quod ventriculo inimicus sit, & liquetur in eo; & sit calidus & siccus. Vix enim fieri potest, vt medicamento hæc tria conueniant, & non purget, & humorem crudum etiam, aut per vomitum non eiiciat. Sunt autem membra remota, cerebrum, pulmo. & pectus, vterus, vesica, & renes, articulique.

38. Sarcocolla.

Hæc facultatibus omnibus absque exceptione fermè priori similis, magis vtilis pectori, minùs articulis, minùs odiosa ventriculo, magis perniciosa picrocholis. Impinguat corpus, multiplicat semen genitale, vulnerat sanat, sed caluitium auget. Propria est oculorum morbis,& podagræ.

39. Sagapenum.

Potentius omnibus est in expurgando pituitam crassam & lentam à cerebro, neruis, sensibus, articulis, thorace, pulmone, ventriculo, intestinis; conducitque ob hoc comitialibus, vertiginosis, paralysi, tremori, doloribus capitis, ventriculi, & intestinorum. Chœradas, nodos, splenisque tumores, intus & extrà dissoluit, modò sincerum sit: est autem, quod est ex albo subrubrum, odore porri, substantiâ crassâ, sed quæ in aquâ facilè soluatur, leue. Prodest ruptis & distentione laborantibus. Calidum in tertio ordine, siccum in secundo, amarum. Ideo melius pluribus causis opopanace, in duritiebus dissoluendis, iuuandisque membris frigidis & exanguibus. Eadem quantitas, eædem exceptiones. Sed sufficit in eiusmodi nominâsse membra, velut pro neruis tremores, resolutiones, distentiones; pro capite dolorem, vertiginem, comitialem morbum. Vltimum est in frigido ascite, *ex* 14. 3. *cap. de curâ ascitis.*

40. Hissopus.

Et ipse calidus in tertio, tantundémque siccus, cum oxymelite purgat pituitam & crassam: medicamen singulare pro pulmone, lienem extenuat, vrinam prolicit, iecoris durities dissoluit, flatûs discutit. De recenti dantur vnciæ duæ, & plus, sed cum violis aut saccharo. Creticum est nostro acutius: & est medicina pectoris & pulmonis.

41. Spartium & Genista.

Hæ facultate & formâ similes fermè, sed genista inferior viribus. Educunt pituitam crassam, & sunt tertij generis. Frangunt lapidem, vrinam prouocant. Semen ex drachmis duabus, cum succo cæparum ex totidem vnciis, strumas liquat proprietate etiam, non solùm vi quæ tamen maxima est. Succi florum drachmæ duæ ad purgandum sufficiunt: Pulueris eorum tres: succi caulium eius, quatuor: seminum cum saccharo conditorum, sex: vel si tres drachmæ tantùm in iure coquantur, iuris autem vnciæ sex bibantur: vel si ex floribus in acetario vncia vna sumatur. Verùm purgare etiam aquam decoctum radicis, eo experimento comperimus, quòd Augustinus Fornarius Genuensis Patritius, decoctum eius bis in die bibens per horas tres ante cibum, pariter & de illo cum cibo bibens,& diluens vinum, à pæne desperato ascite perfectè liberatus est, superuixitque multis annis: fuit autem quæ propinauit mulier certam normam seruans.

42. Cnicum.

Semen est agrestis croci, Arabibus Carthamum appellatum: in purgando pituitam, ab Auerrhoë omnibus præfertur medicamētis, quòd colocynthis violēta nimis; sal, spondy

sphondylium, & myrobalani, imbecilles; sagapenum educit potius crudos humores quàm pituitam, & febrem accendit; Agaricum purgat alios humores. Sed tamen est noxium ventriculo, tum quia aufert propriū ventriculi alimentum, scilicet pituitam; tum quia nimis detergit, nec habet vim astringentem; deinde quia peculiarem in hoc habet proprietatem. Datur in decoctis, medullæ seminis semuncia, non quidem medulla, sed decocti ipsius vnciæ sex. Calidum est in primo, siccum in secundo: quinetiam floris drachma vna (est autem croco similis) purgat: cibus est familiaris psittacis in Europâ: morbo etiam regio confert. Oleum quoque eius præter pituitam, aquas etiam ducit. Demiror in tantâ copiâ emollientium ventrem, cur Galenus inimicissimam rem ventriculo in senibus prætulerit: me quidem hac in parte non persuaserit. Confert pituita abaundantibus, quibus ob id deficit genitale semen, sed dari debet cum aniso & macere.

43. Colocynthis.

Porrò omnium quæ pituitam educere possunt, potentissima est colocynthis, ac Rex vnus inter medicamenta. Horum autem similium, velut etiam hellebori & peplij, proprium est, velut strenuos Duces exire ante humorem; quod cùm fateantur omnes; cum Galeno *septimo de simpli. medic. cap. de colocynth.* quid est cur non velint membra trahere, non medicamenta, quæ antè exierunt? sic enim scammonium, & cucumis anguinus, & peplium & quæcunque talia: non ita oleum, non mucus psyllij aut crassia nigra. Demiror, imò non demiror pertinaciam stultorum; neque enim secùs stulti esse possent, si sensibus saltem cederent. Sed ad vltiora transeamus. Purgat pituitam sanè, sed & humorem illum aquosum frigidum, qui in cerebro ex totius consensu solet generari: quo decidente asthmata, coxendicum dolores, & alij difficillimi morbi generantur, cœcitates, surditates, casus dentium. Sed nūquid duos humores purgare dicent, quoniam & hunc purgat, ac potiùs hunc præcipuè qui adeò frigidus est, vt laborantes glaciem se sentire in eo loco referant. Cùm enim incoctus sit humor quomodo medicamento cedere poterit, qui neque naturæ velit? Calida est & sicca in tertio ordine, & amarissima, adeò vt quidam illitis vel tenuiter gladiis conuiuarum, ioci causa, totum conuiuium abominabile reddiderint, nec sustineri potest tam molestus sapor. Neque vsus est eius, nisi in Catapotiis ob id, aut mellis in quo incocta sit: quo præclara edidimus experimenta sanationum. Est in eo genere, vt aiunt, fœmina, maior, candidior, lenior, cuius medulla est velut nix, matura quoque ac leuissima, spongiosa, nata in agro arenoso libero, culto, neque sola. Est autem è cucurbitarum genere, & crescit vt vitis agrestis, sed moritur in hyeme, cùm nō sit arbor. Colligitur sub atumini fine, & cùm vsui adhibetur, semina nō solùm cortex diligenter excutiuntur: rotundior est cæteris cucurbitis & minor; maxima enim minimum præponem non æquat, quod ei contingit ex siccitate; nullum enim siccum facilè ad magnitudinem eximiam peruenit. Quo fit vt specie quidem sit è cucurbitarum genere, capreolis, foliorum asperitate, flore conico inferiùs reflexo ad exteriorem partem, flexili trunco, & vt dixi, magnitudine plantæ arboreæ: sed re omnino differant, cùm vnà calida sit ac sicca in tertio ordine, altera tantundem fermè frigida humidáque. Datur ex ea drachma media, sed emendata: ipsa enim per se licèt cerebro & crudæ aquæ ab ea fluenti, ob idque tum illi, tum eius difficillimis morbis, attonito, comitiali, vertigini, surdastris, dolori cuicunque capitis inueterato, coxendicis dolori, & podagræ lentæ, tum etiam asthmaticis, distentioni, resolutioni neruorum, colique doloribus, tum ventriculi diuturnis, lui Indicæ, plus prosit vllo alio medicamento: nihilo seciùs purgat adeò violenter, vt etiam sanguinem secum trahat, excorians intestina, præsertim quod in ea asperum adhæret cortici, doloresque ventriculi, qui non facilè soluuntur, excitando. Præterea turbat nauseam, mouet cordi, ventriculo, & iecori præcipuè inimica. Vt ergo detrimenta tollantur, ipsa præbet se paratam, cùm omnia sustinere possit, & longam coctionem, & contusionem, & mistionem. Modus ergo generalis, quo & noxa tollitur & amaritudo in medicamentis similibus, seruatis illius viribus, & absque circulatione, hic est. Sumantur gratiâ exempli, medullæ illius candidissimæ & purgatæ exquisitissimè, tum optimæ libra media, quam vix ex centum libris, si rectè voles agere, elicies: & in ollam sale candido substratam alternatim collocabis, sic vt pro ea salis sit pondus trium librarum, & in vmbrâ seruato & eximito; potes etiam salem aquâ repurgatum in vsum colligere: Rursus tantundem candidi salis, vt priùs adiice; & librā semis gingiberis albi tenuissimè contriti, & alio in vase nouo per dies quindecim, compressa magno pondere aut vinculis seruato: dein sublata, & seorsum si placet collecto sale, ne dispendium fiat, cum vnciis tribus cinamomi optimi, optiméque contriti, seruato in pyxide marmoreâ, vel argētea, vel vitreâ. Demum cùm opus est, huius medullæ cape semunciam; & mellis optimi, vncias sex; aquæ fontis, libram vnam. Coque tamdiu perpetuò despumando, donec consumptâ aquâ mel exactè coctum sit: inde exprimito: quicquid sordidū est, reiice: mel ipsum tres in partes diuisum alternis diebus sumes; addendo vnicuique parti, caryophyllorum, grana decem, seminis apij, scrupulum vnum. Ipsa est medicina morborum plurium, præcipuè lethargi, & omnium qui in capite accidunt, & ad apoplexiam, non tamen est medicina ægrorum. Et est vnum ex septé. Et est magna pars materiæ nobilium medicamentorum, vt hierarū Archigenis, quæ est medicamen tortuosi oris, & Rufi [MS. *Rusitus*] ad comitiales; tum catapotiorum Albachomachi [fortè *Androma*

Andromachi,] & [pilul. fœtidarum, ad resolutos quidem magnæ, maiores autem apoplecticis; & cocciarum ad destillationes omnes,& empyema,& phthoën,producunt enim vitam ab initio. Et ipsa est medicina vlcerum narium, maximè cum semine dracunculi: & addita speciebus hieræ,medicina morborum cordis, licèt plerumque melius sit Theodoricum magnum, in quod non ingreditur. Est medicina podagræ & ischiaticæ, maximè hiera Hermetis, nam in eam ingreditur. Ad coxendicum etiam dolorem, oleum sesaminum in cortice eius coquatur, inde vtrumque cum sesquialtero aquæ incoletur,& hoc cum pane coquatur, donec inspissetur, & fiant catapotia auellanæ magnitudine; de quibus sumat xviij. Si etiam illius cortex vino impleatur & coquatur, vinum illud curat morbum regium, curátque vteri præfocationes, præcipuè cum castoréo. Et hiera Logadij, in quam copiosa ingreditur, molam eiicit. Est eius alexipharmacum smaragdus & caryophylli.

44. Cucurbita.

Eius succus parum educit pituitam, quamuis dentibus sit vtilissimus: & frigidissimus est adeò, vt si frigida (vt Galenus putat) occidere possent, nullum aliud esset efficacius. Aqua etiam destillata purgat.

45. Vrtica.

Folia eius leniunt ventrem, & educunt pituitam crassam,præcipuè cocta cum limacibus,ex quo manifestum est quòd ipsa sunt imbecilliora cnico: cnicum enim est rubustum: vnde media est fermè inter imbecille & robustum medicamentum;sed potiùs attinet ad robustum,quia est substantiæ tenuis, & ideò prouocat menses: oleum seminis eius magis educit pituitam, quàm oleum seminis cnici: frangit lapidem renum & atterit, & confert febribus pituitosis in fine. Alexipharmacum semina cotoneorum.

46. Lycium.

Purgat pituitam, sed non ipsum, verùm eius semen, & satis oxiguo pondere, scilicet drachmæ vnius cum dimidiâ. Est verò temperatæ naturæ in calore: verùm non facile est inuenire huiusmodi plantam; habet tamen similitudinem quandam cum buxo: nec mirum esset, quòd eius semina idem possent; nam vt dixi, omnia medicamenta quæ purgant,habent necessariò quid amari aut acris,& odiosa sunt. Semina autē plantarum amari folij, & præcipuè malè olentis plerumque amara sunt & odiosa etiam,ipsa adeò in plerisque horum facultas est purgandi humores naturæ inimicos, bilem præcipuè corruptam, & pituitam, atram bilem, & ichores, & aquam putridam,ac talia eiusmodi: sed si non olida sint, plerumque pituitam, aut alium humorem sincerum. Confert oculis. Et scias quòd omnes fermè lacrymæ arborum purgant pituitam; & inter alias bellè crassam & viscidam styrax aurei pondere, cum lachrimæ amygdali tantundem, multa commoda afferendo, velut conciliando somnum, dolores leuando.

47. Daphnoides.

Frondes huius plantæ, tam virides quàm siccæ epotæ pituitam educunt, & crassam etiam, verùm vomitum mouent, hoc autem ad molestiam pertinet. Sed & baccæ eius quindecim numero, corpus purgant. Hoc autem & in daphnoide, & in cæteris medicamentis, vt dixi, educentibus obseruandum est,quòd & commansa per palatū, & per nares attracta, eundem trahunt humorē;sed non contrariâ ratione quæcunque apophlegmatisma & errhina, per aluum purgant. Exemplo est staphisagria,quæ cùm potenter pituitam commansa educat ex ore non tamen aluum purgat: tametsi quædam potiùs per vomitum pituitam educant, sed non ex aluo.

48. Glans vnguentaria.

Educit pituitam & multam & crassam: eius duæ sunt species, maior minor; vtraque vocatur Ben ab Arabibus. Ætate nostrâ pigmētarij ex minore nucleo,qui paulo maior est cnico, excipiunt oleum, quod nequaquam rancescit, atque ideò odoribus excipiendis accommodatum. Purgat & oleum ipsum. Nec est nauseabunda,vt putat Mesuë; oleum est,quoniam omne oleum nauseabundum est.

49. Vitis alba.

Succus eius multam ducit pituitam: cum mulsâ sumptus iuuat difficultate spirandi laborantes, lienosos, herniosos, comitiales, vertiginosos, præseruat ab apoplexiâ. Dantur radicis illius drachmæ duæ cum aquâ hordei. Dictum est quòd huiusmodi surculi, vt & clematidis, purgando leniunt aluum. Propriè est medicamentum perturbatæ aut debilis rationis. Piper est eius alexipharmacum, vel anagallis. Confirmat ventriculum: & est in ea etiam nigra medulla,quæ cor dicitur, grata gustui, quæ humida sumpta purgat per aluum & vrinas.

Capvt. IV.

Quæ bilem nigram ducunt.

50. Myrobolani nigræ.

Nigræ bilis historiam Galenus adeò confudit, vt alios in errorem deduxerit, ipso forsan minimè aberrante; nam atram bilem modò peregrinum humorem, modò vt naturâ talem genitum esse [scribit.] Vnde Princeps,cùm moram scribendo huius causâ interponi

interponi nollet, tot facit genera atræ bilis quot humorum, dum humor superassatur. Quin etiam nec his contentus, alios excogitauit modos, velut per frigoris condensationem. Ego autem huc solum, quæ necessaria sunt negotio, transferam. In primum supponendo, quod alibi demonstratum est, humores in rectè constitutis in sanguine potestate esse; excrementa autem in vasis illi excremento delegatis: quicquid est alienum loco, vel magnitudine, vel colore ab his, præter naturam dici meretur. Nego sanguinem sub hac appellatione contineri, qui fluit ex hæmorrhoidibus, fluit ex iecore vt coactus nigrescere videatur, aut effusus in thrombos, inde eiectus per aluum aut vomitum. Quacunque etiam parte corporis humor superassari potest; quacunque putrescere, nisi veloci motu cieatur. Alius est calor febrilis, alius naturalis, alius aduentitius. Quæcunque autem transeunt ex vno in aliud, maximè si longum sit interstitium, aliquandiu necesse est in medio morari, & participia fieri etiam intermediarum qualitatum, vtpote crassitiei, inæqualitatis, atque nigroris, taliúmque. Præterea illud manifestum est sub nigra bile fuscam, liuidam, & glasteam contineri, eandemque rationem esse omnium, quòd omnes ab exustione fiant. Attamen & fusca, & nigra, leuidáque seu glastea, trifariam omnia fiunt; alia quidem exustione, alia permixtione, alia tinctura, maioribus seu minoribus. Etenim in sputis, [huiusmodi] tinctura [MS. *tincta*] apparet, sed solum in superficie ex fumo, qui è corde prodit; vnde Medici decipiuntur, cum ægri haud difficulter euadant. Sed & omnium eadem est ratio mistorum & simplicium, vel adustorum magis minúsve, seu materiæ natura, seu caloris qualitate atque magnitudine. Nullum etiam humorem naturalem purgari posse sine maxima violentia constat, quod vt dixi solum potestate in sanguine sint, non actu. Quibus intellectis constat, nigrorum humorum sex esse species: natura naturalem & communem, quæ est fæx sanguinis, naturalem sed non communem; bilem naturalem nigram, sed exustam citra putredinem; & flauam; & vtramque ex febre; sextum genus est humoris crudi ex calore febrili exusti. *Vide* 4. *Prognost. nostr. comm.* 27.

Si nihil horum te mouet, quòd Medicorum pertinacia videas omnia confundi, id saltem te doceat, quod alia est bilis nigra in insania euacuanda; alia in quartana & continua ex melancholia: namque in melancholicis plerumque etiam in venis materia est, vt non loco, sed proprietate differant. Propterea melius erit distinguere melancholiam à loco primum; alia enim in venis, alia extra: à materia, quoniam quædam est, cuius subiectum est fex sanguinis; alia, cuius bilis flaua: à causâ quæ illam mutauit, calor ascititius & putridus: neque enim in temperaturis naturalibus tantus potest esse calor, vt nigrescat in venis, sed iam separata nigrescit aut tingitur; aut ab irâ, vel tristitiâ. Eadem verò iuxta rationem consimilem in finitimis coloribus atque cognatis sunt dicenda. Quæ ergo purgant hos humores, alia quidem ex venis educunt, alia ex cerebro atque iuncturis; quædam etiam putredine corruptum, quædam simplici calore exustum; alia denique factum ex bile ac tenuem, alia ex melancholiâ, & crassum. Atram bilem ducere puto nullum medicamentum; nam vt dixi, membra trahunt, non medicamentum. Oportet corruptum esse membrum prorsus, quod humore simili gauderet: quod autem corruptum est, nullas habet vires. Præter id nemo vidit æruginosam bilem medicamento eductam neque atram: dico atram, quæ nigerrima est, nec nigerrima videtur, quia admodum nitet velut Pramnium, & corallium nigrum perpolitum: est etiam quasi arenosa & minutissima trita, quæque effusa in terram, illam fermentat, & à qua animalia prorsus omnia quæ olfactum habent, inter quæ etiam muscæ, fugiunt. Educitur quandoque casu, in quibusdam pestilentibus febribus, societate fecum & propria grauitate. At humorem nigrum sanguini similem sæpe videmus, & præcipuè in lienosis. Ergo nigræ myrobalani secundi generis sunt, & melancholiam omnem ex venis educunt, naturalem quidem exustam familiaritate substantiæ ex flaua bile, quod dum immaturæ essent, talem humorem educere poterant. Ob id insaniæ pariter, ac melancholicis, & tremori, & elephantiasi [conferre] possunt. Conditæ autem si non humidæ conditæ sunt, melancholiam generant, & obstructiones pariunt. Nutritæ debent exhiberi, expressæque vt superius dictum est, pondere eodem. Elige grauiores & recentes, vt de aliis dictum est. Conferunt hebetationi omnium sensuum tam interiorum quam exteriorum. & motus: at in quibus nihil tale educunt, eundem humorem efficiunt. Iuuant etiam hæmorrhoidas patientes. Propriè conferunt febribus antiquis, & quæ reuerti solent. Sed & communi ratione; quæcunque enim melancholiam purgant, quartanis, & etiam huiusmodi febribus vtilia sunt.

51. Pulegium.

Hoc longè præstantius est, saltem apud nos, est enim odoratum. Et assatam, non putredine, purgat, & à cerebro, neque iuncturis: sed est debile valde, adeo vt sit inferius origano. Incidit, attenuat, magno est præsidio ventriculi doloribus, aduersatur venenis, lentos & crassos pulmonis humores præparat, vt facilè educi possint. Quantitas duarum drachmarum, vel sex vnciarum decocti: vnciæ semis in iure galli. Editur in acetariis. Proprietate singulari deliquia animi prohibet odore solo vel potum; propriè cum melicrato calefacit & extenuat, statim prolicit menses, alleuiat partum, & est medicina vteri: & frangit vesicæ lapidem, ex 18. 3. tract. 2. cap. 19.

52. Origanum.

Origanum ventriculi morbis valde saluta-

res dolores tollit, flatus & tumores duros dissoluit. Calidum & siccum in tertio ordine. Eo solo multos sanaui, tumoribus ventriculi partim scirrhosis, partim mistis laborantes: venenis aduersatur, menses prouocat, nocet dentibus & oculis. In purgando & dolores leuando, multò præstantius Creticum. Quantitas huius drachma cum dimidiâ: non adeò iucundum est vt pulegium. Parthenium non purgat, quamuis creditum sit. Atque hæc de mitibus.

53. Epithymus.

Est ac dicas, supra thymum: sed thymbræ adnascitur optimum, odoratum, verè subrufum, capitulis florulentis, quod ex Cretâ aduehitur. Deterius Syriacum, & illo Italicum; dicerem Europæum, si Creta in Europâ non esset. Exustam bilem, non à putredine euacuat: vnde in febribus nulli vsui, sed in insaniâ, comitialibus, vertigine, cordis palpitatione vtilissimum: carcinomatibus autem adeò vtile, vt Galenus hoc solo ex aquâ lactis, omnia quæ non longo tempore confirmata sint, curari posse credat, imò ab eo curata affirmet. Attenuat præter hæc, aperit, digerit, & viscera etiam confirmare putat Mesues, & quartanis prodesse, sed parum. Siccis præterea corporibus noxium est. Ad tristitiam, & timorem, ac syncopas detur cum apij semine, & Pramnio vino, vncia in decocto vt dixi, vel semuncia in puluere. Sub hoc genere etiam continetur Epistœbe. Confert propriè melancholiæ & asthmati.

54. Alypum.

Inferius aliquanto apithymo, sed exulcerat etiam intestina. Radix eius purgat pituitam: & vt quæcunque purgant pituitam, vt dixi, inimica sunt membris naturalibus; ita quæ bilem, cordi, licèt purgatione ipsâ iuuent. Causam tamen esse reor non eandem; sed quæ pituitam educunt, subtrahunt, vt dixi, alimentum membrorum naturalium, & illa exsiccant. Quæ autem melancholiam, ab ipso etiam corde reuellunt. Vnde miscenda confirmantibus cor, quæ sunt maximè apium, semen boraginis cum totâ plantâ, crocus Orientalis, melissa, sed est imbecillis, velut & citri semen; Pramnium, & aqua ardens manifestè, caryophylli, & ex gemmis smaragdus, hyacinthus, corallium, margaritæ, & rasura [MS. *referunt*] de osse cordis cerui, & been album, & ozymum foliis paruis, valde odoratum, & sericum cocco valde imbutum, & forsan bibinella, derasum os monocerotis, ambra, & theriaca, licèt compositum, seu mithridatium.

55. Lapis cœruleus.

Hic purgat melancholiam, & propriè non putridam. Debet eligi splendidus dum est integer, boni coloris, & aureis insignis maculis. Ex hoc efficiunt Pictores æternas imagines: ideò qui optimus est, pondere auri æquali permutatur. Calidus est & siccus in secundo ordine. Purgat pulmones, & difficultati spirandi prodest, prodest & lienis tumoribus, & hæmorrhoidibus, sed id generali ratione, quoniam nigram bilem euacuat; sicut quæ flauam, morbo regio laborantibus. Sed cordi speciali ratione conuenit: lætum reddit hominem, ac quasi beatum, præsertim exhibitum, vt in Electuario Alkermes, quod ambræ dimidiam partem recipit. Non lotus vrit, & venenosus est. Datur pondere drachmæ dimidiæ, quadragies aquâ lotus, aquâ decies rosaceâ. Confert etiam generali ratione, vt omnia quæ ex venis nigrum homorem educere possunt; pesti etiam nostrorum temporum, quam serpentem vocabimus, & Elephantiasi, & Indicæ lui, vt siquid aliud; sciòque cum vino ex cortice & ligno satis leui, plurimos optimè curatos. Verumtamen Catapotia quæ adeò iuuat, præter ipsum lapidem, recipiunt agaricum, polypodium, epithymum, helleborum, atque scammonium.

56. Lapis Armenus.

Hic est in quo Trallianus & Mesues conueniunt, quòd potentiùs educat melancholiam sed non putridam cœruleo, & tutiùs helleboro; sed helleborus etiam putridam purgat, non putridam autem vehementiùs. Eodem temperamento, pondere, præparationéque exhibetur. Prodest itaque insaniæ, comitiali, vertigini, mœrori, carcinomatibus, lepræ. Non lotus vomitum cit: sed vix inuenitur apud nos. Refert tamen Brasauolus inueniri Germanicum, viribus non inferiorem: sed authores nostræ ætatis verbis non temperant, vt magni aliquid inuenisse videantur. Fieri potest vt purget: vt illi æqualis sit, qui forsan neque vnquam expertus est, ratio non fert: illa enim tenuia sunt, neque hoc in huiusmodi similibus experimur. Confert podagræ. Hinc verò considerare licet morborum curationes, velut vertiginis, quoniam ab educentibus melancholiam, solùm sanatur.

CAPVT V.

Quæ aquam ducunt.

57 Ericij terrestris caro.

Et huius multiplex est genus: contenta in venis, quam si nihil obstat, conducit magis per vrinam ducere; quæ è capite fluit, materia ischiadicarum, frigida vt nix distoluta; quibusdam non adeò, sed ad pulmones confertim veniens, orthopnœam gignit quam non putrescere, antequam descendat certum est: ex huiusmodi etiam resolutiones fiunt: & si malum non sæuiat, grauedines & raucedines: quam (nisi quid aliud obstet) iuuat euphorbio purgare, neque enim tales sitiunt, nec caloris signa vlla præ se ferunt. At aquam asciticorum purgant

purgant

purgant alia, aliaque vtramque. Ex his ergo innoxia maximè est caro ericij terestris. Sumuntur vnciæ duæ cum vnciis sex oxymelitis: nec solù n purgat aquam, sed confert iecori ventriculo, renibus, ac vesicæ, adeò vt sperarem si quis hac solâ vteretur, posse plenè sanari.

58. Tripolium.

Huius radix etiam præstantissima, alba, feruida, odorata: cuius drachmæ duæ soluunt aquam, & etiam per vrinas eam educunt. Vocatur autem à Serapione Turpethum, aliud ab alypi [MS. *aliy*] generibus. Exhibetur pondere drachmarum duarum in vino flauo velut Pramnio, vt nil elegantius Calidum est in tertio, & venenis aduersatur.

59. Lactuca agrestis.

Huius plantæ lac pondere granorũ octo, vel succi vncia vna, aquam ducunt asciticorum: quæ autem huiusmodi aquam mouent, nec aliud, odiosa esse naturæ necesse est, quoniam dissimili & contrario magis similia sunt, quàm quæ bilem mouent aut pituitam. Fieri tamen potest, vt vnâ parte trahunt, alterâ non sint ingrata, aut quod ingratum est, aliquo meliore tegatur, velut in tripolij radice.

60. Ficûs lac.

Et huius arboris lac, aquam potenter educit, vt omnium ferentium lac plantarum; calidissimum enim est atque vrens: vnde etiam aqua lactis caprilli hoc ipso detracta, podagræ magnum affert auxilium: sed si curati non sæpius purgentur, in alios morbos deteriores incidunt, velut & ab ischiadico dolore. Natura enim quæ tales admittit morbos, nec trudit extrà materiam, impotẽs est; vnde concluso solito exitu, nec sublatâ causâ generationis, in locum periculosiorem materiam genitam dirigit: hoc autem violentum est.

61. Sampsuchus.

Huius succi sex vnciæ parum ducunt aquam asciticorum; attractus autem per nares plurimùm prodesse poterit, cùm cerebrum intemperie frigidâ & humidâ graui laborauerit. Cæterùm velle iam conflatam & conclusam aquam asciticorum, ac putrefactam siccare, est piscari velle hamo aureo: forsan aperiendo, vrinam prouocando, intemperiem putridam tollendo iecoris, strenuè prodesse poterit, non calefaciendo; quandoquidem iecur in hydrope, calidâ intemperiæ laborat, vt aliàs est demonstratum. Ergo in capitalibus, si ferant, aquis vtendum erit. Quomodo autem tanta aqua in capite congregari possit; vt nonnunquam libras quinque aut sex superet, dubium est. Atque in hoc sæpe cogitaui: necesse est enim, caput calidâ intẽperie in his laborare, aquam autem collectam in venis continuè exugi, ipsum verò cerebrum simul refrigerari. Atque etiam hoc aliàs à nobis declaratum est: nam & in Pontifice Scoto orthopnœâ laborante haud obscurè id vidimus.

62. Mori radix.

Eius succum tempore messis ex drachmis duobus, vnciis autem sex decocti mediæ vncie eiusdem radicis [damus.] Est autem commune præceptum in ascite, dum purgare potione volumus, non antè quiescere, aut cibum exhibere, quàm medicamentum prodierit.

63. Brassica marina

Nescio quid huic cum brassicâ simile: serpit, & folia exigua habet, & lac fert; quorum nullum est commune cum brassicâ. Saporis est salsi, subamari, acuti; folium, quod peculiariter aquam ducit hydropicorum, & densæ substantiæ est, capitalem ducere non potest. Dantur vnciæ duæ, quoniam imbecille est medicamentum, aut libra media iuri galli incoquitur ex quo sumere oportet libram, aut etiam plus: tutius est hoc quàm si in aquâ lactis; sed bene percolatum sit. Et vt dixi, eò magis necesse est differre cibum & diutius ambulare, vt tota exeat. Vocatur ab Officinis Soldanella.

64. Chachile.

Eiusmodi herba est è salsarum genere; & ideò tales, vt etiam soldanella, aquam educunt. Ignota Græcis, nam Africæ familiaris solùm herba est, folio nasturtij, salsa valde inter herbas, & in sterquiliniis nascitur similis musco arborum.

65 Verbascum.

Eius folia in acetario (cùm vix ob asperitatem edi possint) aquam educunt multam, ac sine molestiâ; vnde etiam hydropicis cõfert. Radicis succus ex vnciis duabus ter sumptus à quartanâ liberat; experimentúmque est Arnaldi [MS *Rinaldi*] de Villâ nouâ sæpe probatũ. Flores quoque tusi & admoti curant hæmorrhoidas, & in clysteribus dysenteriam, & emplastri loco tenesmum [MS. *tinesmonem*.] idem in vase vitreo soli expositi, aut sepulti, in oleum rubrum vertuntur ad eadem, vt verisimile est, vtile. Folia cocta difficiliùs manduntur quàm cruda modò sint tenera. Referunt radicem pestilentiæ perutilem esse, quod minimè absurdum est, Herba est luteo flore, aspera, quâ nulla frequentiùs se offert aridis in locis, & in ripis riuorum.

66. Vitis agrestis.

Nulla planta magis vitem refert pulchritudine & formâ: nulla domus insignis Bononiæ hac arbore caret. Amplissimum spatium viriditate suâ, imò totas domos Prætorias exhilarat. Attagenam vocant Græci:

Græci: cuius radix incocta aquæ, & vino mista, & cum aquâ salsâ epota, purgat hydropicorum aquam; quanquam hic modus mihi parum commodus videatur. Quapropter quemadmodum in Tripolio dixi, eam confractam atque priùs, vt ita dicam, multis in locis sauciatam, infunderem vesperi loco libero in Pramnio vino, vinúmque ipsum in potu exhiberem, etiam additis his quæ cor & ventriculum confirmant, & bene odorata sunt, velut caryophyllo, xyloaloë, aquâ rosaceâ, santalis. Hæc enim cordi, cerebro, iecori, ventriculo, pariter singula quæque auxiliantur. Decet autem in huiusmodi singula medicamenta non periculosa experiri, propter naturarum & morborum varias differentias.

67. Labrusca.

Quocircà & huius arboris radix ei affinis, cum Pramnio vino ex drachmis duabus, purgat potenter aquam hydropicorum. Sed & oleum ex floribus eius, œnanthinum appellant, iuuat potiùs ex infuso, vt in attagenâ, (cùm aquam educere volumus) præparare, quàm in puluere exhibere, ob ventriculi imbecillitatem.

68. Iridis succus.

Succus radicis ex vnciis duabus purgat eiusmodi aquam corruptam. Sed cùm Illyrica & Macedonica optimæ sint, eiusmodi succum ex illis habere non licet: sed cogimur radice pro succo vti. Solâ Illyricâ (quæ vt odorata est, eò vtilior, atque præferenda succo) vterer in Pramnio infusâ. Gaudet hic morbus calidis purgantibus, sed frigidis medicamentis, & cibis percoctis & temperatis, quoniam etsi intemperies calida sit, ob imbecillitatem tamen naturalis caloris, calidis purgantibus & odoratis gaudet, quoniam tum præcipuè cùm aqua educitur, corpus refrigeratur. Iridis ergo succus sæpe plus turbando nocet, quàm purgando iuuet *6. Aphor. 26.* Verùm coctus vt minùs educit, ita minùs etiam perturbat. Quæ regula generalis est omnibus succis: quemadmodum etiam quòd saccharo addito debeant exhiberi; plus enim iuuant amiciora ventriculo, minúsque nauseam mouent: si moueant, faciliùs per vomitum eiiciuntur, & temperatiora. Multi tamen eiusmodi succo præsertim crudo, sunt liberati. Multis contingit vt alleuiari videantur subductâ portione aquæ; tamen pulsus non eleuatur, appetitus cibi non redditur melior, nec vrinæ; quòd vitium in iecore, seu scirrhus seu mala imtemperies vehemens, sit confirmatum. Ob hoc videre debes, quos curandos suscipias, ne arti atque auxiliis, & tibi dedecus parias, nihil proficiens ægro. Quò antiquior, eò odorarior, non tamen ad purgationes magis apta.

69. Tithymalus platiphillus.

Similis est foliis verbasco; radice, frondibus, lacte, omnibus (vt ita dicam) partibus aquam educit, & violentum est (vt eius reliqua genera) medicamentum, sed tamen mitius est eorum. Ipsius folia & caules mista vnguentis scabiem tollunt potenter. Immistus caseo & pani occidit pisces, quos tamen vt cæteros medicamentis necatos, aut in stuporem versos, non admodum tutum est imbecillibus edere; nemini verò deuorare viscera: constátque Sacerdotem periisse hac causâ; felis autem qui interiora deuorauerat, obiit. Quæ igitur adiicere in huiusmodi debeamus, iam diximus. Tutiùs autem quæ veneno non carent, velut mezereon, id est thymelæa, sunt præparanda. Aceto rosaceo folia tithymali huius, cum duplo absinthij similiter tusi infundes per horas viginti quatuor; inde ex hoc aceto expresso, saccharo addito efficies syrupum, quem in fine odoratum reddes santalis, caryophyllis, & xyloaloë, totóque præbebis vncias duas cum tantundem iuris, si tamen quicquam huiusmodi, & in tali morbo tutò exhiberi possit. Hæc igitur summa ratio omnium eiusmodi præparandarum, veluti etiam chamelææ, (& est Serapionis aliud mezereon,) tum aliorum tithymalorum, lathyridis, ricini, peplij, peplique, ac similium. Quòd si displicet absinthium (quanquam qui possit displicere coma viridis admodum, & Pontici seu Macedonici?) loco eius menta [MS. *metam,*] aut cotoneorum caro subiiciatur; sed nihil melius absinthio. Eius alexipharmacum est mumia bona, aut loco eius pissasphaltum, aut syrupus de ribes.

70. Æs.

Eius plura sunt genera, vel à regione, vt Cyprium; vel à parte, vt squamma, quæ præcipua sunt, nam florem non purgare, Brasauolus affirmat expertum esse: vel artificio, vt vstum. Drachma igitur squammæ non solùm purgat, sed superpurgat aquam. Cæterùm ipsa bonum etiam corpori habitum præstat, & lienem extenuat. Eligitur quæ in Cypro decidit ab ære rubro dum claui fiunt: crassior præterea melior est, vt quæ non adeò vsta sit, aut sicca: & quæ aceto tacta statim æruginem contrahit, nam teneriorem substantiam esse ostendit. Ergo dimidium drachmæ cũ panis medullâ in globulos cogitur. Inde manifestum fit quod sæpe dixi, non medicamenta, quæ si eiusmodi sint, planum est non dissolui, sed membra eorum viribus affecta, id efficere: Præterea eius squamma ipsa etiam attenuat & erodit quod corruptum est, vt etiam phthisicorum vlcera curare posset, sed ad illa penetrare non valet.

71. Chalybs

Eiusdem penè est facultatis, at magis refrigerat & astringit, sed minùs purgat minúsque attenuat, nec solùm aquam educit, sed & humores etiam nigros. Miscetur medicamentis purgantibus, velut Tripheræ illi quam vocant ex arte Phenonis, alij vocant Electuariũ de scoriâ ferri: corrumpitur tamen vbi

vbi madefacta fuerit statim, & rubiginem contrahit: nihilominus aperit obstructiones, & purgat nigra: quæ sic distingues, cùm medicamentum fuerit nigrum; nam seorsum coacta manent si nigra sint, & interiùs sunt nigriora; secùs, ex tinctura id accidit. Modus secundus exhibendi, est vt in singulas vices deradas semidrachmam, quam aceto decies, inde aquâ quinquies lauabis, vt splendeat instar argenti, & cum sacchari rosacei semuncia dabis: qui modus vt sincerior est, ita longè melior ac tutior. Nec tamen te fallat quòd æger nigra deiiciat, siquidem in viginti quatuor horarum spatio, quo solent quæ sumuntur, nec admodum irritant aluum, in ventre contineri, rubiginem contrahit squamma chalybis. Ob id eadem arte opus est ad distinguendum, licèt non adeò nigræ tum euadunt feces. Sumitur autem, vt pleraque talia quæ per aluum purgant & aperiunt, per viginti dies; sic quæ per sudorem, quadraginta; quæ temperiem mutant, anni spatio. Flos igitur huius chalybis delatus per venas, exit, nec tamen immunis fit à rubigine, quoniam in chalybe terra continetur. Quod experimentum si cum auro fiat, cùm etiam colligi possit quòd non permeet, exustis fecibus toto tempore collectis, forsan longè melius fuerit, sanè tutius: est enim aurum longè amicius naturæ humanæ chalybe, & ferro, & ære: nam plumbum vtrumque inimicissimum est & venenum. Nec te deterreant quæ dicit Brasauolus, nam etsi integrum forsan non iuuet, certè nihil nocebit: de illuuie planum est; quòd aceto aurei sæpius lauandi sunt, inde aquâ. Tertius modus: in viginti libris Mombasij [fortè legendum, *malnatici*, sic enim Fallop. habet] diuisi in duo vasa, imponunt hoc modo libram mediam scobis chalybis (Fallopius dicit ferreæ,) hac ratione vt singula vasa decem libras contineant. In reliquum vas frustum chalybis eiusdem ponderis, decem diebus exponunt Soli torrido, atque miscent: fit ex flauo nigerrimum, terrum odore saporéque, vt sitientes hydropicos ab eius potu absterreat: dicebátque Antonius Caldarinus Bononiensis, præoptare mortem quàm sumere eiusmodi potum. Educit tamen aquam & nigra, vt dixi, cùm ipsum sit nigerrimum, aperitque obstructiones mesaræi: sed est medicamentum rusticorum & damnatorum; nec etiam tutum, nam ille peruenit ad febrem, & vrinæ suppressionem, nec potuit vnquam plenè restitui, sed mortuus est. Oportet autem bibentem vti deambulatione perpetua, donec prodierit, & cibis [cocto] facillimis atque optimis. Illud [addo,] quòd Dioscorides non nouerit, ferri rubiginem atque substantiam habere vim purgandi: imò astringere vtrumque opinetur, *lib.* 5. *cap.* 52. & 53. Qua ratione argumentum Fallopij concludit: nam licet inditum vino contrahat rubiginem, attamen & illam purgare ignorauit Dioscorides, vt defendi non possit. Id tamen argumentum non concludit; vinum non purgat: expositum Soli cum scobe ferri purgat. Igitur scobs ferri purgat: nam exposita Soli in vino per tot dies corrumpitur: & multa corrupta purgant, quæ incorrupta sistunt; prout etiam de vomitu videmus.

Efficacius ad demonstrandum contra Dioscoridem, est nostrum experimentum: quandoquidem limatura eius statim detracta, & cum saccharo rosaceo id potest. Et si dicat aliquis pro Dioscoride, quòd in corpore corrumpitur, nihil ad me quomodo id agat, modò agat non exteriùs permutata. Est ratio Aristotelis generalis quæ demonstrat. Nihilominus exhibitam nostro more, crediderim non semper purgare; ideò non dictum à Dioscoride. Est autem ferri scobs medicamentum proprium ventriculo, & maximè cum myrobalanis, & iecoris doloribus, cum spica, rhabarbaro, lacca, fece vini, & decocto coriandri.

Capvt VI.

Corruptos humores ducentia.

72. Stercus columbinum.

Talia, dicit Auenzoar, cùm similitudine ducant, corrupta esse oportet atque acria, vt stercus hoc quod fermentat seipsum, & accendit putredine, in *primo de differentiis febrium, cap. 6.* Humidum ergo adhuc & recens, purgat pestilentem humorem; nam in ea corrumpitur, non ichor tantùm; ideò pestilens humor puri aut saniei frequentiùs similis est. Verùm non adeò hunc potest educere, vt quæ suppurata sunt; illa enim verè putrida sunt, hæc verò potiùs ad sequentem ordinem pertinent. Ideò non propriè purgauit nec curauit Auenzoar pestilentem febrem, sed quasi ex transuerso, vt dici solet: tametsi enim quæ putridum educunt, etiam eorum quæ in pestilenti febre peccant, particulam aliquam educere possint, non tamen sunt ei propria, nec cordis vires reficiunt, nec ipsius intemperiem tollunt, vt ea quæ dicemus. Quantum verò afficiat corpus eiusmodi medicamentum, & præcipuè ventriculum, satis cōspicuum est: vnde Princeps inquit, *in colici doloris frigidi cura magnæ vtilitatis est in educendo pituitam, & magni timoris.* Et bibuntur tamen vnciæ duæ solùm decocti eius. Immisceri debet medicamentis leniendo purgantibus, de quibus in primo ordine actum est: diximus enim quòd huiusmodi molliunt illorum prauitatem, & vestiunt intestina humore suo abundanti, præcipuè cassia nigra; aut mucoso, velut myxa. Sed & quædam sunt quæ omnia possunt, velut stibium: quæ si volumus vt vnum humorem tantùm purgent, cohibenda est vis ad reliquos educendos; velut absinthium cohibet pituitam, mala punica bilem flauam, acetum atram, bene odorata & omnia cordi amica, omnes quos non opus est educere. Siquidem vita ab anima dirigitur, quæ non errat, vt nisi impediatur confirmata optimum eligit. Ita non solùm medicamentum ad alienum educendum humorem, sed etiam vt

vt in Confectione Hamech scammonium ad nigram bilem solam purgandum deduces, verùm id non sine fermentatione. At cohibitio sine ea etiam fieri potest, sed cum illa longe meliùs & ad amussim. Manifestum est autem, cur in hoc ordine nullum mite medicamentum aut gratum esse possit; & quâ ratione, sed non eadem tamen, pauca ex his quæ aquam ducunt: nam id præter naturam est, aquam per aluum duci, cùm natura comparatum sit, vt per vrinas vel per sudores promptius educatur. Propter tamen illam quæ in ventre asciticorum continetur, pauca illa mitia nobis magna cum industria tribuit. Neque existimes nos hæc pro numero conscripsisse, nam indies multò plura detegentur ad singula munia, cùm hæc seges sit abundantissima. Et ego habeo lignum ex Orientali India, quod sine noxa bilem flauam purgat absque vlla molestia. Sed hæc proposita, erunt pro modulis ad omnia alia noua distinguenda sapore, odore, colore, substantia, modo exhibendi, experimento, noxa, proprietate, emendatione, irritatione, atque aliis huiusmodi, velut electione, & partium delectu. Semina enim omnia, gratia exempli, plurimum olei continent, parum ob id aquæ. Radices, folia, fructus qui è pomorum genere sunt, aquæ plurimum, olei fermè nihil. Stercoris columbi syluestris drachma vna, cum vrina pueri bibitur ad proliciendam vrinam.

73. Gallinæ stercus.

Hoc proximum est illi, vt etiam auis aui: acre est, & minùs tamen calidum columbino. In ipsis stercoribus auium duæ sunt partes, si diligenter animaduertas, candida & spumosa, magis calida, tenuis, mordax, quam eligere præstat: alia terrea, solida, minùs efficax & amarior, siquidem amarum in terreo repositum est. Referunt hoc stercus peculiariter disrumpere abscessus morbi lateralis, & sanare: & ob id etiam multò magis abscessibus membrorum naturalium, cùm maturi fuerint, conducet: eo enim tempore cum odoratis adhibere conueniet. Referunt anserinum, quod acrius est & vrit magis quàm attenuat, scorbutum sanare, cum bubulo & radice rhaphani, pari pondere, tum aromatibus odoratioribus ex vino. Est autem scorbutus, morbus lienis secundus *in libro de Internis affectionibus*, sub Arctico difficilior.

74. Accipitris stercus.

Hoc vt par est, ratione alimenti acrius esse, existimandum est & validiùs ducere ac potentiùs frangere internos abscessus. Multa præterea quæ non ducunt, corrupta id possunt; sed cùm vomitum priùs & vehementius cieant, ad hoc argumentum non pertinent, præsertim quòd horum exemplo de illis statuere quid eligendum, quidque possint, & quid agendum sit, possimus.

Caput VII.

De atra & æruginosa purgantibus.

75. De Smaragdo.

Dubium primum esse potest, an talia vllo medicamento educi possint? nam etsi plurima commemorarent quæ atram bilem educant, palam tamen est in excrementis non cerni: neque etiam æruginosa, quæ facilioris est purgationis, siquidem ex æruginosa transitur in atram veram. Neutra etiam naturæ subiicitur, nisi sit in ventriculo, tunc enim lethalibus fermè cum symptomatibus vix eiicitur. Vtraque etiam superat naturam; quod autem purgare debet, oportet vt superetur. Præterea si esset modus purgandi hunc humorem, esset non solum modus sanandi pestilentes febres, sed morituros & senes restituendi. Respondeo quòd tales humores possunt refrigerari, & tunc expurgari (sicut expurgantur à renibus arenulæ) nam tunc sunt sub dominio naturæ; quia solus immodicus calor obstat, quò minus euacuari possint. Cum verò extingui calor ille non possit, nisi à medicamento potentissimo, & cuius modica quantitas plurimam habet vim: id verò sit metallicum & terreum, vt videmus in stibio, cuius tria grana adeò vehementer purgant, tamen quia oportet vt id cordi sit amicum, & etiam terreum ratione similitudinis substantiæ, atque hæc duo solum gemmis [MS. *geminis*] conuenire possint: ea ratione quæ hæc purgant, aut omnia aut fermè omnia è genere sunt gemmarum. Verùm bilem atram extinguere non fas est, nisi in valde robustis adhuc, & cum multa smaragdo, & vt esset aliquid quod superari non posset, reliqua vincuntur, si tempestiuè auxilium adhibeatur. Sed æruginosam domat smaragdus ex semidrachma; nec verearis quòd Auenzoar solum grana septem exhiberet, nam illa optima vtebatur & splendida, quæ cum hoc quòd pretiosa sit, etiam magno pretio venditur, vt non facilè sit eiusmodi habere mediocri pecunia. Ergo cum modico vini albi exhibita, si subducat ventrem, res in tuto est. Educit autem omnem, ab æruginosa incipiens, exustam bilem, præter omnino atram. Ergo rubram valde & rubiginosam educere poterit, hæc tamen mitior est. Sed cum sint smaragdi plura genera, de Orientali intelligo qui venustior est, & de quo antiqui loquuti sunt. Qui ex Peru Occidentalis Indiæ tantò durior & acerbioris coloris, quantò sanctæ Marthæ mollior & obscurior, qui tamen lucernæ splendore gaudet. Sed neutrum expertus sum, gnarus esse inferiores.

76. Sapphirus.

Cæruleus & nitidus purgat glasteam, cæruleam, & liuidã bilẽ, ac fuscæ nonnihil. Datur

eodem

eodem pondere, & subtilissimè tritus, & cum vino flauo. Idem fermè potest, vt dix, cæruleus lapis, sed in pestilentibus inferior sapphiro.

77. Granatus.

Hic rubram bilem & assatam purgat pari pondere & arte exhibitus. Quæ autem talia educunt, & leuiùs affecta educere possunt, velut rubiginosa & cinerei coloris; non tamen faciliùs, neque minori pondere semper, cùm similitudo non tanta sit.

78. Hyacinthus.

Hic purgat rubiginosam, & cordi confert plurimum, maximè ruber, quod tenerior sit. Arabes secundum in ordine confirmandi cor, ipsum statuere videntur. Frigidi & sicci temperamenti sunt, sed smaragdus & hyacinthus minùs sicci. Huiusmodi autem omnia dum cordi prosunt, præter id etiam pestilentibus febribus vtilia sunt.

CAPVT VIII.

Quæ bilem flauam & pituitam.

79. Rhabarbarum.

Horum est vsus maximus, quod in plerisque morbis non omnino leuibus [MS. *seuius*,] vterque horum abundet, quoniam si pituita abundet & putrescat, in bilem flauam transit, ob hoc dicebat rectè Hippocrates, quòd *omnes febres sunt à bile*: sin autem bilis genita sit debilitato calore, pituitam generari contingit. Immoderantia etiam cibi vtrumque humorem gignere simul nata est, cùm partim non concoquatur quod frigidum est aut crassum, partim exuratur, quod tenue est & calidum. Igitur Rhabarbarum vtrumque humorem ducit, sed prius & facilius bilem, confirmat omnia membra naturalia, & aperit obstructiones valde. Dicebat Auerroës quòd adeò caret nocumento, vt aliorum medicamentorum detrimenta emendet. Quantitas est drachma vna, & in infuso duæ. Occidit vermes, præcipuè in vino Pramnio. Exiccat tamen iusto plus iecur, vnde passæ vuæ in his iungi debet. Optimum ponderosum, & tamen rarum, ex croceo rufoque alternans, quod solutum seu sub lingua, seu alio modo croci colorem plenè refert, succosum, exterius nigrum in rufum inclinans, non vehementer amarum & astringens. Nostro tempore ex glauco & rufo, non croceo alternare videtur, adeò degenerauit à pueritia mea ad consistentem ætatem. Seruatur in milio, vt pleraque alia medicamenta, quæ siccitate aut calore deficiunt. Alij circumdant cerâ propolide. Abortum tamen facit, & podagricis nocet, quanquam mite sit. Calidum est & siccum in secundo ordine. Est medicamentum iecoris, & est vnum à septem. Valet etiam hemitritæo cum aloë & absinthio; & febribus antiquis, & etiam ex pituitâ; & intestinorum excoriationi.

80. Rosaceus syrupus, & saccharum purgans.

Fit ex rosis cum rore collectis, nouies iterata infusione, educitque pondere vnciarum trium, bilem & pituitam etiam crassam, (quanquam de bile solum crediderint.) Hispani Medici hoc inuentum est, cuius nomen è memoria excidit. Sed & aquam ducit, adeò vt sub diuersis ordinibus collocari posset, sed tamen placuit sub hoc disponere, quòd parum in vsum venerit ad asciticos exhauriendos. Educit tamen primò bilem, inde pituitam. Fit & saccharum rosaceum demptâ parte astringente, cum multo rore collectæ rosæ fuerint, nam & hoc purgat sed leuius. Idem possunt folia rosarum in acetario sumpta. In huiusmodi autem medicamentis, quæ plures humores purgant & aquam simul, aqua cum bile exit maxima ex parte, inde etiam cum pituitâ mista. Attamen aquam hydropicorum vix educere potest, sed est quod exit aqueum excrementum in his qui male concoquunt, in ventriculo & locis propinquis collectum.

81. Eupatorium Mesuës.

Herba est peculiaris Africæ, cubitalis, valde amara, folio aspero, viridi, inciso, simili ei quod est minoris centaurij, caule tenui, floribus subluteis, oblongis. Iecori valde amica. Hæc igitur purgat pituitam, & bilem attenuat, præterea & incidit, putredinem prohibet, resoluit, nec attrahit, tumoribus membrorum naturalium vtilis. Datur more aliorum leuium medicamentorum, pondere drachmarum duarum. Confert præcipuè febribus antiquis.

82. Aloë.

Hæc succus est herbæ crassissimæ amarissimus, & vt ex vngue leonem agnoscas. Neque Galenus, neque Serapio dixerunt purgare bilem, cùm non solùm bilem, sed pituitam etiam expurget, sed pro eccoprotico, id est, feces educente solùm (& educit sanè,) sed & alia habuerunt. Amicum ventriculo inter purgantia, non simpliciter, vt Rasis rectè animaduertit. Debilitat ecur, nocet siccis, & tabidis, & senibus, & abbreuiat vitam. Est tamen & inter mitia. Est è septem principalibus vnum. Et adiuuat vim aliorum medicamentorum, & corrigit eorum noxam, ideò debet eis addi. Et cum aromatibus est medicina ventriculi 14. 3. *tract.*4. *c.*13. Et proprietatem habet cum oculis: & ipsum solum nocet iecori, & confert febribus antiquis, & in omnibus febribus educit cum aromatibus materiam imbibitam in ventriculo, sed debet nutriri cum succo endiuiæ. Est medicina vermium & pestis, maximè cum myrrhâ & ammoniaco.

co. Aperit præterà hæmorrhoidas, & maximè cum Catapotiis ex bdellio : & est perinde si illi addas bdellium, & succinum, & myrobalanos infusas in succo porri. Aloë Persica mentem acuit, & cibi aptitum.

83. Asarum.

Educit pituitam primùm, inde bilem flauam, & aquam etiam : sed & humores crassos, vt ischiadicis conferat. Confert antiquis febribus, & obstructionibus, atque duritiebus iecoris, & lienis, & viscerum, vnde etiam cùm sit odoratum & astringens, plurimùm confert ventriculo. Galenus ipsum acoro comparat. Estque medicina nobilis, & in ascite etiam singularis, nisi obstaret, quòd cùm educat alios humores, etiam impedit hoc, tum perturbando; tum vt minùs purget aquam, efficiendo, vt non adeò illis vtile sit. Calidum est ordine secundo, siccum in tertio : attenuat, resoluitque : fit mustum ex radicibus eius, hydropicis salutare: semen auget. Datur drachma in puluere, vel duæ in decocto: sed Orientale habere oportet; Italicum enim inefficax est. Est medicamentum tussis. Frangit renum lapidem.

84. Apios.

Agrioraphanum appellant, id est, raphanum agrestem, à similitudine radicis. Aliâ ratione rorimarino assimilatur, quòd radicis pars superior vomitum, inferior aluum moueat. Vncia igitur eius ex acetario sumpta, bilem & pituitam satis facilè educit. Succi eiusdem semuncia idem efficit; & eius quod lac vocant, grana sex idem possunt. Sed pro regulâ habendum; quicquid tam exiguâ quantitate purgat, violentum esse? neque enim nisi ex immoderatâ vi, membrum à tam pauca quantitate adeò immutari potest.

85. Iris.

Huius radix præcipuè Illyricæ, ex drachmis septem cum mulsa purgat bilem flauam & pituitam. Odoratum, amicum ventriculo [medicamentum.] Purgat crassum & tenue Vtero, & aduersùs serpentes auxiliatur. Confert neruorum morbis, ac pectoris peculiatur. Extenuat splenem. Mitissimum est ratione contrariâ suprà dictæ : nam plurima eius quantitas ad purgandum exigitur, adeò vt errorem [MS. *terrorem*] esse suspicer Mesuæ [MS. *seu*] quòd velit incoqui in mulsâ. Educit crassa ac tenuia ex his : Calida est & sicca cum humido quodam superfluo radix dum recens est, in fine secundi ordinis. Coquitur sub cineribus, vel cum aquâ in furno, & cum saccharo lignis exemptis conditur. Propriè educit pus è pectore, & coxendicis dolori [opitulatur,] & aperit hæmorrhoidas, præcipuè supposita, sed oleo violaceo per noctem priùs madefacta, vt in Gualtherio Corbetta Senatore, Græcarum literarum peritissimo, amicóque nostro. Confert gonorrhϾ, sed præcipuum est nymphæa.

86. Aristolochia.

Aperit, resoluit? exteriùs applicata, impacta attrahit, velut spinas; attenuat. Calida & sicca in initio tertij. Pituitam principaliter, pòst etiam bilem, & crassam etiam purgat. Dictum est quòd quæcunque atrenuant & purgant, etiam crassa purgant, quia illa attenuando liquefaciunt, Cerebrum & pectus ab humoribus crudis liberat. Dixi quæcunque tollunt humores crudos, etiam pituitam tollere: nam nomine crudus humor sub pituitâ continetur, at re pituita sub crudo humore. Nam quæ educunt, aut colliquant, aut attenuant crudum humorem, quamcunque etiam pituitam attenuare, colliquare, vel educere possunt. Longa efficacior est intus, rotunda extrà. Confirmat ventriculum purgando etiam: Vtraque purgat menses, & præcipuè à partu, vnde nomen sumpsit, optima partuum purgamentis; sed quæcunque immodicè id agant, palàm est abortum facere. Sordida vlcera, maligna, & fistulas curat; vnde etiam intus sumpta, eadem poterit & phthisicis auxiliari [MS. *phisicis auxilia*,] præsertim per circulationem ducta. Manifestum est autem quòd in huiusmodi oportet alere tenuissimè, vt modico pane, & lacte asinino, vel caprillo, vel saccharo rosaceo; vel ericij, aut limaciarum, aut testudinis carnibus? aut vuis passis : potus nullus, aut lac, aut mulsa in quâ folia huius plantæ incocta essent. Viscera confirmat, non tamen inter mitia medicamenta adnumeranda est,

87. Clematis secunda.

Sapor frondium acutissimus; ipsa herba serpit vt hedera. Eius frondes in acetariis, & succus, tum radix pituitam primò, quoniam acre est valde [medicamentum,] & crassam, vt dictum est, inde etiam bilem (flauam scilicet) detrahit; nam de hac intelligimus, cùm nihil adiicimus, Galeno teste, ad effugiendam non solùm prolixitatem, sed ancipitem sensum.

88. Sesamois.

Maior lenit corpus tantùm, cùm sit infirmior, sed helleboro sociabatur, vt purgaret meliùs, eâ ratione quæ supra de cassiâ nigrâ dicta est. Verùm minor purgat bilem flauam & pituitam. Ignotum nostrâ ætate. Olim [reperiebatur] in Anticyra, quæ erat vrbs Phocidis regionis, quasi è directo contrà posita Cyræ insulæ, quamuis Anticyra orientalior sit ipsâ insulâ: sunt autem Phocis & Bœotia, regiones vtræ-

que

que ad Parnassi montis radices positæ, vt Strabo docet, ibique affirmat præparari helleborum: sed Plinius *libro quarto, cap. tertio* oppidum Locrorum, qui sunt paulò occidentaliores Phœnicibus. Alibi verò, puta *lib. 25. cap. 5.* Insulam in quâ cum sesamoide helleborus præparatur. Diximus enim optimam esse præparationem, quæ opus iuuat, & vitia tollit, cuiusmodi est hæc quæ per sesamoiden in helleboro fit. Sed in Plinij codice mendum est; sic enim debet legi: *Optimum autem est helleborum, quod in Anticyræ insula colligitur.* Insula enim erat deserta, Anticyrensi vrbi in continenti, subiecta, in qua colligebantur helleborus & sesamois, & ad vrbem deferebantur, atque ibi præparabantur, vt Strabo docet. Nunc autem ea vrbs vocatur valde diuerso nomine Suola. Cæterum sesamois minor etiam bilem & pituitam tenuem tantùm purgat: nam quæ crassam purgant, vel acria esse oportet, aut valde salsa, aut subdulcia sine amaritudine aut astrictione. Acida autem crassa non possunt educere; quia sine calore non possunt breui attenuare, imò etiam vix purgare, cùm frigida sint.

89. Gratiola.

Herba est exigua, nota, cuius copia est apud Insubres. E tertio genere est purgantium, & molestissimè purgat pituitam & bilem, & etiam serosos, vt puto, humores. Colliquat & tabefacit hominem.

Capvt IX.

Bilem vtramque purgantia.

90. Fumaria.

Horum medicamentorum si copia non adsit, duplex est modus conficiendi, vel vt gratiâ exempli, cœruleum lapidem iungamus scammonio vel tamarindis: vel vt educenti [MS. *velut educendi*] tres humores, vtpote helleboro addamus quod cohibeat pituitæ purgationem, velut absinthium. Et tamen vel sic difficile est inuenire huiusmodi medicamentum, quanto minus à naturâ genitum: nam melancholiam propriè terrea educunt; bilem flauam, quæ leuissimæ sunt calidæque substantiæ: at huiusmodi contraria componere, salutarémque rem conficere, durum est & rarum inuentu. Vtramque autem bilem flauam, non exustam & exustam quæ ducant, inueniri possunt; quandoquidem medicamentum multiplex fit, materia tamen vna, scilicet flaua bilis. Velut fumaria, cuius folia, succus, & syrupus, hos duos humores qui maximè malefici sunt, ex venis purgant; vnde scabiei, & febribus tam in initio quàm in fine perutilis est. Mitissimum est, notum, temperatum, & siccum; cuius labilis est ætas, solum enim circa Maij mensem colligi ptest. Succi vnciæ tres exhibentur. Confert ventriculo, & iecoris aperit obstructiones. Quæ bilem flauam & aquam euacuant, sub his quæ tenues tantum humores ducunt, comprehendimus. Est medicamentum phrenitidis.

Capvt X.

Quæ pituitam & nigram bilem educunt.

91. Thymus.

Pari difficultate iungi possun exusta bili & pituita, qua nigra cum bile flauâ. A nigram cum pituita educunt primum Thymus inter mitia. Est autem nobile medicamentum, ventriculo vtile, iucundum, difficultati spirandi maximè conueniens; pituitámque purgat magis quam hyssopus. Calidus est & siccus in secundo ordine, coctionem iuuat, appetitum cibi excitat, vtilis senibus, visum acuit, neruis confert, hyemis iniurias mitigat, vrinas cit.

92. Argentum viuum.

Hoc per os sumptum, tametsi venenum sit, tamen destillatum & sumptum in Catapotiis ad grana sex, cum caryophyllis, nuce myristica, macere, mithridatio, diamoscho, margaritis, smaragdis, hyacintho; aut torrefactum in terreo vase, exustúmve, ad grana duodecim cum eisdem, tutò satis purgat humores pituitosos, & melancholiam etiam corruptam, vt expertus sum. Quidam dabat laborantibus peste; quod cùm parum tutum esset, illud etiam accedebat quòd qui vi morbi periissent, veneno necari dici poterant. Illitum etiam arteriis eosdem purgat, sed per cutem aut os, protruso veneno à corde per arterias in venas, inde ex illis ad iecur, & à iecore ad alias venas vsque ad cutem, quandoque vsque ad os: nonnunquam ad portæ venam, aluóque exoneratâ materiâ. Namque vi veneni quod corruptum, potestate humor [erat,] actu humor fit. Indicum morbum curat & scabiem, nam se consequuntur. In suffumigio magis etiam purgat per aluum, & capiti prodest.

93. Mandragora.

Eius radix ex obolis duobus eadem potest si bibatur, dolores leuat, somnum facit: sed copiosius hausta, aut si non purget, insaniam facit, cuius rei meminit Hippocrates, mollit duros abscessus internos. Eius alexipharmacum radix raphani.

Caput XI.

Quæ pituitam & aquam ducunt.

94. Ciclamen.

CVm mulsa potum, potenter vtrumque humorem educit, nec est maleficum, vt Arabes existimarunt: imò eius radix ex vnciis duabus in acetario editur ad hæc. Confert hydropicis,& est tenuis substantiæ:vnde & illitum vmbilico & ossi pubis Venerem prouocat. Manifestum est autem ex hoc,quod diximus; scilicet membra imbuta vi medicamentorum purgare, non ipsa medicamenta;& quòd ex lana supposi-tum,etiam idem poterit. Aduersaturque venenis, & capitis omnibus morbis, qui ex huiusmodi humoribus fiunt. Incidunt autem membra in morbos temperaturæ suæ familiares magis, vt cor in febres, cerebrum in destillationes. Succus autem eius est inter ea numerandus, quæ à proprietate ciunt sudorem,velut etiam lignum sanctum,& semen genistæ,cuius ℈j.potus eum prolicit,sicut & illa quæ sunt tenuiorum partium,vt sinapis, & ferula, calamintha, nepeta, tanacetum. Alia fiunt talia cum vino iuncta, nam vinum per se, Galeno teste, tum mel, & ficus,sudores prouocant quanquam non efficaciter. Eiusmodi sunt amaranthi & smyrnij semen, radix aristolochiæ rotundæ, rorismarini herba & flos, & ex compositis, Galeni theriaca, vel ℞. cinnamomi. ℥ij. nardi, myrrhæ, iunci odorati. an. ℥j.melle excipiantur. Sed destillata hæc vitro in Balneo Mariæ, redduntur efficaciora & temperatiora; ignis enim separat crassum, attenuat aquam; & humidum non sinit resolui partes tenuiores; vitrum facit vt omnis prauæ qualitatis sit expers. Ideò temperata, vel cordi vtilia,& frigida iuncta calidis in pretio sunt, velut aqua ex theriacæ libra, oxylapathi m. iij. Pulegij, cardui benedicti, chamæmeli, graminis an. m. j. Prolicitur & illitis, è quorum numero rursus est cyclamen, pyrethrum, & Galeni vnguentum. ℞. salis. ℔j. olei ℔ij.cerusæ ℥ij. Coquantur ad spissitudinem non multam, inde addantur Chabani, propolidis liquefactorum,demum aristolochiæ leuigatæ. an. ℥ij. Præcipuum autem est huiusmodi auxilio balneum, aut cooperiri bene, vt etiam spiritus contineatur. Vnde hîc multa habes ad regium morbum.

95. Hippophæstum.

Hæc ex numero violentorum est: succus eius educit pituitam & melancholiam,vtilis comitialibus & resolutis, sed parum nota planta. Sociari debet his quibus maleficæ aliæ.

96. Euphorbium.

Hoc est in quarto ordine calidum ac siccum, occiditque recens vsque ad annum. Inuentum referunt à fratre Antonij Musæ euphorbo Medico Iubæ Mauritaniæ Regis. Drachmæ tres interficiunt hominem,sed in calidioribus regionibus, velut Africæ, longè minor quantitas, vt etiam aureus vnus. Eligitur leue,fragile, pallidum, perspicuum, sapore & odore acerrimum. Eius pondus si non præparetur, est pro ratione temperaturæ, à scrupulo ad duos. Optimum morbis neruorum medicamentum, ob id prodest ischiadicis, resolutis. Emendatur hoc modo. ℞. Euphorbij, drachmas duas. Mastichis, tragacanthi. an. drachmam vnam: ita tunde vt in vnam massam redigantur, & in medio panis, antequam coquatur,ponito,& cocto pane ac refrigerato, purgatam massam optimè eximito, cuius dimidium exhibitum pro catapotio, purgat pituitam crassam etiam & aquam. Antidotus ad illud est semen citri & enula cocta in vino, iuxta Matthiolum, nescio vbi inuenerit. Illud mirum est cùm veneni habeat tam euidentes vires,cur neque à Dioscoride,nec Principe, nec Conciliatore inter venena numeretur. Post tamen illius assumptionem,cùm incipit operari, detur aqua hordei, cum oleo amygdalino recenti. Superpositum capiti trahit ad se aquam,& exiccat cerebrum. Est enim in vtraque facultate potens. Confert propriè apoplecticis.

Caput XII.

Quæ bilem atram, & aquam.

97. Esula.

RElinquebantur illa quæ purgant nigram bilem ac aquam, quæ rara admodum sunt,quoniam nigra bilis crassa est, aqua autem tenuis; & ratione quæ dicta est de bile flaua & nigra,eisdemque modis,curandum est vt habeas eiusmodi medicamenta. Verùm quod tale est, oportet esse compositum ex duplici substantia,crassa & nigra aut tenui sed exusta; & alia tenui,sed horribili aut potente. Quæ à Mesuë præponitur esula mitior, appellatur tithymalus cyparissias, educit enim nigram bilem & aquam. Est enim tithymalorum è genere parua exilisque planta,exilibúsque radicibus. Exhibetur pondere granorum octo, seu siliquarum duarum. Cum hoc etiam lædit cor, ventriculum, iecur, excoriat viscera, sanguinem educit, febres accendit, immodicè purgat. Ob hæc igitur sic præparanda est, vt reliqua quæ proprietate nocent: (nam maior est venenum illud, de quo Galenus dixit, quod occidebat educendo sanguinem.) Infundatur in aceto rosaceo ter, & semper siccetur; post ter in lacte, inde vbi siccata fuerit, cum mastiche & tragacantho exhibeatur; vel recens sed siccata, (cauendo semper tamen nigram, quod commune est omnibus huiusmodi medicamẽtis,quæ natura nigra non sunt,vt colocynthidi,tithymalo cuique

cuique, agarico) imponatur in pane cum mastiche, tragacantho, seminibus citri, & enula; & vbi coctus fuerit panis, eximatur; & ita præparatæ pondus sit granorum viginti aut paulo minus. Et qui sumet eiusmodi medicamenta, semper, vt dictum est, frigus vt exitialem rem cauere debet, sed præcipuè in hoc. Alexipharmacum eius est origanum assatum.

CAPVT XIII.

Quæ tres humores purgant.

98. Centaurium minus.

PVrgat primùm pituitam & crassam, inde bilem flauam, & melancholiam, non tamen aquam, & est è secundo genere medicamentorum, adeò verò venis addicta est vt ebibita sanguinem per inferiora educat, seu venas hæmorrhoidarum aperiendo, seu quascunque alias, eaque ratione per clysterem infusa, aut superposita ischiadicis prodest, nam epota parum confert, quia etiam eo modo administrata parum de sanguine educit. Quæcunque etiam tres humores purgant, conferunt febribus mistis & diuturnis in fine, & his quæ redierunt. Applicitus autem succus eius ano, sanguinem per hæmorrhoidas trahit, velut etiam vrticæ, sed minùs, & cepæ nucleus mundatus, & folia ficus ob asperitatem & lactis vim, & folia vlmi à proprietate, & radix iridis, vt suprà dictum est. Liquet autem quòd centaurij folia dicuntur medicamentum absolutum ad aperiendum hæmorrhoidas, quia illud idem præstant intus sumpta, & extra, velut & folia porri, sed hæc sunt acriora, atque molestiora, & minùs tuta. Debet autem ad hoc munus exhiberi centaurium de mente Galeni, cum hiera simplici. Prodest etiam centaurium venenis longis, putrefacientibus, ac tabefacientibus, quia educit humores corruptos, saniem, & huiusmodi. Calidum est, siccum vltra secundum ordinem. Dantur drachmæ duæ. Et est medicina pectoris, aut saltem morborum eius; & splenis, associata cucumi anguino, aut colocynthidi, curat tremorem ortum ex superflua Venere. Huius proprium est ad intima deducere vim medicamentorum, præcipuè ad pulmones, ad intersepientes membranas, cordis capsulam, exteriorem renum & vesicæ superficiem. Venenis igitur temporaneis. ℞. centaurij minoris m. j. ficus siccas n. vij. fructus iuniperi. ℥ j. chamæleontis albi. ℨ ij. & si vrget, adde Cantharides, in ℔. iij. aquæ, ducatur ad tertiam. Sumat in balneo per dies xx. Possunt addi cicera, baccæ lauri, vel ruta. Cibus lac asininum, & panis tantùm.

99. Sena, & colutea.

Eadem & eodem ordine purgant hæc, seu vnum seu diuersa inter se, quo centaurium. Folliculi magis purgant quàm folia. Italica quam senam esse volunt, minus purgat, & plus agitat, capitis dolorem mouet, ventriculo inimica admodum. Vidi virginem vestalem, quæ quòd decoctum vnciæ vnius bibisset, veneni symptomata passa est. Ob hoc neque ad custodiam vtilis, cùm vitam abbreuiet, nec ad morbos magnos, cùm sit imbecillis, sed solùm in cura epicrastica longarum febrium, quibus est propria quantitas vnciæ dimidium in decocto. Sola hæc melius ex infusione, quàm exhibita substantia operatur. Sed vbi tempus desit ob accessiones, catapotiis ante cibum vtemur ex aloë lota, aut è tribus: estque medicina Epicrastica.

100. Agaricum.

Bono nihil melius, sed rarum inuentu: malum veneno proximum. Purgat pituitam primùm, inde flauam bilem, deinde nigram. Quæcumque verò tres humores ducunt, & sunt è tertio genere, & hydropicorum aquam purgant. Est autem eiusmodi agaricum, nam maximè caput iuuat, purgat & pulmonem, & neruos: lignum eius inimicum ventriculo, sed optimum eo caret, aut quàm tenuissimum habet. Candidissimum, leuissimum, æquale totum & intus & extra, subdulce, inde etiam amarum. Cum melle propriè est medicamentum pectoris & pulmonis. Et est vnum è septem. Confert vteri præfocationibus, & est medicina eius, præcipuè cum castoreo. Confert etiam propriè febribus pituitosis.

101. Helleborus niger.

Secundus hic est Rex medicamentorum, & mitior colocynthide. Purgat primum bilem nigram, inde flauam, pòst pituitam. Vnde manifestum est bilis nomine plerumque apud Dioscoridem vtramque intelligi, nam cùm dixisset bilem ipsum purgare, nec nigram subiunxerit, quam constat primùm purgare, vnum sub altero comprehendit. Magis est violentus quàm molestus, nam non præparatus, aut non præparatis datus suffocat. Opportunè autem exhibitus speciem reditus [MS. *redditus*] ad iuuentutem præbet. Cordi, cerebro, iecori, ventriculo vtilissimus, quòd nigrum humorem, & iam atrum esse incipientem, mortis sedem & alteram senectutis causam purgat. Ob id mentem acuit, memoriam restituit, canos restituit ad natiuum colorem, resolutos, comitiales, insanos sanat: vitam in longum æuum & suprà fidem producit. Scirrhos nondum siccatos iecoris ac lienis tollit, tristitiam aufert, dentes stabilit. Ductus per circulationem ab exhibitione in quatuor horis asciticos liberat, & adeò vires addit, vt qui iacuerunt aliquot mensibus, confirmati tanquàm ius aliquod ab ephemera, aut ouum, vel etiam vinum Pramnium sumpsissent, inambulent. Est medicamentũ illud sapore & colore ad vnguem rubro vino simile. Nec quicquã creauit sub Luna adeò humano generi salutare natura, vt

helleborum. Eligitur purpureo flore, Orientale, in montibus natum, recens, sed siccum. Adnatum prope vites, ita vt radix radicem tangat, vuas efficit medicamentosas. Cumque albus homines præfocet, niger iuuet, iumenta tamen album edunt sine detrimento, à nigro abstinent, & si incautè deuorauerint eum, pereunt statim. Visui salutaris & auditui est helleborus niger. Calidus est & siccus in tertio ordine. Purgat præterea vesicam, renes, vterum, neruos, sanans podagram melius quouis medicamento, vt etiam vlcera interiora, callosa, malefica, chironia; vnde etiam Hippocrates tabificos ob id factos & phthoën curabat. Vertiginem, dolorem capitis antiquum, strumas tollit. Corporis colorem & habitum bonum efficit, necnon etiam illius, tum oris odorem commendat; lepras, elephantiasin, cancros, & carcinomata, & antiquas febres curat. Cúmque tale sit, non ipsum sumere bonum est, aut tutum, nisi cum aniso, & apio, vel cymino bene olente, nam nostrum euertit ventriculum. Quantitas granorum duodecim. Sunt qui in radicem sphondylij multis locis perforatam, drachmam mediam radicularum hellebori immittant, & post diem sphondylium exhibeant. Scribitur ab aliquibus Elleborus sine aspiratione. Et cùm simpliciter profertur, pro purgatione nigrum, pro vomitu album est intelligendum. Acris est saporis recens ac acerrimus est eligendus. Curat etiam inferiorem morbum lateralem. Durat decem annis vis eius, & est vnum è septem. Et est medicina cerebri; & ideò optimè iungitur cum castoreo & stœchade. Et est medicina morbi lateralis in costis inferioribus, si sumatur cum speciebus hieræ ab initio. Et est phthoë laborantium medicina, pòst sumendo lenticulæ ius. Et medicina confractorum ossium & luxatorum. Et sumuntur pilulæ seu catapotia Inda loco eius. Et meliora sunt quæ subiiciemus. Est etiam proprium elephantiasis, & caro etiam viperæ: & præparatio vrinæ hirci super lapides, caniculæ temporibus. Et medicamentum ex auro, argento, & chalybe vstis, expertum à nobis. Conuenit propriè lieni, & eius morbis, sed & fistulis, velut & asplenia adhibita [MS. *aspleniati bibita*,] & galiopsis, & cancri, astacique: sed hi extra in cinerem redacti; nam galiopsis species radicem habet vt cicer, quæ solo tactu sanat hæmorrhoidas. Transferuntur enim auxilia ad morbos à maiori, sacri [v. g.] ad vertiginem: vel quia idem membrum, vel materia, vel symptoma, vel sanandi difficultas, vt à carcinomate ad fistulas & chironia [vlcera.] Eius alexipharmacum, Nymphææ flos albus.

102. Helleborine.

Folio angustiore, flore albo, cæterùm forma & viribus longè inferior, strangulat etiam, neque est epipactis: nec scio cui vsui, vbi helleborum adsit, nisi quòd adeò præstans sit helleborus, vt etiam illius æmulantibus formam ac vires, velut optimi Regis seruis fauendum sit.

103. Peplium.

Hoc lacteum est, ideò acre, & calidum ac siccum valde: lac enim quodcunque etiam lactucæ, siccas partes habet & vrit. Exhibetur ad vnguem vt helleborus, eisdemque fermè viribus præditum. Estque tertius Rex medicamentorum, licèt non adeò iustus; nam violentum non solùm est, sed etiam maleficum.

104. Peplum.

Hoc earundem ad vnguem est virium, sed minùs efficax.

Caput XVI.

Quæ omnia purgant.

105. Aquæ thermarum.

HÆ expurgant multitudine sua & caliditate, vt *sect. prima problem* 42. omnes humores: primùm quidem qui in mesaræo sunt, & caua iecoris per aluum; pòst in gibba & vniuersis aliis venis, modò per aluum, modò per vrinas: salsæ enim magis per aluum. Et quanquam Galenus hoc cognouisse videatur, *quarta Aphorism. comm.* 10. vbi aquas calidas inter vniuersum corpus purgantia commemorat, non tamen sub eo sensu intelligit, sed solùm per digestionem illam, quæ fit à calore in vniuerso corpore, vt manifestum est illius dicta scrutanti, *sexto de Tuenda sanitate, cap.* 9. Igitur vsum potus earum nostra ætas inter reliqua inuenit commoda, vt totum corpus hoc auxilio expurgetur, & cum hoc etiam malæ intemperies, frigidæ, calidæ, humidæquæ præcipuè soluantur: in sicca forsan si caliditati iuncta sit, quædam etiam iuuant. Cum hoc præterea aliæ conferunt peculiariter iecori, aliæ ventriculo, inde intestinis & lieni, post renibus. Quædam etiam frangunt lapidem, aliæ vtero, demum capiti, sed minus hoc, ac quasi per accidens potæ. Cùmque omnes vt dixi, ob multitudinem ac calorem, humores omnes expurgent, non tamen æqualiter: sed quæ ex nitro primas obtinent partes; inde ex bitumine, vel ære vsto; bitumen enim nitro & sulphure constat: post salsæ, inde sulphureæ. Quædam etiam immodico calore cruda colliquando, aut biliosa irritanda purgant, tametsi natura tales minimè sint, vt quæ sulphure & calce solùm constant. Materia igitur metallica purgans, nitrum, æs, sal, sulphur, ex quibus reliqua, quæ compositione quandoque euadunt multò potentiora. Sed & ordo variatur: nam biliosa primum, à frigidis balneis, cruda à calidis; & hæc prima in omnibus fermè, inde pituitosa educuntur. Atra autem quæ purgant, vt dixi, in pretio sunt ærea, & auri aliquid admistum habentia, moderatè calida, quæ solæ longitudini vitæ, sensibus, & hilaritati

hilaritati prosunt, velut apud Viterbium in Italia, & Piperinæ in Germaniâ, & apud Curiam in Rhætia fabariæ, tales enim feruntur, vt habet *Falloppius de Thermis, c.* 8. Verùm omnes aquæ thermarum nocent vesicæ, licet omnes educant arenas, & lapidem renum, & frangant eum.

106. Cucumis anguinus.

Hic etiam vocatur asininus, & agrestis, & erraticus. Tyrannúsque est supremus medicamentorum, violentissimus, validissimus, cuius succus coactus appellatur Elaterium, nec vlla medicina minùs sentit senectutem, durat enim in centum annos. Succus eius pondere granorum duodecim, vel corticis eius duplum in decocto, cuius exhibetur dimidium vnciæ, euacuat potenter aquam hydropicorum, & pituitam, & vtramque bilem. Elaterium verò fit ex fructu eius, & dantur grana octo duntaxat, pueris quatuor: pro ratione in omnibus propè dimidium virorum ac mulierum, ita etiam in lenientibus aluum. Erant autem corpora Græcorum ob exercitationem vehementem, & ciborum paucitatem, & regionem montuosam, validiora, ideò potentioribus medicamentis indigebant. Loca etiam maritima efficiunt robustiores homines. Qui etiam habitant in paludibus, vt Ferrarienses & Rauennates, & qui edunt glandes, & castaneas, & nuces cuiuscunque generis, non solùm exigunt medicamenta validiora, sed etiam ferunt. Horum autem vtrumque semper considerare oportet, vt in omnibus auxiliis, quid exigat, & quid ferat. Qui etiam loca ista ventis exposita inhabitant, aut montes, aut multum exercentur, licèt exigant & ferant medicamenta valida, & ipsi sint robusti, tamen non est robur nisi externum aut ad speciem, non autẽ verum & in substantiâ membrorum principalium; sed in caloris copiâ, magnitudine, & tenuitate, non in temperamento & densitate solidorum. Et ideò minùs viuunt, & sæpius ægrotant quietis & habitantibus in terrâ planâ. Sed vt ad rem reuertar, calidum est elaterium in secundo, vt manifestum sit vim purgandi medicamentorum non sequi qualitates: siccum in principio quarti; est enim amarissimum; omnia autem talia siccissima sunt, adeò vt etiam teredo omnis amara sit. Et calor ex quo genita est hæc planta, putrido similis est, & ideò etiam abominabilis est amaritudo hæc. Et tota planta, scilicet radix, fructus, & caules purgant vehementer, & sunt amarissima. Ttrahit etiã non solùm epotum, sed per nares pituitam & excrementa cerebri. Ex grano vno vel duobus cum lacte aut aquâ maluæ, sanat antiquos capitis dolores, & comitialem, & obstructiones iecoris ac lienis. Et subdita radix, vel cum melle rosaceo illius decocto misto aquam hydropicorum paruâ cum molestiâ trahit. Vtendum tamen in his, tum etiam sumere oportet per os laccam, hæc enim est vtilior iecori cancamo antiquorum & mastichem, & bdellium optimum si haberi potest, & radicem sphondylij, & semen mali Medici. Vomitum acerrimum cit. Et est medicamentum hydropis & aquæ, & asthmatis, & morborum Columellæ. Et est vnum è septem principalibus. Eius alexipharmacum menthæ succus.

CAPVT XV.

Quæ tenues humores educunt.

107. Absinthium.

QVæ tenues educunt humores, non eadem sunt his quæ bilem flauam & aquam purgant solùm: sicut quæ crassos, non eadem his quæ crudos humores, & melancholiam. Cùm enim crassa sit bilis aliqua flaua & pituita, par est etiam melancholiam tenuem aliquam esse. Non enim bilis flaua, crassa admistione pituitæ fit, cùm nec omnis pituita crassa sit, sed multa tenuis etiam sit. Multus calor naturalis, cum multo frigore præter naturam, bilem crassam gignit; cum paruo autem tenuem: sicut paruus calor naturalis cum multo frigore præter naturam, crassam pituitam; & cum pauco, tenuem gignit: præsertim coadiuuante naturâ ciborum; terrei quidem exusti crassum & melancholicum humorem gignunt; crassi & lenti, vt piscium magnorum, pituitam; crassi feruidique, vt cœpæ, bulbi, bilem crassam, tenues & calidi, velut aromata, vinum, olera acuti saporis, bilem tenuem; contraria simplicia [MS. *contrà simplicia*,] pituitam, vt lactuca, cucurbita, beta. Ergo absinthium humores solùm tenues educit, qualescunque sint, & debiliter. Cæterùm iuuat iecur & uentriculum, cibi appetitum excitans, & obstructiones aperiens. Ideò non solum non lædit viscera sed aliorum medicamentorum detrimenta tollit; atque etiam hydropi, & morbo regio medetur. Peculiare illi est singultum sedare. Opportunum est febribus antiquis. Pôticum [MS. *Pontificum*] optimum & Macedonicũ, Seriphium malum, medium commune. Vitiatur æstate, & nigra animalia parit è genere paruarum muscarum, túncque statim præcidendum, vt mundum renascatur. Neque totius herbæ vsus, sed solius comæ, eiúsque admodum virentis. Radix inutilis, sed neque succus ventriculo gratus, neque decoctum: sed coma viridis iam ferenti iuri imponatur paululum, vt amarum & astringens sapiat suauiter, non vt vini qualitatem imbuat; sic enim omnia commoda affert, incommodi nihil aut mali. Ad regium morbum, & ad summam appetitus deiectionem, in vino flauo & incorrupto bibitur, & sa at mirificè. Innocens est, non solùm mite. Estur cum oleo & sale ante prandium, in cœnâ minùs vtile. Educit etiam aquam in hydrope, sed leuiter, nam prouocat vrinam: quæcunque autem vrinam prouocant, si præterea purgent, etiam aquam educere possunt. Nihil mirum est quàm multa posse humores tenues

educere, quæ non possunt crassos, tum ob substantiæ similitudinem, tum etiam quia tenuia facilius est mouere quàm crassa, quæ ponderosa existunt, & sæpe lenta. Prolicit autem & vrinam, quòd cùm aquam educere non potest, illam sequitur: hoc enim na urâ inditum est, vt in coniunctis etiam agens passum sequatur, vt Herculei lapidis frustulum aut schidia ad magnum ferri frustrum fertur ac tendit.

108. Persici flores.

Hi cum saccharo conditi non minùs purgant quàm rosæ, imò longè plus, & tenuem tantùm humorem, siquidem naturâ sunt tenuissimi. Mirum est autem, cùm nulla plantæ illius pars hoc possit. Creditur etiam podagricis plurimùm opitulari, scilicet vbi materia tenuis principaliter infestat.

109. Cynocrambe.

Mercuriali similis admodum est, eóque agrestis mercurialis vocata, notissima planta. Educit bilem, pituitam, & aquam, si iuri incoquatur & edatur, iúsque bibatur. Egregium medicamentum & mite, dolores tamen mouet.

110. Empetron.

Non huic forsan inferius Empatron, si inueniretur. Purgat enim pariter eosdem humores, ac sine noxâ, vt etiam asciticorum aquam, idque ob salsedinem. Et hoc ideò mite.

111. Sambucus, & ebulus.

Superiùs de illorum corticibus egimus, nunc de foliis & surculis qui tenues humores ducunt, primùm aquam, inde bilem, & pituitam. Ob id etiam radix vino incocta vtilis est asciticis; nam & iniucundum odorẽ quo grauis est, vinum mitigat. Liquet autem eiusdem esse speciei ob similitudinem exactam: sed herba plus purgat quàm arbor, & etiam plus nocet. Sunt igitur è genere violentorum.

112. Hippophaë.

Hæc minùs efficax est ad tenues humores educendos, & magis molesta; est enim lactariæ herbæ species. Quidam exhibent vncias duas seminis, dicúntque solam flauam bilem purgare; sed nescio quàm tutò tantum pondus.

113. Lathyris.

Earundem virium est cum tithymalis, purgant bilem, pituitam, & aquam, tenuia omnia: penè exitialis, quia nulla est herba lactis feracior, nec vlla copiosior in hortis, adeò vt illud dicere possimus Virgilianum. *Et fallax herba veneni.* Vnde manifestum est, quanto in periculo versetur vita nostra: plerisque enim deuorata pauca folia huius herbæ, mortem aut noxam insanabilem iecori cum malo habitu perpetuo inferunt. Sed Deus huic periculo succurrit, nam coctione venena mitigantur si cum mitioribus iungantur: at efficiuntur diriora, si separentur, aut deterioribus iuncta fuerint. Sunt & quædam familiaria & nobis in vsu, quæ non permittunt sæuire venenum, velut ruta & allium, præterea iura omnia carnium, & præcipuè pullorum, & oleum, & buty um etiam magis, & sal, & ficus siccæ, & nuces hebetant omnia venena; præterea etiam si nulla suspicio fraudis sit, propter casus ipsos non absurdum fuerit aliquid horum sumere, & non parum; aut de pluribus, licèt non multum. Eadem prosunt in crudis, sed cruda vt sunt sæuiora, ita produnt se acri & abominando sapore etiamsi herbam non agnoscas. Propterea & lactarias omnes herbas agnoscere, & napellum, & aconitum, è re fuerit, & dendroidem, sed in illâ periculum abest ob asperitatem mandendi, est enim durior, & etiam cùm senseris sapores huiusmodi, aut prauos odores, reiicere non indecorum est. Sed & caue quæ sponte talia sunt, vt fungos, anguillas, ranas, præterea piper & gingiber, ne ea sub specie, aut potiùs spe fallaris. Alexipharmacum eius, hypericonis semen

114. Ricinus.

Planta hæc heliotropium vocatur: arborescit, cùm sit herba non è lacticiniorum genere, sed molestè purgat tamen semen eius, à similitudine formæ & coloris dictum cum canino pediculo. Calidum est & siceum in tertio. Dantur grana septem. Oleum itidem potest. Ducit enim bilem, & aquam sed pituitam. Lædit membra naturalia, ideò similibus iungendum, sphondylio & semini citri; & hæc sufficiunt ad coërcendam offensam, sed ne immodicè purget, mastiche, tragacanthum, santala, caryophylli, & succus cotoneorum prohibent, sicut & cinnamomum nostrum, & præter reliqua Theriaca in omnibus vsui est, si bona sit. Et oleum eius & lilij; cum decocto cassiæ nigræ & iridis, conferunt proprietate suâ scirrhis ventriculi, & vteri præfocationi, & declinationi, & ideò est medicina illius, & confirmat fœtum in consuetis abortire ob superfluum humidum. Et est vtile valde in dolore vesicæ à flatu, & coli à causâ frigidâ.

115. Pityusa, seu Turpetum.

Est quod officinis in vsu est, nec tamen valde molestum est. Radix eius purgat bilem, & pituitam, & aquam non corruptam. Ideò vtile valde his quibus saliua abundat. Cùm ergo lac ferat, & non sit odorata, molesta est: ideò vtimur pastillis confectis ex ea, mannâ & violis; earum enim tempore conficiuntur. Dantur drachmæ duæ huius compositionis, vel etiam decoquitur eodem pondere radix, seminis dimidiũ, ucci

quarta

quarta pars; addi tamen debent quæ roborant iecur, vt absinthium, lacca, caryophylli. Turpetum cum scammonio & gingibere, & castoreo educit pituitam lentam è cerebro. Et ex illo fiunt catapotia stomachica Alchindi, quæ etiam conferunt singultui propriè, & obstructionibus iecoris. Et est medicamentum morborum ventriculi, cùm necesse est expellere, quod etiam in fluit in illum, & citò. Et lac eius cum sacharo est proprium ad purgandum asciticos, quia absque detrimento fermè & potenter conuenit febribus antiquis, & epialæ, & lipyriæ, propriè cum myrobalanis, centaurio, absinthio, & rosis, in fine tamen. In tertianà autem, nothâ, etiam in principio. Et coli doloribus ex pituitâ crassâ, in fine, sed debet vis eius augeri, & etiam si sit à fecibus. Ideò præcipuè in Diaphnico [ponitur.] Eius alexipharmacum, hypericonis semen,

116. Chamelæa.

Semen huius vocatur Gnidium, quod purgat vt etiam oleum: eius folia cum absinthio & melle conformata in catapotia, & integra deuorata purgant pituitam & bilem folium est amarum & acre. Est è lacticiniorum genere, potiúsque molesta quàm violenta. Corrigi debet vt reliqua eiusmodi. Vocatur mezéreon minus à Mesuë. Eius alexipharmacum amygdalæ amaræ, vel quod est thymelææ,

117. Thymelæa.

Mezéreon maius, planta mortis, Princeps latronum. Maxima planta lacticinorum, & sæuissima, adeò vt ad naturam veneni apertè accedat. Præter enim id quòd ventriculo & iecori sit inimicissima, fauces incendit & exulcerat, vrit, inflammat, abscessûs vndique, etiam intus excitat, colliquátque naturalia membra, adipem, & carnes. Propriè tamen hydropis aquam educit. Ideò & cocta & præparata exhiberi debet. Deterior est aspera, parua, spissis foliis, ac præsertim crispis aut nigris, & quæ aridis locis; & solitaria nata est, vel serpentum loco, aut proxima thermis: quòd si etiam aliæ herbæ adsint, maleficæ tamen, & non sui generis, pro veneno habenda est. Singulorum autem causas referre, non abs re fuerit. Paruitas & asperitas foliorum, & crispitudo, à siccitate proueniunt; ipsa autem iam per se sicca immodicè est. ad quartum ordinem accedit: sicut nigrities fit ex adustione, cùm sit ignea iam totâ naturâ suâ. Spissa folia fiunt humore terræ facultatem plantæ superante. Cùm verò maleficæ hæ plantæ, consensu quodam communi inimicitiæ cum humano genere, copulentur serpentibus atque fœdis animalibus; si eadem ibi inueniantur, non solùm terram prauam, aquas, & aërem corrupta esse docent, sed ex eorum familiaritate prorsus euadunt mortiferæ. Atque eò magis si sola planta, eò enim accurrunt omnes: ex quo vix fieri potest, quin magno ac lethali veneno præditæ non sint. Facit & solitudo illa, vt neque vi soli neque semine nata videatur, sed putredine, aut animalis veruleti colluuie: omnia enim in omnibus cùm aliquid agant, quid sperari aliud potest, quàm vt ex fœdorum reptilium humore, perniciosæ plantæ generentur: ac vicissim ex plantarum consuetudine in humore, aëre, atque terrâ similes pestes; Quod ad thermas attinet, corruptum exustione solum, omnia deteriora reddit, & per se noxiam iam [plantam] naturâ suâ, exacuit. Quod verò dicit Dioscorides, *viginti grana purgant pituitam, & bilem, & aquos humores* Et rursus: *Folia messis tempore quæ cnéorum appellantur, collecta, & in vmbrâ siccata tusáque, si excipiantur nerui, epota acetabuli pondere cum vino diluto, humores aqueos purgant: idémque faciunt mediocriter, cum aliis oleribus lentibúsque cocta & comesta.* Hoc vno palàm est, tenues humores semper excerni, meritoque aquam hydropicorum. Verùm expositores circa quædam minoris momenti plus quàm diligentes, hæc prætermittunt tanquam nullius ponderis. Vt verò pro regulâ sit, semina violentiora videntur, quoniam nullâ arte præparata; folia mitiora cruda sumpta, sed tamen debilitata, dum exiccarentur in vmbrâ; calidior enim atque acrior pars resoluitur: at cocta & coniuncta lentibus, in quibus est facultas refrigerans & astringens, solùm aluum mouent. Dixi autem quòd hoc opus simile est lenitioni, plurimùm tamen ab eo differt. Eius alexipharmacum, origanum assatum, quod differt è tosto in hoc, quoniam non vritur.

118. Tithymali.

Reliqua genera omnia quiddam habent, quiddam non: nam omnia lac habent; licet non omnia quæ lac habent, sint è tithymalorum genere, vt chamelæa, thymelæa, pityusa, lathyris, ficus lac, & lactucæ, vt suprà visum est. [Dicitur tithymalus] à τιθὴ nutrix, & μαλὸς exitiosus; capitur enim nutrix pro eâ quæ lactat, nam lac, vt dixi, ferunt omnes. Etiam inest [MS. *est*] omnibus, vt quatuor habeant partes; lac violentissimum, inimicum cordi [MS. *in cordi*,] iecori, ventrieulo, gutturi, gulæ, intestinis. Folia cruda vi & prauitate illi proxima sunt minùs malá si cocta, vel diu salita, postquàm experimur sal etiam à fungis vim veneni detrahere, adeo vt ex salitorum fungorum esu nullus periisse inueniatur, quanquam à recentibus tot præfocati sint. Semen autem innocentius, quoniam non habet humidum vitiosum, sed loco eius oleum, maximè siccatum. Trahunt ergo hæc aquam, bilem, inde pituitam tenuem, maximè lac: quomodo enim crassam, cùm lac tenue sit, leuéque quod ex plantis excipitur; quapropter granorum numero pondus metimur, vt tria, quatuor, octo dentur. Alexipharmacum idem quod platyphylli.

CAPVT.

Capvt. XVI.

Crassos humores purgantia ex ventriculo, & venis ac etiam articulis.

119. Ius galli antiqui.

ELigitur gallus, sex annorum aut saltem quinque, & vt antiquior, salacior, magis rubet, & cristatus, magnus, & audax, eò melior. Deplumatur, virgis cæditur paruis liber, inde captus statim capite præciso exenteratur, & amputatis cruribus, additâ salis vnciâ excoquitur alacri igne in libris 20. aquæ, donec dissolutus fuerit. Dantur ex eo à librâ vnâ ad duas. Calidum sorbetur. Educit pituitam crassam, crudum humorem, atque melancholiam, nam hi cum crassâ etiam bile, nomine crassorum comprehenduntur, omnésque frigidi, sed vltimus siccior. Paucis cum torminibus ducit, nam necesse est quæ purgant crassa, & tormina mouere, magis tamen si lenta fuerint. Forsan obiiciet aliquis non videri [esse vlla] quæ purgant crassa, & non tenuia; nam cùm validiora sint, etiam tenuia eiusdem generis expurgare debere. At non ita est, quoniam quæ huiusmodi purgant humores, aut terrea sunt, velut stibium; aut lenta, vt resinæ, & palma Christi quæ bulbosa est; aut quoniam attenuant & incidunt, vt scilla: hæc igitur tenuia non educunt, cùm nec similia substantiâ sint, nec attenuata nimis, aut dissecta in minimas partes exprimi possint, vt Galenus dicebat de pituitâ excreandâ. Omnia præterea quæ ducunt humores tenues, iuncta alumini educunt crassos eiusdem generis, vt author est Princeps, in *curâ morbi regij*.

120. Lapis Iudaicus.

Hunc maximè fœminam frangere lapidem vesicæ referunt. Huiusmodi autem omnia longè magis etiam lapidem renum atterere possunt. Hunc tamen contigit crassa etiam omnia per aluum ducere, generali Aristotelis ratione, quòd acris est, & subigi non potest. Acria enim omnia, quæ vincuntur, excalefaciunt valde; terrea qualitatis alienæ expertia astringunt; terrea acria, si valde sint acria, omnia ex professo venena sunt: neque enim subigi possunt, & euincunt hominis naturam; moderatè autem acria seu amara laxant ventrem, & humores crassos ducunt. In quo genere est qui vocatur lapis Herculeus Magnus eligi debet: qui valenter trahit ferrum Grana duodecim ex illo exquisitissimè tria, educunt eiusmodi humores crassos, & ex locis dictis, vt fit è genere robustorum. Quæcunque autem robusta sunt in hoc genere, etiam valida sunt, & quæ crassos humores trahunt, molesta sunt, si non colliquent: neque enim fieri potest vt crassa, dum crassa sunt, sine violentiâ educantur. Quæ autem colliquant, extremæ caliditatis sint oportet, nec crassorum tamen secundum genus colliquare queunt. Optima sunt tertij generis medicamenta quæ nec colliquant, nec nimis excalefaciunt, nec per se crassum humoré educunt, hoc enim, vt dixi, non absque violentiâ fieri potest, sed quæ incidunt ac dissecant priùs, inde expurgant. Quæ ergo terrea sunt, trifariam violentissima sunt, & quòd trahunt nec dissecant; & quòd nullum bonum odorem habent, & quòd in antipathiâ consistunt.

121. Stibium.

Hoc etiam solet vocari Antimonium præparatum, vt in *quarto de secretis*. Euacuat humores omnes crassos adeò potenter, vt statim aliquos à diuturnâ spirandi difficultate liberauerit; alios etiam à peste Summum præsidium in lue Indicâ. Quantitas à granorum trium pondere ad octo: datur cum sacchari rosacei drachmis duabus aut tribus. Quia verò nec secundi, nec tertij generis medicamentorum crassa educentium est, de quibus modò dixi, ob id violentissimum est, tum verò magis quòd tenuium humorum valde parum educat. Quæcunque enim in hoc genere collocantur, tenues humores propriè non educunt. Nam si propriè etiam educerent tenus humores, & multò plures ex his, qui faciliùs mouentur, & quorum fermè semper maior est copia quàm aliorum, educerent, at in tam violentâ eductione fieri non potest, vt reliqui omnino quiescant. Quæ verò colliquando educunt medicamenta, plurimum ex tenuibus humoribus educunt familiaritate naturæ; nam neque crassos, nisi postquàm tenues facti sunt, purgant; ergo etiã tenuium magnam quantitatem, & ideò etiam hydropicis vtilia sunt: nam dicti humores colliquati, in materiam similem aquæ illorum, id est, putridam & acrem vertuntur. Et rursus quæ nec colliquant, nec incidunt multum ex his, sed non adeò euacuant; minimè quæ incidunt tenuium humorum educunt.

122. Scilla.

In huius historiæ enarratione, non leues emergunt dubitationes: nam cùm primò dixisset Dioscorides, *cochlearis pondere cum octuplo salis, scillam mouere corpus*: paulo pòst subiicit, euò *cocta cum melle glutinosos euacuat humores*. Vt hoc videatur intelligendum de crudà coctâ cum melle; illud de assatâ. Sed rursus quæritur, an solùm tenaces humores euacuet? quinimò cum Mesuë dicemus etiam crassos & melancholicos: experimento enim docemur, vix esse melancholico humori naturali quicquam vtilius. Propterea rectè idem author, scillam nõ solùm euacuare humores crassos dixit, sed etiam ad euacuationem præparare. Quædam ergo sunt medicamenta, quæ licèt parum euacuent, multum tamen faciunt ad præparationem, & vbi

iungantur

iungantur euacuantibus, plurimùm euacuant; alia, vt etiam dixi, iuncta lenientibus validis strenuè purgant. Quid est ergo vt medicamentum etiamsi non purget, simile tamen substantia sit purgando humori, quin iunctum alteri purgare potenti, aut valenter lenire, non purget eundem humorem valentet? Seu enim substantiæ similitudo cum humore, & caliditas coniuncta, causæ sint purgationis: cùm Galenus substantiæ similitudinem inter medicamenta & membra palam admittat, vt de iecore lupi, & cochleis cum nostro iecore scriptum reliquit; palam est, seu virtus illa cœlestis, aut aliud in causa sit, multo frequentius eandem inueniri posse inter medicamenta & humores, nec tamen mouere, quòd non calida sint; eadem iuncta mouentibus aut calidis medicamentis mouere. Nec solùm hanc similitudinem substantiæ inueniri in temperie, coloribus, atque huiusmodi, sed in lentore, crassitie, odore, atque aliis: nam vt superiora repetam; opopanax, serapinum, sarcocolla, omnia lenta sunt & glutinosa, eadémque soluunt lentos & glutinosos humores: magnes, stibium, tum magis terreus lapis stellatus, ideò minùs purgant lentos humores, longè verò magis terreos. Quæ malè olent, corruptos, & pus, & saniem, vt etiam dixi de stercoribus auium. Quæ igitur præparant, non tamen mouent per se humores, nec purgant; aut similia sunt substantia ipsa, verùm calore destituta; vel calida valde, & quæ colliquant, non tamen educere possunt, quoniam per vrinas trahunt, aut sudores moliuntur; vel quoniam irritant humorem, sed inualida per se ducere non possunt, vt capillus Veneris ad educendam bilem. Iuuat in vteri præfocatione, & ad renum lapidem.

123. Visci lignum.

Huius plantæ, quanquam antiquis omnibus hoc purgandi nomine ignotæ, drachma media ligni purgat efficaciter humores quoscunque crassos, iuuatque præclarè comitiali morbo laborantes. Verùm molestum est medicamentum, nam quod est vltimum, est etiam molestissimum. *Vide* 7. *Hippocrat. de aër. aq. & loc. comm.* 10. *de vstione inij.* Eius fructus grana triginta subducunt satis potenter pituitam etiam crassam. Eius alexipharmacum ruta: propterea cum illa debet exhiberi.

124. Polypodium.

Dictum quòd radix multos videatur habere pedes: & ipsa lentos crassósque humores educit, melancholiam & pituitam crudam, mistumque illud, exustam tamen bilem non educit. Violentum nec calidum [forte *validum*] medicamentum, quoniam, vt dixi, magis præparat quàm educat. Optimum est quod innascitur plantis glandiferis, radice magna, nodosa, solida, exteriùs ex nigro rubescens, intus pistachij similitudine virescens, sapore dulci, austero, subamaro, aromatico aliquantulum: verùm vel sic, cùm ab articulis etiam trahat, ventriculo inimicum est, ob causam quam suprà diximus: neque latitat in eo terrum [forte legendum: *namque latitat in eo terreum*] illud, quo hæc omnia potest. Calidum etiam est vehementer, scilicet in tertio gradu, siccum in secundo. Nihilominùs drachma viridis radicis ex acetario, purgat non minùs quàm vncia Casiæ fistulæ.

125. Palma Christi.

Similis est Ephemero, radice bulbosa, in modum digitorum manus quadrifida, aut quinque in digitos diuisa, vnde etiam Hermodactylus dictus: cuius duæ sunt species; maior folio lactucæ, læui, flore purpureo ac candido, in speciem quasi iridis, & odorato, caule etiam læui ac rotundo. Minori, croci folium, caulis penè similis, flos olens moschum & ambram, ideóque iucundissimi odoris ac suauissimi, purpureus ac violaceus, sed vt amaranthi in conum quasi desinens, leuis. Vomitu educit melancholiam, & crudos humores, vnde quartanam curat, vt testatur Nicolus: per aluum etiam purgat crassos omnes humores, atque ab articulis præcipuè. Quantitas drachmæ vnius, & cum aromatibus. Seminis etiam maioris grana singula, trita cum vino, per nouem dies sumpta, comitiales liberare creduntur: quod ratione non vacat, siquidem vtrumque humorem purgare eum compertum sit, ex quo talis morbus generari solet. Exhibetur in ipsius accessionis initio, sicque sanauit Biliotum in L I I. circuitibus: alij tum mittunt sanguinem ex saluatella sinistræ manus, re potens auxilium.

Caput XVII.

Quæ sanguinem purgant.

126. Lactis aqua, & asininum lac.

Sanguinem purgare dicuntur, quædam propriè, quædam vtilissimè. Vtilissimè quidem quæ humores qui in venis sunt, aut potestate solùm sed exuberantes, vt [MS. *aut*] nimia bilis; aut actu sed imperfecto, ac quasi medij; aut etiam corrupti, vel semicorrupti, purgant: cuiusmodi est hoc quod proponitur, & fumaria. Actuarius addit mercurialem, & alia, sed illa non aluum ducunt, verùm per vrinas id agunt, vel alia via, velut borago modicè per aluum, vt dictum est; quinimò leniendo, lupulus, melissa, radix violæ albæ, absinthij succus; verè autem quotquot à regio morbo pallido, seu nigro, aut alba pituita hominem liberant. At propriè quæ sanguinem ipsum per aluum ducunt, & bonum, atque hæc venena sunt, non ideò quòd sanguinem trahant, sed ob id trahunt, quia venena sunt huius generis velut herba illa, cuius meminit Galenus in *lib. de medicamẽtis purgantibus*, & est thymelæa, quanquam thymelæam Galenus nouerit,

nouerit, sed non hoc, quòd hoc posset, intellexit. Quædam neque propriè, neque vtilissimè, sed vel erodendo intestina, velut radix capparis, & aqua marina; vel cùm educunt alios humores, aperiendo oscula venarum, vt centaurium minus, & hiera inter composita. Quædam violenta attractione, vt communis anguinus: quod maximè contingit in superpurgationibus, vt Hippocrates docuit in *libro de humana natura*.

Ergo redeundo ad lactis aquam, illa purgat sanguinem à flaua bile, & exusta, & aqua nihilominus melancholiam neque naturalem, neque exustam non educit. Sumitur à libris septem, vel etiam plus, sed non vno haustu, verùm exiguis interuallis, nec tamen intermedio tempore dormire, aut ambulare licet; plurimi enim hoc negligentes, læsi sunt. Oportet autem & hanc, & lac asininum, & aquas thermarum, quorum copia immodica sumitur, calida sumere; & saccharum etiam huiusmodi medicamentis additum, vtile est, sed aquæ lactis & lacti ipsi quasi necessarium. Optima è caprillo, inde vaccino lacte educitur: & ob id sanguinem purgare eam aiunt, quòd illius duo propria & naturalia excrementa, & naturæ inimica (*ex 2. de facult. natur.*) educit, scilicet bilem flauam & nigram, in quæ etiam cùm sanguis ipse corrumpitur transit, vt *secundo different. febrium, c. 9.* Sed vt iuxta rationem [habeas] modi coagulandi lac [opus est.] Sola enim lactis aqua pura est, quæ calefacto eo in vase plumbi albi, inde vbi incaluerit, statim immisso in vas aquæ frigidæ, concreto lacte ab eo separatur: nam lac vnum est ex his quatuor, quæ ex animalibus calore concrescunt: reliqua enim tria sunt, oua, cerebrum, & iecur: vnde quantò diutius coquuntur hæc, eò fiunt duriora. Quæ verò educitur ex lacte concreto è cnici semine, purgat magis pituitam. Quæ ex coagulo, aquam: & ea magis quæ ex lacte ficus. Quæ ex flore cardui, bilem exustam. Atque ita iuxta rationem eorum, à quibus vt dixi, lac concretum est. Sed vt ad ea, quæ propriè educuntur, reuertar: fiunt etiam hæ fuligines post sanguinis generationem, velut situs quidam in superficie tabularum, vnde diligentes patresfamilias iubent singulo mense detergi. Hoc idem ergo ex naturæ cursu fit in sanguine, sed maximè in ætate senili, temperaturis calidis & siccis, habitibus densioribus, vigiliis, tristitia, curis, timore, ira, odio, liuore, cibis acrioribus vel amaris, aut odoratis, potu vini potentis, laboribus, Venere immodica. Cùm ergo aqua lactis & fumaria in hoc conueniant, quòd vtraque purget sanguinem ab istis excrementis acribus, & sint ambo benigna, rectè fecerit quisque hæc duo coniunxerit: sed & lupulus eiusdem classis est [MS. *sunt*:] melissa autem, & etiam saluia purgant sanguinem, sed per vrinas, vt non sint nunc huius argumenti. Omnia prætereà buglossi genera, sunt autem præcipuè tria quæ conueniunt viribus, auxiliantur enim cordi, & sanguinem purgant flore cœruleo, folio molli substantia, lanugine aculeata circumdato, sapore, odore, præterea semine atque radice. Sed quæ borago vocatur, humidior est, minùs concocta: vix enim folium inuenias non exesum; putant à vermiculis ob superfluum humidum terebrari, vt & gingiber, & pleraque talia, hanc latifolium buglossum ob latitudinem foliorum appellare licebit: sicut contraria ratione agrestis, valde longius & angustius folium habet, tum durius, crassius, siccius: hortense autem horum medium est. Referunt etiam sericum sanguinem purgare, sed quomodo non dicunt. Est & modus alius sanguinem purgandi vtiliter, sed non eadem ratione, vt cùm per sanguinem ab hæmorrhoidibus eductum: & cùm à medicamento expurgante alios humores non mistos sanguini, etiam sanguis expurgatur, vt cum helleboro. Tertius est eorum, quæ vnũ educunt humorem, sed violenter, vt cum scammonio. Quartus est eorum quæ nihil expurgant, sed solùm separant partes corruptas ab incorruptis, velut apium & melissa. Quintus est eorum quæ purum sanguinem progignunt, vnde per mistionem redditur purior, velut ex vsu ouorum recentium & pullorum columborum. Sextus eorum quæ fermentant sãguinem, & partem corruptam propellunt extrà ad cutem, velut caro viperæ. Septimus eorum quæ à sanguine educunt qualicunque modo, velut rosæ, proprie enim à venis educunt humorem. Et scias quòd purgatio sanguinis est finis Medici, & dimidium fermè reditus ætatum; quoniam sanguis purior restituit habitum bonum corporis, colorem viuidum, capillos iuueniles, sensus tam externos quàm internos validos, acutos, & sinceros, Veneris robur & appetentiam, vt etiam ciborum: dentes confirmat, lætitiam & prudentiam parit. Præthereà aqua lactis, vt ad rem redeã, aperit obstructiones, detergit vlcera. Conuenit propriè lapidi renum, & vrinæ vrigini, & quartanæ, sed cum epithymo, & polypodio, ac similibus. Est purgans hecticorum, si relinquatur in ea aliquid partis casearíæ. Chalybeata est medicamentum dysenteriæ, & diarrhϾ, & etiam intestinorum vlcerum. Illa autem quæ pura est frigida & humida in initio secundi ordinis. Detracta autem vi coaguli, habet partes calidas & siccas, valde efficaces propter substantiam terream. Olim etiam lacte asinino purgabant ad heminas nouem per duos dies biliosa, vt habetur *septimo Epid.* Et confert hecticis maximè, atque vlceribus renum, & mictui sanguinis, præcipè cum glycyrrhiza, quia detergit, concoquit, siccat, glutinat. Ex 18. 3. *tract. 2. cap. 12.*

Capvt XVIII.

127. De superpurgatione.

HÆc fit tribus modis: vel natura, & quantitate, & mala præparatione medicamenti, aut qualitate, vt cucumer anguinus, helleborus, peplium, colocynthis, scammonium, & thymelæa, tithymalus cyparissias, centaurium minus: qualitate, vt thymelæa nigra.

nigra. Adiuuant etiam quædam, vt fel tauri, pyrethrum, iberis[MS. *iberida*] vtraque, nasturtij semen. Vel ratione patientis, cuius humores sunt fluxiles & calidi, & ora venarum lata, & vires imbecillæ. Vel ratione casus, vt constitutionis aëris, motus, somni post assumptum medicamentum. At siquis[MS. *vt si*] obiiciat ex hoc, quòd purgatio fit à medicamento; nam si à membris, medicamenta magis operarentur in corporibus validis quàm imbecillibus, cuius oppositum præcipiunt omnes Medici, & experientia ipsa docet. Dico quòd validus ventriculus parum immutatur à mediocri medicamento; imbecillis, multùm: & quia operatio fit à robore in qualitate potiùs quàm simpliciter; ideò ventriculus imbecillis magis purgat quàm validus, à mediocri medicamento. Velut truncus arboris est validior palea, tamen si candela vtrique applicetur, magis calefaciet palea quàm truncus: & hoc est, quia magis recipit impressionem. Est autem triplex superpurgatio: vna cùm medicamentum trahit plusquàm expedit de humore, quem trahere volumus; hanc non solemus multùm formidare. Secunda, cùm trahit alium humorem post necessarium, vt bilem post pituitam, aut contra; hoc est valde malum. Tertia, cùm trahit post omnes humores sanguinem; & est pessimum: primùm quia aperit, imò lacerat oscula venarum ventriculi; & ideò sentiunt vriginem magnam in ventriculo, & est valde malum, & perducit ad abscessus eiusdem, ad syncopen, & ad conuulsionem: vel iecoris; & profluit multus sanguis, & perueniunt ad mortem repentinam, aut malum habitum, & hoc est rarius Secundò quia educunt humorem potestate non actu, & ideò corrumpunt sanguinem, & calefaciunt immodicè. Tertiò quia debilitant vires, & corrumpunt spiritus, & conuellunt cor: & post proprium humorem, non succedit ille qui est tenuior, vt quidam putant: sed ille qui est actu humor in loculis, aut in venis; aut natura propinquior, vt fiat ex humore in potentia, humor in actu. Et si purgatio, quantum fieri potest, est vitanda: quantò magis superpurgatio. Solùm in materia turgente, melius est declinare ad superpurgationem non exactam. Et multi correpti à maximis morbis, ex superpurgatione euaserunt incolumes, & breui, etiam tempore pestis. Sed in materia quæ per coctionem facta est ad purgationem idonea, nunquam debemus peruenire ad periculum superpurgationis, tum quia non tantum imminet periculum à reliquiis materiæ, tum quia vires sunt imbecilliores.

Capvt XIX.

De purgantibus incertos humores.

128. Adiantum.

DVobus modis dicimus medicamentum purgare incertum humorem: vel quia purgat semper vnum & eundem humorem, sed nos nescimus qualem, quia illud ab Authoribus non est explicatum. Secundus autem, quia modò vnum, modò alium purgat humorem, vel ob diuersitatem specierum medicamenti, vt in hyperico; vel ob id quòd eadem licèt sit species, tamen purgat diuersos humores, quia purgat eum qui illi est obuiam; aut qui magis abundat; aut quoniam facilius trahi potest, vel quia tenuis, vel quia propinquus, vel quia viæ sunt latiores. Vel dicitur incertum purgare humorem, quia omnes purgat simul, & non potest discerni, quem magis: vbi enim mistos purgauerit, non potest cognosci, quem magis purget. Hoc autem præcipuè cùm medicamentum purgat vnum humorem magis alio, ratione generis; & ratione substantiæ, aliter. Veluti si medicamentum magis purget pituitam quàm bilem, & tenuia magis quàm crassa; tunc cùm erit bilis tenuis, & pituita crassa, purgabit magis bilem quàm pituitam: & cùm erit contrario modo, purgabit magis pituitam quàm bilẽ, & ideò reddetur incertum, quem humorem magis euacuet.

Adiantum ergo, quem etiam vocant Capillum Veneris, parum admodum purgat, nec nisi viride, & pondere drachmarum trium saltem: ideò incertum est ferme, quem purget humorem. Et cùm aperiat obstructiones, & plurimùm prosit iecori, & pectori, ac renibus, & sit medicina benigna, ideò debet sumi cum aquâ lactis. Oportet autem vt sit collectum loco penitus vmbroso & aquoso. *Brasauolus* negat prorsus purgare: sed sunt quædam quæ habent virtutem purgandi, tamen non possunt purgare; verùm sociata aliis, excitatur eorum vis, & purgant: cuius indicio est, quòd coniuncta his quæ solùm leniunt, velut lacti, aut oleo, educunt tamen certum humorem, sicut adiantum, quod bilem educit, cùm lac id facere non soleat. Alleuiat partum. Aqua eius gustui iucunda est.

129. Hypericum.

Non ob id hîc reponitur, quòd tres humores euacuet, sed quoniam incerti sit generis; inquit enim Dioscorides: *bilem euacuat, & ob id vtile ischiadicis.* Potiùs ergo dicẽdum esset, pituitam euacuat, ideò ischiadicis vtile est. Mirum est autem de stupore scribentium: nam Serapio cæterique hoc dissimulant, tacitè prætereuntes. Sententia ergo eius, maximè de ascyro & androsæmo[est intelligenda;] quorum semen ex drachmis duabus sæpius epotum, cum mulsæ vnciis viginti, seu etiam libris duabus, vtrumque facit, & purgat bilem scilicet crassam & lentam, quæ non est, vt quidam putant, bilis mista pituitæ, sed medium quid, quod sapit exustionem, coloratiorque est flaua bile, & ab eo nomen sumpsit: ideóque curat ischiadicos: quia vnumquodque medicamentum propriè & necessariò purgat illum humorem, qui etiam propriè & verè est materia illius morbi: quoniã non sufficit in huiusmodi affectibus, quod sit bilis & pituita, sed hic certus humor, vtpote ad ischiadicam, vel ad quartanam, aut ad carcinoma: cùm ergo hæ

hæ species purgent illum humorem, meritò propriè curant illum morbum. Aperit etiam obstructiones, prouocatque vrinas & menses; est enim tenuium partium. Quidam putant solùm bilem flauam hoc medicamento euacuari posse, forsan crassam tantùm ac melancholiam. Expertus sum ego, quòd ex drachmis duabus purgat humores potiùs tenues quàm crassos, & ideò ichores, & bilem, & pituitam.

130. Spina ceruina.

Succus fructûs eius, potenter etiam absque alio, aquam hydropicorum educit, & podagræ humores: incertum tamen quos propriè educat ac præcipuè humores. Cum aromatibus debet iungi. Arbutus est foliis penè pyri, flore candido odorato, in vmbellis exiguo, baccis ligustro similibus, ex quo pictores conficere solent viridem colorem, spinosa planta & exilis, pituitam & melancholiam purgare credita, sed vt dixi, & alia.

CAPVT XX. ac postremum.

§. I.

Cùm medicamentum non opportune purgat.

CVm verò medicamẽtum vexat ægrum, vel non purgando, aut nimis purgando, vel nauseam, vel vomitum excitando, aut tormina, vel dolores ventriculi, aut anxietatem, vel grauem spirationem, vel febrem, aut sitim superfluam, aut syncopen, quod omnium deterrimum est: tunc si non purgat, solent consequi omnia, præter sitim & syncopen: & loco eius vertigo, dolor capitis, & singultus, & æstus. Et cura est á clysteribus, & glandibus, & astringentibus, etsi non euomat, & sumat theriacam: & si incaluit multum, aut conturbationem magnam passus est, sanguis mittatur. Sin autem nimis excernat, solent sequi excoriatio, tormina, sitis superflua & quandoque syncope. Cura est vomitus, ius pingue, seminis nasturtij torrefacti. ℥. iij. incoquantur aquæ lactis acetosæ, theriaca, balneum, modicum panis in vino austero & aquâ rosaceâ, vincula extremitatum. Sed si moderata sit euacuatio, & æger tamen dolet, anxius est, & linquitur [animo:] tunc vel est proprietas hominis, vel medicamentum exhibitum est horâ febris, vel ipsum, aut humor venenosâ qualitate participant. Si sit ptopter febrem, cura est syrupus de cotoneis, cum smaragdo margaritis, corallio, caphurâ, santalis, rosis, succino, serico, cocco, & sphragide, coriandro, pomorum succo, moscho, & croco, cornu monocerotis, aut loco eius, eboris tenuissimâ scobe; & syrupus de pomis, & rosarum. Si verò sit ob alias [causas,] medicamentum eiusmodi temperetur, & exhibeatur cum iure ciconiæ, aut gruis, vel anatis decoctis cum ozimo odorato viridi, carne, & citro diuiso in frusta, & coriandro præparato, & buglosso multo atque boragine: & grana xv. sem. Mandragoræ, plurimùm prosunt cordi excalefacto, & præcipuè si adsint vigiliæ, cum reliquis exhibita.

§. II.

De conseruatione medicamentorum.

Et si contingat medicamentum non posse haberi ad manûs, vt in hyeme radices & herbæ, & caro viperæ, debent seruari in pastillis. Et forma eorum est ex sale & pane: & his quæ non corrumpuntur per se, & siccant humidum, & non sunt prædita qualitate aliâ manifestâ; istiusmodi enim est sal, medulla panis maximè siccati in furno, nam etiam non siccatus per multos annos durat, mel coctum, mastiche. Alia adduntur præparandi causâ, velut gingiber, & huiumodi.

§. III.

Epilogus.

Ex huius autem morbi curatione, quisque intelliget, quod antea diximus ex Hippocrate in *primo Prognosticorum*, *in initio*, scilicet morbos omnes esse sanabiles; omnes autem qui moriuntur, culpâ Medicorum, aut ægrorum mori. Nam siquis respiciat, quantum discriminis sit in hoc morbo, in podagrâ, quòd quis ab initio rectè curet aut negligat; intelliget nullum esse morbum tam leuem, qui non curatus bene, statim in mortiferos verti non possit: contrà nullum tam maleficum, qui rectè ab initio si curetur, mediocris euadat ac facilis: sed oportet grauissimis & supra fidem insistere auxiliis, vt in exemplo Podagræ.

§. IV.

Pilulæ seu catapotia vitæ.

Nulla sunt medicamenta, ad omnia quæ dicentur, ipsâ victûs temperantiâ meliora: nihilominùs siquis illam seruare non possit, aut omnino mollior sit, aut iam non sufficiat se seruare ob aëris grauitatem, vel congestam iam materiam, aut pugnantes inuicem tum intemperies, tum imbecillitates diuersorum membrorum; huiusmodi catapotiis vtatur, quæ iuuenibus, & magis etiam senibus, & sanis [conueniunt,] & liberant ab omnibus morbis, qui non sint in compositione, præterquàm ab hecticâ, acuunt omnes sensûs tam interiores quàm exteriores, lætitiam gignunt, somnos lætos conciliant, reiuuenescere faciunt, apetitum cibi excitant, coctionem adiuuant, & conferunt omnibus membris principalibus, canos retardant, sanguinem & totum corpus purgant, & constant numero perfecto. ℞. Succi

absinthij

absinthij Macedonici purgati & condensati.℥x. Radicis hellebori nigri, florem purpureum ferentis, orti in monte respiciente Orientem, recentis. ℥. ſ. Salis Indi.℥j. croci Orientalis.℈.ij. Gingiberis conditi in Oriente.ʒ.ij. Terantur omnia præter crocum: inde miſceantur cum melle violaceo, & ponantur in Sole ardenti per quindecim dies, quotidie miſcendo, donec exiccetur bene; pòſt teratur optimè, & cum croco, & melle violaceo redigatur in formam ceræ mollis, & pòſt circumdetur chartâ Pergamenâ, illitâ oleo amygdalino dulci, & ſeruetur in pyxide vitreâ, vel alabaſtri, aut argenteâ, vel aurea. Et quantitas eſt ʒ. j. vel circà. Et vſus à ſex menſibus ad tres annos vſque: aſſumi debent circa mediam noctem, ita vt præcedenti die neque laborauerit, nec incommodum paſſus ſit ex vigiliis, vel aliis cauſis, nec comederit quicquam, ſed biberit tantùm ius pulli.

§. V.

Calorem innatum excitantia, & φερέσβια ἢ φυσίζωα.

Crocus, & hellenij ſuccus Orientalia, opium purum, amaracus, chelidonia, ſaluiæ ſuccus, ozimum, petroſilium, borago, mali Medici maturi cortex extimus recens.

§. VI.

Herba Regia.

Ruta, betonica, centaurium minus.

§. VII.

Medicamenta varia, & penè ignota.

Ex his eſt Mecoacan: radix alba, cinerei pene coloris, leuis, inodora, ac quaſi inſipida: purgat humores tenues; grata accipientibus. Doſis à ʒ. j. ſ. ad ʒ. ij. Infundiiur in vino flauo per horas xij. Ebibunt vel totum, vel quod excolatum eſt. Subſtantia videtur craſſos humoreseducere. Aduehitur ex India. Scripſit de ea Andréas Baccius.

LIBER QVARTVS, DE CVRA MORBI REGII.

PROOEMIVM.

MERITO veteres hunc morbum, Regium appellauére, forſan feliciori caſu, quàm ratione; eóque [MS. *ea qua*] illi nomen indidére, ſcilicet quòd homines aurei coloris, quo genere veſtiuntur Reges, efficiat; vnde etiam auriginoſus à Celſo appellatur. Namque morbus hic omnium videtur eſſe principium ac finis, atque omnium morborum maximus: etenim eum refert colorem in viuentibus, qui mortuis proprius eſt, & qui à Græcis χλωρὸς dicitur, à χλωρὶς aue, quam galgulum, vulgari nomine galberium vocant Mediolanenſes, magnitudine turdi, coloris viridis ac crocei. Martialis.

Galbula decipitur calamis ac retibus ales.
Turget adhuc viridi cùm rudis vua mero.

Sed Græcè alij χλωριὸν vocari putant, Latinè viréonem; quidam χλωρυὸν, id eſt, luteum: ſimiliter autem huius meminit Ariſtoles, *nono de Hiſtoria animalium, cap.* 13. vt & viréonis, *cap.* 22. vtcunque ſit dicta à χλωρίζω verbo, quod

 ſignificat

significat viresco vel pallesco, vt ad aureum referri possit. Sed veriùs, vt dixi Regius vocatus quoniam omnibus aliis morbis imperet. Vt enim aliàs diximus in *comm. Epidem.* duo sunt morbi, in quos omnes finiuntur: vnus calidus & siccus, Regius scilicet; & frigidus ac humidus, siquidem hydrops: nam si hominem mors excipere debet, necesse est qualicumque in casu etiam naturalem vitam interire; quamobrem & iecur siccari atque refrigerari secundùm naturam; à siccitate verò calor, & à frigore humidum. Omnes igitur qui intereunt, morbo regio, quacunque moriantur causâ, corripi necesse est, seu hydrope, seu strangulati, seu vulnere cordis aut capitis, seu veneno vel in ipso mortis momento, si non antea pereant. Quinetiam omnes morbi dum sanguinem corrumpunt, Regium procreant: & si id non agant, non natura quidem morbi sed magnitudo in causâ est. Similiter & in sanis huiusmodi dispositio omnem procreare morbum apta est, & ad id maximè procliuis. Propterea quis vnquam vidit hominem phthisi, hydrope, elephantiasi, febre longâ, febre venenosâ, veneno ipso epoto, vel etiam morsu, aut tabe, aut abscessu viscerum, aut cum magno vulnere laborantem, vel etiam solicitudine graui, aut timore, aut dolore, aut morbo quouis victum, aut lue, aut vlceribus fœdis, aut profluuio sanguinis oppressum, qui omnino immunis sit ab hoc morbo? Cùm verò tot ex causis contingat, & tam perniciosus sit, totque morbis succedat, meritò difficillima, & maximè necessaria, tum verò vtilis eius cura erit. Indicat autem & difficultatem eius, quòd nullus antiquorum, eam tradere iuxta methodum ausus sit, sed omnes empiricè illam scripsére; vt demirer de Principe, qui sine distinctione vllâ; & satis inconstanter ac confusè, curationem à sectione venæ inceperit. In vniuersum autem cùm omnes morbi in arquatum desinant, aut ei coniungantur, adeò vt etiam ascites vt dixi corruptâ aqua eum gignat, non tamen omnes morbo regio laborantes ascitici fiunt etsi persæpe id accidat. Cúmque in sanis morbos futuros prænunciet; in ægris salutem si recedat, interitum cùm augetur; atque ipsos morbos comitari soleat, tum quòd [MS. *tanquàm* difficiles cognitu species illius sint, tum quòd multiplices, meritò quartum hunc librum tractationi eius dedicauimus. Memento autem quòd certâ huiusmodi methodo, non solùm longè plures, & securiùs, & certiùs, exquisitiúsque curantur, tum verò maiore cum gloriâ ac voluptate Medici, sed quod etiam aliàs diximus, meliùs quàm qui ex præscripto & Empiricè, cùm robusti ac niditi relinquantur, atque ideò etiamsi contingat casu ægrotare, non magis, imò minus periculo vitæ obnoxij sint, quàm si nunquam antea ægrotâssent: quod quantum referat, non est vt dicam, cùm etiam plus sit, quàm iactura tot illorum, qui omnino ex curâ illa empirica pereunt.

CAPVT I.

De nominibus morbi, & ratione eorum.

CELSVS igitur, vt ab eo incipiam, *lib.* 3. *cap.* 24. inquit: *Æquè notus est morbus, quem interdum arquatum, interdum regium nominant: color autem eum detergit, maximè oculorum in quibus quod album esse debet, fit luteum.* Plinius quoque *lib.* 26. *cap.* 12. ait: *Morbum regium in oculis præcipuè mirari est, tenuitatem illam densitatemque tunicularum febre subeunte.* Idem alibi, putà *lib.* 20. *c.* 9. loquens de brassicâ, *ictericis conferre* scribit, Et rursus peculiariter de eo agens; *lib.* 30. *c.* 11. *Auis icterus vocatur à colore, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, & autem mori, hanc puto Latinè vocari galgulum.* Ergo iam constat ratio nominis icteri, ab aue ei colore simillimâ. Rursus auriginis meminerunt Cælius Aurelianus Siccensis *in tertio Chronicon, cap.* 5. & Marcellus *de medicamentis, cap.* 17. *in medicamento vocato Dodechatheo.* Dicitur autem auriginosus, ab aurei coloris similitudine. Arquatus autem à cœlestis arcus colore nam arcum arquum scribebant antiqui, iridem significantes, cuius colori interiori assimilatur color patientium hunc morbum. Regius autem quoniã mulso curetur, ex Varronis sententiâ, aut si sequamur Q. Serenum.

Molliter hic celsâ quoniam curatur in aulâ.

Sed mihi Regius dictus videtur, quoniam totũ occupet corpus; Regum enim est cuncta possidere: forsan & aureus color ille ad hoc iuuit, cùm nitidus apparet, in pluribus auté nitet, aurúmque refert, quod peculiare est Regibus ornamentum, atque ob id etiam sic appellatum. Sed de nomine satis.

CAPVT

Caput II.

De morbi natura.

Est igitur morbus regius, bilis redundantia in venis, per quam vitiatur color in cute propter permistionem sanguinis. Nam in impetigine, & elephantiasi, vitiatur profundiùs; in alba autem pituita, non vitiatur à bile; in vitiligine, non vitiatur à sanguine, sed ab alimento sanguinis iam mutati. Et impetigo, ac vitiligo sunt vitia tertiæ coctionis; regius morbus secundæ. Præterea morbus est, quoniam ex permistione bilis vitiatur operatio sanguinis; non enim adeò bene nutrit corpus. Ergo diffinitio est per accidens quod declarat essentiam rei, id est, vitium operationis: & hoc non est absurdum in morbis, quoniam sunt accidentia, & præter naturam, & apud Medicum quatenus est artifex, & non vt medicina scientia est, hæc enim manifestior est diffinitio. Et ex hoc patet, quòd potest esse cum febre, & sine febre; & cum putredine, & sine ea: at cùm species potest esse sine differentia, vel sine causa aliqua, illa differentia vel causa non debet attribui generi, sed est ei tanquam accidens. Manifestum est ergo, quòd morbus hic non est neque in compositione, quia tantum potest deficere de sanguine, quantum abundat de bile (& cùm dico bilem, intelligo tam atram quàm flauam;) & sic non erit in forma: nec est in continui diuisione. Ergo erit in intemperei cum materia. Et manifestum est, quòd cùm omnis morbus sit in membro, vel spiritu, seu parte animata, quòd intemperies erit in ipsis venis, tanquam vasis ipsius bilis & sanguinis. Et scias quòd color bonus est signum proprium, sed non inseparabile: & ideò Galenus cùm vidisset in Stephano colorem bonum, dixit apertè, non esse timendum de affectu in iecore, quamuis Medici curassent illum, tanquam laborantem abscessu in parte illâ, sicut habetur, *quinto de Locis, cap. vltimo.* Morbus autem regius, ex his quæ dicentur, aut malus color, est signum inseparabile iecoris malè affecti. Ideò dicebat *secundo Epidemior sect.* 1. *Quibus id quod medium est inter abdomen & cutem, inflatur & non sedatur, color est velut qui multùm pallidus est, & qui ex candicante pallet: quoniam omne huiusmodi ab hepate est, & ex hoc sunt hepatici in his morbi; & morbi regij ab hepate ad subalbidum colorem vergunt, & qui ex aqua inter cutem, & ex alba pituita laborant: qui verò à splene sunt tum hydropes, tum morbi regij, nigriores sunt.*

Caput III.

De differentiis ipsius & causis.

Differentiæ autem primæ sunt tres: prima à colore: secunda à membro: tertia à modo generationis. Et à colore quidem triplex est morbus regius: flauus, niger, & viridis. A membro autem duplex; à iecore & liene. Sed hoc non tam simpliciter accipere oportet: nam si per iecur, ipsum solum intelligamus, verum id non est. Esse enim principium tam nigri quàm flaui morbi regij, vno quidem modo verum est, alio autem falsum. Iecur enim cùm vel non expurgat flauam bilem ad vesicam fellis, fit morbus regius simplex seu flauus: & similiter cùm expurgat ad vesicam fellis, sed præcluditur via ex ipsa ad intestina, fit similiter regius morbus flauus. Eodem modo niger; cùm ex liene ad intestina & ventriculum via præcluditur, fit morbus regius niger. Atque sic non rectè dicimus, morbum regium duplicem esse, ex iecore, & ex liene; sed potiùs debemus dicere, quòd vnus fit ex liene, alter ex vesica fellis. Alter modus est quòd flaua bilis fit vitio iecoris vel excalefacti, vel obstructi, vel febre laborantis aut phlegmone, & nigra vitio lienis similiter affecti; sed tamen & in hoc rursus differunt: Flaua enim bilis secundùm naturam in iecore est; nigra autem non est in liene secundùm naturam, saltem vt excernatur: neque enim sanis egestiones nigræ, neque etiam febricitantibus, neque vomitus nigri, vel etiam in quartanis, nisi in quibusdam casibus raris: at acida vomunt, & colore flaua obscura, vt dubium non sit, quam vocamus melancholiam seu nigrum humorem, non esse talem; sed quoniam persæpe, imò fermè semper talis humor sanguini iungitur, & tunc niger apparet, ideò humorem illum nigrum appellamus, cùm etiam in sanguine flaua bilis appareat; verumtamen non propriè flaua, sed flaua rubra appellanda est: ita etiam nigra est niger sanguis, non niger humor. Cùm aliquando euomerem acida & acria, alios verò viderim in quartanis vomentes, semper humorem vidi liquidum vt aqua, licèt crassiorem, coloris ferruginei seu rubiginosi. Et vt in vniuersum dicam, humores actu in corpore naturales, sunt alba pituita, ruber sanguis, flaua bilis, & rubiginosa, quam vocant atram. Potestate autem sanguis remanet in suo statu: pituita autem vix dignoscitur, nec est locus disputationis de hoc: & quam vocant nigram, *sanguis est nigricans, non tamen niger, & splendidus etiam. Præter naturam autem inueniuntur humores nigri, sanguis putrefactus, sanguis exustus, bilis splenitica (sic enim appellabimus quartum humorem in actu) exusta, demum atra bilis: nihil enim in corpore nostro nigrum, præter vueam, secundum naturam; nam præter naturam multa sunt, velut lapis, vermes, pili. Cum ergo viderimus humorem aliquem nigrum, nisi allucinemur ob medicamentum,

camentum, vel cibum, debemus vehementer timere, etiam de vita, quoniam non est minùs præter naturam, quam lapis vel vermes. In duobus ergo nimis oscitanter, quia non animaduertit, Galenus se gessit, quamuis essent admodum necessaria: in hypostasi vrinæ, quam appellauit albam, cùm sit coloris subrufi, aliquantò dilutioris, & perspicui; & in bili splenitica, quam appellauit nigram, cùm sit, vt dixi, rubiginosa, & non nigra. Et in singulis horum contingit multiplex error: primò quoniam cùm offertur bilis naturalis aut hypostasis, terremur quia credimus esse præter naturam: & ex contrario, cùm offertur res non naturalis, sæpe lætamur: tertiò quia nescimus res quales sint: quartò quia non possumus inuenire causas eorum quæ non sunt, seu quæ aliter se habent. Demum quia confunditur ordo vniuersi.

His ergo præmissis, dico quòd cùm morbus regius niger fit, defœdata cute nigro colore, quòd istud potest contingere trifariam: vel vt bilis sit exusta in liene, vel in iecore, nec potuerit transmitti ad lienem; vel quod verius est, vt non sit verè color niger; nunquam enim talem vidi, nisi in paucis Æthiopibus; vel vt humor ille non sit niger, sed tamen transfusus ad cutim, speciem nigritiei referat. Sed quia vt dixi, docemus res, non nugas, ideò secundus modus solùm verus est, scilicet vt sit obscuri coloris cutis, non nigri, ob tres causas. Primum quia, vt dixi, rarissimè & omnino præter naturam inuenitur humor actu niger in corpore. Secundò, quia dato quòd esset immixtus sanguini, necessario redditur fuscus. Tertiò quoniam diffusus sub cute, non potest adeò denigrare. Dicemus ergo icteritiam nigram, colorem fuscum valde cutis, & hic non potest fieri propter obstructionem inter iecur & lienem, sicut accidit de flaua ob obstructionem vesicæ fellis; & hoc quia via inter iecur & lienem est valde lata, vt ferme nunquam accidat hæc obstructio. Ergo tandem relinquitur, vt bifariam possit dici, niger regius morbus fieri ex liene, & non flauus ex vesica fellis, sed ex iecore, quamuis vesica fellis, vt dixi, aliquando sit causa sola absque vitio iecoris, propter obstructionem ad intestina, ipsius morbi regij. Et cum dico morbum regium simpliciter, intelligo flauum; de nigro, oportet addere regius niger. Primum quoniam non potest accidere propter obstructionem, quæ fit inter iecur & lienem. Ergo iecur semper se exonerabit in lienem, & semper fiet ex liene, quia non est verisimile quòd iecur transmittat per venas patente aditu ad lienem. Secundò quia humor ille potest recipere formam magis in liene, quàm flaua bilis in vesica fellis, ex eo quòd lien nutritur ex humore proprio, sed vesica fellis non nutritur ex bile flaua, sed sanguine, bilioso tamen.

Colligendo ergo breuiter, quoniam tractatio hæc difficillima est propter errores in principiis vt dictum est: dico quòd duplex est morbus regius simplex: vnus qui fit à iecore transmittente bilem flauam per venas, & is fit necessariò læsa vesica fellis, præterquàm in crisi: quoniam etsi obstructa non sit vesica fellis, saltem tamen erit plena: sicut etiam dixi de Regio morbo nigro, quòd potest fieri ex vitio lienis, & quandoque etiam laborante liene: quibus autem modis & causis dicemus iam.

Causæ autem sunt duorum generum: propinquæ & interiores, ac externæ. Interiores præcipuè sunt, calor iecoris, aut inflammatio, aut phlegmone, vel abundantia bilis collectæ, aut impedimentum eiiciendi illam, quod multiplex esse potest, velut obstructio, imbecillitas vesicæ fellis, & eiusmodi. Sed externæ & remotæ sunt plures: morsus animalis venenosi, venenum assumptum, mala aqua & corrupta ebibita, mala victus ratio, malus aër, vel ratione regionis, velut in Sardinia, vbi refert Valescus de Taranta, quodam anni tempore omnes homines incurrere in hoc symptoma; vel ratione proprietatis loci, vt qui habitant iuxta paludes, stagna, specus, lacus quietos, vel vbi malæ arbores sunt; vel ratione constitutionis anni, vt de cæteris morbis vagantibus quibusdam annis.

Quod ad tertiam diuisionem attinet: quæ repentè fit, magnam causam sequitur, vt venenum, aut morbum mortiferum, aut magnum motum, velut crisim, aut naturam se exonerantem: quæ autem paulatim fit, sequitur obstructiones, morbos longos, venena temporanea, hydropem, tabem quæ exurit alimentum membrorum, & hæc est plus quàm morbus regius.

Caput IV.

De speciebus morbi regij.

Ergo dicamus primum de eo qui prouenit à iecore, & iam constat quòd vnus tantum est, qui non fit cum vitio vesicæ fellis, & est qui fit per crisin, & tamen hic est morbus, & ideò indiget curatione. Secunda ergo causa est obstructio à iecore in vesicam fellis, in qua necesse est vt sequantur feces albæ, quamuis nullum sit impedimentum in ipso meatu à vesica fellis ad intestina, quoniam euacuato felle non potest amplius transmittere ad intestina. Tertius [modus] est cum meatus ex vesica fellis ad intestina est obstructus, non tamen à iecore in vesicam fellis, & isti duo vocantur morbi proprij felli. Quartus est ex veneno, & hic est duplex, vel assumpto, vel ex morsu, & corrumpit sanguinem statim; & in venenis [MS. *venis*] temporaneis etiam succedit hic morbus pro ratione temporis, scilicet sensim: seu enim erodat aliquod membrorum naturalium, aut putrefaciat, aut pulmonem ipsum, omnino succedit hic morbus: & si deterius sit venenum, sequitur tertia species, scilicet morbus regius viridis; & ita dico de obstruente, & de tabefaciente, atque

atque aliis modis. Corrumpunt enim sanguinem venena, & nisi corrumperent, homines non morerentur. Et licet venena retulerim inter causas externas, quia tamen postulant curam propriam, posui inter species. Quintus modus fit per obstructiones in iecore, per quas bilis non potest transire ad vesicam fellis, & est proximus secundo. Sextus fit ex nimiâ caliditate ipsius iecoris generantis tantam quantitatem bilis, vt non possit recipi tota in vesicâ fellis, vt antea dixi. Septimus est, quotiens est inflammatio in iecore citra phlegmonen, & hic differt à praecedenti, quia in inflammatione substantia membri est permutata in colore; ex simplici caliditate, non. Octauus modus est ex phlegmone: differt ab inflammatione, quoniam in phlegmone adest tumor & febris praecipuè, quae non sunt in inflammatione. Nonus modus est ex tumore duro, & potest reduci ad quintum: sed quia cura est omnino diuersa, & praedictio, symptomata quae sequuntur, ideò distinxi. Decimus modus est per febres, & tangitur à Galeno *secundo de differentiis febrium, cap.* 9. Totidem fermè modis fit morbus regius niger, quia loco secundi, fit ex obstructione iecoris in vesicam fellis, succedit alius secundus modus, qui fit repleto liene, aut debili & non trahente: rarò tamen aut nunquam regius niger subitò fit. Buthahyla Byngezla, 18. *contin. cap.* 1. *fol.* 187. *col.* 2. deduxit ad duas causas tantùm, calorem iecoris tanquam generantem, aut obstructionem prohibentem exitum. Et forsan de generalibus morbi causis non malè dixit. Hippocrates autem in *libro de internis affectionibus, c.* 14. *sect.* 37. 5. ponit illius quatuor genera, quorũ prima tria sunt cum febre; quartum autem, non. Apponam autem seriem.

Primus quidem aestate maximâ corripit, bilo commotâ. Consistit igitur bilis sub cute & in capite, quare statim corpus in alium colorem mutat, & fit pallidum velut malicorium. Et oculi pallidi fiunt, & in capite sub pilis velut cortex subest. Et rigor ac febris corripit, & pallidam vrinam mingit, & crassum subpallidum in ipsâ subsidet: & manè quamdiu ieiunus fuerit, ad cor & viscera exugitur: & siquis ipsum alloquatur aut interroget, aegrè fert, & anxius fit, & non sustinet audire: stercus autem excretum cum pallore albicat & malè olet. Hic cùm ita habuerit, maximè moritur in quatuordecim diebus: si verò has effugiat, sanatur.

Alius morbus regius siue arquatus. Hic corripit tempore hyemis, & ex ebrietate & frigore. Incipit autem primùm rigor inuadere, postea etiam febris detinet: & humor qui est in corpore, congelatur in cute. Quod autem sic habeat, ex his ostenditur. Liuidum est ipsius corpus, & subdurum: & venae per corpus distentae sunt pallidae, maiores autem & crassiores sunt quàm priùs, & aliae venae subnigriores distentae sunt. Et siquis aliquam ipsarum secet, sanguis effluet pallidus, si pallidae sunt venae. Si verò nigrae fuerint, niger sanguis effluet. Et vestem interiorem corpori adiacentem prae pruritu non sustinet. Hic promptus est ad iter faciendum & ambulandum, sed prae debilitate crura labascunt, ac ipsum non sufferunt, & sitit vehementer. Hic morbus non minùs priore lethalis est. Procedit autem ad amplius tempus, si non in primis diebus sanus fiat. Si verò morbus prolongetur, & ad octauum aut nonum diem duret, in morbum incidit: & morbus, & dolor magis premit, & exsurgere non potest, & plerique in hoc tempore statim pereunt.

Alius morbus regius, popularis appellatur hic, eo quòd omni tempore corripit. Fit autem repletione maximè ac ebrietate. Et postquàm riguerit, statim sanè corpus immutatur, & pallidum fit, & oculi pallidi valde sunt. Et sub pilos ac sub vngues morbus procedit. Et rigor ac febris debilis tenet: & debile est corpus, & in capite dolor adest. Et pallidum ac crassum mingit. Hic morbus minùs lethalis est prioribus, & curatus breui sanatur.

Alius morbus regius fit quidem à pituitâ, hyeme autem maximè corripit: & color ipsius aegri est albus: & pectora ipsius pituitâ plena fiunt: & spuit saliuam: & cùm excreat, singultus ipsi oboritur: & album lotium ac crassum mingit: & in vrinâ subsidet velut farina. Hic morbus non est lethalis, & breui sanatur.

CAPVT V.

Quomodo reducuntur species ad vesicam fellis, & lienem.

SVnt autem qui hunc morbum proprium vesicae fellis & lieni esse velint. Vnde Princeps sectionis vnius tractatum peculiarem ei dicauit, scilicet *primum* 15. 3. quasi referret vtrumque genus morbi regij ad iecur comparatum, vesicae fellis & lieni; nam post tractatum de morbo regio, agit de liene. Volunt ergo non fieri morbum regium, nisi quia vesica fellis non potest recipere totam bilem flauam, vel lien nigram, seu modò id contingat, quia fellis via sit obstructa in ipsâ fellis vesicâ, vel in iecore, aut ab humoribus crassis, aut lapide, vt vidit Curius & L. Iacchinus, seu duro abscessu, seu calido; seu nimium generetur de bile in iecore, propter caliditatem, aut venenum, aut inflammationem, aut febrem; seu fellis vesica sit iam plena ob malum regimen, seu quia non possit euacuari quod continetur per intestina, ob obstructionem, seu quia ipsa non possit expellere, seu quia non possit attrahere, seu in horâ crisis materia non fuerit propinqua loco, aut non potuerit recipi ob eius multitudinem, seu ob aliam causam. Constat sanè omnem morbum regium flauum posse reduci ad fellis vesicam; velut & nigrum ad lienem. Sed causae sunt considerandae in ordine ad curam. Itaque sic distinguemus, omissis disputationibus, dicentes quòd morbus vel est in iecore per essentiam, vel per consensum, vel est secundarius, vel est in vesica fellis, vel est praeter morem. Et quod dico de flauâ bile, dictum sit etiam de nigrâ; sed loco vesicae fellis, subiiciatur lien. Sunt ergo causae quinque principales in iecore. Prima est ab essentia, calida intemperies, inflammatio obstructio,

obstructio, quæ potest esse à crassis & lentis humoribus, à tumore duro, vel calido, vel à lapide ibi genito in bobus frequenter, in homine raro. Secundarius, à veneno, & à febre. Per consensum, à ventriculo, vel à venis. Sed à vesica fellis, ob obstructionem in meatu attrahente, quæ potest esse ab humoribus, vel tuberculo, vel à lapide in cauitate contento, vel à meatu ad intestina obstructo, vel ab imbecillitate attractionis, aut expulsionis. Circa quæ duo dubitari solent, an vesica fellis participet neruis? nam hoc videtur negare Galenus *tertio de Facultatibus naturalibus, cap.* 12. Cùm tamen in *quinto de vsu partium, cap.* 9. eos admittat. Sed & Vesalius *lib. quinto, cap.* 8. sunt autem exiles & exteriùs positi. Verum de hoc in *contradictionibus, lib* 4.91. Vltimus modus est præter morem, qui criticus est, vt sint in vniuersum modi sexdecim, ac fermè totidem morbi regij nigri. Quia tamen videtur Galenus 5, *de locis, cap. vlt.* tangere vnum modum extra ordinem, vt sit vesica fellis plena, & non possit euacuari, quia non potest constringi, sicut nec vesica vrinæ, cùm nimis plena fuerit, eritque morbus regius sine affectu in iecore, vel felle. Dico quòd est fallax ratio, nam vesica fellis laborabit morbo in cauitate, quæ est impedita, & etiam illa bilis ibi contenta, non facit morbum, sed illa quæ non potest recipi. Igitur si dicas, morbus erit absque facultate læsâ. Dico quod est verum & frequenter accidit; nam ad morbum exigitur solùm læsio operationis, non facultatis. Et hic morbus, si quis diligenter consideret parum differt á morbo, qui fit à vesicâ fellis, obstructo meatu attrahente.

Capvt. VI.

An Regius morbus sit symptoma.

POrrò illud occurrit quod à pluribus dici solet, Regium morbum, morbum non esse. sed vitium tantùm cutis, symptoma in qualitate mutata: quo errore, dum vera dicunt, nihil est perniciosius. Multa enim sunt eiusmodi in humanâ vitâ, quæ si vt se habent, proferantur, magnorum malorum causæ sint. Propterea rectè dicebat Auerroës, *quædam esse quæ sint solùm sapientibus reuelanda: atque alia quidem, quia per se mala sint, alia quia malè interpretari soleant.* Cuiusmodi est hoc; nam quasi contemptim etiam L. Iacchinus de ipso tractat, cùm tamen è morbo pendeat, qui sit omnium malorum origo: sed intellexit rem, non descripsit. Fieri enim potest vt sit solùm symptoma, scilicet defœdata cutis morbo iam sanato, atque sic certè nihil graue habet, verùm quam breui euanescis, cùm huiusmodi est: neque enim est vt impetigo, res profunda; neque vt vitiligo, vitium alimenti: sed tinctura quædam quæ citò euanescit, vt veriùs diffiniamus morbum qualem à principio, corruptionem sanguinis ex bile flauâ aut nigrâ, vt superiùs diximus. Sed de his hactenus.

Capvt. VII.

De signis specierum eius.

PRincipio quidem reducere oportet signa omnia ad causas, quæ curationem recipere possunt; vnum autem est genus causarum insanabilium. Ergo in vniuersum fient quatuor genera signorum: commune totius generis morbi regij, seu flaui, seu nigri, seu viridis. Et signum proprium generis, flauus, niger, viridis, itaque distinguitur in tres species. Tertium est specierum, & vt dixi sunt quinque vt sanari possunt scilicet in iecore per essentiam, per consensum, secundarius, in vesicâ fellis, & præter morem. Quartum genus est insanabilium causarum, quod etiam in suas distinguitur species, de quibus dicemus. Causæ enim insanabiles sunt, aut quantitate, aut qualitate; qualitate quidem scirrhus, lapis, & verruca; quantitate autem magnitudo, morbi diuturnitas, imbecillitas virium, phlegmone coniuncta, & huiusmodi. Et ideò in inquisitione signorum, non solùm in hoc morbo, sed in aliis omnibus morbis, maximè vbi multæ sunt species, & in complicatis, oportet obseruare quatuor: primum vt sciamus signum proprium aut inseparabile vniuscuiusque causæ, & si fieri potest, quod vtrumque amplectatur. Secundum vt sciamus signa repugnantia: velut feces esse tinctas, est proprium regij morbi, qui non est ab obstructione, non tamen inseparabile; nam poterit esse via aperta, sed vis vesicæ fellis imbecillis. Pondus quoque lateris dextri est similiter proprium, & non inseparabile obstructionis. Calor verò est inseparabile facti à multitudine bilis, non tamen proprium: est autem proprium & inseparabile excalefacti iecoris. Subito etiam fieri: est enim proprium eius qui non fit ab obstructione, non tamen inseparabile. Proprium enim dicimus, cùm causâ positâ signum adesse potest necessariò, & posito signo contrarium causæ esse non potest. Inseparabile verò cùm causâ posita, signi contrarium esse non potest: posito autem signo eiusmodi, causa esse potest necessariò. Si verò reciprocantur, dicitur signum proprium & inseparabile. Febrem non adesse est proprium, non inseparabile, quòd phlegmone non adsit. Feces non tingi, est inseparabile, non proprium obstructionis. Tertium, si feces tingi, est proprium, non inseparabile non obstructionis; non tingi, inseparabile obstructionis, non proprium: à proprio ad contrarium inseparabile, & vicissim ad contrarias causas commutatio erit. Quartum est, quòd si vrinam tingi, non est proprium, neque inseparabile obstructionis, nec non obstructionis; pallor vrinæ nec erit proprium, nec inseparabile contrarij, seu obstructionis seu

non

non obstructionis. Oportebit ergo tale signum, & illius contrarium sub alio genere collocare, & ad alia comparare, veluti Nicolaus *lib. 7. tract. 6. cap. 3.* ad imbecillitatem iecoris refert pallorem, aut vesicæ inflammationem: colorem autem esse naturalem, si cum fecibus tinctis, ad vesicæ fellis repletionem absque obstructione. Sed si vrina naturalis sit, & feces pallidæ, natura aliò mouet bilem, seu [ob] obstructionem, seu aliam causam: & sunt signa propria, non inseparabilia. Vomitus ergo & nausea, cum tinctura fecum, significant motum ad ventriculum; pruritus, ad cutim, propter abundantiam. Signa igitur insanabilium huiusmodi causarum, sunt pondus & durities ad tactum, & maximè pendente iecore, vt superiùs diximus, & quòd auxilia non proficiunt, & successio hydropis, & pulsus paruitas & durities; & flatus copia. Et hæc signa communia sunt lapidi, verrucis, & scirrho. Et lapidem declarat tactus, si valde comprimatur locus; is est à dextro latere, (vt Vesalius docet *l. 5. cap. 8. in initio, figuraque 6. P. & 20. H.*) incumbens colo ab anteriore parte, qua colon cauæ iecoris parti adhæret. Ergo si premas valde & colum & dorsum subiectum, dolore afficietur: est autem è regione vltimæ costæ, vel minimam infrà, & quasi è regione vmbilici, & valde prope costam ipsam, profunda tamen. Solet [etiam lapidem] consequi scabies insanabilis; & hoc est quia in omni morbo regio diuturno putrescit humor, & sanguis, & præcipuè serosa eius pars: & diuturnitas sola affectus ostendit non posse sanari, aut vix; nihilominus etiam tractabimus de hoc genere in curatione, vel vt vita producatur, vel vt aliqui quamuis deplorati videantur, possint sanari: sicut contingit in omnibus rebus naturalibus, vt adsint monstra.

Generis autem tria sunt signa: permutatio coloris in candida parte oculorum citra alium morbum, ex Hippocrat. *lib. de locis in homine, pag.* 8. nam si fuerit in vno oculo tantùm, posset esse ex solo morbo oculi illius. Certius autem signum est, cum prope oculum idem acciderit: inde solent vngues & facies infici, & maximè circa tempora & genas: & hoc contingit quinque modis; vel cum ariditate, vt in febribus acutis, & est signum mortis breui superuenturæ; aut cum inflatione [MS. *inflammatione*] palpebræ inferioris, & est signum cachexiæ, id est, mali habitus & periculi hydropis: aut cum rubore maxillarum, ita vt tota facies reliqua sit auriginosa, & istud est signum patientis pulmonis, & phthoes futuræ seu iam cœptæ; aut color est in tota facie auriginosus, & hoc est signum morbi regij puri; aut tota facies reliqua est pallida, & hoc est signum obstructionum in membris naturalibus. Secundum signum est vrina tincta, nigra, viridis, vel fulua: necesse est enim, nisi sit obstructio in renibus, vt vrina tingatur colore materiæ permixtæ cum sanguine. Et in hoc obseruanda sunt tria præcipuè: primum quòd spuma eius semper est colorata colore morbi, etiam quòd vrina videretur tincta. Secundum, quòd linteum & papyrus etiam postquam siccatus fuerit, remanet imbutus colore; & in hoc distinguitur à tinctura assationis febris; nam in illa cum siccatur linteum aut charta, ob substantiæ tenuitatem color euanescit. Et iuxta hoc etiam cognoscitur qualitas, & substantia crassa vel tenuis, & quantitas materiæ. Tertium est quòd [in] imo remaneat fœculentum quiddam, & est malum; aut non, & est melius. Et Galenus *quinto de locis, cap. vlt. in fine,* considerabat sudorem loco vrinæ, colligendo illum cum strigili, sed hoc est operosius & minus vtile quàm vrina, quia non cognoscimus statum iecoris: est tamen vtilius in dignoscendo materiam propriam morbi, an sit crassa vel tenuis, exusta vel simplex. At albedo fecum, non est adeò generalis, neque signum certum velut tinctura vrinæ, quia potest esse morbus regius sine vlla obstructione, velut in caliditate iecoris, in veneno, in inflammatione, & ideò sine fecibus albis. Tertium est astrictio alui, hoc non est inseparabile, est tamen generalius quàm albedo fecum, quia dum meatus [est] obstructus, feces sunt albæ & siccæ, propter [MS. *præter*] retentionem & caliditatem iecoris; & dum meatus est apertus, feces sunt tinctæ, & tamen aluus est astricta propter caliditatem. Ergo aluus astricta est signum generalius & certius quàm feces albæ, & hoc est quod prædiximus. Attamen nec istud signum est inseparabile, quoniam fieri potest, vt caliditas non sit tanta, vt feces sint duræ, & aluus astricta. Et ideò non est nisi vnum signum proprium & inseparabile, scilicet color. Relinquitur dubitatio non leuis, in illo dicto *quintæ particulæ Aphorismorum, vltimo*: *Qui regio morbo laborant, non multum ventosi sunt.* Nam experimentum ostendit, quòd morbo regio laborantes abundant plurimo flatu, imò persæpe decidunt ex hoc in tympanitem: propterea dicendum, vt ibi exposuimus, verum esse in iis qui recta ratione victus vtuntur: superueniens enim hic morbus patienti flatus, propter caliditatem dissoluit flatum, & materiam etiam illius, scilicet pituitam. Et siquis obiiciat, quòd flatus propriè fit à calore naturali diminuto, & præternaturali aucto; quia calor naturalis condensat, & non rarefacit, & ideò prohibet flatus: præternaturalis autem, si non adsit pituita seu bilis crassa, non potest attenuare; nam ex his duobus, tum aqua & crudis humoribus seu cibis, fit flatus: deesset ergo causa eleuans flatum. Hæc igitur sunt signa generalia morbi regij, scilicet oculorum defœdatio in parte alba, & præcipuè partium circumuicinarum; vrinæ tinctura; & astrictio alui; & quartum est abundantia flatus, si malo vtatur regimine: clara est causa ob cruditates, vel si diu perseueret, aut si sit morbus regius niger aut viridis, ob extinctionem caloris naturalis. Pulsus autem illorum sunt parui, duri, cerebri, non tamen celeres, *quarto de Causis pulsuum, cap. 26.* Causa est manifesta ibi. Addit Aetius *l. 10. c. 17.* pigritiem & pruritum,

ritum. Existimat etiam cùm inualuerit, cibos dulces minùs eos amare, & variis imaginibus mentem vexari, easque etiam ante oculos obseruari.

Signa autem generum sunt clara, quia dignoscuntur ab oculo, & similiter signa multitudinis materię ex colore efficaci & in magnitudine ratione totius corporis, & etiam ratione membri affecti. Et in morbo regio flauo, qui non est præter morem, afficitur iecur, vel vesica fellis, vel vtrumque membrum. Et in nigro afficitur lien necessariò, vt dixi, & iecur quandoque simul, & hoc est valde malum, & præparat ad ascitem, aut aliud genus hydropis. Viridis autem morbus regius duplex est; alius fit mixtione nigræ & flauæ bilis, & hic fit compatiente iecore, & vesicâ fellis, & splene, alius fit exustione flauæ bilis, sed hoc contingit rarò: cõtingit tamen in febribus pestiferis, vnde apparent illa signa similia maculis pulicum, quæ etiam sunt de genere icteri præter morem; sed non est intentio de illo tractare, satis tamen sit nouisse hoc, quòd datur icterus viridis in febre pestilenti, & est admodum exitialis.

At verò morbus regius sanabilis diuiditur in illas quinque species: & qui fit per viam crisis, si fiat ante septimam diem in acutis est malus, vt dicebat Hippocrates 4. *Aphorism.* 62. sed de hoc aliàs. Obstructionem autem declarant venæ naturaliter angustæ, vrina crassa & quasi crocea, & in quâ tingitur linteum & etiam charta; & si sit aquosa cum calore, etiam deterior: & ratio victus antecedens, ciborum multorum, crassorum, lentorum crudorum, horis non constitutis assumptorum, cum paucitate somni. & exercitationis opportunæ [MS. *exercitatione opportunâ,*] parua appetentia cibi, palor labiorum, sitis febris, & morbi regij reditus frequens. Quòd si præcesserit situs, æstus ventriculi, esus [MS. *astus*] ciborum calidorum, aut facilè putrescentium, aut virulentorum, aut vomitus bilis sedatus sine causâ, signum est consensus cum ventriculo, velut & oris amaritudo. Sed si fuerit sitis vehemens, & calor & æstus, & feces & vrinæ tinctæ, ex iecoris caliditate. Et si sitis vrgeat, & æstus sit maior & febris, & vrina & feces tinctæ, non adsit pondus: neque durities, erit inflammatio. Et si adsit febris vehemens, pondus, durities, tumor, erit phlegmone. Et si non adsint [MS. *absint*] signa caloris, sed pondus, & durities, erit lapis, vel verruca, tuberculum, aut scirrhus, vt dictum est. Sed cùm fuerint in initio adhuc, corpus satis bene se habebit. Tumor ergo durities, & pondus, si non multùm dissoluerint corpus & regius morbus tendit ad obscuritatem, tũc est signum initij alicuius horum. Et scias quòd scirrhus plerumque multùm differt à duritie iecoris: nam durities iecoris est magis in superficie, & est quasi corium incrispatum, & amplectitur magnam iecoris partem: sed scirrhus est profundus, & durior, & non crispatus, sed lenis, & plerumque multiplex, rarò enim solus inuenitur, seu in iecore, seu pulmone, seu liene, seu renibus, quibus communis est; cùm durities illa in renibus rarò inueniatur, nec frequenter in pulmone. Et licèt cura aliquo modo similis sit, multùm tamen differunt: nam durities indiget humectantibus, & rarò parit hydropem, nisi cùm coriacea fuerit: scirrhus autem ascitem parit, & curatur mollientibus & digerentibus. Et si repentè accidat morbus regius post morsum, animal est venenosum, & color spargitur in toto corpore. Et vomitus bilis est cõmune signũ morsus, & veneni assumpti per os: nausea autem veneni assumpti solùm: & solent venena animalium, & assumpta per os, adducere sitim, molestiam, cordis palpitationem, frigus extremorum; & venena serpentium efficiunt colorem viridem: epota autẽ flauum, & cum incendio magno: sed temporanea tabefaciunt: & faciunt siticulosos, & minuunt somnum. Sed qui accidit ex obstructione vesicæ fellis, indies morbus augetur, & minùs parit symptomatum malorum, nisi quòd corrumpitur valde color, & egestio valde alba, cum vrinâ valde tinctâ, est proprium signum eius. Et si fuerit in superiore & inferiore meatu, vel in superiore tantùm, morbus redditur maior, & cutis magis defœdatur, sed homo est leuior: sed si in inferiore tantùm, morbus videtur esse leuis, sed adest grauitas in latere dextro, & succedit colica, & febres longæ, & induratur vesica fellis, & intumescit, & moritur æger post lõgam conflictationẽ, cum felle duro rotundo, & magno, inceitâ ratione Medicorum, qui hæc non norunt. Et vrina bona in quouis genere morbi regij, significat quod in iecore non est obstructio, neque læsio, sed in vesicâ fellis aut liene. Et secundum signum est, quod si sit ex iecore, color non est perfectus in suo genere.

CAPVT VIII.

De quadam specie morbi regii, alia ab his.

INcidit morbus regius satis diuersus à supradicto, in quo vel color non est, neque niger, neque flauus, neque viridis, sed quasi maculosus, permixtus ex flauo, plumbeo, pallido, & hic magis apparet iuxta encanthides, id est exteriores angulos oculorũ; & non apparet in substantiâ oculorum, quia fit ex pituitâ, & humore crudo permixto vni bili, aut alteri, aut vtrique: & homo per hunc disponitur ad hydropẽ, maximè ascitẽ & etiã ad extenuationem & sitim, licèt sitis sit minor. Et signum est abundantiæ crudi humoris aut aquosi, iam in venis & iecore collecti. Et est mala merx, quia est difficilioris sanationis quàm morbus regius. Et causa quare non tingitur oculus, sed potiùs tẽpora, vt dixi, est crassities materiæ quæ non potest penetrare in substantiã oculi, & plerumque prouenit ex malâ cura febriũ, quia natura impedita importunis cibis & medicamentis, & sectionibus venæ, nõ potest separare, neque expellere, neque vnum, neque alterũ humorẽ

&

& ideò remanet cinis ille in venis : & cura horum est longa, nisi sanentur quartanâ superueniente , aut fluxu hæmorrhoidarum, in quo tamen est periculum hydropis ; aut per epicrasim nutriendo bonis cibis vberrim & indulgendo , & exercendo corpus ante cibum , & purgando per medicamenta ex helleboro , vel per confectionem Hamech, & Diacatholicon bonum. Et hic morbus adeò frequens nostrâ ætate est, vt nihil frequentius , ob imperitiam & improbitatem Medicorum. Rursus si fiat obstructio in renibus , vt non possit transire bilis , quam palàm est transire cum vrinâ , cùm sit salsa & amara : vel inter cauam & gibbam iecoris , vbi venæ sunt angustissimæ , videtur necessarium vt fiat quoddam genus morbi regij conuersum, & maximè si feces non præter solitum tingantur ; sed quia talis bilis est valde tenuis , & via lata , rarò acidit : sed cùm accidit , videntur rubri in colore , & color tamen est flauus ; & æger moritur ex hoc , sed post longum tempus, adeò vt nonnulli ferant hunc morbum aliquot annis , & cum hoc etiam sunt pingues.

Capvt. IX.

De quibusdam causis morbi regij coniunctis : & sunt præcipue septem, febris, durities iecoris aut lienis, hæmorrhoides , cachexia seu hydrops , morbus Indicus, venenum , & phthoe.

Cvm manifestum sit curam [puto legendum , *causam*] superioris morbi ab alterutâ obstructione facti [MS. *factam*,] esse aut insanabilem , vt qui [MS. *vtque*] à compositione contingat ; aut esse eandem quæ & venenorum temporalium , quæ obstruendo occidunt & siccando; aut sanandam [MS. *sumendum*] fore iuxta similitudinem curationis morbi regij ex obstructione , vel cum duritie ipsius iecoris , vt *infrà cap.* 32. *&* 35. Propterea ad causas principales transeamus ; & hæ quidem duplices sunt, præcedentes & coniunctæ. Præcedentes quidem , velut exercitationes immodicæ, & maximè in corporibus siccis , & à cibo, & vsus ciborum crassorum , lentorum , crudorum , multorum , feruidorum , putridorum ; potus vini potentis , & maximè nigri , tristitia , timor , odium diuturna, quæ etiam confestim immutant corpus , immodica Venus , & ieiunia : præterea medicamenta venenata , & genus omne lathyridum ac tithimalorum , retentio fecum & vrinæ , & solitæ excretionis per vlcera vel hæmorrhoidas. Præterea fit per potum amatorium & promptissimè ac vehementissimè,[vsum] aquarum corruptarum, aëris vallium & stagnorum , vt dixi. At verò coniuncti morbi , & qui loco causæ etiam habentur, vel qui ad ipsam sequuntur , præcipui sunt septem : febris vel lenta calido abdomine in venis mesaræi , quam purgatio iuuat ; vt quæ in ambitu , totius sudore liberatur : vel acuta , in magnis aut viscerum. De eo autem qui fit cum tumore , dixit Hippocrates *sextâ Aphorismorum*, 42. *Morbo regio laborantibus si fiat hepar durum , malum.* Idem intelligatur de nigro, respectu splenis , éstque fermè deterius ad ascitis generationem , quoniam lien etiam non possit recipere fecem sanguinis cogitur plerumque [eam] retinere , & fit ascites. Verùm non solùm in regio morbo , sed in quouis alio præcipuè febribus, & diarrhœis, ac dysenteriis expedit explorare ventrem, & tumores, & dolores , prout iubet Hippocrates : sæpe enim diarrhœa & dysenteria sunt symptomata phlegmonarum aut scirrhorum viscerum , & Medici curant astringendo , & nutriendo , & calefaciendo , vt prorsus occidant. Tertius morbus est fluxus hæmorrhoidarum , ex quo si succedat morbus regius , palàm est bilem prædominari in iecore , ideò & calidam intemperiem præter naturam , & frigidam naturalem ob euacuationem immodicam sanguinis : igitur ascites paratus est : sed si cum cachexiâ , rursus periculum est hydropis. A morbo autem Indico corrumpente sanguinem , vt sæpius obseruaui , itémque [MS. *obseruari , idémque*] ab elephantiasi [fieri potest.] Consequitur etiam venena , vt anteà dixi , & ad phthoën , vt nunquam fallat : at verò ipse vicissim tabefacit corpus, & languidũ reddit, & sitim procreat exiccando illud , vnde aliquando etiam in phthoën decidunt , vt infrà docebimus , *cap.* 42. Constat etiam quòd ex solâ hecticâ contingit decidere in morbum regium flauum , vt Paulus docet. Et si contingat vt morbo regio alter morbus succedat , nec regius finiatur , hoc semper malum est , si non sit ex genere illorum per quos corpus euacuatur. Et si finiatur ac transmutetur in deteriorem , est peius quàm si non desinat prior , quia aufertur spes sanationis. Si autem transmutetur in eum per quem fit euacuatio , vt in fistulam vel hæmorrhoidas , est bonum. Si verò ex hoc morbus regius non finiatur , tunc est deterior , si fuerit sub formâ morbi , vt fistula. Dicebat Celius Aurelianus 3. *Chronicum* , *cap.* 5. *Regius morbus fit sæpe cum tumore iecoris seu duro seu laxo , rariùs lienis , rarissimè ventriculi :* in quâ sententiâ est & Timotheus. Fit etiam ventriculi & ventris inferioris vitio , sed intellige per consensum.

Capvt. X.

De signis prognosticis.

Non est morbus regius leuis res, vt quidam putant : imò dicebat Rasis , *decimo octauo Continentis folio* [*mihi*] 186. *pag.* 3. *Audiui ab auo, quòd non vidit morbum deteriorem regio , quoniam sæpius expertus est mortem subitam , si non rectè curetur,*

contigisse; cui dicto ratio abundè suffragatur. In febribus etiam ante septimam diem mala habetur & pernitiosa plerumque [icteritia:] quoniam cùm foràs non protrudatur, non potest esse concocta materia, si tenuis sit; sin autem crassa, vt concoquatur indiget longiore tempore. Ergo ante septimam non potest icteritia esse bona; sed si accidat, vel ob materiæ cruditatem, vel virium imbecillitatem, vel impedimentum protrudi non potuit; potest tamen cum hoc seruari, & multi liberantur, cùm morbus non est adeò malus, vt ex hac iacturâ, quòd ante coctionem mutatio facta sit, æger pereat; nam ex mutatione ipsâ in genere iuuatur, quia febris alleuiatur. Secunda conditio est adhuc euidentior, & est Ioannis Bacchanelli, scilicet quòd non sit iunctus & consequens ad crisim per euacuationem, velut vomitûs aut sudoris: tunc enim poterit esse materia concocta, imò plerumque erit, & ita morbus regius erit pro supplemento, & erit bonus, licèt ante septimum; & de hoc non loquitur Hippocrates: vide *quarto Contradict.* 93. Frigida autem icteritia, quæ non resoluitur, est valde mala, quia plerumque parit mortem subitam, vt ait Princeps. Similiter si succedat ei durities iecoris, erit valde malum, & vt dixi, periculosum: propterea quòd, vt ibi declarauimus, difficulter curatur, & immodicè siccum est iecur, quod durum euasit. Tertiò cùm vrina fit alba, nam obstructio est ex frigore. Quartum est Valesci de Tarantâ, quod expertus est sæpe, cùm aduenit decrepitis vel pinguibus in primo senio, materia enim crassa est. Quintum cùm euenit dysenteria, fit enim debilitato naturali calore iecoris, vt concoquere non possit, robustâ tamen manente expultrice; & calida nocent causæ, & frigida augent fluxum ventris, & quæ astringunt interficiunt, aut saltem hydropem generant. Sextum signum malum est, cùm contabescit corpus, & maximè si succedat hectica, in quam cadere pronus est propter caliditatem & siccitatem alimenti membrorum, & est sanguis mistus bili, & ferueſactus ab illâ. Septimum est deiectio appetitûs, quæ contingit euictâ facultate iecoris à bile; nam si esset ex bile in ventriculo collectâ, timendum non est, sed hæc deiectio purgatione tollitur, & sitim habet, quæ extinguitur potu. Octauum est coli dolor, qui tamen persæpe contingit, propterea quòd neque feces, neque humor crudus [descendunt,] quoniam bilis non stimulat intestina ad excernendum, & frigida nocent illi, & calida nocent regio morbo. Nonum est vrinæ sedimen eruo simile, *Hippocrat.* 3. *de Morbis*, *cap* 12. Decimum, Vigilia, deiectio appetitus, & impotentia linguæ. Vndecimum est, cùm associatur aliquis ex morbis supradictis, vtpote hydrope aut phthoë. Cum generali ergo erunt duodecim. Sunt & signa futuri: Velut *in Coacis prædictionibus: Quibus lumborum dolor & lateris sine causâ manifestâ, hi regium morbum incurrunt.* Et illud: *Frequentes ad egerendum progressûs paulatim contingentes, pauca stercoracea, subuitiosa habentes, cum præcordij & lateris dolore, morbum regium denotant; nam his suppressis hi cum virore pallidi fiunt: arbitror autem & hos sanguinem effundere. At dolores in lumbis in his sanguinem fundentibus, sanguinem egerunt splendidum.* Inquit Hippocrates, *lib. de diebus decretorijs, pag.* [*mihi*] 3. *Morbus regius qui vehementer virescit ex pallido, velut malicorij & lacerti* [*color,*] *si cum febre fuerit, ac molestiâ acutus est, & plerumque intra* 14. *diem occidit.* Hic est de quo suprà dixi, è pestilentium genere. Sumptum est autem hoc ab Hippocrate, 3. *de Morbis*, *pag.* [*mihi*] 4. Vicissim verò in morituris, regius morbus apparet; in omnibus enim morituris sanguis corrumpitur. Trifariàm verò occultâ ex causâ perit æger: venenosâ qualitate, superatâ naturâ à vi morbi, & tumore viscerum: cætera raro contingunt. In omnibus his sanguinem corrumpi cùm necesse sit, & regium morbum apparere, tunc cum euidentior conspicitur, signum [est] euictæ naturæ, & impendentis mortis, & quanto obscurior & liuido mistus. Vicissim ergo ista se habent. Et cùm morbus regius confirmatur, perducit ad hydropem, aut febres malas, aut scabiem; & hoc est minùs malum, & contingit iunioribus; hydrops autem senioribus; febres inclinatis. Dicebat in *libro de Iudic. pag.* [*mihi quidem*] 2. *In febribus ardentibus si posterius septimo die, morbus regius accedat, indicium est sublati sudoris; nam morbus non solet exudare, neque vsquam alibi abscessum facere, sed sanus fit.* Et rursus: *Si verò septimo die morbus regius accedat, aut posterius, in febre ardente; & difficilis multi sputi secessus, tum in ardentibus, tum in alijs febribus, si nullo talium signorum contingente, dimiserit febris, necesse est tales indicationes præ illis fieri, aut magnorum tuberculorum abscessum, aut dolores ex abscessu vehementes, aut colliquationes humorum ex calore.* Et rursus eum dicit *malum signum*, & adiicit aliud, *per se malum,* [quod] lethale est, vt palam *infrà: In febribus ardentibus, si accedat morbus regius, & singultus quinto die, lethale est.* Similiter & illud *Prorrhetici, pag.* [*mihi*] *vltima*: *Quibus magnum & frequentem spiritum habentibus, morbus regius, & febres acutæ cum præcordijs duris perfrigeratæ sunt, num his abscessus magni ad aures consistunt?* Quod verò dicitur in *Coacis prædictionibus*, de febribus intelligitur: *è regio morbo abundè colorati moriuntur, alba verò alui egestio in his præcedit.* Intelligit ergo solùm adiectâ conditione. Sed commune illud: *Mala est & ex morbo regio fatuitas: hos voce priuari sentientes tamen esse contingit: fortassis autem & aluus malè his afficitur.*

CAPVT

Caput XI.

An in morbo regio sit secanda vena.

DVbium non est quin magis in nigro regio morbo conueniat venæ sectio, quàm in flauo: ita tamen vt adsit vel inflamatio lienis; vel febris; sicut vult Paulus *lib. 3. cap. 49.* & Rasis *decimo octauo Continentis*, *fol.* [*mihi*] 188. *columnâ* 4. *in fine*: *Si morbus regius fuerit è splene, mittatur sanguis ex parte sinistrâ, aut per viam cucurbitularum*, & intelligit de basilicâ: sicut si fuerit flaua, à basilicâ dextrâ. Dicebat Princeps 15. 3. *tract.* 2. *caput* 7. sequutus Paulum, *ex basilicâ, vel venâ quæ est inter minimum digitum & annularem*. Et ratio in promptu est, quia sanguis est crassior. Nihilominùs, præsupponunt omnes adesse inflammationem aut febrem. Et vt breuiter dicam, in morbo regio nigro paruus est error, si ducatur sanguis ex alterutrâ istarum venarum; quamuis Galenus, nescio quâ causâ, *nono de medicamentis secundùm locos*, *cap.* 2. vbi locus erat tractandi de hac sectione venæ, eam prorsus omiserit. In *eodem* autem *libro*, *cap.* 1. *in fine*, vix meminit cuiusdam sectionis venæ sub linguâ in morbo regio flauo, de quo miratur Princeps, *cap.* 6. *in principio*, & iure merito, cùm aliarum venarum [non meminerit] Sed de his in *quarto Contradict.* 92. Nunc solùm, quantum ad propositum pertinet, meminisse sufficiat. Dico ergo quòd in nigro regio morbo mittere sanguinem, paruus est error, ob causam dictam. In flauo autem sectione venæ vti licet, quæ euacuet totum corpus; hæc enim in omni morbo, cùm corpus plenitudine laborauerit, conuenit [MS. *cùm venit*:] secùs ratione morbi coniuncti licebit vti, si magis vrgeat, vt febris sanguinis, aut phlegmone in visceribus. Ratione autem morbi cùm ex obstructione fuerit à multis crassis atque lentis humoribus, & ipse icterus à bile crassâ per se, qualis præcipuè vitellina, non autem ex permixtione bilis cùm pituitâ crassâ, vel humore alio tali. Et tunc mirum in modum iuuat secare venam, quæ est in concauitate vtriusque pedis; nam vt Conciliator testatur, hoc solum sufficit ad sanandam icteritiam flauam & diuturnam.

Caput XII.

An febri cuipiam sectio venæ conueniat?

IVxta hoc ergo dubitare expedit, de eo quod pro confesso multi Galenum sequentes concesserunt, non solùm tanquam verum, sed etiam ex Hippocratis sententiâ, scilicet: An sectio venæ febrienti alicui, citra phlegmonē, loquor, aut venæ fracturam conuenire possit? Habenda autem mihi videtur quemadmodum & in omnibus aliis, ratio loci; hoc enim opus breue est, & ideò trium præceptorum semper meminisse oportet. Primùm vt exilia pro exemplo lucidè & diffusè, habitâ ratione loci, tum sufficienter declarentur. Ampla & quorum ratio manifesta est, breuissimè & rotundè tractentur. Ratio ipsa circuitibus suis contenta, hinc illincque deducta, & modis omnibus composita & coniugata deducatur, vt [MS. &] infinitum illud penè pateat intelligenti. Ergo venæ sectionem omnibus febribus conuenire (de putridis loquor duntaxat,) ex innumeris locis vno docuisse sufficiat, *vndecimo scilicet Artis curandi, cap.* 15. ibi enim hoc Galenus apertè docet: non sic ex Hippocrate, [qui] nempe vnò tātùm loco eiusmodi auxilij in febribus meminit, nec satis legitimo, si vel ipsi Galeno credimus, *quarto scilicet de Victu in acutis, textu* 19. Ideò pensanda est ratio in fine: cùm enim sectio venæ refrigeret corpus, educat materiam putrescētem, seruet hominem à periculo abscessus, valde cōmoda erit cuicunque febri putridæ. At è regione pugnat, quòd Erasistratus primum, [qui] nepos refertur Aristotelis, & ideò è pronepotibus Hippocratis, eam negauerit adhiberi debere in febribus, non [enim] verisimile est adeò impudenter egisse erga maiorem suum, præsertim tanti nominis, si Hippocrates fuisset alterius opinionis, & maximè sine nominis [MS. *si nominis*] præfatione: quam non omisisset Galenus, cum in rem suam facere videretur. Constat sane libro peculiari titulo ad hoc dedicato, Erasistratum in ea fuisse sententiâ apud Galenum, vt nemini ob febrem Hippocrates venam secuerit. Adsunt etiam rationes validæ quatuor. Prima, quòd omnis eiusmodi sectio mouet materiam ex loco ad locum; & vnde mouetur relinquuntur putredinis semina; & quò materia deducitur, ibi necesse est etiam putredinem fieri; sed & in transitu passim, quicquid tangitur à putrido, putrescit: vnde necesse est locum morbi dilatari & proferri, materiámque putrescentem augeri, maximâ ægri iacturâ. Secunda, quoniam plerisque speciebus non conuenit, adeò vt etsi conueniat, cum in paucissimis, sit difficile inuenire, & periculosum experiri. Ostenditur autem id quod supponitur: quoniam primò neque in febribus intermittentibus, nam frustrà, imò magis [noceret; quia posset materia quæ extra venas est, intra venas deduci, & ex intermittente fieri continua: idque vt etiam præcedens patet, cum sit motus consequentiæ, quem vocant attractionem à vacuo, cui nihil resistere solet [MS. *subsistere sole*] aut potest. Sunt & febres pestilentes & venenosæ, in quibus sectio venæ lethalis continuò est, quoniam materiæ infectæ transeunt supra membra principalia, & præsertim supra cor; & quis potest scire num febris sit pestilens, saltem ob aëris constitutionem aut contagium? Sunt etiam febres omnes lentæ, in quibus materia est in venis paruis, & per sectionem

venæ

venæ trahitur ad venas magnas, & ita fit deterior conditio ægri. Rursus omnes febres, in quibus materia est valde cruda, vt *duodecimo Artis curandi, c. 3.* Febres quoque quas vocant syncopales, sunt ex hoc genere, nec in illis Galenus mittere sanguinem audet; vt neque in his quæ mala accidentia pariunt; vel si iungatur quæ plurimùm repugnant, velut tabes, hectica, insantia, senectus prouecta, fluxus sanguinis præcedens, Venus multa, qui lapidem habent in vesicâ, resoluti, longo morbo laborantes: præterea in quibus peccat bilis valde acris, aut immodica, aut humor crudus, aut immodicè frigidus, & si materia iam repat aliò, vtpote in quibus fluit per hæmorrhoidas, aut sudor copiosiùs iam effluit, aut si tugeat; est enim euacuanda medicamento, non sectione venæ: neque etiam conuenit cùm materia iam deriuatur ad parotidas, aut ad abscessum exteriorem: nec in incremento, vel in statu morbi, dicente Hippocrate 2. *Aphorism. 29. Cùm morbi consistunt ac vigent, melius est quietem habere.* Sunt etiam proprietates hominum, quæ huiusmodi genus auxilij reformidant: est & tempus anni valde calidum aut frigidum, *primo ad Glauconem, cap. 14.* Tertia ratio est, quoniam necessarium est vt natura sufficiat coctioni, & maximè quia oportet laborantes vti inediâ; & ipsemet Galenus dicit super illo *Aphorismo 15. particulæ 2. Vbi fames, laborandum non est*; quòd non oportet vnquã vti duobus auxiliis extenuantibus vires, veluti inediâ & sanguinis missione, (explicat enim ipse hoc exemplum:) At constat inediam esse necessariam in omni febre: igitur nunquam erit locus venæ sectioni. Adduco modò rationem demonstratiuam fermè in hoc genere, quam alias publicè recitaui, contra adeò laudantes venæ sectionem: nam cùm dicant, quòd natura redditur potentior supra reliquum materiæ. Dico, quòd est oppositum, & est huiusmodi: si æqualiter detrahatur ex viribus & materiâ peccante, & natura esset solùm intenta ipsi materiæ, proportio remaneret eadem: sed natura habet partem virium delegatam muneri necessario. Ergo proportio virium ad materiam decrescit ex sanguinis detractione. Exemplum: sint vires viginti, quarum quarta pars sit delegata muneribus naturalibus; & materia sit vt quinque: erit ergo residui virium ad materiam proportio tripla. Auferatur, inquam, quinta pars ex viribus & ex materiâ, remanebunt vires sexdecim, & quia iam quinque partes necessariæ sunt muneribus naturalibus, relinquentur partes virium vndecim, & materiæ partes quatuor. Proportio igitur virium delegatarum materiæ, est vt vndecim ad quatuor, scilicet minor triplâ, quæ antea erat. Ergo proportio virium ad materiam per sectionem venæ semper fit minor, & conditio ægri deterior. Et siquis dicat, quòd plus extrahitur de materiâ, quàm pro ratione sanguinis aut spiritus. Dico quòd hoc est falsum, & contra omne experimentum & rationem; quia sanguis magis fluit, & est liquidior, & magis in dominio naturæ, vt pateat illi, & est etiam propinquior loco sectionis venæ, cùm materia putrescens rarissimè sit vel nunquam in brachiis vel in cruribus, sed est in intimis, vt liquet. Quarta ratio est similiter contra ea quæ ipsi præsupponunt: nam homo moritur vel per abscessum, vel febrem pestilentem, vel quia humores putrescunt putredine immodicâ: dicunt ergo quòd impeditur abscessus per sectionem venæ: at occurret Erasistratus dicens: Ego vbi cœperit phlegmone, tum mittendum sanguinem censeo, & occurram opertunius, detrahens quantum oportet, & ex quâ venâ necessarium erit ac melius. Si verò dicas, quòd velis mittere sanguinem, ne materia transeat in venenum: respondebit Erasistratus, quòd tum multo minùs decet mittere sanguinem, propter causam dictam de transitu; etiam quia quantumcumque minima pars relinquatur, repullulabit tota, & virtus erit iam debilitata, & ita omnino nocebis, & in hoc pauci, nisi stulti contradicunt. Quòd si dicas non adeò putrescere materiam diminutam sectione venæ. Dico quòd deteriùs putrescit, quia mota è loco suo violenter, non potest bene concoqui, ideóque tardiùs; hoc nemo negabit: sed quod cocoquitur tardiùs, magis putrescit, vt colligitur à Galeno expresse, *primo de Differentiis febrium, cap. 6.* Igitur quantũ ad hoc, deterior erit conditio mittentis sanguinem, quàm non mittentis. Ex quo patet quòd in febribus quæ sunt sine phlegmone, tutius plerumque est, & forsan etiam semper melius, non mittere sanguinem quàm mittere. Sed quinque sunt causæ, quibus mittimus sanguinem. Prima est quia si natura dominatur materiæ magno excessu, morbus celeriùs minuitur, & Medicus videtur fecisse miraculum, & alteri imputatur tanquam ignarus, & producens morbum, quia existimant quòd circuitus febris mitioris debeat etiam esse minor, quod tamen est falsum; est enim æqualis, aut etiam maior. Ergo hoc modo cessant æstus, sitis, & dolor capitis, & similia; quæ sunt valde grata ipsi ægro, & placent etiam astãtibus. Secunda est, quia symptomata minuuntur, & inter illa aliquando quædam, quæ sunt causæ morbi: velut dolor capitis, per quem conciliatur somnus, & ita augetur coctio & ciborum & materiæ morbi. Tertia est, cùm corpus est totum plenum, & tunc natura iam est impedita potiùs ratione multitudinis, quàm ratione febris: & ideò in hoc casu augentur vires, non minuuntur, quoniam à multitudine opprimebantur. Quarta, quæ est præcipua, quoniam ægri nolunt perferre inediam debitam; & ideò in hoc casu, siquis postmodùm abstineret à sectione venæ, interficeret ægrum, suffocaretur enim: idem dico de his qui eam proferre non possunt. Ideò in huiusmodi animaduertere decet, quod quanto æger est magis licentiosus, eo copiosiore sanguinis detractione vti oportet. Quinta est, quoniam homo redditur tutior à phlegmone, & hoc maximè cùm Medicus

non

non est adeò peritus, aut non potest adhibere extremam diligentiam, quam teneremur adhibere ægris, si vel essemus homines. Vt in summa sectio venæ non conueniat verè, aut vtilis sit in febribus, nisi duabus ex causis: vel cùm natura est impedita ob nimiam repletionem, vt non possit se explicare, adeò [vt] etiamsi esset sine febre, esset in magno discrimine; & in hoc casu est sanguis, qui paucus sæpe erumpit his: motus [MS. *erumpit: his modus*] est solus turgentis sanguinis, qui venæ sectione repletionem tollente, curandus est. Secunda est, cùm symptomata adeò vrgēt, vt augeant morbum, velut impediendo cibum per sitim. & somnum per dolorem capitis, & quietem per æstum, nam quies est necessaria coctioni. Reliquæ tres sunt, vel ad licentiam ægri, vel ad ostentationē Medici, au propter ipsius iniuriam aut negligentiam. Et ideò longè melius esset, non mittere nisi in illis duobus casibus. At dicet quispiam pro Galeno, misso sanguine ex venâ, non solùm in continuis iugulatur febris (vt vtatur nomine eius,) sed etiam in tertianis. Dico quòd de continuis, non sumus in casu, quoniam & Galenus ipse negat hoc accidere posse, cùm iam sanguis computruit; & tunc Hippocrates iuberet curari ægrum solâ inediâ, frictionibus, balneis, & cucurbitulis incisis, postquam omnino febris non desiuit per venæ sectionem. Sed ante putredinem, istud quòd febris finiatur, contingit ob refrigerationem: in tertianis verò propter idem; sed materia remanet, quam postmodùm euacuare oportet; atque etiam subiicimur periculo, ne ex tertianâ fiat continua, loco spei vt finiatur. Ergo sectio venæ nihil ad materiam cōfert vt putruit, sed refrigerando prohibet ne quæ nondum putruit, putrescat. Vbi ergo iam putruit pars eius, & non est interuallum temporis, nihil iuuat sectio venę, quia materia omnino subducto calore putresceret, ob continuitatem materiæ iam putridæ. Sed neque intermittentibus, ob periculum ne retractâ materiâ in venas, fiat continua. Ergo in nullâ putridâ conuenit sectio venæ, sed tantùm in sanguineis febribus ante putredinem: at in aliis humoribus nunquam, quia nullus alius humor à sanguine potest facere febrem, antequam fuerit putrefactus, sed tunc vt dixi non iuuatur ex sectione venæ. Ex hoc patet quòd vbi obstet vel minima mittendi sanguinem in febribus conditio, magnus est error si mittatur: secùs in phlegmonis, & venarum rupturâ.

Caput XIII.

De cura generali morbi regii à bile flauâ.

HÆc pars complectitur duas intentiones, communē & generalem. Communis perficitur duobus auxiliis medicinalibus, & per sex res non naturales. Res non naturales tendunt ad tres fines: vt vires roborentur, per somnum & exercitium conueniens; vt operationes faciliùs administrentur, velut sumendo cibos pauciores, boni alimenti, paucorum excrementorum & facilis coctionis; & vt ipsa excrementa emittantur liberè, per aluum lenientia, vrinas prouocantia, & aperientia meatus vniuersi corporis, vt exhalent vapores, aut sudor digeratur. Sed per medica auxilia fiunt euacuationes totius corporis per venæsectionem, quoties vires prægrauantur ab humoribus in venis contentis sub formâ sanguinis; aut ventriculus ex cibo assumpto; aut cùm volumus diuertere per cucurbitulas. Et hoc est quia quicquid peccat in corpore, vel mouetur, vel quiescit: & quod quiescit, vel est in venis, vel extra venas. Et si mouetur, indiget auersione. Et si quiescit, & est in venis coniunctum materiæ, quæ est extra venas, indiget deriuatione, vt etiam propriè in hoc casu demonstrabimus. Quod autem quiescit extra venas, aut in venis, sed non annexum alteri, indiget coctione primū, inde eductione per locum, vt *in Arte medicâ c.* 95. docet Galenus. Pertinent & ad hoc duo dicta ab Hippocrate: vnum *secundâ Aphorismorum* 7. *Quæ longo tempore extenuantur corpora, tardè reuerti consueuerunt*: quod non solùm de extenuaris est intelligendum, sed de morbis ac symptomatibus, non tamen adeò est intelligendum. Alterum, 7. *Epidemiorum, pag.* [*mihi*] 15. sed hoc ad generalem potiùs curationem spectat: *Regio morbo correpto prodest laborare, sudare, panem edere, bibere non multùm, lauare caput calidâ multa, sed potiùs tepida: vinum album, somno non multo vti.* Et in *libro de Affectionibus, pag.* [*mihi*] 9. *In morbo regio extrinsecùs quidem corpus molliendum balneis calidis, aluus & vesica humectanda*, [*his*] *quæ sunt præscripta: si verò validus fuerit, purgato capite pharmacum quoddam potandum dato, quod bilem deorsum purget; postea verò vrinam cientibus vtendum est.* Iure quidem, nam bilis cùm sit leuis, caput petit: & humectare oportet, morbus enim siccus, vt fluat. Purgabimus præparatâ materiâ cum febre, etiam concoctâ, vt iubet Hippocrates: neque enim periculum est, ne in medio iecoris perfectè concocta retineatur. Galenus antem *in Methodo* non tractat de purgatione in putridis febribus, quoniam nō nisi eas quæ à sanguine originem ducunt attigit. Si tamen non iudicentur, per aluum educere quod peccat, etiamsi sit vltra iecoris cauum, oportet; nam nullâ aliâ viâ multitudinem magnam, & crassæ materiæ, expurgare solita est natura; per hanc ipsam quotidie: ideò medicamenro indulget.

Etgo pro venæsectione, si contingat summa plenitudo, mittemus quatuor partes sanguinis, ex venâ tali interiore seu externâ pedis sinistri: sequenti die duas partes, ex iecorariâ brachij dextri: tertiâ verò partē vnâ, ex saphænâ aut ischiaticâ dextri pedis. Et si minor fuerit repletio, incipiemus eodem ordine & quantitate, à basilicâ sinistri brachij, duas partes extrahēdo, aut ex nigrâ loco eius; pòst deueniemus ad pedē dextrum. Et si repletio adhuc fuerit minor, incipiemus à pede dexrro, & mittemus vnam partem tantùm. Et similiter in euacuatione alui incipiemus à cassiâ nigrâ, aut à clystere, aut à vomitu: & hic

hic conuenit in cura generali morbi regij, & etiam potest conuenire in cura communi: & ideò cura communis est triplex: sanorum, ægrorum [MS. *ægrum*] hoc morbo, & [neutrorum:] non est cura tamen generalis morbi regij, sed communis; quoniam communis, vt ad generalem refertur, negans est: nam si sit affirmans, tunc est generalis, & non communis, velut si dicam: in morbo regio non debemus purgare ab initio, communis est: si dicam, debemus purgare, est generalis, & etiam falsa. Dicemus ergo de cura generali.

Hæc igitur cura est generalis morbo regio flauo, & vt à nigro distinguitur: & quoniam distinguuntur à pluribus causis, ideò non potest transferri, nisi trifariam: vno modo vt est cura generalis: secundo, vt conuenit primæ causæ, id est, mistioni bilis in actu cum sanguine: tertio, vt conuenit pluribus generibus, nam quæ conuenit causæ generaliori, veluti obstructio in vesica fellis, non est generalis, sed tradetur in *c. proprio, videl.* 32. Generalis ergo erit, velut si dicam, quòd chamæpitys, cassutha, & scammonium conueniunt morbo regio; nam conueniunt non solùm ei, cùm factus fuerit ex obstructione, vt frequentissimè accidit, sed etiam cùm ex caliditate sola, vel consensu ventriculi, vel malo regimine. Ergo hæc est cura generalis quodam modo, de quo antea non sumus loquuti distinctè. Et quoniam visi sumus dicere, quòd cura generalis communis alicuius morbi, non est nisi negans: dico quòd est verum, quamuis tamen tradatur modo simplici & per affirmationem. Et ideò cura generalis in hoc casu præcipuè conuenit morbo regio, qui fit per flauam bilem tantùm, potiùs quàm morbo regio simpliciter [MS. *simplicet*;] quoniam est duplex diuisio, & non concidit vna cum alia: nam morbus regius diuiditur in plures species, ratione causarum, vt dictum est suprà; & in flauum, nigrum, & viridem: & singulæ species causarum, communes sunt flauo, viridi, & nigro. Et singula genera flaui, nigri, & viridis, sunt communia ei qui fit ab obstructione, vel scirrho, vel inflammatione, & ita de cæteris. Ergo morbus regius flauus in tractatione artificiosa, non vt apud Philosophum naturalem, debet supponi pro genere: & cura generalis huius morbi erit, vt distinguitur à nigro, & viridi; & vt conuenit solùm flauæ bili primùm, & vt fit in iecore, tanquam membro principali, vt dictum; & vt est propinquior locus ipsi ventriculo, quàm in nigro, vel viridi. Ratione ergo flauæ bilis, cùm sit calidior humor & tenuior, indigebit refrigerantibus magis & leuioribus auxiliis, & in maiori quantitate, quia maior est quantitas flauæ bilis in corpore humano quàm nigræ, vt habetur à Galeno, *quinto de vsu partium, c. 6*. Et quia est in membro principali, vtemur astringentibus & odoratis, & non simpliciter refrigerantibus & aperientibus: hoc autem est quartum, quod includitur in cura generali, scilicet quòd cùm aperientia pertineant ad curam specialem morbi regij prouenientis ab obstructione; tamen vti aperientibus, & vitare ea quæ obstruunt, & causas omnes obstructionis, pertinet ad curam generalem; quia obstructio potest parere regium morbum flauum, & ita ea quæ possunt esse causa febris, pertinent ad curam generalem, vt omnis negans specialis causæ morbi, pertineat ad curam generalem; & est quasi similitudo in Dialectica, quia vniuersalis negans opponitur speciali affirmatiuæ. Et ita habes pulchram segetem curæ generalis. Tertia pars est, vt vtaris auxiliis leuioris substantiæ, & imbecillioribus quoad qualitatem, quàm in nigra; quia locus est proprior ventriculo: rosa ergo, & seris, & omnia genera cichorij, vt etiam sonchus, plurimùm conferent huic morbo, velut & vuæ passæ, & aqua cochlearum, & ius earundem; refrigerant enim & humectant, & aperiunt, & iuuant iecur. Idem dico de balneo. Vrinas autem biliosas, *teste Oribasio* 14. *Collectan. cap.* 49. fumaria educit; scolymos cardui species graueolentes; erythrodanum crassas atque cruentas; eruum sanguinem, sed magis sabina: singula hæc etiam multas, (quibus auxiliatur spica Inda.) Symptomatis autem cura, seu coloris praui est, *ex Aetio l. 10. c.* 18. vt impleto ore posca, cerebrum per nares expurgetur cyclaminis succo in lacte muliebri, inde atramento sutorio in eodem. Oribasius autem *l. 3. Collectan. cap.* 24. commemorat asphodeli turiones [MS. *turios*,] pro medicamento singulari morbi.

CAPVT XIV.

De cura generali morbi regij à bile nigra.

Contraria ratione instituemus curam morbi regij nigri, in qua calida sustinemus, moderate humidiora ac validiora [prodesse.] Balneum non adeò proderit, & erit ex calidiore aqua; nam in flauo sufficit vt sit tepidum, vel etiam subtepidum, ne iecur incalescat; & oportet vt medicamenta sint longè robustiora, nam vires eorum franguntur plurimùm in iecore. Humectatio autem maxima fit cum iuribus carnis castrati, nam omnium carnium humidissima est suilla & ouilla; omnis enim caro calida est, quia fit ex sanguine: igitur cùm animalia sanguinea sint humidissima & calida: & ouilla atque suilla, humidissima inter animalia: & caro inter partes animalium: conuenit vt caro ouilla sit omnium humidissima: suilla autem non est idonea ad ius conficiendum, ob nimiam pinguedinem quæ gelascit in frigore, & etiam nauseam mouet, & est potestate frigida. Ergo ius carnis castrati inter calida est humidissimum, & se habet proportione ad oleum, sicut caro ad oliuam: sed caro est longè humidior oliua: igitur ius illud est longè humidius oleo. Oportet autem eligere carnem castrati, à primo anno vsque ad quartum annum, & vt sit exercitatus, & sit caro musculorum, & vt auferatur tota pinguedo, deinde incidatur in frusta nucis magnitudine, & abluantur cum aqua calidissima ter aut quater, donec pars tota sanguinea & aquosa auferatur, inde coquatur

donec

donec dissoluatur, postmodùm coletur, adeò vt remaneat clarissimum, & cum hoc coquantur sicut capparis radices, & scolopendrium, velut *tertio decimo Artis curandi, c.* 17. vel etiam tamariscus, & quæuis radix aperiendi [MS. *quæci radix aperienda*] vim habens, velut inter calidas petroselini, & inter temperatas filicis, sed prius incisæ, & in aceto acerrimo albo maceratæ. Hæc ergo nigro regio morbo conferunt, atque eadem ratione generali quâ dictum est, vt distinguitur à flauo. Tum verò specialiter acorus, semen viticis, lien equi [MS. *æqui* [syluestris, saxifragia, xyris: vitis albæ radix, ılatis, hemionitis [MS. *hœmonites*,] leucoij radix, lonchitis; sed nihil amicius aceto mulso seu oxymelite, & asinino liene, & absinthio; ex ciceribus autem eligere oportet orobiæum. Et ex purgantibus helleborus niger, & fumaria. Et ex cibis caro pullorum est melior carne castrati ob tenuitatem. Et pisces petrosi laudantur, & apium odoratum, & endiuia iuncta illis est vtilis. Et hæc est cura huius communis generalis, vt distinguitur à flauo. Halyabbas *lib. 7. Pract c.* 41. exhibet lentis ℥.ij. (à Græcis habetur, decorticatæ:) tere, & propina in balneo cum vrinâ pueri impolluti, & aquâ fœniculi, paribus ponderibus. Sed optima catapotia è lapide cœruleo.

Capvt XV.

De cura morbi regij per aërem, somnum, motum, animi accidentia.

DEinceps modò ponam curam specialem morbi regij, flaui tantùm breuitatis causâ (per morbum enim regium, flauus intelligi solet:) nigri autem comparatione ad flauum in generalibus: viridis autem, composita erit ex vtraque, seu media. Ergo aër humidus, tenuis, & parum frigidus, bonúsque est eligendus: & vbi pueri, & mulieres, & viri ipsi sunt boni coloris, & boni habitus, Et vestimenta sint leuia & calida. Et vtatur balneis frequenter; & somno prolixo super sericeâ stuppâ, in cubili perflato. Et exercitatio, & cursus iuuant, sed quatenus potu exhibito prouocatur sudor. Et frictiones etiam iuuant. Lætitia quoque, & bona spes, & imaginari res coloris flaui, iuuat ad hoc aliquo modo, vt materia foràs protrudatur: non est tamẽ res generalis, & in paucis multum affert iuuamen. Et si fuerit ex obsttuctionibus; non debet homo multùm se exercere, sed sufficient deambulationes. Et si sit ex caliditate, sufficiet equitare, vel vehi carpento, vel in naui. Et nauigatio in mari sola per se multos liberat, propter vomitum, & motum etiam aëris, & totius corporis agitationem, & abstinentiam cibi. Et mutatio regionum etiam sola, est causa salutis in his qui seruari possunt.

Capvt. XVI.

An vinum, an aqua sit meli[illegible] in cura morbi regij.

AQua quidem in regio morbo flauo, vtilior esse videtur: refrigerat enim & humectat magis, & ventriculo amica est. Præterea non impellit materias corruptas, sanguinémque bile infectum ad membra nobiliora, maximè cerebrum. Est etiam tenuioris substantiæ, si ex optimo fronte sit, aut destillata, aut saltem cocta, vel si imbuatur viribus medicamentorum iecori vtilium, tum etiam ventriculo; quid enim commodius esse potest; At neque vino suæ desunt dotes: prouocat vrinas magis quàm aqua, quoniam acrius est & valentius: sicut aqua sudores, quoniam tenuior est, & imbecillior, & magis amica naturæ, est enim potus eius, vinum autem hominum. Et in vniuersum tutior est potus aquæ tantò magis in flauo, quantò vinum in nigro: nihil enim hîc opus est vitali facultate, quam vinum maximè fouet. Alimentum autem ex aquâ æqualius est, & purius, & melius. Sed aquas conuenit esse vel fieri bonas; namque præter id quòd omnia mala [MS. *malæ*,] mala sunt; aquæ malæ damna deteriora sunt quàm vini. Sed aquam vix malam esse dicere possumus, quæ vel currit, vel è nubibus decidit, vel coquitur & expurgatur. Vnum tamen imminet periculum, quo vina carent, serpentum scilicet putredo & virus, sed hæc in stagnantibus. Aquæ præterea in frigidis regionibus, & vallibus, & paludibus, & iuxta mare, & iuxta antra, & loca exhalationum, deteriores sunt vino. Vinum verò aquâ in calidis locis, & montibus, & sensibus, & facultati naturali; vitali autẽ præstantior est. Quòd siquis obiiciat, aquam bilem generare: id verum est in febribus, cùm faciliùs putrescat vino: ob hæc igitur Princeps consuluit, vt vterentur vino, sed valde aquâ diluto. Et mihi placet aqua destillata cum xij. parte sem. peponum, & xlviij. apij foliorum ac radicis, aut decocta.

Capvt XVII.

De cura per cibos.

CIborum ratio, quanquam diuersis modis distingui possit, commodiùs tamen meo iudicio in xxj. genera distinguitur. Namque cùm tria sint prima genera, ex quibus sumitur alimentũ; plantæ scilicet, & animalia, & terrea: hæc tamẽ [terrea] vno genere continentur indiuiso, scilicet sale, quod neque alimentum est propriè, sed potiùs condimẽtum, idque huic proposito satis ineptum nisi quantum necessitas cogat: nam sal auget flauã bilem, & acuit, & iecur calefacit & siccat, astringit, & vrit, & sitim prouocat: quæ omnia etiam in nigro regio morbo aduersissima sunt nedum in flauo. Secundum verò genus

genus principale [nimirum Plantæ,] in sex rursus genera diuiditur: namque plantarum partes sex habentur, scilicet folia, surculi seu germina, vel asparagi seu cauliculi [MS. *canaliculi*,] aut turiones; & radices, fructus, semina, ac succi. Succorum quatuor species præcipuè habentur; mel, saccharum, oleum, & acetum, quorum duo vltima, & ipsa potiùs inter condimenta numerari debent, quàm inter cibos. Et folia quidem parum nutriunt, pro ratione tamen plantæ laudabilia vel noxia habentur. Quæcunque igitur iuuant iecur, & refrigerant & humectant, quæ ducunt vrinas, vel leniunt aluum, omnia ferri possunt; velut & quæ incidunt, aut attenuant, cuiusmodi fœniculum, petroselinum, cucurbita, lactucæ. At si in pluribus conuenerint, etiam laudabilia sunt, quemadmodum endiuia, seris, sonchus, quælibet cichorei genera, rapæ: nam est idem iudicium de radicibus, & surculis seu germinibus, nisi quòd radicum ius solum vtile est. Surculi autem teneri, molles, & bene cocti esse debent, plusque nutriunt foliis, & ventriculo sunt vtiliores. Ergo & radicula & raphanus concedi possunt, in ea [icteritia] quæ cum obstructione est: similiter & beta, & sicla, & lupulus maximè, & absinthium; sed hæc non tam pro cibo quàm pro medicamento habenda sunt. Seminum autem, oryza per se quidem vtilis, & boni alimenti, amicaque ventriculo, sed tamen huic morbo minus idonea, astringit, siccat, difficilis est concoctionis, & parum nutrit: reliqua omnia præter triticum, & ptisanam hordeaceam, & in genere leguminum, ciceris orobiæi ius, inutilia sunt, hoc autem pro medicamento habetur singulari: est autem cicer orobiæum [MS. *cicer orobeus*,] quantitate paruum, nigricans, prædurum, montibus & solida terra nutritum, seu cretacea [MS. *cretea*:] alterum rubrum, quod facilè coquitur, arena natum, cuius tantò salubrior est substantia, quantò ius ipsum imbecillius & inefficacius. Et vt breuiter dicam, substantia leguminum praua, ius non omne, sed & orobiæi ciceris [MS. *orobei & ciceris*,] & phaselorum, & pisorum, & eruiliæ quam vocant ochrum syluestre [MS. *œron syluestrum*,] & lathyri seu cicerculæ, & lentis vtriusque, sed præcipuè illius quam Hippocrates nominat odoratam, quam reor eandem esse, propter quam Esaü refertur cessisse primogenituræ iuri, seu hæreditati: omnia ista vtilia sunt, vt dixi, scilicet ius. Panis verò ex tritico abundè subacto, sed haud experte furfuris, sic enim commodior obstructioni, spongiosus, leuis, fermentatus, tenui lixiuio pinsitus, bene coctus, cuius pars sicca & exusta excuti debet, eiusdemque diei; incredibile enim est, iuxta etiam Auenzoar sententiam, quantum ex modico temporis, detrimenti accipiat; certè post tertium diem omnino ablegandus est, hic enim contumax est, in concoquendo tenax, & terreum alimentum præbet, vnde obstruit, & prauè alit, & negotium ventriculo ac iecori exhibet humido quodam crudo. Reliqua quæ nomine frugum continentur, omnino inutilia sunt, vt non sit quod vllius [MS. *quo illius*] mentionem faciam; sunt enim minoris alimenti, aut ficciora, aut difficilioris coctionis. Sunt tamen semina quædam tertij generis, quæ neque inter fruges, nec legumina numerantur, quorum est vsus abunde vtilis, velut peponum, & cucurbitarum, & cucumerum, & melopeponum, sed minùs peponum: igitur optimum genus est, atque in omnibus cibis lac eorum; refrigerat enim, humectat, aperit, ducit vrinas, facilè concoquitur, sudores iuuat, somnum conciliat, parum nutrit, & facilè excernitur, vt ptisanæ simillimum sit. Sed neque ptisana ipsa per se exhibita adeò vtilis est, quinimo aliquid acre ei immisceri debet, velut aceti parum, aut oxymelitis, aut porrum more Galeni. Fructuum autem alia ratio est, quippe multi vtiles, scilicet qui sunt è genere pomorum, & horæi, pepones, pruna, cerasa, cucurbitæ; non ita è genere nucum, sed tamen ex his meliores amygdalæ, ob alimenti tenuitatem; & auellanæ, vt quæ sint iecori admodum amicæ; ficus minus vtiles recentes, nam siccæ sudorem prouocant; bonæ sunt & vuæ passæ. E tertio autem genere fructuum, scilicet glandium, nullus bonus, non castanea, aut aliquid simile. Illud non obliuioni mandandum, quod à Galeno præcipitur salubriter, *secundo de Alimentis*, *cap.* 58. Germina quæcunque plantarum ficciorum, tantò humidiora esse foliis, velut radiculæ, asparagi, cardami, apij, sij, lapathi, bulbi, ozimi, smyrnij, sisymbrij, dauci omnium generum, raphani; quantò ficciora sunt humidiorum herbarum, atriplicis, maluæ, lactucæ, caulium. Ob hoc igitur illa suis oleribus longe vtiliora, hæc deteriora. Carduis igitur & asparagis commode vtemur, tum etiam eo genere spinosæ plantæ quam vocamus cardos, & est herba longissimo caule, pingui, ex viridi alba, tota spinis longioribus, obsita. E succis autem oleum parum vtile est; saccharum & mel, inutilia prorsus; acetum album, & tenue, acreque, in regio morbo nigro vtilius; in flauo posca melior est, vt quæ refrigeret & humectet, abundeque incidat: quocirca non male mihi sapere visi sunt Romani, qui ea pro potu castrensi vtebantur, refrigerat enim & humectat calefactos, & immodicis exercitiis exiccatos: quinetiam incidit cibos eorum lentos; erant autem hi, caseus, lardum, cœpe, placentæ absque fermento: putredinemque prohibet, cui maxime milites, ob impuritatem victus, vestium, aëris, ac sordium, obnoxij sunt. Sed & (siquid ad rem) vilis pretij, & paratu abunde facilis, & gustui iucunda. Iam ergo septem genera eduliorum explicuimus.

Tertij verò generis primi, quatuordecim vt dixi, si numerus expleri debet, membra simplicia erunt: & prima quidem sex: quadrupedia, pisces, Amphibia, quorum, nî fallor, quatuor tantùm genera noui, scilicet testudines tam lutosas quàm nemoreas, cancros & paguros, ranas, & cochleas: tum vero oua, & lac, & quæ ex eo fiunt: partes autem præcipuè habentur quinque, aqua quæ vtilissima est, sed potius pro medicina quàm pro alimento, spuma, butyrum, caseus primarius, & secundarius. Piscium vero tres sunt

sunt præcipuè differentiæ; marini, & dulces; molles, & duri, squammosi, & cute contecti: vt iam sint octo. Auibus verò ex cibo aduenit discrimen: aliæ enim granis & plantis vescuntur, aliæ sordidis, quæcunque vel latum habent rostrum, vt anseres, anates, olores, & onocrotali; & denique omnes quæ in aquis versantur, velut halcyones, gauiæ, & mergi: harum enim omnium caro inutilis est; sed quæ longum habent rostrum ac prætenue, velut gallinaceæ vocatæ, has dubium non est vesci pisciculis paruis atque vermibus: omnes itaque bonæ sunt. Meliores tamen quæ granis, sed non simpliciter, cùm in hoc morbo omnes sint inutiles: est enim caro omnis auis, comparatione quadrupedium, aut calidior, velut aquaticarum; aut siccior, velut earum quæ vescuntur granis, maximè si paruæ sint, velut passerum, carduelium. Sunt & quinque differentiæ rursus à membris omnium animalium sumptæ: viscerum, carnis glandosæ, carnis musculosæ, extremorum seu capitis & cerebri, tum verò partium exanguium. Ergo animalium quadrupedium primò nullum vtile ex feris propter siccitatem, præter cuniculum [MS. *caniculum*,] & longè magis eritium seu erinaceum [MS. *criticum seu errhinaceum*,] qui proprietate videtur esse iecori & omnibus [partibus] naturalibus vtilissimus; magis tamen in hydrope, quam morbo regio, minùs etiam nigro: vtilissima est eius caro in morbi regij specie illa, in quâ color plumbeus admistus apparet, tum varius, de quo *suprà cap.* 8. Ex domesticis hædina bona non est, nec vitulina, nec suilla, castrati ergo, atque agni, optima censetur. Excipitur caro vaccina cocta in aquâ cum aceto, quæ purgat bilem per aluum, & iuuat à proprietate in hoc morbo. Ex partibus animalium, caro glandosa & alba facilioris coctionis, melioris alimẽti, humidior & frigidior: post quam est caro rubra rubra musculorum, præsertim magnorum, vt lumborum; ex visceribus, auium & piscium iecur: in quadrupedibus autem non item, ni forsan lupinum pro medicamento potiùs quàm pro cibo exhibeamus; & in piscibus lacteas partes, quas vocant appendices seu apophyses exquisitiore vocabulo. Pedes verò inter extrema quadrupedium, boni sunt. Pisces quoque dulcium aquarum meliores sunt morbo regio flauo; marini tamen simpliciter meliores, quorum capita deteriora; & duriorum dorsa; vt contrà ventres meliores [MS. *mulieres*:] & in mollioribus dorsum: partes autem iuxta caudam in vtrisque salubriores, humidum enim magis concoctum est. Duriorum nullus bonus, nisi qui paruitate mollis est. Molles autem generaliter boni, maximè si friabiles extiterint, vt gobij, & saxatiles, velut percæ: omnia talia tamen quæ exuberant humido, aceto, & incidentibus, & attenuantibus condiri debent. Ouorum mollium & recentium lutea, boni sunt alimenti: album obstructioni paratum; sicut & indurata pars summa (quam lac vocamus:) quæ non concrescit, & exigua est, vtilior cæteris partibus, humectat & refrigerat. Caseus malus, obstruit enim: secundarius coctione durior, minus nutrit, somnum tamen à cœna sumptus conciliat. Butyrum deterius est ob dulcedinem, & magis conuertitur in bilem. Spuma facilè corrumpitur, & si cum aliis cibis misceatur, obstruit iecur. Ranæ vtiles sunt, quanquam antiquis non essent in vsu mensæ. Testudinem palustrium ius solum bonum est cum petroselino, nisi iecur forsan vtile sit. Cochlearum ius optimum, & substantia, si mollis sit; debet vt cætera quæ crassa, vel lenta, vel etiam frigida & humida sunt, iungi attenuantibus atque incidentibus maximè temperatis, veluti sunt acetum, oxymel, filicis radix, lapathum, tum verò piper, petroselinum, & eiusmodi, sicut etiam cappares, sed cum succo limonij fructus. Sapa verò tametsi pro succo describi possit, inutilis est, velut & oleum, facilè enim incalescit. Tubera etiam mala, & fungi deteriores. Adnumerantur autem inter plantarum partes, flores buglossi & boraginis, quia tamen non multùm prosunt, neque in vsu sunt aliis prætermittuntur. Atque hæc breuiter, & generaliter, & in omni curâ. Communiter autem mali sunt omnes cibi crassi alimenti.

CAPVT XVIII.

De cura per euacuationem.

EVacuatio generalis debetur materiæ peccanti: specialis autem causæ, id est, materiæ facienti obstructionem. Quæ autem morbum parit, est vel bilis flaua, vt dixi, vel nigra. Medicamenta autem quæ proportione respondẽt, cassutha, scammonium, chamæpitys, sphondylij radix, cnicum, colocynthis & absinthium. Ergo in chamæpity, vt suprà dictum est, magna vis est. Tria autem sunt spectanda in huiusmodi euacuatione præter humoris proprietatem. Primum, vt temperies potiùs emendetur quàm corrumpatur: vnde scammonium plurimùm obest, excalefaciendo ac exiccando. Secundum, vt trahat propriè ex loco atque ita ex venis ac sanguine, non autem ex articulis ac pulmone. Tertium est, vt celeriter id agat, & cum facilitate; nam quæ tardè & difficulter vacuant, noxam afferunt, & commodi parum. Est etiam aliud non ex parte medicamenti, sed quasi externum, scilicet præparatio humoris, non solùm vicem causæ habentis, sed morbi, si ita dici potest, humor enim morbus esse non potest. Præparatio verò illius est, vt attenuetur si crassus, incidatur si lentus, & vt temperetur. Scammonium ergo facilè & celeriter educit bilem flauam, & ex venis, vt nihil præstantius esse possit: nocet tamen membris principalibus, præcipuè cordi & ventriculo, & calefacit ac siccat: ob id caphurâ, & flore nymphææ, moscho, & caryophyllis, gemmis, ac malo cotoneo castigandum est.

est. Absinthium ægrè expurgat, & calefacit ac siccat: ob id cùm sit proprium medicamentum eius morbi, vino misceri debet, & fumariæ, vel etiam similibus & humidioribus herbis, velut endiuiæ, lupulis; sed vt reor, nihil melius aquâ lactis. Chamæpitys huic morbo propria maximè est, vt simul materiam educat, intemperies corruptas corrigat, multáque alia commoda afferat. Humectare autem oportet ac refrigerare: id autem postquam à naturâ non factum est per mistionem, quæ optimè & valentiùs agit, & minùs lædit, per artem facere decet, quæ si sit inferior genere, specie tamen vtilior est, cùm & refrigerare quantum volumus, & humectare, & calefacere liceat, & recentibus vti medicamentis, quandoquidem electio commodior sit inter plura; quâ ratione etiam ex validioribus, velut natis in montibus, vel in regione, quæ optima medicamenta eius generis gignere soleat. Sed vt dixi, hoc incommodi in arte relinquitur, vt nunquam (præsertim si fermentatum non sit) medicamentum priuetur facultate naturali; velut si misceas cassutham cum aloë, non tamen fieri poterit, quin magis ventriculo noceat, quàm absinthium, nec tantum prosit morbo regio. Aëtius & Princeps vinum dulce, quod in cortice colocynthidis per noctem manserit, colatum dant. Timotheus tamen abiicit vinum, & exhibet corticem, quem in catapotia digerere necessarium esset. Vide *lib. de Alimentis, comm. 61.*

Caput XIX.

De cura per præparantia.

PRæparant, quæcunque impedimenta tollunt, quorum quædam sunt annexa ipsi materiæ morbi, velut caliditas, siccitas, crassities, lentor; atque hæc duo etiam causis conueniunt, velut & mala temperies membrorum. Ergo inter præparantia, violas, endiuiam, betam, aquam lactis collocabimus. Quòd si crassa sit bilis, nihil melius succo raphani; sed & balneum, quamuis cibus non sit, & in oleo chamæmelino, sed & ipsum chamæmelum sumptum in potu, iuuat hunc morbum, præparátque ad expulsionem. Itaque voco præparantia, non solùm diuersa ratione materiæ, velut balneum, cibus, potus, somnus, quies; sed etiam ratione modi, vt quæ purgant, vrinam prouocant, aut sudorem mouent: omnia enim eiusce generis sunt.

Caput XX.

De medicamentis propriis.

PRopria quidem medicamenta voco, quæ huic morbo maximè conueniunt, seu purgent, seu præparent, seu quouis modo iuuent, non tamen ita propria, vt occultâ ratione agant, de quibus dicemus *inferiùs.* Primum ergo & principale est, vt dixi, balneum aquæ dulcis, quod refrigerat, & humectat, & attenuat humores crassos, & per halitum, sudorémve educit. Secundum est vomitus, quoniam in omni morbi regij genere vtilis est. Tertium est aqua lactis, quæ & ipsa attenuat, humectat, refrigerat, aperit obstructiones. Quartum est scammonium, dictum est autem *suprà* de eo, tum de aliis medicamentis purgantibus. Quintum sunt omnia genera cichorij, quoniam plurimùm prodest iecori, refrigerat, humectat, aperit. In sexto genere est raphani succus, & lapathum; est enim quasi medium inter raphanum & cichorium vel endiuiam: & succus mori, humectat enim mirum in modum, & bilis acrimoniam obtundit: & semen atriplicis, & herba, eâdem ratione quâ & betæ, sed semen longè validius est: & cnici semen ipsum, etiam cum aquâ lactis quam separat, educit bilem & serosos humores, repurgans sanguinem, quamuis pituitam solùm expurgare soleat. Lac quoque asininum est ex huiusmodi numero, velut & semina melonum: & iecur lupi confert in omni dispositione, quoniam confirmat humanum iecur: & causa quare plus iuuet puluis eius in paruâ quantitate, quàm caro eius comesta loco cibi, est quia cibus vincitur à naturâ, & ideò illam nonnisi vt mutatus, mutare potest; puluis autem quia mutari non potest in alimentum, ob siccitatem, mutat magis, interim enim quòd concoqueretur (& est spatium fermè duodecim horarum) [MS. *annorum,*] mutat ventriculum & iecur. Apuleius laudat verbenam, & sabinam, quæ potens est, sed ventriculo inimica. Macer vrticam, betonicam, chamæmelon, chelidonium, aloën. Aëtius serpillum, medullam acidam mali Medici. Halyabbas, si non adsit abscessus, spodium maximè, & reliqua refrigerantia exhibet cum aqua lactis. Medicamentum nobile, cuius penè omnes meminerunt, sed ex Galeno potiùs depromptum. ℞. Adianti, menthæ, erythrodani pares portiones, cum aquæ ℥iij. dentur anhelanti in balneo, sed meliùs in Sole; nam balneo immorari calido tamdiu, periculosum est, educit vrinam, & sudorem multum. Laudat & ibi Galenus, *quarto scil. de Compos. medic. secund loc. cap. 1.* Lychnidis ʒj. ex vino meraceo. Oxalis præterea, & portulaca, & succi harum sunt ex hoc genere, adeò vt existiment, [his] etiam tubercula tolli posse. Punica quoque mala his adnumerantur, adeò vt ex vsu illorum plurimi sanentur: & cicera orobiæa, de quibus *suprà* actum est. Asparagus quoque, & Irion, & chelidonia, & cyclamen, & melanthion, & prassium seu marrubium, adianthúmque, tum chamæmelon, & betonica, & anchusa, & erythrodanum, & verbena, & halicacabum, & ruscus, & lycium, & chamæcissus, & cornu ceruinum, (diximus & de absinthio:) & rhabarbarum, & asarum, & vitelli ouorum: & ex compósitis, mithridatium. Et appello medicinas proprias, quæ iuuant & non nocent, quia sunt prope temperamentum, & habent ex quatuor qualitatibus, quæ conferunt huic morbo,

duas

duas aut tres. Sunt autem qualitates illæ, quòd refrigerent & humectent, quòd expellant materiam biliosam quouis modo, maximè tamen per aluum vel per sudorem; quòd confirment membra naturalia, maxime iecur; quòd incidant, & attenuent absque frigiditate sicca, vel substantiâ crassa. Huiusmodi autem in morbo regio nigro sunt asplenium, tamariscus, capparis radix & hypericonis surculi cum foliis, floribus, & semine. Non sunt autem specialia, nisi quantitate, & specie, & modo determinentur: quamobrem de his primùm dicemus.

Capvt XXI.

De balneis aquæ dulcis

ELigere oportet aquam leuem, & omnis qualitatis expertem, in quâ facilè legumina coquantur, ieiunúsque æger imponatur, loco temperato, excretis primis excrementis ventriculo prorsus inani, & vt bene dormierit, nec langueat, sensímque balneo assuefaciendus est, ab octauâ parte horæ ad horam vsque pro salubri, hoc enim tepidum est, & nihil agit patiens, sed solùm oblectatur in eo, & diutiùs manet ibi. Refrigerat, humectat, lætificat, & prouocat somnum. Est etiam balneum quod medicamenti rationem habet, cuius aqua calidior, mora non vltra mediam horam: æger assumit medicamenta, dum in eo moratur, quæ purgant, aut vrinam mouent, aut sudorem prouocant, vnde vsus abundè diuersus.

Capvt XXII.

De his quæ à proprietate agunt.

PRimum ex his est fel vrsi, & datur à drachma vna, & habet sympathiam. Item vermes terrestres, aut aselli qui sub hydriis inueniuntur, in furno siccati; & quantitas est à drachma vna ad duas cum succo chelidonij. Et stercus album catuli ossa solum comedentis, & ouillum, & Scribonius capreæ montanæ ex vino præbet: Et hæc quinque oportet vt æger nesciat quid sint, ne abominetur: & componantur cum spica, aut asaro, aut alio odorato, vt non sentiat odoris grauitatem. Cerebrum quoque perdicis, & ferrugo seu rubigo ferri *ex Plinio Secundo, & lib. de facilè parabil. ad Solonem,* & canini rubi fructus ruber. Multò plura etiam sunt quasi media inter hæc, & vtroque modo participantia, scilicet radix oxalidis, & cornu ceruinum, & ericius marinus; terrestris autem membris ipsis confert, & semen nucis cupressi, & cassutha, & succus rostri porcini, seu dentis leonis, & est species cichorij; vnde dignoscitur quod sit longe validior, & magis confert iecori vlla alia specie; radix raphani, atque serpillum, tum iuncus odoratus. Experimentum Arnaldi, 2. *Breuiar. cap.* 41. Stercus asini dissolue manibus in vino, reiecto quod descendit, bibat quod clarum est, & cooperiat se in lecto, sudabit & minget totam materiam, & ita liberauit supra viginti ægros. Laudatur & Caprifolium. Montagnana dabat aquas acori & napi, purgant enim sanguinem: & remittit nos ad Principem, *septimâ quarti, tract.* 2. *cap.* 2. Et ibi laudantur aqua dactylorum immaturorum, & ficus siccæ; ea enim, inquit, augent calorem naturalem: & vinum, & lac simul à ieiunio. Et oua sorbilia, & vinum odoratum & ius, & aqua carnis, & est vt caro dissoluatur in duplici vase. Et mirobolani chebulæ conditæ, purgant sanguinem, siquid aliud.

Capvt XXIII.

De potu aquarum naturalium calidarum.

IAm *in tertio libro* declarauimus, quòd aquæ thermarum omnia purgant: quæ tamen minus calidæ sunt & leues, bilem flauam magis educunt. Oportet autem exhibere, vt pleraque alia, in balneo aquæ dulcis: sed si magis calorem iecoris temperare voluerimus, tepidam & frigidam potestate, leuiter deambulando. Optima autem est Lucensis nostra ætate, nam vt *in Physicis* declarauimus, omnia temporum successu variantur, ac veluti per circulationem quandam mutantur. Propter multitudinem autem earum, multiplex periculum hydropis aquosæ incidit, seu aquæ corruptæ sint propter pluuias, seu parum temperamento iecoris conueniant, seu iecur admodum sit imbecille, vel vt æger importunè se gerat, & cibis multis aut multum nutrientibus, aut crassis, aut valde frigidis vtatur, seu obstructio in iecore adsit, aut in renibus, ita vt permeare non possit [aqua.] His præsertim casibus, manifesto periculo ægrum subiiciemus. Putrescit autem aqua, vel immisso quod putrescere possit, vel permista fontanæ, dum agasones volunt replere vasa, quæ ex parte exinaniuerunt, ob instantem sitim antea; vnde etiam interim agitata, aliam corruptionis causam adipiscitur. Itaque vt tutò exhibeatur, magno Medico opus est.

Capvt XXIV.

De cura morbi regii à crisi.

SPecialis igitur & propria morbi regij, imò potius solius symptomatis cura, est eius qui fit à crisi, per ea quæ sudorem prouocant & per errhina. Et si omnia fiant in balneo, erunt potentiora. Talia ergo erunt, cyclamen in lacte mulieris infusũ, & succus siclæ, & aizoi, & melanthium, & syrupus ex

succo

succo mâli Medici. Et si in balneo coquantur chamæmelon, polium, amaracus, anethum, & hyssopus; & in potu detur erythrodanum, & quæ prouocant vrinam, & adiantum, & apium. Et in cibis vtatur limonij succo, endiuia, & oxalide. Oculorum verò color detergitur cum aquâ rosaceâ, & aqua coriandri, & aquâ niuis. [Incertum est, an *niuis*, an *nucis*, legendum in MS.]

Caput XXV.

De cura morbi regii à veneno.

AVenzoar docuit eam curam fieri debere, exhibitâ smaragdo Orientali optimâ, pondere decem granorum. Et similiter Princeps dat theriacam pondere drachmæ vnius, aut mithridatium cum aquâ malorum acidorum, tum etiam Punicorum accidorum, & succo endiuiæ, & portulacæ, & oxalidis, & mucoso succo psyllij, & berberorum. Itémque assiduè vti in principio potu lactis, & oleo amygdalino dulci, & iure pullorum, & ciconiarum, & gruum, & catulorum. Et centaurium plurimùm potest in regio morbo, qui relictus est post operationem veneni. Et reliqua quæ dicta sunt in curâ eius. Marcellus autem in hoc casu laudat zopyram compositionem, quæ etiam in principio, & magis conuenit.

Caput XXVI.

De cura morbi regii, à sola calidate iecoris.

IN hac adhibemus balnea longa, quæ infra teporem; & somnum prolixum, & lætitiam, & quietē, & clysteria refrigerantia, cum decocto siclæ, violarum, endiuiæ; & cibos frigidos & humidos, & aquam simplicem pro potu, aut decoctum cum seminibus melonum, aut cum tamarindis, aut berberis, & aquam etiam hordei, & mala punica, & vinum eorum cum aquâ, & syrupum de limoniis, qui est optimus, & semina peponum. Et in hac exteriùs propriè conueniunt linimenta refrigerantia, velut vnguentum santalinum, vnguentum rosaceum Mesuē, oleum ex nymphææ flore, & rosaceum myropolarum, & oleum de cotoneis, & vinum eorum, & vinum malorum punicorum, & œnanthes oleum seu labruscæ. Et omnia hæc cum modico olei de croco, vel cum crocomagmate. Et scias quòd vnguenta magis refrigerant quàm olea, quia diutius vis eorum manet; & quàm emplastra, quia non adeò grauat, neque obstruunt meatus. Et ideò bonum est, vt singulis diebus lauetur locus aceto rosaceo, vel si non adsit, vino tenui odorato. Et admistio crocomagmatis facit vt magis refrigeret, quàm si sine illo, aut simili conficeretur. In concoquendo tamen debemus vti emplastris.

Caput XXVII.

De cura morbi regii ex inflammatione, vel phlegmone iecoris.

IAm diximus suprà, quòd in phlegmone oportet mittere sanguinem copiose, donec morbus alleuietur, & hoc si simus in principio; tunc enim symptomata minuuntur, tussis, dolor, grauitas, febris, spirandi difficultas, vrinarum vel fæcum corruptio. Stultum est autem niti simul curare morbum tam leuem, instante acutissimo; deterius verò negligere periculosum propter vacantem periculo, aut velle hîc describere phlegmones curam præpter propositum. Constat enim quòd perfectâ phlegmones cura, regium morbum etiam curandum [habeamus,] velut illum qui ex caliditate contigit, aut inflammatione, vel febre. Halyabbas in regio morbo cum phlegmone iecoris, propriè exhibet cassiam nigram cum aquis endiuiæ & solani. Paulus autem ad eam quæ fit ex inflammatione: dat ʒ. j. scobis ceruinæ derasæ, vel seminis atriplicis. ℈. viij. ex Cretico passo in balneo, ac Theodoretam compositionem: & est Myrepsi, purgans & iecori non parum conferens. Est autem passum Creticum, vinum dulce quod ex vuis passis in cretâ exprimitur: docet modum Columella, *lib.* 12. *cap.* 39. Cura igitur eius qui contingit ex inflammatione, est vt in redundantiâ sanguinis, euacuetur ex longinquissimâ parte, inde per cassiam nigram & tamarindos in magnâ copia, ab vncia incipiendo, sic vt sola medulla, & salis expers adhibeatur, atque in decocto pruna, violæ, endiuia, oxalis, atque eiusmodi. Præterea lintea madefacta in huiusmodi decocto. ℞. Plantaginis aquaticæ & terrestris, endiuiæ, herbæ violarum purpurearum, aizoi, sonchi, rosarũ florum nymphææ. an. MS. santalorum citrinorum, seminis myrti an. ʒ. ij. carnis cotoneorũ minutim incisæ ℥. j. Coquatur caro, & santali citrini, & semina myrti confracta, in libris quatuor aquæ, ad consumptionem quartæ partis, inde addantur reliqua, & coquantur ad consumptionem medietatis, & in fine addantur floris chamæmeli. MS. & bulliant parum: demum coletur bene, & addatur vini mali punici medij saporis inter acidum & dulcem ℥. ij. olei rosacei myropolarum. ℥. ij. madescant lintea alba, tenuia ex lino vel serico in hoc decocto, & superponantur assiduè super hypochondrium dextrum permutando: & si calor fuerit vehemens, imponatur frigidum: & si fuerit moderatus, imponatur infra teporem, & hoc sæpius fiat in die.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

De cura morbi regii, ex solâ abundantiâ congestæ bilis.

DVbium non est, quin tota ratio partim in euacuatione consistat, partim in tollendo causam ipsius generationis, quæ in superioribus (*capite nimirum 26.*) partim declarata est, partim infra (*putà capite 21.*) docebitur: aut siqua alia causa sit. Porrò de purgatione ipsius materiæ; forsan meminisse non abs re erit medicamenti Principis, & est illud præcipuum. ℞. Agarici, erythrodani, & aloës. an. ʒ. ſ. salis naptici, grana xv. Scammonij, grana iiij. Confice catapotia, & sumantur cum aquâ seminum. Mihi autem videtur, vt illud fiat faciliùs, & est vt decoquamus cassutham viridem in multa aquâ, donec fiat quasi succus, & adiiciamus in eâ asarum, & sphondylium & absinthium, dum decoquitur, vel aliqua ex his in maiori quantitate, iuxta artem decoquendi medicamenta: & pòst in ℥. vj. huius decocti colati, immisceantur Pastillorum de violis cum scammonio ʒ. j. ſ. succi cassiæ Orientalis nigræ. ʒ. vj. vel si sit delicatior, mannæ frondis tantundem, & bibat calidum. Si enim præparata fuerit materia, vnico potu liberari poterit æger, sicut Galenus facere solebat. Et in eodem genere sunt, Diaprunis solutiuum, Electuarium de psyllio, Electuarium de succo rosarum, Electuarium rosarum Mesuës, Tryphera Saracenica: hæc si bene composita inueniatur, fermè idem præstant. Validius ex his est Electuarium de psyllio, inde diaprunis, pòst de succo rosarum, maximè si turpethum ei immisceatur; inde rosatum Mesuës; omnium mitissima est tryphera Saracenica, in quam nihil violentum ingreditur. Ratio verò victûs æquè humida & frigida esse debet, sed non adeò plena; dicebat enim Hippocrates *secunda Aphorismorum*, 10. *Non pura corpora quantò magis nutries, tantò magis lædes.* Minùs autem pinguibus opus est in his, & magis acidis locus est, velut succo limonij & aceto, quàm in solâ calidâ intemperie. Quòd si materia medicamento non cesserit, sed magis per vrinam aut sudores euacuetur, proritanda sunt eiusmodi, maximè cum balneis; inquit enim Hippocrates: *Quæ educere oportet, vndecunque natura repit, inde ducere per conuenientes regiones.* Plurimum autem facit succus cyclaminis, & potus cum aquâ lactis, & illitus arteriis, sudorem.

CAPVT XXIX.

De cura morbi regii ex obstructione in superiore loco.

NOn aliam quidem hoc in casu instituere decreui, quàm eam qua vsus sum in Francisco Grato Bononiensi patritio, Procuratore causarum criminalium. Primùm ergo iniunxi vomitum, qui ei facilis erat. Vtebatur autem ob alui duritiem singulis diebus clystere. Cibus autem erat panis contritus, cappares ex aceto, cichorium, beta, caro pulli modica, & maximè iecora, permittebam & fœniculum. Serapia autem dabam ex cichorio, & oxymelite simplici, quandoque etiam Byzantinum syrupum: atque ita paulatim obstructiones aperui. Postmodùm exhibui medicamentum ex vnciâ succi cassiæ, & drachmis duabus diaphœnicônis, cum decocto ex radicibus raphani, & rorismarinis & chamæpityos, tum prunis & sebesten: atque ita purgatus est valde, licèt non sine labore. Inde tribus diebus sequentibus exhibui catapotia huiusmodi ℞. Rhabarbari electi maturi. ʒ. j. Chamæpityos ∋. iiij. radicis raphani. ʒ. ſ. Succi radicis eiusdem quantum sufficit ad formandum catapotia: quæ diuisi, vt dixi, in tres partes, exhibens ea dum esset in balneo calido, à qibus purgabatur copiosè, licèt tarde: atque ita cœpit aluus sponte molliri, color in melius mutari, vrinæ quæ paucæ, sed frequentes prodibant, crassæ admodum, rubræ, nigræ, virides, cum contentis etiâm nigrioribus, clariores euaserunt, & multò copiosiores & meliores. Postmodùm ipso exigente aquâ exhibui thermarum Villæ in Lucensi agro, quæ etiam profuerunt, licèt non multum. Omisi autem in balneo, dum catapotia exhiberem, decocta, quoniam aluum potiùs quàm vrinas mouere propositum erat: sudabat tamen dum in eo esset. Ergo in huiusmodi curâ, si non proficias vt velis, sæpius ad cassiam reuertere, & eam succo radicis raphani iunge: quin etiam succum eundem aliis incidentibus & attenuantibus iungito: incidunt & attenuant maximè radices apij, asparagi, brusci, fœniculi; cortices radicis capparum, omnes sauciatæ, sed non incisæ, atque infusæ per diem in aceto albo acerrimo; tum verò acetum mulsum per se, & cum pipere & rutâ: fieri enim non potest vt calore balnei liquefactis humoribus, sumptisque huiusmodi medicamẽtis quæ partim purgent, partim dissecent attenuéntue, non morbi causa finiatur: quâ solutâ cura ad idem redit. Purgatio igitur valdè bona ad obstructionem leuandam. ℞. Succi endiuiæ, succi solani, vel decoctionis eorum. ℥. iiij. Syrupi acetosi. ℥. ij. ſ. Agarici ʒ. j. refrigerat, aperit, purgat bilem crassam. Facit & illud Plinij Secundi, *lib. 2. c. 59.* & fuit Praxagoræ inuentum. ℞. *Allij capita septem, centaurij minoris, anethi singulorum Mj. atriplicis semunciam, coquantur ad tertias: sumat decoctum in balneo, pòst edat radiculas ex oleo & sale.* Forsan legi posset, *seminis atriplicis semunciam.* Verùm vtcunque sit, incredibile est quantum modica pars medicamenti frigidi, retundat multorum calidorum vim, cùm humores frigidi adfuerint: nam frigidum à membris trahitur, dum calidi vis in atterendis crassis humoribus absumitur.

Caput XXX.

De cura duplici morbi regii, ex obstructione lapilli, vel duritie iecoris aut lienis.

SCirrhum in iecore iam confirmatum sequitur ascites, vt Galenus ait *quinto de Locis, cap. 7. pag.* [*mihi*] 2. Non confirmatum curabimus emollientibus, externis magis quàm internis auxiliis. Sufficiat enim non subministrasse incrementi materiam, quæ à crassis & lentis humoribus sumitur. Sunt autem crassa & lenta ex alimentis, quæcunque adulta ex animalibus, aut magna, aut sicca, aut dura, aut tenacia dum tractantur: & ex plantis, radices & lignosa, & senilia omnia, & quæ non eadem die collecta sunt, & legumina, & frugum semina quæcunque, & quæ cruda manduntur, & quæ non pro ratione cocta fuêre, & immodicè frigida aut humida, & cortices omnes, & agrestia, & pinguia, aut valde mista, aut non ordine sumpta, aut nimia multitudine, vel si quis vigilet, vel si à cibo se exerceat, vel si vitam omnino ignauam ducat, vel si omnino non bibat bibere consuetus, vel si nimiùm bibat, vel si flatum sentiat in ventriculo, vel si ventriculus mundus non sit, aut si imbecillitate laboret, aut si flatus interponatur, aut si aliqua sit omnino causa impediens coctionem, velut in asciticis vel tympaniticis. Necesse est enim in his omnibus corrumpi quæ coquuntur, aut lentum alimentum vel crassum generari, nisi tantò minùs, & eò magis coctione subactum exhibeatur, quantum est quod vitio rei quæ editur, aut hominis, aut occasionis detractum fuerit. Ex medicamentis tamen internis [MS. *externis*] est illud Principis, quod constat ex succis oxalidis, portulacæ, & raphani simul coctis donec concreuerint, inde additis succo oxalidis liquido, & seminibus peponum, ac costi radice, ac myrrha. Et manifestum est, quòd debet assumi in balneo calido. Applicetur autem exteriùs vnguentum nostrum eiusmodi. ℞. Bituminis Iudaici, lachrymæ ligni sancti, adipis anatis, singulorum. ℥ß. olei hypericonis completi, olei laurini, serapini, singulorum. iij. seminis citri. ʒj. Ammoniaci. ℥vj. Et si sit durities lienis, debet curari ratione propria: & ad hoc descripsimus Ceratum suprà, quod similiter adhiberi debet, dum æger est in balneo, & diu manere in eo, & iuuat mittere sanguinem ex basilica sinistra, aut vena quæ est inter digitos, sic vt sanguis per se fluere desinat. Si verò fuerit lapis, curetur cura lapidis vesicæ, & hæc est cura causæ. Cura verò per custodiam est, vt morbus non augeatur, & quod debet transmitti per alui excrementa, finiatur alimentis contrariis, ex quibus non generetur bilis flaua, aut multò minus, vt vitanda sint dulcia omnia præter vuas passas; & omnibus reliquis cibis succus limonij cocti, aut oxalidis, aut portulacæ, aut endiuiæ immisceatur, & deuitet exercitationem, vigilias, iram, & tristitiam. Et his ægris conuenit balneum quinquies in die, & longa mora in eo: & semina melonum, & quæcunque proritant vrinas & sudores valenter: & cauere ab omnibus acribus, amaris, & salsis. Et non oportet in huiusmodi vti succo raphani, neque capparibus, nec niti vt aperiamus obstructiones: est enim error magnus, velle facere quod facere non possumus. Nihilominùs vtemur semine vrticæ, collecto mense & Luna Augusti assiduè: iuuat enim regium morbum, prohibet detrimenta lapidis generati in vesicis, & frangit persæpe illos, & emollit durities omnium viscerum: & vsus eius, medicamenti loco debet esse cum aqua lactis; & quantitas est drachma media. Meritò autem quærendum est, an fieri possit, vel cur fieri non possit, si omnino non possit, vt obstructione facta in vesica fellis, & euacuata bile per vrinam & sudorem, æger à morbo regio non liberetur? Et dicimus posse quidem fieri, quoniam homines quidam sine felle geniti, carent tamen morbo regio: id tamen difficilius est in his, in quibus fel pro auxilio datum est; siquidem primùm oportet paucam gigni bilem, atque hominem in perpetua custodia viuere, deinde illam perpetuò educere per aluum ex venis à iecore venientibus, quod reliquum est per sudores & vrinas. At tum necesse est duo sequi impedimenta; primum, vt bilis necessariò sanguini misceatur in caua vena, vnde tum expurgari non potest tota per ramos illos solos emulgentes, quin pars ascendat cum ramo cauæ ad cor delatæ. Atque ea causa est, quòd in morbo regio magis appareant superiores partes flauæ quàm inferiores, & vt meliùs per sudores corpus expurgetur quàm per vrinas; nam superiores partes, cùm iam bilis ad cutim delata fuerit, vix plenè expurgari per vrinas possunt. Secundum impedimentum est, quòd crassa bilis & fex eius non potest plenè expurgari per vrinas, & multo minus per sudores, neque etiam per aluum, natura id consueta educere per latas vias. Ergo non sublata obstructione, non nisi magna cum custodia & ægrè, & non semper, liber ab hoc morbo patiens esse poterit.

Caput XXXI.

De cura morbi regii per consensum à ventriculo.

PRimæ coctionis vitium non potest à secunda emendari, vel si sit magnum, vel si ad corruptionem tendat, aut vlteriùs ad assationem quandam progrediatur. Quocirca quibus chylus exuritur in ventriculo, necesse est in bilem transire sub secunda coctione in iecore, plerumque autem viridem, nam prassina in iecore generatur, *secundo de Temper. c. 6.* Oportet igitur ventriculum purgare sæpe hiera, si humor infarctus sit, & procurare coctionem bonam: ea autem fit roborato ventriculo & temperato, commodissimè autem cibis bonis, vnguentis, ac somno: nam somnus coctiones iuuat, & humectat corpus innato & naturali

naturali humido: quòd si cui ante absolutam coctionem abrumpatur, multum læditur corpus, & maximè cerebrum & ventriculus. Vt igitur recuperetur, ego pluribus vsus sum auxiliis, imaginando læta, sed præterito anno, L X V. scilicet ætatis, cœpit esse inefficax auxilium. Secundum, balnea & papauer, & hæc non contulerunt. Tertium fuit potus frigidæ, & nonnunquam cum saccharo, sed hoc lædebat dentes atque cerebrum. Demum eo deueni casu, vt surgens & ambulans paucis passibus, statim vbi rediissem in lectum, dormiebam, & diu, & quietè: quo cognito, adhuc eo auxilio perquàm salutari vtor, de causa diu incertus, nec nunc satis confido eam intellexisse: quanquam verisimile sit, aërem qui est in cerebro vaporibus plenum, prohibere somnum, ambulanti expurgari, atque sic humectato cerebro somnum redire: cuius indicium est, quod melius sit si liberum experiar, & quod noctu, non interdiu id mihi contingat, nocturnus enim aër humidior est. Secunda causa est, vt opinor, quod deambulatione mutatur cogitatio, ac quasi solutus curis in somnum prolabor ad incitationem prioris, scilicet primi decubitus: natura enim in his præsertim, qui vi imaginandi plurimùm pollent, eadem solet facere iuxta similitudinem actionum quæ præcedunt[MS. *procedunt*:] velut si à cibo quis vtatur Venere, idque sæpius agat; aut surgat ad aluum exonerandam; post etiam nolens assumpto cibo, [ad] eadem peragenda incitabitur. Tertia forsan causa est, quod ex motu membrorum leui, refrigerantur membra, concrescitque humidum tenue, quod ad cerebrum euaporat, excitatque somnum. Ergo decet in his mutare victus rationem, à crassis ad tenuia, vel à tenuibus ad crassa, deambulare ante cibum, mouere post illum: quibusdam profuit prorsus à vino abstinere. Scimus enim alios, præsertim pueros, vini sola abstinentia liberatos à perenni lachryma oculi, alios à capitis dolore, alios à vertigine. Si autem adsit dolor maximus ventriculi, non licet euacuare eum Elescoph, neque hiera Logadion, nec Theodorico, nisi cùm materia fuerit è genere assumptæ, vt in veneno, & non cedit vomitui. In aliis magis diligo quantitatem magnam hieræ Galeni, ab vncia vna ad vnciam cum dimidia. Et si non educit, nec adfuerit scirrhus, nec laxitas substantiæ, nec tabes ventriculi, nec summa imbecillitas, tunc conueniunt ob multitudinem materiæ, tum enim medicamenti vis extinguitur, vt non trahat ad locum, vel quia est defluxio perpetua ex propinquo, maximè ex iecore, non euacuatur quod influit, & sanatur interim. Et ideò cùm hæc coniunguntur, solùm curatur imbecillitas.

Caput XXXII.

Cura morbi regij ex obstructione in vesica fellis.

Manifestum est quòd hæc cura, est similis ei quæ fit cùm morbus regius pendet ab obstructione iecoris, nisi quòd indiget validioribus. Et scias quòd in istiusmodi non oportet formidare calida medicamenta, velut in cæteris, modò speres consequi apertionem obstructionis, & oportet exinanire iecur, velut cum potu aquæ ligni Indici: & metallica, velut ferrum, argentum, & aurum, & Triphera Phænonis, prosunt in huiusmodi: verùm vbi aliquid ex eis penetrarit ad imum vesicæ illius, nescio quomodo expurgabitur, & forsan conuertetur in lapidem, neque enim vesica illa habet musculos, nec conuerti potest seu inuerti, vt ventriculus: & si non penetret, quomodo aperiet? Propterea tutissimus est succus raphani, & cappares conditæ atque exhibitæ cum succo limoniorum, & oxymel scilliticum, & in genere metallicorum sunt etiam quædam validiora his, sicut aliàs docuimus de aquis illis propinquis Romæ, quæ frangunt lapides vesicæ. Eadem dico, si obstructio fuerit in meatu veniente ad intestina, sed in eo metallica vtiliora erunt.

Caput. XXXIII.

De cura morbi regii propter imbecillitatem in vesica fellis, vel in attrahendo, vel in expellendo.

Hæc cura in senibus est desperata; & in his in quibus ex exercitatione calor naturalis incrementum non recipit, licèt possit conseruari; & vbi diuturna fuerit & confirmata [imbecillitas.] Quæ tamen iuuant, sunt quæ calorem naturalem adaugent, & quæ neruosum genus roborant, velut inuentiones omnes ad paralysim, & præsertim ex castoreo, & aceto scillitico. Exprimatur ergo oleum ex castoreo, aut destilletur. Et exercitatio assidua [conuenit,] & esus vesicæ fellis auium adunci rostri, & apri, & vrsi. Et scias quòd istud contingit frequentius ex imbecillitate expultricis facultatis, quàm attractricis; nam in attrahendo bilem, iuuatur à iecore. Et dicebat Rasis *in libro Diuisionum, cap. 64. in fine*, quòd *fel roboratur iisdem, quibus etiam iecur.*

Caput XXXIV.

De cura morbi regii cum febre.

Simile est ei quod diximus *suprà c.* 27. de curatione morbi regij propter phlegmonen: palam enim est quòd oportet curare febrem qualiscunque sit, & morbum regium

 nigrum

nigrum solet comitari quartana, & flauum tertiana, vel continua. Et persæpe morbus regius curatur per febrem superuenientem; sicut febris per morbum regium. Curatio tamen est fermè eadem per incidentia, attenuantia, refrigerantia, humectantia, purgando bilem, aperiendo obstructiones. Verùm in hoc differunt, quòd non oportet euacuare adeò frequenter, sed oportet expectare coctionem, neque cum adeò calidis, neque adeò attenuare, & oportet vti tenuiore victu. Et febris succedens morbo regio, si non soluat ipsum, solet reddere iecur durum, & efficere hydropem. Et hoc est quod dicebat Celsus *lib. 3. cap. 24.* citans Dioclem: *Si febris succedat morbo regio, occidit.* Et curabant aliam [icteritiam] antiqui, potu aquæ salsæ, tum etiam vini: Serapio autem meliùs eam quæ cum febre est, oxylapatho, endiuia, semine atriplicis, solano, adiantho, erythrodano, absinthiique succo. Supremum in hoc syrupus ex succo limoniorum, & maximè in pestilentibus, etiam interdiu, & cum cibo. Et si nigro regio morbo quartana succedat, curabitur cura quartanæ, maximè quæ à bile nigra fuerit: & est vt cùm sit sex specierum, iuxta genera melancholiæ, incidentibus & humectantibus curetur. Optimum est oxymel scilliticum cum modico syrupi violacei. Et si sit exusta, addemus de syrupo. Et si fuerit succedens febri, adhuc plus. Et ideò Lydiam Venetam diuitem fœminam curaui in triginta diebus, cùm non fuisset ex putredine, sed solùm ex vsta; dando oxymelitis scillitici. ℥j. syrupi violacei. ʒvj Et die accessionis ieiunabat, donec vrina concocta fuit: inde purgaui catapotiis ex lapide cœruleo: pòst dedi ius gallinæ prorsus nigræ rostro & pedibus, in qua ℥vj. radicum verbasci, & pentaphylli foliorum M.ij. & cinnamomi optimi. ʒj. Licebit & senam, aut polypodium addere, vel calendulam. Exhibe ℥x. tribus diebus. Interim secetur vena manus sinistræ, hora coitus Lunæ. Vnde aliud genus curationis. Vomitus & sudor adiuuentur: & spinæ dorsi, & musculorum finibus, & pulsibus, olea contra rigores applicentur, velut [è] pyrethro, abrotano, gentiana, & scorpionibus; & pinguedines valde calidæ, vt auium Diomedearum, porcina, vrsina, leonina. Et soluuntur persæpe diarrhœa aut dysenteria.

Capvt XXXV.

De cura morbi regii, cum duritie iecoris.

Hoc est simile superioribus *cap. 30.* sed in hoc differt quòd oportet curare vtrumque, & est casus ad vnguem descriptus ab Hippocrate *6. Aphorismorum*, 42. Præsupponimus enim quòd non morbo regio laborauerit æger, inde ex eo successerit durities iecoris: quo in casu erunt ferme pares intentiones, ad duritiem propter nobilitatem visceris, [&] ad morbum regium tanquam causam. Et ideò in hoc casu est longè maior spes, quàm in illo: & oportet vti victu tenuiore, & vomitu, & expurgare sæpius; nam iecur durum læditur à medicamentis expurgantibus, & qualitercunque imbecillum: & vuæ passæ sunt valde bonæ in hoc casu. Et ego non noui quicquam melius bdellio optimo, quod est viride, odoratum, & pingue, & inuenitur apud myropolas Venetiis; aut mastiche recenti, præcipuè cum oxymelite scillitico. Et hæc iuuant intus & extra. Et radix sanguinis draconis, fel vrsi, chamæpitys, & grana pini, maximè cum vuis passis Creticis, & pistacia, & ammoniaci lachryma, & pastilli de berberis, à Principe in *quinto Canonis, comm. 1. tract. 9. desc. 2.* & *suum. 2. tract. 6. desc. 15. & 16.* positi: & fermè omnia quæ sumpta intus iuuant, iuuant etiam apposita extra, & contra: nisi sit vnguentum diachylon [MS. *se vnguento diachilo*] cum dimidio stercoris caprarum; aut corium capræ recens, quæ solùm exterius iuuant, sit [MS. *si*] autem nuper ablatum, feruenturque frusta in suo calore [MS. *frustra in suo colore.*] Et præcipuè secundùm vtrumque modum sunt, mucosus succus seminis cucumis anguini, tum radix eius, & fel vrsi, & semen prassij, & semen herbæ quam Veneti vocant, D. Ioannis, & euphorbium, sed in exigua admodum quantitate, & radix cicutæ. Et omnia venenosa debent misceri cum magis temperatis & iecori vtilibus, vt bdellio, mastiche, croco, & lupino iecore. Et exterius tantùm quæ ossa etiam, & nodos [MS. *modos,*] & tophos, & concreta emolliunt, velut feces oleorum & vnguentorum, croci, liliorum, inspissatæ in modum cerati mollis, & medullæ ossium, duorum præcipuè, leonis & cerui, & fructus gossipij & palmæ, & radix maluauisci, & oleum ex cornu capræ, & vnguentū eburneum, & emplastrum ex castoreo, costo, columbino fimo, & sinapi. Et cucurbitula magna imposita, inde admoto sulphure & nitro. Et abstineat à carnibus, vt docet Princeps, *quarta decima 3. tract. 3. c. 16. in fine.* Et à tristitia, ira, vigilia, & cruditatibus, & labore post cibum: sed sit contentus manè pane modico leui, modò cum pistaciis, modò pineis; hæ enim vtiliores duritiei, sed minus ventriculo; & vuis passis absque potu.

Capvt XXXVI.

De cura morbi regii, cum duritie splenis.

Hæc icteritia erit nigra, & quatenus adducit duritiem splenis, periculum affert ascitis [MS. *asciticis*,] & signum est quod res procedit in deterius, & est paulo minùs periculosa, quàm illa quæ fit cum duritie iecoris, sed est etiam longioris curæ vt possit sanari, siquando [MS. *quando*] illa quæ est in iecore sanari possit; nā tumor durus in iecore, nonnisi in principio sanari potest: lien autem triplici [de] causa, tametsi illius humor crassior sit, facilius sanatur & celerius iecore. Prima, quia sustinet medicamenta validiora quàm iecur, quia non est membrum principale. Secunda, quia est

præditus

præditus pluribus arteriis & magnis. Tertia, quia ſubſtantia eius eſt rarior, & corpus eius eſt longè tenuius, vt medicamenta exterius applicita poſſint ipſum totum facilè penetrare. Eiuſmodi ergo ſunt cappares, oxymel ſcilliticum, aſplenium. Et ad hoc facit regimen deſcriptum *quinto Canonis, ſum. 2. tract. 6. deſcript. 20.*

Capvt XXXVII.

De cura morbi regii, cum fluxu hæmorrhoidarum.

EX fluxu hæmorroidarum ſolet fieri morbus regius, euacuato ſanguine; vnde non ſine magno periculo ſunt, ne in aſcitem incidant: vt enim à nobis aliàs eſt declaratum, aſcitis duæ ſunt cauſæ neceſſariæ, extinctio caloris naturalis, & intemperies calida præter naturam: quorum vtrumque ſolet efficere fluxus immodicus [MS. *immodicos*] hæmorrhoidarum; namque euacuando ſanguinem, color naturalis deficit retentâ bile, calor præter naturam augetur. Calida præterea augent bilem; frigida extingunt calorem naturalem: quæ laxant, euacuant ſanguinem; quæ aſtringunt, retinent bilem. Hoc in caſu, non vt ſtulti faciunt, calefacere oportet iecur, ſed refrigerare, modeſtè tamen, quia calor naturalis quandocunque fuerit imbecillis, euertitur à calidis, & à frigidis validis, ſeu cibis, ſeu potibus, ſeu medicamentis Adhibeantur igitur exteriùs ſupra iecur, vnguenti ſantalini, partes quinque; vnguenti roſacei Meſuë, partes ſeptem: olei de abſinthio, partes ſex: miſce, Et ſimiliter cibetur cum temperatis, & vuis paſſis, & lupulis, betis, boragine, atriplice decoctis, & quandoque ſeminibus peponum. Et quantitas ciborum ſit pauca: & potus vinum dilutum, lene, tenue, valde paucum. Et expurgetur cum mannâ ſingulis tribus diebus aut quatuor, & diluatur cum ſucco fumariæ, vel cum decocto mirobalanorum citrinarum, & deſtilletur manna, ſic vt euadat dura, & cum ea purgetur. Et non comedat piſces vllius generis, neque fructus, neque alimenta craſſa, donec virtus & ſanguis reſtituantur, & ex optimis medicamentis eſt hoc. ℞. Mirobalanorum citrinarum nutritarum. ℥j. terantur ſubtiliſſimè, vuæ paſſæ ablutæ cum vino pinguis. ℥x. nucis myriſticæ. ℥.j. Rhabarbari electi maturi ʒijß. Miſceantur, addendo ſyrupi de corticibus citri, aut de menthâ, tantum, vt redigatur in formam electuarij mollis, de quo capiat ℥vj. pro vice, cum ℈ß. ſcobis chalybis limâ atritæ ſtatim, & ablutæ cum aceto ter aut quater, inde toties cum aquâ roſaceâ: hoc enim aſtringuntur hæmorrhoides, & bilis expurgatur, & bonus habitus reſtituitur.

Capvt XXXVIII.

De cura morbi regii cum hydrope aſcitica, vel tympanite, vel hypoſarca, & fluxu hepatico.

SI ergo cura non rectè ceſſerit, aut hydrops ſimul aduenerit, vel ex ipsâ conflatus fuerit morbus regius; retenta enim aqua in venis putrefacit ſanguinem, ex quo bilis generatur, *vt eſt 2. de Differ. febr. cap. 9.* inde morbus regius tam flauus quàm niger, vnde huiuſmodi homines videntur laborare morbo regio viridi, admixto colore plumbeo ob caloris innati extinctionem, quemadmodum ſuprà dixi *cap.* 8. Sicut etiam fluxus ventris hepaticus appellatus; omnes enim ab eadem cauſâ eueniunt, ſcilicet iecoris imbecillitate, & penè [ſunt] inſanabiles, neque balnea conueniunt. Curari autem debet contrariis atque mediis, & medicamenta quidem quæ expurgant, calidiora eſſe debent, quoniam expurgatâ bile nimis refrigeraretur iecur; nam & qui euacuantur omnes, calido loco conſtitui debent; ſecùs horrent, & in periculum adducuntur. Cibi autem frigidi eſſe debent, quoniam intemperies iecoris præter naturam calida eſt: reliqua, vt ſyrupi & electuaria, debent eſſe temperata, vt calorem præternaturalem extinguant bilis & iecoris, naturalem autem exſuſcitent. Cibi verò ſint molles, humidi, leues, temperati, velut panis ex iure pulli, modò cum vuis paſſis, modò cum ſeminibus peponum ad prouociendum vrinam, modò cum floribus boraginis integris, aliquando cum floribus perſicorum, necnon cum radicibus raphani, aut iridis; ſingulis eorum ſaccharo conditis. Sunt enim omnia hæc guſtu iucunda, leuia, aperientia, proxima temperamento, maximè alterna viciſſitudine ſi ſumantur, euacuántque materias peccantes, & aperiunt. Et ſi opus eſt alimento, tria ſunt: vitella ouorum, iecur gallinarum & gallipauorum, & caro glandoſa vituli: horum vnum ſumat, & exerceatur corpus, dum homo eſt ieiunus iuxta vires; fieri enim non poteſt vt membra naturalia aliter ſeruentur in robore ſuo; nam per exercitium euacuantur excrementa eorum, & ſanguis ipſe incaleſcit, digeritque quod in eo aquoſum eſt, & impedimento omnibus actionibus; per illud etiam cor tranſmittit ſpirituum maiorem quantitatem ad ea membra. Laudatur in hoc Marcelli compoſitio Dodecathéon. Cura hydropis deploratæ quintuplex: vinum compoſ. Io. Firmi Triultij, Hellebori anima, radicis cucumeris anguini cremor in enemate, vſtio non ventriculi, ſectio in ventre, lethalis omnino niſi tempeſtiuè fiat; vel in cruribus quæ palliata cura eſt, licèt ſpecioſa imperitis, ideo ſenſim fieri debet. Verum fluxus facilius curatur: & eſt vt ſumat ſacchari roſacei ℥ij. cum gran. x. ſcobis chalybis nuper lima tenui comminutæ, &

lotæ cum aceto albo acri ſepties, , totidem in aquâ fontis[MS.*folis*]adeò vt lucida euadat,velut ſplendens argentum; idque bis in die per horas tres ante cibum ſumat: quartâ diei horâ , panis ℥v. carnis ℥ij. vuæ paſſæ ℥j. potus ℥viij. Dimidium horum vndecimam poſt horam,aut commutatâ ratione: & iecur foueat : & diu dormiat.

Caput XXXIX.

De cura morbi regii , ex acceſſione morbi indici,

MAnifeſtum eſt quod in hoc neceſſe eſt curare morbum Indicum , tanquam cauſam:& ſi niger ſit morbus regius: valde deterius eſt , & ſignum malum ; flauus autem minor eſt hoc: etenim qui fit ex acceſſione elephantiaſis, , niger eſt , & prauus. Et de curâ quidem elephantiaſis , dictum eſt ſuprà *tertio libro*:curatio verò morbi Indici , etiam *ſuprà* tractata eſt,& præcipua fuit cum ligno Indo, cum ſarzâ parillâ , & cum radice chynæ , atque cum argento viuo : melior ex his eſt quæ fit cum radice chynæ.Oportet autem in eiuſmodi præeuacuare multùm corpus,ac ante cauſam fermè tollere effectum. Illud quoque animaduertendū eſt,quòd in huiuſmodi regio morbo, non vt in aliis,ſiccis vti oportet,ſcilicet carnibus auiū,& pane ſicco biſcocto,potu vini ſine aquâ,tenuis ſed tamen leuis: inedia tamen, & vſus vuæ Pramniæ ſiccæ,communis eſt vtrique,qemadmodum & prouocatio ſudoris. Oportet autem valedicere omnibus aliis quæ è terrâ vel aquâ naſcuntur. Chynæ ergo radix temperatior eſt , & admirabilis in hoc caſu, ſi copioſiùs fluat ſudor : ſecùs ad vina refugiendum , ſed temperata,velut cum lupulis & fumariâ , quæ medicamenta omnia ſunt, velut & laphathum.Et ſulphur in hoc caſu eſt medicina præcipua , conferens propriè & valde vtrique morbo , & à principio , idque omnes laudant , præſertim Timotheus *lib.2.c.*14. Sed exteriùs, nihil innoxium & potens adeò. Oleum eius ebibitum eſt propriū vtrique, quia vomitu educit vt oportet , velut inunctum ſarcomatis & hæmorrhoidibus ; ſed & lapathi radices , & lac tithymalorum , & ſal, & mel anacardi, & lachryma ligni Indi cum axungiâ porcinâ. Sulphur ſit ignis expers, nitidum,& perſpicuum,quod etſi rarū ſit,inuenitur tamen;& optimum eſt vnguentum ad illud pro pulſibus. ℞. Sulphuris viui ℥iij. nitri parietarij mundi ʒx. lactis tithymalorum ʒvj. olei de baccis lauri , olei de ſcorpionibus an.℥ijß.viſci ℥jß.fiat vnguentū in cineribus , vngantur loca pulſuum manuum & pedum diu , inde ponatur in balneo , & maneat per di midium horæ. Antea per xx. dies , & poſt per x. ſumat hunc potum. ℞. Ligni ſancti raſi ℥xvj. thuris ℥ß. lupulorum , endiuiæ,lapathi an. Mj. ſ. Infundantur in ℔. xx. aquæ fontis, horis xxiv. Inde bulliant ad conſumptionem medietatis in lebete nouo, & ſuperfundatur hoc. ℞. Corticis ligni Indi ℥vii. ſ. Vini albi odoriferi. ℔. x. Cinnamomi electi ʒiij. Caryophyllorum ʒij. Terantur ſubtiliſſime omnia,& infundantur horis xxiv. inde miſceantur , & omnibus addantur ſyrupi de ſucco fumiteræ ℔.j. de pomis compoſiti ℔. i. j. Et hoc eſto pro potu colatum : & eſt ſuauiſſimum, referens Pramnium vinum quos venditur in cauponis. Cibus vuæ paſſæ , caro pulli elixa vel aſſata , panis ℥ij. bis in die madefactæ in iure pulli,ſyrupus ſuprà aſcripti decocti ℥xvj. Mellis puri ℥iij. Agarici electi minutim triti ʒ ß.Infundantur per noctem, inde ferueant manè parum , & bibatur colatum in duabus vicibus, per horas tres ante cibum , & hoc ſingulo die. Purgetur etiam ter , interpoſitis decem diebus , cum catapotiis de lapide cœruleo , ʒj. pro vice exhibendo. Pòſt cuſtodiat ſe quadraginta diebus.Et ſi contingant tumores[MS.*humores*]duri etiā in capite, ſuperponatur vnguētū deſcriptum ſuprà,ſublato adipe. Et ſi ſint albi , modò non iuxta cor aut iecur , etiam in mandibulis , loco adipis addantur ſtibij vel cinnabaris xviij, partes,& ſuccini xxvij. Et ſi morbus ſit in capite, fiat ſuffumigium ex cinnabari arrefacto , ſuccino , lachrymâ ligni Indi , ſemine citri, ligno aloës , & iuniperi vetuſto & odorato , ac coſto, radice item iridis & cyclaminis,& ſi neceſſe, etiam tithymali , & viperis, Catapotia noſtra. ℞. Præcipitati (eſt [MS. *&*] argentum [viuum] ſublimatum in æneo vaſe, cum aquâ ſeparationis , in rubrum conuerſum) gran. xij. margaritarum , ſmaragdi Orientalis,hyacinthorum Orientalium, an. ℈.ſ. maſtiches ℈j.caryophyllorum gran xv. Terantur omnia ſubtiliſſimè , & cum miuâ citoniorum , fiant catapotia tria : capiat vnum poſt cœnam leuem per ſingulos dies. Aliud ℞. Stibij præparati loco præcipitati ℈j. reliqua vt prius.Aliud ℞. Colocynthidis electæ , mundatæ , ſiccatæ in furno , & ligni viſci ſimiliter ſiccati , & ellebori nigri , an. ʒj. maſtiches , aloës an. ℈iiij. caryophyllorum tenuium ℈ij. Terantur ſubtiliſſimè , & cum oleo de ſulphure fiant pilulæ viiij. quas capiat in tribus vicibus manè per horas vj. ante cibum , velut & illas quæ cum ſtibio. Alia familiaria. ℞. Catapotiorum ex cœruleo lapide optimo ʒj. ellebori nigri optimè contriti , gran. vij. caryophyllorum contritorum , gran. v. cum oleo de ſulphure , formentur catapotia tria: ſumantur vt ſuperiora. Vnguentum quo pulſus inunguntur pedum & manuum optimè alternis diebus quinquies , & ſi fert , ſingulis diebus loco calido , & elicit etiam oſſa putrefacta ex capite , & aliis locis ; & vnguntur etiam plantæ pedum , ſi oportet. ℞ . Olei laurini ℥iiij. olei de ſulphure ℥ij. axungiæ porcinæ ℔. ſ. argenti viui extincti ℥ij. ſ. cinabrij , ſtibij,an.℥j.radicis lapathi ℥ij. lachrymæ laricis ℥iiij. fiat vnguentum.

CAPVT

Capvt. XL.

De curâ morbi regij, ex accessione phthoës.

Hic morbus sanari nō potest, nisi phthoë sanatâ, eam autem sanare difficillimum est: sanatur autem magis quæ ex ruptura venæ in pectore quàm [MS. *nam*] pulmone contingit, in quâ habitus bonus est, & sputum saniosum paucum, tenue, nec multum somnum interrumpit, febrisque occulta. Diximus de signis *suprà.* Hunc assiduè nutries lenticulæ patuæ odoratæ iure, quod etiam in potu dabis, & pane leui, Creticisque vuis, auiculis, carne lactea gallinarum, iecoribus, vitellis ouorum, alis perdicum. Purgabis sæpius ac sæpius helleboro. Electuarium dabis huiusmodi. ℞. Radicum aristolochiæ longæ, & foliorum eius, tum foliorum prassii, & absinthij, singulorum ℥j. ita vt sint ℥iiij. siccentur in furno, vt possint teri, & in leuissimum puluerem redigi, sed non vrantur, & cum libra vna mellis optimi & despumati condiantur: & capiat in quindecim diebus totum, cum ℥ij. aquæ centaurij minoris destillatæ hoc modo. ℞. Centaurij minoris ℔. vj. terantur statim vt collecta sunt, & ponantur super linteum rarum, & linteum super ollam, & super linteum, operculum ollæ, & super operculum prunæ, & relinquatur donec siccetur materia; nam effluet aqua in ollam: subductâ ergo portione illa herbæ, alia loco eius superponatur, donec tota consumatur. Huiusmodi aqua est media viribus inter aquam & succum, & tamen parum amaritudinis retinet. Condiātur etiam radices aristolochiæ longæ, eo modo quo dictum est in *cap. de Iride.* Quod si restituatur, remaneatque sola extenuatio corporis, postmodum lacte asinæ reficiendus, & vt crassescat, etiam bubulo, si oportuerit, opera danda est.

Capvt XLI.

De cura morbi regij, cum accessione prauorum symptomatum, & sunt præcipuè duo, mala coctio ventriculi, & flatus, & de fluxu sanguinis narium.

Diximus *suprà cap.* 7. quinam sint qui morbo regio laborent, sintque flatuosi: ratio verò imbecillitatis coctionis ptimæ est calor immodicus iecoris præter naturam, qui naturalem ventriculi exhaurit, vt sol ignem; eademque generatio flatus, si non malo vtatur regimine, sitque flauus; nam de nigro dubium non est. Ergo curatio est cum his quæ calorem naturalem confirmant. Ea autem reducuntur ad sex genera præcipuè [MS. *propriè*:] ad bonitatem alimenti, ad exercitationem; ad somnum; ad ea quæ trahunt calorem naturalem ad locum, & sunt odorata; ad astringentia; & ad ea quæ à proprietate agunt. Præstat autem renutrire corpus, & maximè in causa ventriculi: & hoc fit præcipuè cum lacte; nam ab illo duximus initium alimenti, inde plurimo somno, & exercitatione: neque est alia via tollendi flatum quàm hæc: deteriùs tamen agunt, qui discutere ipsum cum calidis & siccis student, tollunt enim eum qui vrget, ad deteriorem autem statum patientem præparant, arefacto ventriculo & extenuato. Præstat ergo exteriùs imponere emplastrum ex pinguedine lactis, & vuis passis, & puluere tunicæ ventriculorum gallinarum, & labrusca, caryophylls, corallio, & iaspide Orientali. Vesci autem pinguibus vuis passis maioribus, & carne exteriore ventriculi gallinarum cocta valde in iure, & alimentis, quæ *suprà cap.* 38. diximus. Ex medicamentis autem nihil est magis proprium stercore canis ossa comedentis, discutit enim flatus, & etiam curat morbum ipsum regium. Memento autem interim refrigerare iecur, nam quamdiu excalefactum fuerit, nihil impetrabis. Hæc est cura imbecillitatis coctionis ventriculi, & flatus huic morbo coniunctorum. Et si accidat fluxus sanguinis narium; vt sæpe contingit: cura est sectio cephalicæ, constrictio aurium, balneum aquæ frigidæ, cerebra gallinarum plura in cibo.

Capvt XLII.

De cura quatuor specierum morbi regii, scriptarum ab Hippocrate.

Commemorauimus *suprà c.* 4. ex Hippocrate *in libro de internis affectionibus*, quatuor species morbi regij, quarum curam hic proponere verbo tenus, eódemque ordine propositum est.

Curare autem oportet primam sic: *Quibus febris remiserit, multa calida lauato, & aquam mulsam bibendam dato: & sorbitionibus vtatur, ptisanæ succo melle affuso: mel autem non simul coquito, donec præterierint quatuordecim dies; hi enim indicant, an lethalis sit morbus, aut non. Posteà verò bis in die lauato, & nutrito, primùm modicis, quæcunque maximè admiserit: postea tamen plura dato. Vinum album bibat plurimum per diem. Et si progressu corporis videatur tibi pallidus esse, & debilis, vomitum à cibis facere iubeto, velut in superioribus morbis habetur. Et si quidem ab his morbis quiescat, satis est: sin minùs, veratrum bibendum dato. Post talem autem purgationem, ad vesperam edat mazam mollem, aut panis medullam. Obsonium verò edat pullum gallinaceum percoctum probè, conditum cum cæpa, coriandro, caseo, sale, sesamo, & vua passa alba. Vinum autem bibat album, austerum, vetustissimum. Aluum verò infra subpurgato: postera die succo cicerum alborum melle affuso vtatur, & duas*

heminas

heminas huiusmodi succi ebibat. Tertia verò die initio facto, singulis diebus hanc aquam bibat ex his rebus coctã: Fœniculi radices tenues, ea copia quanta tribus digitis comprehendi potest, in duos aquæ congios mittito, ac coquito vsque ad d.m dias, & cicerum alborum chœnicẽ in duobus aquæ congiis ad dimidias item coquito, & quod superest excolatum sub dio per integram noctem exponito ;, & ambo hæc decocta misceto cum hac aqua, & vinum temperatum b bat, & ipsam aquam solã, si velit, quàm plurimam bibat, & aliam aquam non hibat. Si veerò hanc potionem non admiserit aliam sic præparatam dato. Caricarum albarum chœnicem in duobus aquæ congiis coquito, excolaao, sub dio per integram noctem exponito. Posteà hanc aquam bibat, siue nudam ipsam voluerit, siue cum vino mixtam. Bibat autem non aceruatim multam, sed pro vna vice dimidiam heminã, vt ne alui profluuium ipsi succedat, & modico tempore interposito rursus bibat. Commoda autem sunt & hæc in potu data ieiuno singulis diebus, trita, & in vini veteris albi hemina diluta: Apij semen, cucumeris semen, fœniculi semen, cuminum Æthiopum, adiantum, coriandrum, herba, vuæ passæ albæ. His & illis in potu acceptis vtilitatem percipiet, & celerrimè sanus fiet.

Secundum sic: *Huic [si] sic habuerit, siquidem principio morbi accesseris, cùm iam septem dies præterierint, veratrum bibendum dato. Ventrem autem infrà subpurgato per succum, velut priori, & alia eadem pharmaca dato. Exhibet & cantharidas sine aliis & capite quatuor tritas, & in vini albi hemina dimidia dilutas, modico etiam melle affuso, atque has bis in die, aut ter bibat. Progrediente verò morbo balneis & fomentis curato. Edat autem quæcunque admittit. Vinum bibat album, austerum, & alia eadem assumat quæ prior. Hic morbus diuturnus & grauis, si non ab initio probè curatus fuerit.*

Tertium sic: *Huic cùm sic habuerit, cubiti venam secato & sanguinem detrahito deinde fomento adhibito elaterium bibendũ dato: teria verò die rursus infrà subpurgato cũ lacte asinino. Reliquas verò sorbitiones, & potus, ac edulila eadẽ dato, quæ priori. Et caput ipsius frequenter purgato, & de succo bibendum dato. Et multa calida ipsum lauato, ac carnem defricato, & defrictas sordes in vino albo bibendas dato, & ad alia omnia his vtatur, & breui sanus euadet.*

Quartum sic: *Huic cùm sic habuerit, cnidium granum bibendum dato. Et post purgationem, succi ptisanæ quatuor heminas melle affuso exsorbendas dato Superiorem verò ventrem vomitu inducto, velut in prioribus purgato: sic enim facillimè pituitam à pulmone & arteriis abduxeris. Sed & gargarismum ipsi frequenter præparato. Hic aliquando etiam febrit debili febre, & horror tenuis succedit. De cætero verò iisdem, quibus priores curato, & pharmacis, & fomentis, & balneis, & edublis, & potibus, & sorbitionibus, sic enim maximè sanum facies.*

Ad virulentum autem morbum regium, cuius *suprà cap.* 10. meminimus, hæc scripta reliquit Hippocrates: *Quanquam vrinæ in his plerumque habeant globosa contenta, & phlegmone partes internas obsi..cat, laudabilior tamen est hæc cura, quæ summa cum inedia perficitur. Inquit enim; oportet autem ipsum calida lauare, & aquam mu sam bibendam dare, ita vt de nucibus Thasiis decorticatis, & absinthij coma æquis portionibus acceptis & de aniso cribrato dimid.. parte admixta, obolos tres ieiunus ex illa bibat, & rursus dum cubitum it hanc aquam mulsam sumat, bibat etiam vinum vetus tenue, & sorbitionibus vtatur, nec à cibis abstineat.*

Curam autem generalem, quam proposuit *libro de Locis* Hippocrates *cap.* 12. hic adiicere decreui, nec non [siqua] circa illam explicanda sint, ne hac in tractatione intactũ quicquam relinquatur. Inquit ergo: *Icterum siue regium morbum sic curare oportet, cùm susceperis, nutrito, & balneis & pinguefactionibus, potibúsque ac cibis humectato per tres aut quatuor dies. Postquam autẽ humectatũ fuerit corpus, purgato & resiccato ipsũ, pinguedinéque derepentè exhaurito, & vndequaque, si possibile sit, medicamentũ adhibens, humiditatẽ educito; ad caput verò purgatorio debili vtitur: & vrinam cientia bibenda dato, eáque ante cibos, hoc tempore quo turbatã humiditatem purgaueris, in potu præbe, ne ab eo tẽpore corpus nutriatur. Cùm verò attenuatum fuerit, etiã balneis purgato, & contusa cucumeris syluestris radice, eáque in aquam coniecta, inde lauato. Cæterũ medicamenta bilẽ ducentiane propinato, ne corpus magis conturbes. Vbi verò siccũ fuerit id quod conturbatum fuit, nutrito, nullo aluum subducente medicamento, neque vrinam ciente vtens, sed vino vinoso, & his [quæ] rubicundiorem hominem faciunt: si verò viridis ac luteus fit, rursus exhaurito, nequaquam verò siccat, vt ne is color stabilis reddatur.* Suadet sic, non esse ducendam bilem per aluum, sed per vrinas, vtili præcepto; cùm enim sit sparsa per venas, non poterit educi, nisi per gibbam iecoris [partem] redeat ad cauam: cúmque sint obstructiones multæ, & etiamsi sine illis sit, periclitatur ne non in medio retineatur materia, & iecur inflammetur aut putrescat, & æger intereat; quod non animaduertentes Medici nostra ætate, securos alioquin à periculo quot interimunt; Iubet, antea nutriri, ne siccatum, quod verisimile est, tanta bile retenta, non solùm, quod sæpe accidit, non purgetur, sed etiam vehementer lædatur: ideò & humectat hominem, & vires reficit. Non vult vt valido medicamento caput purgetur, obuiàm iens illis qui antiquo tempore validiùs purgabant superiora errhinis, existimantes maximè sanare hominem, quod ibi purgarent, vnde maximè laborare videretur, cùm dubium haud sit, non præpurgato exquisitè corpore, tum ob caliditatem, tum ob motum, plus trahi, ac crassioris materiæ ad cerebrum quam sit id quod euacuetur, vnde in periculum phrenitidis illos perduci [necesse est.] Iubet autem vt humectato corpore, simul vndique expurgetur, medicamento aluus, non validè tamen ciente, balneis, errhinis, diureticis, vt partes singulæ

materiei

materiei per sua loca educantur,& non confertim ductæ irruant, quæ in cauá ad gibbam, aut contrà, aut quæ in toto ad vrinas, aut in capite ad cor, quæ omnia mala sunt; liquefactâ enim vndique & perfusâ materiâ regij morbi, hoc periculum apertè imminet. Non vult præterea, vbi humectatum fuerit corpus, necdum expurgatum, vt siccetur [MS. *aut siccatur*] aut nutriatur; nam *Non pura corpora* (vt est *aphorismo* 10. *sect.* 2.) *quantò magis nutries, tanto magis lædes.* Augeretur enim materia peccans in immensum, & negotium totum arduum redderetur. Sed neque balneis scilicet validis, nisi expurgato priùs corpore per aluum, & per vrinas, vti vult: tum quia materia crassa per sudores educi non potest; tum etiam quia balnei opus, omnia auxilia, & [ne] medicaméta purgent & diuretica vrinas proliciant, impedit. Sed ante purgationē balneis, de quibus dixi, tantùm mollibus vti iubet: à purgatione, validis quæ sudorē proliciant, euacuat [MS. *euacuent*;] commemorátque [MS. *commemoréntque*] in hoc vltimum auxilium more suo elegantissimo. Siccato corpore, ne ampliùs purgetur iubet, ne iusto plus excalefacias, aut exinanias, aut sicces, sed nutri & humecta. Si sic curâsset Galenus Hippocratem, multò plus laudis sibi, & vtilitatis mortalibus reliquisset: neque hîc quicquam vides ademptum aut additum, tam pulchræ curationi perficiendæ, [vt] ex illius verbis vides.

Caput XLIII.

De symptomatibus quæ relinquuntur, è quorum numero præcipua sunt, alui durities, sitis, tristitia, & vigiliæ.

CVm non solùm ex ipso morbo, sed etiam curatione, corpus immodice siccetur, nihil mirum est si hæc quatuor symptomata, quæ omnia à siccitate fiunt, etiam curato morbo relinquantur. Et vigiliæ quidem ac tristitia, in melancholiam deducere conualescentem possunt, debilitantque vires, & cruditates gignunt. Sitis autem ariditatem facit, aut bibere necessum est, inde hydropis periculum. Alui obstructio corrumpit cōtenta in corpore, grauat hominem, caput turbat, appetitum deiicit, iecur excalefacit. Propterea iuribus, & balneis, & clysteribus, & cibis, & somno, & inūctionibus, & deambulationibus, equitationibus leuibus, & hilaritate animi, aspectúque iucundo nemorum, & pratorum, & riuorum, & frutetorum, & montium, & vmbrarum, corpus humectandum est. Et si necesse est, veatur saccharo ex floribus boraginis, & nymphææ, & violarum, sed in quibus odor violæ abundè sentiatur. Necesse est enim vt ex his omnia illa tandem curentur.

Caput. XLIV.

De custodiâ à morbo regio.

MAnifestum est quòd causas cauere oportet, vigilias, curas, exercitationes graues; alimenta mala, & quæ facilè putrescunt, calida, valde sicca omnia, crassa, lenta, dura; iram, repletionem, vina potentia, tristitiam occasionem febrium, morbum Gallicum, prauas aquas; aërem malum, lacustrem, palustrem, vallium vbi ventus meridionalis perflat; vbi nec Boréas, nec Eurus spirat; seruitutem præsertim duram aut odiosam: edere non concocto cibo, recludere longam consuetam euacuationem. Et vtatur syrupo de limoniis, oxalide herbâ & radice, endiuiâ, portulacâ, seminibus melonum, gemmis, & margaritis, & condîtis dictis. Vtatur & balneis: & expurgetur sæpe cassiâ nigrâ, tamarindis, lupulis, fumariâ, violis, mannâ, aliquando etiam rhabarbaro cum vuis passis, vel macerato cum saccharo violato; sic enim se habet ad illud velut agaricum ad mel.

Caput XLV.

De iecoris tribus morbis maximis.

QVoniam ob quæ antea diximus, corporis status, quod ad ea quæ sponte ei insunt, fermè totus pendet ex iecore, maximos illius morbos cauere oportet: vesicæ enim & œdemata non sunt maxima, & vlcera eius mala sanat cyphi, & iecur equinum. Ea ergo sunt: exustio, cùm velut frigidis valde excidūt micæ siccæ; putredo, cùm marcida extrema dissoluuntur; & scirrhi. Non facile dictu esset, quod deterius ex his. Scirrhi difficiliùs sanantur: vstio tetriora affert symptomata: putredo, quamuis minùs sentiatur, repentinam mortem, & celeriùs. Scirrhi tamen plerumque his sociantur, & frequentiores sunt, & plures plerumque sunt, ac parui, ac sparsi, nec tam facilè ascitem generant, vt Galenus existimat: quinimò plurium cadauera discissa sunt, variis causis mortuorum, in quibus scirrhi multi & inæquales in iecore inuenti sunt, etiam cùm in facie essent rubicundi. Hoc maximé contingit, vbi iecur est amplum. Fiunt maximè ex phlegmone, & febribus malis non bene curatis, ex crapulâ, & calidâ cruditate, vt esu aromatum multorum, farciminum, caseo veteri, & vino potenti; tristitiâ etiam, & retenta defluxione longâ, vt fistularum, strumarum, hæmorrhoidarum podagræ contumacis, & ictu. Apparet primùm grauitas in præcordio dextro, & pulsus durus. Et assatum [iecur] sanat prassium: & putridum, iecur lupinum, vel herinaceum; valde feruenti enim aquæ mersa siccantur in furnos & puluis exhibetur, quamuis Octa-

uianus Horatianus in cinerem redigat. Omnia hæc, iamque etiam oppressos ascite validâ, curat vinum Comp. Io. Firmi Triultij, *lib. 2. cap.* 13. quo sanauimus Helenam Canobiam ex scirrhis confirmatis iecoris non solùm, sed ex ascite quæ ad illos subsequuta est grauissima: à quâ non solùm venter, sed tota intumuit, & rotunda facta est. Peculiariter autem his, qui id ferre non possunt, & præter malagma suprà descriptum, cura habenda est ne generetur vel augeatur; & quod genitū est tollatur. Cibi ergo paucitas, maximè panis, & præcipuè medullæ [hîc conuenit,] inedia frequens vnius diei: solis sorbitionibus vtatur: deambulationibus longis, vbi concoxerit, vtatur. Cibi boni, cichorium, maximè seris, & agreste; & vuæ passæ, & amygdalæ præsertim amaræ, quibus solis pro prandio sæpe vtatur. Pisces friabiles meliores ouis & carne. Generaliter dulcia ac tenuia, vel tenuibus ac incidentibus mista, ficus, passum, vinum dulce, cum pipere, sinapi, hedisari partibus, gingibere, caryophyllis, capparibus, limonio: ex medicamentis scillâ, ac radice Solis, castoréo, myrrha. Quiescat assumptis huiusmodi super latus dextrum, & citra cibum alium per diem: paucus sit potus, vt magis morentur in iecore, & ne ascitis causa sit. Cùm verò materia fluat & refluat, necesse est immutari totum ex longâ victûs ratione, quæ attenuet & molliat, vt sit selectus cibus in quantitate, & qualitate: ficus siccæ sine cortice, vuæ passæ, ptisana hordeacea, vel pauxillum panis leuis, fermentati, cocti bene; lactea caro, quæ friabilis est; vinum album, tenuissimum, leue; oxymel ex pulegio, aut scilliticum. Crescit enim iecur, & substantiam mutat, & molle fit, vt in anseribus: vnde etiamsi pòst aberrare contingat, non immutatur; nam quod mollissimum] MS. *molestissimum*] est, non potest lapidescere, sed vt malè res cedat, in glandulas transit. Proprietate autem iuuant cochlearum caro, cerui pulmo cum arteriâ furno siccatus, fel vrsi; aceto scillitico cum vuis passis nihil melius; solanum crudum & coctum dissoluit tumores omnes iecoris. Optimum: ammoniaci ℥. ſ. vini Hispani ℥. xv. coque donec dissoluatur, iaceat sub diuo, capiat quod clarum est colatum. Vel: ammoniaci ℥. iij. mastiches granum, capiat cum mulsâ. Tertium genus auxilij constat ex frangentibus lapidem, cinere vitri, & scorpionum. Vnde quartum [genus,] quod ex duobus constat: sanguis hircinus, troglodytidis auis pedes, & crura galli, lepusculi educti è ventre matris, & exenterati, & pleni sanguine matris, & in ciuerē redacti. Compositum. ℞. Baccas hederæ mense Ianuario collectas, num. 25. cum myrrhâ, & pipere, ex passo. Quæ autem pinguia non sunt, vt plantarum partes, parum in hoc possunt, velut althææ radix, & Virga aurea, quamuis feratur etiam sanare enterocelen; est autem chamæmelo valde similis. Chamæmelum autem exteriùs optimum. Malagma ob id præcipuum [est istud:] ℞. florum iunci odorati, croci Orientalis, chamæmeli, cardamomi, fuliginis thuris, propolidis, resinæ, singulorum æqua pondera, cum fece olei nardini & chamæmelini, læuigatis omnibus, misce. Hippocrates *libro de Internis affection. pag.* [*mihi*] 16. purgat lacte asinino; si non [adsit,] bubulo, & iure, vt dixi, inde vrit locum fusis, aut fungis.

Caput. XLVI. & Vlt.

De abscessibus celeriter occidentibus, qui quasi clàm inuadunt, præcipue cerebrum.

Horum loco, præcipuè in cerebro, contingunt abscessûs deteriores: nam mollius est, & remotius á medicamentis, & ad concoquendum ineptius, ob frigiditatem: & ideò pueri persæpe euadunt, at senes nunquam. Sed & in his rariùs accidunt, ob sanguinis & aliorum humorum calidorum paucitatem, & parcitatem victûs, & duritiem substantiæ. Et contingunt præsertim his qui aëre matutino gaudent, & in locis frigidis & humidis versantur, & non se exercent, & vtuntur plurimo vino potenti, & ouis, & carnibus. Et raro accidunt his, quibus mucus tenuis plurimus, aut sputum effluit, aut qui multùm sudant; sunt enim humidi cerebri & frigidi, & diluitur vapor, & fuligo, & humor etiam. Et cùm antecedit, plerumque fit somnus prolixus & profundus, & est pituitosus. Et cùm subsequitur, consequitur vigilia, & delirium, & est insanabilis. Et facies multùm mutatur, & oculi contrahuntur, & fauces inflammantur, & strangulantur in deglutiendo, & lingua nigrescit, & crassa fit. Et hæc est miseria humana, quandoque enim non excedit granum milij. Et tota spes est in robore virium, & coctione: & ideò non oportet mittere sanguinem, nisi ab initio, & tunc si conuenit, fiat vsque ad extremum, dissoluitur enim persæpe. In aliis nutriatur æger etiam cum carnibus, & indulgeat somno, & superponantur emplastra, & sint quæ à Galeno descripta sunt 11. *Methodi, c.* 18. & 13. *eiusdem, c.* 21. & 22. ex serpillo, spondylio, castoréo cum aceto, & fiant perfusiones, & etiam illinatur palatum ex decoctis origano, thymo, pulegio in lethargo, & applicentur suturis: & cucurbitulæ imponantur, inde concitetur valida sternutatio cum struthio & albo helleboro, cùm speratur quòd concoctus fuerit. Et vt videtur morbus dolosus, (qui occidit quasi incautè, vt persæpe videantur ægri bene se habere, & æger moritur intra horam, aut duas horas, quia putredo communicatur vētriculis cerebri, & corrumpitur spiritus animalis, & cessat motus pectoris, & homo strangulatur repentè;) ita oportet curare ægrum curâ quasi ridiculâ: ac si figamus illum non ægrotare, in victu & iocis, non solùm quòad ipsum, sed astantes etiam, nisi quòd non bibat vinum, & medicamenta sint capitalia, cuiusmodi est agaricus, centaurium minus, aristolochia, helle

helleborus niger, crocus, peucedanum, aqua ardens, amaraci semen & rutæ, serpillum & spondylium, erythrodanum, spica Inda. Et vtaris prædictione suscipiendo eos pro mortuis; & si nolunt, non te intromittas, ne iniustè infamiam subeas. Signum autem incumbentis, in aduentu accessionis, (plerumque enim febris languidior comitatur,) cataphora altera, quarum vigilans deterior multò est, & decubitus cum prolapsu ad pedes, & vrinæ nubes quasi puluerulenta, & substantia turbida aliquantisper & nitor ille deflorescit: pòst subsidet sedimentum, & substantia attenuatur, & contentum fit crassum, & tum iam non est spes: & cùm post hæc fit nigrum alterum eorum, tunc mors proxima est. Manifestum est autem quòd hic morbus attoniti quasi species quædam est cum febre, aut ex febre. Et primus quidem cerebri putredini apud Hippocratem: secundus Græcorum phrenitidi proximus.

LIBER QVINTVS, DE MORBIS ARTICVLARIBVS.

PROOEMIVM.

SCripsimus hactenus quatuor libros de Dentibus, in quorum primo præcipua auxilia maximorum morborum breuissimè sumus complexi, tum verò peculiariter dentium, vnde ab illis nomen sortitum est. In secundo autem curam rationalem morborum qui ex materia pendent exemplo deducto à dentis affectu vt nominis ratio haberet. Peculiare autem est aliquid vnicuique libro vtpote primo τρόπος medicamentorum vt ex vulgatis mirabilia euadant, sicut in secundo vires primarum qualitatum & vt actu potestatéque differunt sic & vt calor simul attrahit ac dissipat. In tertiò scopus est docere medicamenta tàm lenientia quàm etiam expurgantia. Præcipuum autem est vt medicamentorum delectus habeatur & ad morbos & ad loca, velut rhabarbarum ad iecur, Colocynthis ad cerebrum, rhaponticum, vt fracta contusa difruptaque sanet, vel etiam si minimum purgauerit, docetque ex multitudine transmutationem. Quarti propositum est docere curationem catholicam morbi maximè communis scilicet Regij, vt magni & plures habentis species, natura exquisitam & vt ita dicam curiosam & ad minima quæque aptatã. Huius quinti & vltimi intentio est per exemplum difficillimi morbi non etiam valde periculosi docere tam curam consimilium, quàm multorum morborum dissimilium consortium, velut ante dicti febrium putridarum, Diarrhoeæ, hydropis & scabiei. Omnes enim morbi ex omnibus fiunt humoribus iisdemque materiebus, sed tamen diuerso modo affectis. Docebimus autem in eo præcipuè multorum admirabilium symptomatum causam: sic igitur exordiar.

Caput I.

De nomine podagræ, & aliorum morborum articularium. Et quomodo & in quibus differat inter se. De nominis & illius diffinitione. Quæstiones, Quantum differunt nominis & subiecti quæstiones. Quæ deteriores affectiones.

PODAGRÆ nomen an vnum sit vnumque significet, & quantum referat nominis dignotio & diffinitionis cognitio, meritò inquirendum est, siquidem & Aristoteles non intactam hanc quæstionem reliquit; nam & in *Primo Posteriorum, cap.9. & 10.* videtur attigisse, & manifestè *in secundo cap.2.3.& 5.* Similiter & Galenus *in secundo de Pulsuum differentijs, cap.10.* Verùm aliud est diffinitio nominis aliud nomen ipsum, & multiplex quæstio est, scilicet an ad demonstrationem necessaria sit, an vtilis solum? an lucis multum afferat? an ad inuentionem commoda? Hæc autem quatuor: coniugationes igitur quindecim, quæ duplicatæ scilicet ob nomen & nominis diffinitionem efficiunt triginta. Igitur ad tot quæstiones, cum tanquam vni Galenus responderit, necesse est vt aberrauerit, neque mirũ ergo videatur, si cum tam multa de nominum vsu scripserit, nihil scripserit: & sæpè in contradictionem venerit. Tum verò illud accedit, quod maximum est omnium, & tamen à Galeno prætermissum, scilicet de subiecto aut de his quæ insunt subiecto, de quibus est considerandum. Namque aliud est quærere de febre tertiana, aliud an sit in venis. Primum enim semper constituere oportet nomen scilicet subiecti, vt constet de eo de quo quæritur, quid febris, quid podagra, quid arthritis, quid coxendicis dolor. At quæ de his demonstrantur non ita necesse est scire nomen, sed quid res sit, & modo in ea conueniamus; ita nulla fallacia aut error accidit. Igitur primum podagra vt habetur *in libro de Affectionibus paulo post medium. Est omnium morborum circa articulos violentissimus longissimus, & difficillimus morbus, atque longior difficilior ac violentior, quo venulæ in quibus materia continetur, exiliores fuerint, & in maiore corporis parte ac maximè necessaria constitutæ, defluátque in ossa at neruos plura ac densiora, & quamuis huiusmodi sit non tamen lethalis est.* Ex quo quantum hic morbus ab articulari differt; inquit enim ibidem. *Articularis morbus fit quotiens calor & dolor acutus corripit articulos, mutátque ex vno in alium, modo deterior, modo mollior factus, vterque à bile pituita commotis in articulos atque illic incumbentibus.* Sed *podagra à venulis ortum habet, & à sanguine in eis corrupto, ab humoribus autem ipsis arthritis.* Cum verò deterior sit vterque veluti podagra, quantò membrum quod corripitur maius est: vnde in pede quàm in digito: & in talo quàm in pede: & in genu quàm in talo, & in cubito quàm in carpo: velut in carpo quàm in digitis: & in articulo digiti manui proximo quàm in extremo, necesse est vt in coxendice (quippè quod totum complectatur crus) sit deterrimus. Ob id peculiare nomen sortitum est, vocatúrque coxendicis dolor seu ischiæ, Barbari sciaticam. Manifestum est igitur quod coxendicis dolor è podagræ speciebus est & difficillima, & cur ab eo nomine seiungatur; namque articularis morbus genere quidem alius est à podagra, sed podagra manet in loco vno, nec spargitur, nec mutatur, articularis autem proprium est spargi atque mutari. Atque hæc de nomine simpliciter dicta sint. Nunc verò altius de eius interpretatione considerandum est.

Dictum est enim quod podagra violentissimus est morbus, longissimus ac difficillimus, quodque non mutatur sed incumbit in articulos. Arthritis autem mutatur ac spargitur. Ergo in primis vna occurrit dubitatio, hic verò duæ, & quarta de coxendicis dolore, & rursus quinta de ipso nomine podagræ. Dictum est enim primum quod podagræ est violentissimus morbus tum reliqua. At constat quasdam esse podagras leues, breues, & quæ curatu faciles. Non igitur podagra ab arthritide seiungitur hac differentia. Etenim mihi ipsi primus podagræ insultus vix cum omnibus temporibus tertiæ diei finem attigit: sæpe verò paulo longior fuit nec nisi semel quod meminerim quartum excessit, nec vnquam decumbere per totam secundam diem coactus sum, nisi nunc cum à contusione ortum habuerit. Quòd verò dicimus de arthritide quod mutabilis sit id in podagra frequenter videmus, è talo in pedem, è pede in digitum; vel in genu vt nil frequentiùs, sed & arthritis si spargitur id contingit etiam podagræ cum materia multa fuerit. Rursus in podagra maior calor persæpe cernitur quàm in arthritide: & coxendicis dolor qui è podagræ genere est, ad digitum pedis quandoque pertingit, & podagræ nomen cum à pede deriuetur, quomodo illius nomine chiragram intelligemus, & eam quæ fit in spina dorsi aut collo vel dentibus aut lingua, quandoquidem potius nomine articularis morbi eiusmodi dolor intelligi posset, quæ si fiat non res rei consentiet, multum enim tales morbi ab arthritide differunt, podagræ vero præter locum prorsus simillimi sunt, solúmque podagricis accidere solent, haud arthritide laborantibus. Ergo vt ad singula breuiter dicam. Podagræ differentiæ illæ merito loci ex quo materia mittitur & in quem mittitur, & ipsius sunt; specie autem differunt, velut infans rationalis est propter naturam propriam. Asinus tamen adultus infante prudentior est; sunt autem differentiæ illæ multitudo crassities & latitudo viarum, & calor naturalis potens: si enim pauca fuerit, tenuissima ac vaporosa, pori, & caro, & loca per quæ transire debet lati, & calor naturalis potens breuior fiet, & vix dieculam superabit. Longè igitur facilius discutietur & celerius arthritide: erit tamen semper violentissima, nisi ex pituita aut leui

crudo

crudo humore facta fuerit. At dices quomodo ergo genere violentissima est? vnum dico quod non attigit Hippocrates: omnis podagra (& sub ea nunc coxendicis dolor comprehenditur) ex humore fit, licet ichoribus natura pro vehiculo vtatur. Arthritides autem ex sanioso ichore plerumque, propter id febribus succedere plerumque solent, sed & à non putrefactis fiunt, huius autem meminisse decet. Ex hoc habetur solutio secundi: in podagra enim materia non transit de loco ad locum, quoniam est crassa nisi in duobus casibus, cum superabundauerit & repletus fuerit locus prior: secundo cum per viam crisis expellitur tota simul & maximè hoc fit descendendo, vt ex genu in caccillam, ex caccilla in digitum pedis. Contingit tamen persæpe vt ad ambos pedes moueatur, vel ad pedem & manum simul cum fuerint duæ materiæ fodinæ, Barbari melius dicunt mineræ. In Arthritide verò non sic, sed quia materia tenuis est & putrida, & ex ichoris genere, cito consumitur & spargitur etiam facilius, & ideo noua quæ superuenit non solum locum mutare solet, sed vetus sparsa defunditur in ambitum, & plerumque in masculos & eorum capita. Vnde arthritidis nomen non tam propriè dicitur expertis artis medicæ, quàm podagra vel chiragra, sæpè enim videmus arthriticos laborare totis brachiis & musculis, alios etiam toto dorso: sic ad tertium dico vix fieri posse vt podagra ab initio non sit cum calore, postquam humor è venis affluit: Arthritis verò cum ex ichore fiat non adeò calida est, processu tamen temporis arthriticus putrescente materia incalescit, podagricus resoluta parte tenuiore refrigeratur. Eadem ratione liquet coxendicis dolorem ex plenitudine & ex consensu venarum (postquam vt dicemus è genere podagræ est) communicari, & genui & pedi, & digito, non quia spargatur sed quia locus repletus est. Vltimo quod dictum est podagræ nomine intelligi quoscumque dolores (præter coxendicem qui loco & offensæ magnitudine distinguitur & articularem qui specie materiæ) cum in cæteris omnibus conueniant, magis propriè autem distingui potest à chiragra, sed ab Hippocrate vnum sub altero continetur.

Capvt II.

Dubitationes quædam circa nomen & rem, præcipuè Qualiter podagra fiat, An sit morbus insanabilis? Quomodo fiant inflamationes? de contusione solutio duarum quæstionum.

IVxta hoc igitur dubitare expedit maximè ob Aphorismi dictum. *Quibuscumque morbi podagrini fiunt, sedata in quadraginta diebus inflamatione finiunt part.* 47. Num fieri possit podagra quæ eum terminum excedat, num breuior, num absque inflamatione? num (propter ea quæ dicta sunt superius) extra articulos fieri possit? nam tendonibus circa illos inflammatione laborantibus, quis morbus dicetur? Etenim si non sit podagra, in periculo maximo versabimur, ne distentione intereat æger? si sit, erit podagra non in articulis neque articularis morbus? videmus etiam non plus corripi distentione, postquam podagræ loco partes exteriores intumuerint: secunda est cur podagra redeat sæpius, non sic coxendix neque arthritis: sed si modo casu quodam solum, cùm tamen ex eodem genere sint. Tertia an verum sit, quod etiam iuxta Lucianum prædicat, non sanari vnquam, & si ita est cur.

Ad hæc inquam Galenus rectè in commentario Aphorismi adducti satisfacit expressè quidem primæ dubitationi: aliis verò confert ad causæ inquisitionem. Igitur pulchre explicat Aphorismum, & reddit etiam illius quod ad veritatem pertinet causam & rationem, atque vtinã in aliis tam benè se gesisset, occasionem enim noui laboris nobis non haberemus, sed vt vt factum fuerint laude dignus est: sententia ergo illius est huiusmodi. *Podagra fit* (quod alias dictum meminisse decet) *libro de Inæquali intemperie, c.* 5. *cum venæ magnæ implentur feruetque sanguis, & cogitur in venas quæ sunt rami maximarum, & ex his in minores atque rursus & rursus in minimas fit & sæpius absque tanta redundantia natura secernente crudum, & excrementitium sanguinem à puro, calorem vehementem seu efferuescentiam totius sanguinis, fit plerumque tum etiam citra multitudinem. Alius etiam nec natura secernente nec ex efferuescentia sanguinis sed ex dolore articuli saltem mediocri vel calore immodico accedẽte laxitate loci idest articuli*, iis tribus modis de fluit materia in articulos, atque hæc non ita explicat, sed intellecta esse volo; sequentia verò ad vnguem docet. Impletis ergo dearticulationibus necesse est tendones qui sunt circa ipsas statim extendi atque etiam dolere: non tamen vult tendones impleri, scilicet existimans siquid superingruat humoris in illis venis crudi (necesse est enim talẽ esse qui non sit planè in naturæ arbitrio) conuenientius est vt in alias dearticulationes proximiores transferatur quæ sunt laxiores, quam vt in substantiam tendonum recipiatur: aut tendat cur verò finiatur intra quadraginta dies, atque eo vsque protrahatur causam esse dicit loca dearticulationum, que sunt frigida, laxa, exanguia, & ob id serio materias concoquunt & per meatus euaporando digerunt primum per laxitatem dearticulationis, deindè per carnes & per cutim: demum transeundo exhalant. Hic igitur est modus solutionis podagricarum inflammationum, quæ plerumque vt dixi in quadraginta diebus soluuntur, cum illæ (inquit) quæ in carnosa parte fiunt in quatuordecim diebus finiantur Duplicem autem affert materiam quæ in podagra exhalat: vnam quæ in cauitate deartiu lationis est: aliam quæ in ligamentis continetur, eáque penetrauit & ingressa est: sentit quoque quod dolor ille magnus qui percipitur in podagricis affectionibus non sit neque in

articulo ipso: quoniam neque inane sentire potest, neque os neque cartilago quia sensus expertia sunt, sed neque in ligamentis articuli: tum quia illa neruis carere putat: & etiam quia si inflammationem constituat in parte neruosa, scilicet in ipsa dearticulatione quam neruosam esse concedat, non habet quo possit reddere rationen, cur podagrici nunquam conuellantur: vult ergo quod impleantur dearticulationes, & ex ea repletione distendant tendones annexi dearticulationi, & ex hoc fiat dolor, adeò vt pars alia impleatur & inflammetur & demum resoluatur, alia doleat.

Quæ verò reliquit dubia in hoc sunt eiusmodi. Primum cur non materia illa ingrediatur tendones, cũ superfluit potius, quam alias dearticulationes, & maximè quod fermè semper tument tendones, & caro circa locum podagricum? Ad hoc dico quod materia illa non ingreditur tendones vllo modo, quia substantia eorum est durissima & sana. Ergo longè facilius ingredietur articulos ob cauitatem, & carnes ac cutem ob laxitatem. Et ita concludo, quod in podagra quantumcunque sæua (nisi contigerit ex percussione) non recipitur materia in tendonibus, multo minus inflammatio, sed solum ob tensionem dolent. Secundum est quod materia non recipit in ligamentis articulorum eadem ratione, quia est durissima; eadem ratione quæ nõ in tendonibus: sunt enim sicciora ligamenta tendonibus, deinde vix sanarentur cum sint exanguia, & etiam quia indicium vel sumitur à dolore: & si sic, duo sequerentur contra Galenum, vt inflammarentur partes neruosæ, & tamen nunquam essent obnoxiæ conuulsioni seu potius distentioni. Alterum quod nerui miscerentur ligamentis. Pro quibus animaduertendum est, quod iuxta sententiam Galeni & Vesalij; *lib. 2. cap. 2. & 61.* ligamentum à tendine differt, & cum eo conuenit. Conuenit quidem in hoc quod vtrunque & intra dearticulationes & extra inuenitur, sed intra dearticulationes rarissimè tendo nisi in circumferentia & extra rarissimè: ligamentum nisi vt tendinis pars non purum neque simplex, nam li gamentum duo habet significata: quandoque enim capitur pro ligamento puro, & est expers nerui & intra dearticulationes; secundum verò Galenum est expers etiam sensus doloris, secundum Vesalium verò minime, sed vult aliqua ligamenta pura egregiè sentire atque dolere. Nostra verò sententia est ab vtroque distincta, fatemur etiam ligamenta pura prorsus carere vero sensu, dolorem tamen percipere & valde. Vnde manifesta est solutio quæstionis, quam proponit Conciliator cum dixit se sentire dolorem in scapula, absque eo quod perciperet calorem aut frigus: eiusmodi enim sensus cũ acciderit, vel ex solidi diuisione accidit, vel in ligamento puro. Est ligamenti aliud significatum cum per illud intelligimus vinculum extrinsecum & partem tendinis quæ per se non sentit, nec re sed sola cogitatione seiungitur à neruo.

Tertium quod indiscussum reliquit Galenus est, quamobrem non ingrediatur materia in tendinem in podagra, in vulnere autem musculi vel tendinis ingrediatur, quod quidem non semper verum est etiam si distentio subsequatur & mors.

Quartum quod & falsum est, nam præsupponit si inflammatio non fiat in tendine non fieri distentionem quod falsum est. Causa enim distentionis & mortis in tendinibus non est neque dolor, quia in podagra plerique interirent: neque inflammatio quia ex punctura tendinis quandoque statim intereunt, vt inflammatio nondum fieri potuerit, Alij verò cum inflammationem patiantur, non distenduntur neque conuelluntur, sed euadunt. Ergo causa distentionis propria in tendinibus est qualitas repentina potens frigida impressa in illo tendine, & plerunque ex punctura ferri per quam contrahit se, & secum diuellit cerebrum, & interficit. Indicium maximè est quod plerumque distentio etiam moriturorum (quod non præteriit Hoppocratem) est sine febre, vt ego sæpe vidi, imò cum pulsus magna raritate & tarditate aliqua, nisi iam anhelitus intercipiatur. Cum ergo podagricorum tumor ferueat nõ parum, nec extrinsecus læsa sit tendonum substantia multum absunt meritò podagrici à distentionis periculo.

Hippocratis autem (quamquam parerga) intentum fuit in eo Aphorismo docere nos duo: primum quia videmus podagram esse in quibusdam hominibus longissimum morbum, admonet vt non desperemus de longitudine ipsius morbi, quia non potest transire quadraginta dies: sed hic cadit dubitatio, quia si materia sit multa ab initio poterit diffundi in plura loca: vel vna podagra alteri succedere, & ita protrahi etiam vltra centesimum diem sicut videmus in aliquibus, in quibus durat per multos annos: ideò oportet distinguere, nam Paulus & Aetius non intelligentes hunc Aphorismum culpauerunt Hippocratem, tanquam voluerit præfinire terminum vbi non adest; & eò magis quoniam credunt etiam quod non solum præfioierit terminum in longitudine, idest quod non possit transire quadragesimam diem, sed etiam imponunt illi, quod voluerit necessario podagram extendi vsque ad quadragesimum diem quod est absurdissimum. Cum ergo viderent paucas terminari quadragesima die, innumeras longè ante, vel post multò, ideo putarunt Hippocratem aberrasse. Dico ergo primùm quod si materia sit vel crassa vel lenta, modo non sit in decrepito vel in iam habente corruptos articulos, vbi se regat benè æger, numquam potest transire quadragesimam diem, & ita verissimus est Aphorismus Hippocratis: sed si multa sit tunc vel erit in eodem loco vel in diuersis; si in diuersis affliget diuersa loca, & ferme eodem tempore, & ita non excedet terminum, saltem ratione cuiusque loci; sin autem fuerit in eodem loco, tunc vt dixi affliget conterminos locos simul aut valde paulo post, & sic Aphorismus est omnino verus. Quod siquis obiiciat nonne poterit ob eandem multitudinem alia materia adiungi

iungi, antequam prior sit resoluta? Dico quod citra errorem victus illud fieri non potest, nam & si adesset hæc materia facilius occuparet alium locum, quæ in priorem transmitteretur; quia iam in priore ob dolorem attractus est multus calor naturalis, & ideò articulus ille est validior naturaliter, & plenior cæteris, & ideò natura non patietur recipi eiusmodi materiam ibi, sed potius transmittet ad loca propinqua, ita vt in omni casu podagra terminetur in quadragesima die vel ante, & ita verum est dictum Hippocratis. Alterum quod docuit est, quod si transeat & non adsit summa debilitas virium in quo casu etiam vix contingere potest podagra, neque adsint tophi vt diutius perseueret, & excedat terminum quadraginta dierum, debemus cognoscere quod vel medicus ipse aberrat vel æger non facit iuxta præcepta omnia ab ipso medico imperata.

Secundum quæsitum fuit cur podagra totiens reuertatur, cum commitialis & coxendix qui vt dictum est è genere podagræ est, & difficultas spirandi, & cæteri morbi qui per circuitus redeunt, plenè in multis saltem sanent? & dico quod vnius rei plures sunt causæ, quæ simul iunctæ, speciem vnius tantum exhibent. Prima ergo est quoniam vbi male temperatura inualuerit in iecore, difficile est illam corrigere præcipuè cum non sit calida vel frigida, nec eiusmodi, sed imbecillitas coctionis sanguinis: augere autem vires deficientes in membro principali sponte sua, non per intemperiem aliquam diminutas, est fermè impossibile & maximè in ætate iam prouecta, quandoquidem videamus id esse difficillimum in visu & in aliis membris quæ non sunt principalia in operatione, quantò magis in principali, deinde in manu vel in pede, hoc vix facere licet cum tot inunctionibus, ceratis frictionibus, & aliis manuum auxiliis, quanto minus ergo in Iecoris defectu. Tertia est quod natura se exonerat & in loca humilia, nam cauitates dearticulationum sunt secundum naturam: licèt non secundum situm semper in humiliore corporis parte, & habent vias latas ad excipienda superflua. Quarta est quia podagra non interficit homines, & parum impedit operationes principales, adeò vt Reges imperant, magistratus iudicent, medici curent morbos, non est sicut insania quæ contemnitur: aut fœda lues, velut elephantiasis vel noxa nimis acris vt vesicæ lapis, neque morbus qui perpetuo incremento rectè deducebat ad mortem, & ideo cogamur resistere, quantum fieri potest vt in carcinomate. Adde quod nescimus quando reuersurus sit: neque est formidolosus vt comitialis aut vertigo, cum quis repente correptus symptomate posset præcipitari; ideo cura etiam eius negligi solet. Redit ergo podagra, sed dices cur non ita Ischiæ dolor? dico quod morbi tantò celerius redeunt quanto celerius abeunt & viciſſim; Ischiæ ergo dolor cum sit contumaciſſimus ad depellendum, ita vbi depulsus fuerit facta tanta mutatione non tamen cito redire potest vt podagra. Ischiæ etiam dolor duo tantum habet loca quæ occupet: podagra omnes alios artus & ex vno vagatur in alium, vt dicebat, Galenus. *decimo de compositione medicamentorum secundum locos.*

Tertia, quæstio an hic morbus prorsus sit insanabilis: & respondeo quod postquam præcipua causa vt dixi est imbecillitas concoctricis Iecoris, secunda artuum, & membra, non liceat (cum substantia vel compositione non qualitate peccent) roborare nisi in pueritia, & tunc non accidit, vel in adolescentia. Ideo soli adolescentes possunt sanari. At tantum abest vt medici adolescentes sanent, vt quoscumque eorum syderent, & tophis omnes artus impleant, frequentibus sectionibus venæ & purgationibus, ac cibis delicatis: illi tamen si rectè curarentur sanarentur, sed & de his quæ alij senserint alia dicemus.

Notandum ex his qua dicta sunt quod podagra quæ aduenit ex contusione, non est tuta à distentione propter causas dictas. Secundum quod vsus frigidorum immodicè si sint frigida actu & potentia, potest esse causa vt podagricus cadat in distentionem & moriatur. Tertium quod qui laborant tophis magnis & valdè duris, licèt rariſſimè benè recti excedant, quadragesimum diem aliquando tamen excedunt. Quartum est quod oportet animaduertere illud verbum; finiuntur quia intelligitur de doloribus, nam præter dolores adsunt humores, & torpor in motu, qui non restituuntur in quadraginta diebus semper, sed quandoque protrahuntur per plures alios dies.

CAPVT III.

De Morbis commutabilibus cum podagra & communicantibus in materia, & quæ partim solum communicant.

NOn sunt hæc tria vnum & idem, quandoque enim primum conuenit cum secundo vel tertia, quandoque non, velut podagra est commutabilis cum apoplexia, non enim communicat in materia. Similiter secundum & tertium non sunt eiusdem generis, scilicet quod communicat in materia, & quod partim communicat velut podagra, partim communicat cum scabie, non tamen ita quod materia scabiei tota vel pars sit eaden materiei podagræ, sed materia podagræ bene potest cōuerti in materiam scabiei, non viciſſim, materia autem podagræ communicat cum leucophlegmatia.

Princeps autem inquit quod podagra cholerica attrahit mortem subitò. Et maximè apud multam infrigidationem Quid hoc est aliud, quam quod morbus in morbum lethalem mutet? non enim vensimile est quod in apoplexiam quando minus hoc biliosæ podagræ conueniant, quandoquidem apoplexia à bile raro accidat. Et quamuis

uis ab aliis vt pleraque acceperit recte fecisset, si modum explicuisset, cum parum etiam hoc experimento deprehensum sit. Materia enim non putrida maximè quæ melãcholica nõ est, subiicitur calori naturalis & ideò raro accidere solet, nisi casus adiungatur: ex casibus autem regulæ non debent constitui. Contingit ergo, vt cum corpulenta fuerit & non vaporosa & acris valde, imo eatenus exusta, vt tum quasi ferueat, rediens (vel ob frigus, vel ob angustiam meatuum præsertim impedita natura) ad cor suffocet repente calorem innatum, non valdè dissimili modo, ac in tertianarum accessionum quarundam initio. Ergo podagra communicat propriè colicæ ac lapillo renum, mutaturque in illos morbos vicissim, vt calculus sit periculosissimus, ita podagra securissima, colica media. Quod experimentum quotidiè docet & Rasis recitat. Commutant enim inuicem & materia vna est. Leucophlegmatia vero & apoplexia medio modo cõmutant, & medio modo cõmunicant in materia, nam ex podagra fit apoplexia & leucophlegmatia, ex neutra autem illarum podagra, neque apoplexiæ aut leucophlegmatiæ materia podagram efficere possunt: quoniam extra venas iam sunt, ideo in eas regredi nequeunt. Ex venis autem ad extra illas transitus est, cum scabie vero communicat podagra vt dixi medio modo alio scilicet non propriè, podagram enim scabies sequitur, non scabiem podagra: non enim podagra ex ichoribus tantum fit vt scabies febris & hydrops. Omnes enim hi ex ichoribus tantum fiunt morbi, quanquam in febre cum ichoribus licet non putrescunt humores tamen accẽduntur. Trium igitur horum morborum, scilicet putridarum, scabiei, hydropis communis est materia ichor, sed diuerso modo. In hydrope generatur corruptus in febre integer, sed dum febrem facit corrumpitur & putrescit, in scabie gignitur & manet incorruptus, sed dum ad cutim expellitur putrescit, & inscabiei materiam vertitur: vnguenta igitur quæ scabiem pellunt ichorem in flatum discutiunt, vt corrumpi non possit, antequam autem possit discuti plurimus eiicitur, & ob id tum magis crescit scabies sed breui desinit. At diarrhæa & febres putridæ, & tubercula commutant inuicem, & in materia communicant, quæ corrumpitur scilicet in humoribus, sed quæ nondum putrescit, nam ichores sunt qui in febribus putrescunt præterquam in pestilentibus. Quamobrem & podagra cum febribus non pestilentibus & diarrhæis & cæteris tuberculis communicat, & commutatur familiariter. Commutat ergo podagra cum renum calculo, colica, apoplexia, leucophlegmatia, febribus, scabie, diarrhea & cæteris tuberculis, præterea cum corriza, stomachi fastidio & lassitudinibus ventriculi, vt vidi: non tamen ascite etsi ambæ communicent febri.

CAPVT IV.

De variis accidentibus podagræ, fastidio dolore, inquiete, pruritu, torpore, grauitate, & de hæmorrhoidibus.

PRognosticum satis verax signum est superuenturæ in diem podagræ, cum quis citra crapulam fastidium ventriculi, cibique tanquam nondum concocti sentit: quod non solùm mihi ex podagræ aduentu, sed etiam aliàs cum iuuenis essem, dum hæmorrhoides instarent, superuenire solitum fuit. Vnde videtur podagra cum hæmorrhoidibus commutare, aut saltem in materia communicare vt sint affectus, qui cum ea communicant duodecim numero. Hippocrates tamen in sexto Epidemiorum non podagræ meminit, sed forsitan sub illis verbis comprehendit. Forsan neque aliis Auicenna sanè commemorat; sed dubium non est quin non aliquando commutent. Fiunt enim ex sanguine superfluo ambæ, sed hæmorrhoides ex crudo, aut assato: podagra propriè ex crudo. Differt tamen materia à materia, cum hæc in venis fiat vltra cauam, illi citra cauam. Quamobrem earum est causa manifesta: nam repletis illis venis mesaræi etiam replentur, aut saltem sanguis corrumpitur, & ventriculus velut in picra prægnantium cibum abhorreat. De podagra igitur verisimile est hepar esse repletum sanguine pariter crudo, sed id cum exili sit, & obtuso sensu præditum, non percipit: is autem qui ad ventriculi imum venit, nutritionis causa malè afficiendo ventriculum, odium cibi parit. Sensu enim animali atque excellenti ventriculus præditus est. Aliter etiam ex ventriculi cruditatibus coacervatis, etiam aliis in venis cùm mouentur, contingit ventriculum qui amplius se exonerari non potest suas sentire. Hæc igitur ita se habent in his quibus accidunt, nam non omnibus hæc accidunt. Sicut neque doloris magnitudo, aliis quidem clamosa continua, aliis minor nec assidua, quod ex qualitate, & quantitate materiæ compositione membrorum, & sensuum mollitie; nec non ex animorum varietate percipitur. Communis tamen in assiduis quàm intermittentibus est, vt sola cogitatione motus membrorum sit horribilis. Secundo loco cum spes manet, non tamen neque potest mouere, neque admittere ministrum qui moueat. Tertio cum motus ministrum fert, non tamen mouere per se potest: & dum ab alio mouetur, dolet. Quarto cum mouet ipse cum dolore tamen, aut absque eo ab alio adiutus. Quinto cum mouere potest sed ægrè, licet dolore non torqueatur grauiter tamen adest. Sexto cum grauitate caret membrum, atque dolore, & expeditè mouet, tamen aut torpor manet, aut imbecillitas, aut leuis dolor. Demum est ad sanitatem reditus, vt sint quatuor præcipuè consideranda: torpor à sensu: grauitas è tumore, & obstructione neruorum, dolor

à

à tensione & qualitate in tendonibus: Imbecillitas à resolutione spirituum, à longa immobilitate, ab obstructione, atque hæc communia: alia minus communia, quæ tam magnam molestiam afferunt, velut ictus, pruritus, inquies: alia quæ non molestiam afferunt: velut pulsus tumor, tensio quæ ad tactum sentitur, tum sudor; alia quæ quandoque dolorem mouent, quandoque non, veluti calor vel frigus. Igitur pruritus fit ex tenuiori parte, quæ extra protruditur: saltus à vaporibus, pulsus significat tumorem talem vt arteria comprimatur. Et tumor quidem materiæ, tensio autem spiritus abundantiam significat: sudor autem optimum est signum; nam tenuitatem materiæ & robur partis significat, adeò vt declinationem à principio significet, & vnam alteri iungere. Inques verò impedimentum exitus vaporum, & hæc est minor, aut saltem verior: plerumque autem fit à situ quem podagrici raro bonum sed multò rarius stabilem inuenire possunt. Propterea de eo dicendum est.

Capvt V.

De situum varietate.

CVm aliàs docuerimus, hominis decumbentis naturales situs octo esse in podagra, quæ in pedibus non tantum momenti affert, si vnus aut alter eligatur. Satis est, sed in manibus minus: multò autem minus in senibus ac ischia, quoniam duo sunt membra, & dum mouentur totam tibiam aut partem solùm trahere coguntur (ideò cum nec diu stare possit æger, nec sine pondere annexo pars ægra moueri) poterit corpus vllam habere requiem. Igitur neque super latus patiens diu consistere poterit, altero prægrauante crure: neque super sanum, cum incumbens ægrum rectum cogatur, isque situs cum peruenturus sit ipsum verò crus debile: adeò vt etiam in sanis situs recti in situs difficiles sint ob hæc: neque pronus cum in die turpis & incommodus ad omnia, præsertim amicos excipiendos habeatur, nec condeceat etiam quocunque declinet podagra, nam genu patella premit lectum, & ab eo pressa morbi vicissim locum: nec supinus etiam conuenit, cum periculum immineat ex hoc calculi: materia haud deficiente & calore immodico renibus æstuantibus, quid hoc aliud esset, quàm Glauci permutationem armorum facere. Constat in simplici nullo situ diu ægrum posse consistere: supinus autem situs vt malus est valde imbecilli ventriculo & renibus, ita vtilis non parum ægrè spirantibus. Contra pronus vt ægrè spirantibus malus, sic vtilissimus ad concoctiones, quia colligit calorem naturalem & patientibus destillationem ad ventriculum, nam pituita in gulam sic decumbentibus influere non potest, vt in suffitus ad pectoris partes atque asperam arteriam; adde quod ex prono multis affluit pituita copiosa & humor subtilis ex ore in puluinar & nares, maxime prima hora somni. Vnde multi, quibus solitus fuit ventriculus ob destillationem à capite imbecillitate coctionis cibi laborare, hoc solo præsidio liberati sunt. Sed videamus modo mediorum situum quis sit tolerabilior, quandoquidem nihil in totius podagræ cura sit magis necessarium scientia decubitus optimi, nam & dum decumbit si benè decumbat, nil nisi ipso decubitu sanus ab ægro differt, & decubitus ipse bonus dum dolorem leuat, somnum admittit, atque ideò quietem ægri, tranquillitatem morbi, mitigationem ac breuitatem facit. Sed vt ad rem ipsam redeam etiam nunc mihi profuturam, quippe ex rotula genu, vt dixi sinistri, tum podagra laboranti necessariam (ingenuè fateor) diu frustra cum conflictatus sim vsque ad animi desperationem, tandem quatuor occurrerunt ex quibus intentum quæsiti assecutus sum: Hippocratis authoritas, ratio, experientia, præcedens somnium quo admonitus sum, & hæc omnia confirmauit experientia subsequens. Ab Hippocrate igitur in *libro de fracturis* admonitus sum. Primùm quiescat quantum potest ita vt pars laborans altior sit toto reliquo corpore: nam longa quies concoquit, soluit ea quæ sunt præter naturam somnum conciliat, consolidat, sedat, dolorem subdit. Qui perferre quietem non possunt longiore indicatione indigebant, atque ita curati neque forsan plenam sanitatem adipiscentur. Tertiò addit quietis modum, admonens non posse quiescere diu in insueto more situs membri, & dat exemplum velut si quis velit cubitum extensum diu tenere, etiam per vincula non poterit, quoniam vsu fluxum tenere solet. Admonet etiam nihilominus quòd aliqui decumbunt insueto more propter impotentiam motus cum vertere se nequeant, necessitatem pro consueto habentes, adeò vt primum sit necessitas quæ ab impotentia procedit. Secundum consuetudo quasi naturalis inde quies. His subiicit mollitiem strati plurimum conducere, & ad habendam quietem, & ad permutationem cubilis cum opus est, & ad exonerandam aluum vt naturæ seruiamus, quod etiam vtile est per se quibuscunque similibus morbis. Demùm subiicit post hæc communia vnum proprium huic tractationi, & loquitur de crure fracto quod ex similitudine ad præsentem casum tum collisionis rotulæ, tum podagræ referri debet, scilicet quòd crus debet manere directum & in molli strato, & rectitudinis causa est, quoniam primùm homines ita iacere soleant hoc situ: sed potior quoniam restitutio ad rectitudinem membri comparatur; quare restitutum necessariò in eodem situ retineri debet. Præterea subiicit quòd in tali extensione moderatè extendi debet crus & prorsus (nihilominus) iacere in directum, vbi Galenus *secundo libro com.* 64. dum subtiliora rimatur inter alia inquit, *sed enim licet hæc ad tutelam præparata à medicis sint, præter ea tamen non fit vt motio articulorum impediatur, cum æger & tali & genu articulorum, hac illac paululum mouere queat.* Coxæ autem liberæ; somnio, quia maximè consulendum est duobus, morbo & naturæ, ex quibus fit tertium scilicet

scilicet vtrique: Et morbo quidem vt altius membrum detineatur & neque comprimatur. Altius autem bifariam velut comparatione ad corpus crure eleuato, altius quam corpus sit & ad partes membri, scilicet vt pars læsa sit superior. Naturæ verò & vt sequamur consuetudinē & musculorum situm. Quapropter dicebat Galenus, naturalem situm nobis esse, vt quiescamus non contractis membris præsertim cruribus, Sed neque prorsus extentis. Verum tamen propius extentis quam contractis. Vtrique autem consuleremus & mollitie strati; & leuitate operculorum. Quamobrem & calida esse oportet, & plumea Germanico more omnes prætulerim. Atque ea ratione æger collocandus erit in cubiculo angusto, sed tamen mundo temperato magisque ad tepidum quam ad frigidum inclinante, quod etiam ad materiæ concoctionem & doloris sedationē ac tranquillitatem aliaque commoda conducit. Ratione verò quia diuaricatis cruribus, necesse erat decumbere, postquam altero alteri superstante, quanta mala sequerentur edocui, modicè ne plurimū a consuetrudine recederemus, & quòd oportet actu frigidis (in quo quidem aberraueram) potestate autem tepidis vti, & causa est quia in actu periculum minus est erroris, cum sentiamus noxam: potestate autem maius periculum, sed ratio dictat calida temperate esse vtiliora, nam sunt magis consueta primum nobis, nec quieti nos dedimus, nisi sub eo statu & dolores finiuntur, & tumores mollesiunt & digeruntur ac dissoluuntur, & nerui calore gaudent veteraque huiusmodi: insuper quod alia aliis conueniunt, & ratione morbi & loci & temporis ipsius: & temporis etiam morbi & consuetudinis, & temperaturæ. Eaque causa etiam duo me obseruare oportere Primum vt crus sanum opitularetur ægro, laboreque illud leuaret, atque ob id etiam culcitra, vna calidiore scilicet & leuiore crus ægrum integeretur, sanum autem eadem illa atque altera cum reliquo corpore: quare quasi transuersim in hanc formam vt B.C.D.E. referat culcitram secundam eamque plicatam & quæ totum corpus tegat, crúsque cum eo sanum, A autem partem primæ, quæ sola laboranti cruri obtenditur. Experientia verò cum & vincula obiecissem, & locum aqua frigida lauissem ab vnguento ac superfusione leui vsus, omnibusque proposui obseruatis scilicet vt quiescerem crura morbo soli libero minimè onerato: ab altero paululum diuaricato corpore consuetudinem cum circa eum situm modo paulo plus, modo paulò minus versarer, statim in somnum incidi, inuenique experrectus paululum me à situ consueto differentem, distentum iacere scilicet supinum, declinantem in sinistrum latus: ita pronum vt neque renes neque dorsum (nam vtrisque carere soleo) tangant stratum, ita consuetudini proximus vt præter diuaricationem crurium in quam tamen dextrum genu molliori suræ parum insidebat iacerem: somno solutus statim in eum redij & iam ad diem multam experrectus inueni me in altero situ consueto sed minus iacentem, siquidem supinum in dextrum latus valde pronum dextro crure ante iacente, sinistro vero genu versa vice paululum in molliorem eius partem incumbente. Namque decet hominem duplicem in consuetudine dormiendi situm habere, postquam decet etiam singulis noctibus si licet in vtrūque latus sed diutius in sinistrū dormiendo incūbere. Hæc igitur ita se habent. Quāobrem autem somnus obrepat, antequam inquies cogat de suo statu decedere, & quomodo vt seruatis necessariis, quamuis tot difficultatibus secti totas noctes dormire liceat, in sequentibus docebimus.

Capvt VI.

De cura podagræ duplici ac quasi contraria Arabum atque Græcorum. Et quid dissoluere propositum sit: An concocta materia conueniat purgatio?

Cogimur igitur vt ordinem seruemus, ordinem deserere, & ab ipso curationis modo rationem morbi inuestigare, quæ res vt à nemine animaduersa est ita pulcherrima & vtilis. Ergo vt ad rem acedamus difficilem curationem multiplex modus effecit: non benè notam morbi naturam, varia curandi ratio ostendit. Generaliter autem propria in quatuor diuisa est. Antiquorum præcipuè Asclepiadis quam approbat Galenus: 10. *de med. secundum locos c.* 3. eam quæ ab oribatio originem sumit, quam Paulus sequitur. Tertiam quasi empiricam Aëtij quā nostra ætate multi sequūtur medici. Et Principio mistam ex duobus vltimis generibus. Sed neque in vniuersalibus concordant. Quidam semper mittere sanguinē volunt quod dolores sint vehementissimi, *vt prima Aphorismorum. com.* 22. Alij nunquam: vt quasi Princeps credo quod maximus morbus non sit, Et sunt causæ notæ, tum quia oporteret ægrum iugulare si frequenter acccideret. Et quia vires debilitatæ humores non nisi crudos gignerent: vnde podagra sæpius & atrocior inuaderet. Demum quod sectio venę attenuat sanguinem & ideò fluxiones magis irritantur. Alij volunt vt in sanguinea tantum velut Paulus, similiter & de purgatione ab initio: tanta fuit olim controuersia vt Princeps verterit opinionem quasi duorum vicem gerens. Et qui volunt statim hominem in id periculum vocare, attractis per sima ex gibbis iecoris humoribus ægrum in summū discrimen auocant, & vt post longum tempus inflammationem in iecore aut scirrhum pariat, & hominem occidāt, nec tamen certi commodi quicquam sperare possunt. Quintum in fine (cum his consentiat Auicenna) quid est quod velint adducere, quandoquidem perspirare eam Galenus affirmat? nec satis constat an materia vbi in cauitates irruerit possit per medicamentum educi, cum oporteat in venas reuocari. Istud enim non adeò planum est. Sed

Sed redeamus ad intentum propositumque; Cura antiquorum præcipua fuit, & ab initio per medicaméta topica, emplastraque quæ auocarent egregie, velut corticem capparorũ & fabarum nigrarum lupinorũ quoque farinam atque huiusmodi: & quæ colligerent carnes ac serosa extraherent, interquæ meminit præcipue. Assij lapidis, & quæ locum stupefacerent: commemoratque prima omnium opium Mandragoram Altereũ & cicutum. Addit crocum ad temperandum: sed & feruentissima, non absurda ergo intentione, vt confestim tum auocando, tum torporem inducendo alleuiaretur dolor & fluxio cessaret obrepente somno. Sic cum ex quatuor præcipuè constarent huiusmodi auxilia: actu feruidis, potestate auocantibus, colliquantibus torporemque inducentibus: quatuor vtilitates feruoris egregias, minimè intellexerunt posteriores, vstionem & vriginem vnde dolor dolorem leuat. Est autem inanis dolor breuior multo in parte afflicta, quam podagræ attractionem, ex profundo ad cutim: vnde non solum artus euacuantur sed prorsus (vt ille docet) perfractis vesicis dolor & vrigo etiam extinguitur. Tertia est, constrictione materiæ ad locum fluant. Vt enim declaratum est à nobis in secundo libro calor feruens vt auocat ex intimis ad exteriora, ita particulam astringit vt aliunde recipiant influentem materiam, credo natura timente ob acerbitatem doloris, vel ob calorem vehementem exsiccatis partibus proximis per quas recipere deberet. Sic cum calor tepidus trahat & difflet, vrens repellit & astringit. Idem calor etiam colliquat quæ in artubus continentur, vnde sub forma ichoris prodeunt. Cum ergo prouocet dissoluatque, & vesicas excitet, astringat & dolore dolorem leniet non immerito applicantur feruida medicamenta: quæ (modo quis ferre possit) necesse est vt soluant præsentem dolorem, atque eò magis quod potestate similiter colliquarent dissecarent atque attenuarent, & torporem articulis inducerent, hæc fuit illorum ars.

De purgatione ita censendum est sine controuersia: cum humores qui fluunt & qui in corpore abundans terosi fuerint ac tenues & in motu statim, & tum valido medicamento sunt educendi: secus clysteribus contentum esse oportet, vel ad summum cassiæ fistulæ seu nigræ succo, aut melle rosaceo, id enim seu syrupus similis valde à noxa omni liber est.

In cæteris ergo aquæ frigidæ vsus optimus erit, moderat & ad voluptatem duntaxat vsque pri mum inchoando ab interrogatione multa, & diu & valde frigidæ: & post remittente se affectu pro irrigatione embroca seu superfusio minus frigieæ & breuiori & pauciori tenaciorique. Demùm per lintea tantum madida & iam manu constricta, & mediis temporibus media. Et si feruentissimus sit locus ac biliosus vel omnino non calidus in vno aquæ frigidissimæ vsus copiosus inutilis est in altero periculosus. Hic modus tantò tutior est & melior, quantò ille alius vtilior & efficacior, ideo etiam personarum non solum morbi ratio habenda est: si sæuiat multum, si durioris sit carnis, si fortis animi, si agrestis primò vtamur, si mollior ac delicatus & effeminatus morbus non acer, hoc secundo. Scio quid obiecturi sint, ô quanta num ego iuuenis qui exegi annum iam LXX. num æstas media in fine Nouembris? num bene carno qui totus xij. libras carnis non obtineam? ô misera medicina olim ad instans redacta, nunc tota transiit ad magistros Grammaticæ. At igitur qualis erit, aut quando locus Paulo vel Aetio: certè cum aquam apposueris post iam laboranti particulæ, sed fluxione desinente tunc ad speciem, & vt homini satisfacias, malagmata fieri solent præcipua ex lacte & opio, ex oleo rosaceo vermibus incoctis, ex sapa & furfure: confert & hoc ab initio furfur acetum & aqua prope locũ pro emplastro. Nostrum simplex ex lacte seminibus papaueris sæpius repetito, & tepido.

Cæterum quædam dubia mihi occurrunt circa hæc: & primum quid dissoluere tentemur? an materiam quæ est in tendinibus, cum nullam esse affirment? an dearticulatione cum tum dolor & tumor, appareat manifestè potius in tendinibus ac externis partibus saltem propinquis quam in articulis. Ideò dicendum est impleri musculi partes, & carnem tendinibus propinquam & vsque ad cutim, quam postmodum vt comprimit, resoluta liberat à tumore & dolore tendinis. Altera est dubitatio an vnquam concocta materia conueniat purgatio? Id autem sanè cum eo vapore locus difflari pigritet, seu ob materiæ lentorem aut crassitiem, aut loca nimis angusta, & dearticulationum & pororum: aut imbecillitatem innati caloris aut impedimentum aliquod: tum enim non abs re fuerit ab articulis educendo materias eas purgare. Tum verò attenuare & dissecare expedit, ne nimis violenter expurgando cogamur vias dilatare, & corporis compositionem dissoluere.

Tertia dubitaiio est an cura illa Aetij ad aliquid vtilis futura sit? Et dubium non est quin ab initio semper malagmata non noceant pondere, caliditate, vt etiam docuit Galenus *In Arte medica* plurima incerta varia, nullis determinata temporibus: Vnicum præterea malagma importunè appositum plus nocebit, quam decem opportunè admota: Et quando nocuerint & cum auxiliis applicatis, eò forsan res deducta erit, vt nil postmodum prosint. Propterea dico perniciosam esse eam curandi rationem, si quis non exacta methodo illa vsus fuerit. At si iudicio vtaris explicitis rationibus scies quid cui conferat. Hoc forsan ille deceptus est quòd crediderit Asclepiadis medicamenta, & aliorum veterum sine discrimine inuicem copulata: in quo vt dixi non parum deceptus est; nam singula ex his continent octo illas dictas vtilitates: quatuor á feruore, vnam à torpore, vnam à colliquatione, aliam ab attenuatione, ac demum aliam á diuisione: cum eo quod concilient somnum atque dolorem leuant. Ergo cum tria sint vt dixi medendi genera, hic vnus vtilis erit, singuli plura numero

eiusdem generis subministrans, sola magnitudine differentia auxilia: quod erat præceptum Hippocratis. Insuper aliud emolumenti genus præstat quod quædam sola experientia inuenta, & à proprietate occulta pendentia docet: vt non inutilis futura sit hæc doctrina rectè vtenti quamuis hac in parte minus cognita vt dixi, quoniam nunc vsque curandi ratio in eiusmodi morbo ob varietatem ignota fuisse videatur.

Alia quæstio est cum tendines tument velut ex percussione, qualis morbus & quid agendum? Dico quod non ex podagra, sed si contingit deterior morbus, est enim rarus, sufficit huic tractationi vt sciamus curare podagram, eo directus est sermo. Multi enim sunt tumores tendinum ob quos laborat homo: sed si non ob inflammationem articulorum, non sunt podagræ.

De venæ autem ratione quæ fuit vltima quæstio, dico quod non debemus mittere sanguinem nisi adsit repletio sanguinis in toto: quia tunc etiam fieri potest absque podagra, nam si sic podagra sanguinea nec sit sanguinis repletio in toto vel erit morbus paruus, & ei non debetur sectio venæ *Quarto de victu in acutis*, vel magnus & tunc æger fortis, & debet curari Græcorum antiquorum more, si effœminatus sectione venę in brachio eiusdem lateris vel ex oposito pede xiij. *Artis curandi cap. 5.* Vel si iam inualuerit vt resolutio aliquid possit anodynis vt vocant seu acopis. In quo casu licet etiam transire ad experimenta, sed si obsint non diu immorari cum illis, nisi velis verba cum natura contendere.

Caput IX.

Ratio victus illorum. An hæmorroides iuuent? An podagra cum cerebro consentiat? Indicium futuræ sanitatis.

Cum in *Tertio de tuenda sanitate c.* 17. quædam proposuerim, hic non tam morbi propositi quam mei nunc podagra vt dixi laborantis in sinistro genu, sed magis percusso ab vtre quem equus gestabat inanē non leui impetu. Contigit autem hoc vesperi XXVI. diei Nouēbris, id est, V. Calendas Decembris, nunc autem scribo hæc: pridie nonas. Annum expleui LXX. menses duos, dies IX. Stans huiusmodi. Dolor patellæ genu cum læsione manifesta tendonis musculi septimi, & nunc alleuiatur multum hoc vnguento.

℞ Acatiæ ℥. ß.
Gummi Eleni ʒij.
Amoniaci ʒj.
Radicum Altheæ.
Radicum Granati seu arboris ann. ʒij.
Mali punici syluestris

Radices ablutæ contundantur vt sint absque corpore & eis addātur aquæ nympheæ & florum ve loco eius violaceæ aut etiam solani ℔. j. Tria autem prima quæ pro granis haberi possunt in ℥iiij. aceti nigri potentis, coquantur in duplici vase horis tribus, radices autem vsque quo aqua resoluta fuerit, quibus adde lachrimas iam coctas aceto (si quid superest) abiecto & denuò contunde, & benè coque miscendo in duplici vase inde adde oleum rosaceum benè odoratum, & ʒij. vsque ad iij. ceræ candidæ & puræ & croci ℈ß. optime misce & coque vt in emplastrum cerati euadat.

Hoc cum vsus essem calido, (credo nondum sedata fluxione) nocuit, post ter cum vnxissem & ex frigido egregiè iuuit, nam annis ante nouem cum citra contusionem vllam podagræ in eodem genu laborassem vix post duos menses explicui, nunc in tribus diebus multum restitutus videor: Adest propterea vigilia cuius causa est inquies vt video. Enteroceles flatus scabies dentes ob paucitatem officio suo non satis faciuntur. Mutatio regionis nouæ iam seni & in aerē vt omnes vident prauum, adeò vt Romam appellent Longobardorum sepulturam, curæ multæ & deiectio alui sicca & dura, & tamen cum aqua quæ iam biennio exacto cœpit. Itaque omnia me vrgebant: solet enim euenire transferentibus se de nouo in alienam patriam, vt quemadmodum his qui aquam super cinerem proiiciunt, tota enim efferuescit & euaporat. Ita enim natura cum tantam multitudinem aëris trahat, insueta eius qualitati, tum maximè si aër crassus fuerit, & turbidus ac ventis agitatus, omnes conturbat humores, & agitat eos & expellere conatur: quin etiā quod maius est & mirabile dictu ichores diuersos generat, atque adeò superabundātes vt vndique rūpant atque sanguinem corrumpant, & diuersas fluxiones agitēt: Romanus ergo eiusmodi est crassus, quia in radicibus colliū, & ex Tibri flumine, & ex paludibus maris, humidus etiam eisdē causis. Tum quia minimè liber, & impurus ob id, sed & flatuosus propter maris viciniam, putridus quoque quia humidus & conclusus vehementibus cum caloribus, & quia ex locis putridis, scilicet stagnis & paludibus. Quærendum est autem de causa directionis aquæ per aluum, non enim generatur in ventriculo, nam cōcocto nulla esset, sed descendit sensim ex cerebro collecta ibi ex ascensu vaporum, cuius indicium est, quòd vt aliàs narraui ter aut quater pura emanauerit ex naso, & in magna quantitate: ob id ergo sperandum est quod interdum quiescet vt etiam de fluxu è naribus, nec est discrimen nisi quia copiosior erit propter ætatem, & quoniam fit circuitus ex vitio vētriculi, ergo cura erit, vt ab ea incipiamus, ex euacuatione narium, ex prandio sicco & modico, ex apophlegmatismis, ex euacuatione capitis, ex his quæ educunt serosos humores inter quos nihil præstantius existimo serapio ex infusione fumariæ, quia cōfert inter cætera ipsi vētriculo & purgat bilem atque præcipue exustā, ergo ratione subducta nihil melius, nihilque præstantius; vitare interim quæ plurimum generant serosi humoris, inter quæ maxime fructus horarios & olera.

De

De vigilia quæ fit propter inquietem, ea autem magna ex parte propter situm vt antea dixi, & situs quidem cum laborarem podagra in genu & longè magis cum in ambobus,& ex ictu non poteram quiescere nisi resupinus: ac is teste Principe parit Apoplexiam & paralesim & incubum, vnde etiam similes alij morbi vt stupor, quorum generi mater mea hac ætate obnoxia fuit,sunt enim hereditarij,præterea dicebam: situs hic generat lapillos in renibus & vesica, vt clarum est consideranti quæ scripsit Hippocrates in libro de Aere Aquis & locis, dum de calculis puerorum agit. Igitur melius est pati dicebam mecum vigilias atque dolores quam certæ se dedere morti, obdurato consilio duas inueni vias tantum quibus his obstarem incommodis: vnam vt crura supino situ & indolenti constituerem, incumbentique cubito legerem somnifera, atque ita in somnum reptus quod vigilanti difficile est corpus in latū decumberet,traheretque secum crus modicè tamē vt dum expergisceret voto non fraudatus videar. Paululum autem emolito morbo substraui puluinaria vt latus lateri sine dolore incumbere posset: periret opera si enarrare tentarem quod breui experimento constat: infinitis verbis vix explicari potest.

Altera via est vt renes non incalescant in quo maius periculum est minoris periculi quam maioris, siquidem apoplexiæ facilius occurri potest ne fiat calculo, postquam factus est gonorrhæam etiam parit, & non aliter polluant qui decembunt: vulgatum est illud Horatij.

Tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant ventremque supinum.

Ergo madefacere aqua frigida renes inungere oleo ex citoneis (hoc enim proprium est eis) seruat enim illos incolumes robustos, & minimè patitur excalefieri, quin etiam auferre laneam interulam ea parte:& si nihil possit horum quantum volumus incumbere lecto paleari è tritico vel hordeo, paleam autem recentem singulo mense permutare.

Sed cur quibusdā decrepitis magis ferueścit sāguis,adeò vt vir insignis prope octuagesimū annum mortuus sit ex fluxu sanguinis narium,cum minus ætati illi conueniret. Etenim cum calefactis renibus è spina dorsi nullum genus defluxionis, nulla causa incendij in toto sanguine, nullum euaporationis argumentum deesse potest tanti refert hoc paruum. An quoniam senes decrepiti ob imbecillitatem decumbere soleant, non animaduertentes magis in dorsum. An quia retento semine materia illius vertatur in saniem? An quoniam ob ventriculi frigiditatem vtantur cibis calidioribus, aromatibus, vino meraco,atque potenti? An quia minus dormiant, somnus autem refrigerat humectat & coercet humores calidos? Vel quia biliosis (his enim accidere solet hoc symptoma) ex senectute adurantur humores, non quidem vt fiant calidiores sed sicciores. Omne autem siccum promptius ardet quam calidum. An quoniam ex senio occlusis poris intus clausus color magis augeatur. Senum enim corpora quod ad ætatem attinet densantur, dilatantur in cauitatibus, pendent enim testiculi eorum longius:hæc igitur causæ aut plures aut aliæ.

Sed quod maximè me angebat fuit copia flatus & imbecillitas ventriculi, quoniam non hora solita cibum appetebam, quinimo videbatur cibus adhuc in ventriculo esse. At animaduerti non esse ventriculi imbecillitatem, quamuis per annum fermè hoc symptoma perdurauerit. Primum quia neque vires debilitatæ sunt, neque corpus extenuatum:annuli enim id declarabāt,& facies pro ætate florida,& defluxionū successio frequens, maximè podagricarum: & sanguinis hæmorrhoidalis exitus satis copiosus. Igitur vel omnino ob abundantiam aut saltem si quæ est imbecillitas,maior pars ad illam ac prauitatem referenda est.

Vt verò dictum est à podagra quod me fatigabat & alios plerosque torpor fuit: cui vt mederi possimus inquisitio debetur. Est autem quincuplex: alius enim est cum homo vix sentit in cute ob sublatam ex obstructione neruorum sentiendi facultatem, estque pars paralysis: nam in stupore sensus aliquis manet, velut si quis tangatur à stuppa? hic non fuit quoniam nerui tenues non erant obstructi: secundus est qui vocatur Alcuzez ab Arabibus, in quo sentitur quasi formicarum discursus cum imbecillitate sensus & motus. Fit autem in crassis simul & tenuibus neruis atque tendonibus nec hic solet commitari podagricos. Tertius cum ex imbecillitate virium motus membrorum difficilis redditur, qualis in conualescentibus. Hic plerunque non magis est proprius huic parti quam alij, neque hoc igitur laboraui. Quartus est cum natura metu doloris mouere non audet, præceditque vt dici solet pœna peccatum. Quintus cum reliquiæ humoris prægrauant membrum. Hi duo morbi nos fatigarunt atque vnus alterius curam impediebat, siquidem exercitatio multum contulisset, sed metus doloris prohibebat, Anodyna seu acopa in hoc casu plurimū conferunt,discutiunt enim & doloris sensum leuant. Nihilominus si paulo tempestiuius adhibeantur augent grauitatem, experientia confirmandum est auxilium, ne timor abscedat, & vt vtamur ipso vti licet.

Sed quoniam flatus multa impedimenta attulit,initium curationis est bonitas alimenti,quies,somnus vnguentum & aluus lubrica. Quæ verò aluum molliunt & somnum inducunt & boni succi sunt. Sunt veluti panis coctus ex iure non pingui, cum tertia parte vuæ passæ paruæ sine arilis & tenuis corticis. Vitelli ouorum si non sufficiat caro mollis vitullina, maximè elixata & assata post somnum conciliare præstat non cum frigidis,sed cum styrace croco iridis Illyricæ radice Agalocho, nil plus vltra, nisi quando opus est nympheæ aut papaueris syrupo. Ad flatum exercitatio ieiuna, vt nil melius. Vnguentum flatum discutiens temperatum astringens. Oleum de absynthio, mastychinum de nuce myristica, atque similia, odorata

rata, astringentia temperata cum τρόπον. Exempli gratia Absynthium Macedonicum benè odoratum virens ex iuuene planta, foliis interioribus cum semine etiam ortum aduersus Meridiem in colle sicco leuiter tusum, in duplici vase bis aut ter repetitum in oleo amygdalino dulci aut oliuarum, omphacino, hæc atque similia.

De dentibus & ætate aliàs dictum est sæpe, nec quæror ad ictum solum nunc, nam de illo considerabimus. Contusio cum podagra conuenit quod repellentibus indiget ab initio, sed cum applicuissem aquam frigidam melius me habui. Vnde potius ratio habenda est podagræ quam contusionis, id apparuit experimento, Medicus peruicax applicuisset calida actu & ostentatè cum nihil melius inuenerim aqua frigida, & etiam in processu vsus sum vnguento ipso frigido actu, adeò vt in astrictione hac è regione pugnantia adhibenda essent tam actu quàm potentia calida in contusione, velut crocus & myrra. In podagra frigida vtroque modo.

Nunc subiiciam quædam propria ac breuiter illa describam. Primum quæritur an hæmorrohoides iuuent, & respondeo quod plurimum, si quis multo ante profluentes habeat, nam tollunt materiam ex qua fit humor crudus, superuenientes tamen non nisi magno conatu.

An etiam podagra cum cerebro consensum habeat quædā indicant quædā obstant: indicāt sanè quoniam videtur fieri defluxio per spinam dorsi in articulos. Tamen videtur solum sentire de coxendicibus. Aliud maius quoniam podagrici plerique non possunt benè restitui temporibus pluuiosis, id non videtur accidere nisi quia cerebrum & nerui compatiuntur: nam sine nouo defluxu, doloribus & debilitate infestantur, multi etiam podagrosi benè purgato capite longo tempore benè se habuerunt: quod est magnum indicium eius quod diximus, scilicet podagram à capite pendere: Videtur autem desumptum ex Hippocrate in opere *de Aere Aquis & locis. lib.* 7. *Tex.* 18. 22. & 23. Vbi dicit quod dissectis venis post aures liberantur à doloribus crurium seu partium inferiorum: vnde liquet quod talis morbus erat podagra aut podagra proximus. Ergo podagra habet ortum à capite. Quamuis enim aliquis dicere posset quod fit per venas, respondebit aliquis cur per venas illas quæ sunt adeo procul ab articulis. Ideò respondeo ex meliore coniectura sanguinem infici & traduci atque trāsmitti ad articulos plenū cruditatibus, & ob id misso sanguine exsiccabatur cerebrum & fiebat magna permutatio atque hi sanabantur. Colligendo omnia dico duplicem esse podagram, vnam quæ prouenit ex vitio Iecoris ventriculi & lienis; alterā cerebri, indiciumque in his est multa abundantia pituitæ color palidus, & corpus macilentum: vnde censeo podagrosis omnibus conferre exercitationem plerisque etiam & maximè his qui habitant in regione frigida & humida. Et vbi aër crassus est, & in vallibus habendam esse maximam curam cerebri, & purgationes cerebri plurimum valere, & cubicula occlusa calida & suffitus ex Thure.

Ad incōmodum meiendi fiat vas latū & simile strictioris ori shoc modo, vt paulatim primum dilatetur post imum si æqualis latitudinis, sed rotundum ex stamno seu plumbo albo non ex vitro aut cretaːsi non potest surgere ad exonerandam aluum, subiiciuntur pelues linteis: si abhorret fœditatē nulla alia via est, quàm vt eleuetur à quatuor viris robustis situ indolenti, & collocetur in sede quadrata tectorio huiusmodi forma & est antiqui moris. Vbi vno genu tantum laboret, nec contrahere possit quod non potest contrahere descendendo è scalis præmittat ascendendo reliquum, & laborans subsequatur. Indicium futuræ sanitatis optimum est leuitas totius corporis & membri illius adeo vt melius sit hæc possidere cùm magno morbo quàm leuem esse morbum cum grauitate alterutrius. Plenitudini totius facilius est auxiliari, grauitati membri laborantis minus est periculi, melius est vbi iuncta sit contusioni habere rationem eius quàm podagræ quia periculum maius est. De luxatione vel fractura frequentius tamen podagræ insultus contingit, ob id calidis potentia non multum actu frigidiusculis vteris, donec certior fias: ita maiora illi debent auxilia, huic diutius insistendum. Fluxionis autē tēpus triplex est generale vt initium incrementum: per circuitus hoc à Galeno declaratum, 2. *de differentiis feb.c.* 11. illud ex natura rei, & id attigit Galenus. Et proprium cuius causæ sunt aut vapores, aut materiæ motus, aut loci sensus aut accidens aliquod, velut cibus potus concoctio cibi. Vel ex aëre vt in ventis, frigore nocte aut ex astris. Videntur enim pati in his manifestè, maximè quæ sunt à luna cum sole aut aliis erraticis, aut quibusdam inerrantibus quę tales sunt potestate vt causæ in vniuerso, in quibusdam autem non adeò hæc manifesta forsan & alia nobis incognita. Verum illud non incognitum quod cum repleti fuerint loci superabundans humor plerumque vertitur aliud latus, sin autem prorsus exuperauerit forsan interficiet hominē præsertim debilem. Vtrumque dolor & calor in articulo concursum materiæ adaugent ad locum, quin etiam plurimum obest malus situs in equitatione & scribendi consuetudo post cibum, & magis post potum, plurimum si cum cibo iungatur & præsertim vini potentis. Et vini quidem potus multus semper est valde malus præsertim potentis & in principio fluxionis. Similiter & crudorum omnium esus malus, vt contra valde acta longè minus obsunt. Abstinere etiam semel in hebdomada à vino bonum. Et scias quod pro custodia si plus mingat, vina alba sunt præstantiora in podagra, secus rubra & astringentia, morbi autem tempore flaua & pauca quoniam mouent vrinas & calefaciunt corpus.

CAPVT

Caput VIII.

De Mutatione regionis; De Vsu salis, De obstructione pororum fontibus vstionibus & amuletis, tum vsu vini, pauci, potentis.

NOn ita facilè assentiuntur quidam, vt toto podagræ tempore à vino abstinere velint, quod neque mihi profuit nimis debilitato ventriculo, cum & dolores, & vigiliæ & impedita deambulatio, & multa alia ei aduersentur. Vnde rectè ille dicebat qui curam habet ventriculi saluti totius corporis prospicere videtur, vt nulli morbo obnoxium sit. Propterea potens & meracum ac paucum, pro medicamento est in podagra. Subit me tamen cogitatio vt hos cogat pluri cibo vti, nam si ad ventriculum, & vires quantum libet non prohibeo vt accipias, si voluptatis causa prauæ indulges inimicis tuis, sin quia fame cogeris, idem præstant sex panis vnciæ, lentè si edas, & benè mandes quod duodecim deuoratæ, quin etiam suauius videbitur, at quanto vtilius. Idem de potu, seu pitises, seu sæpius os colluas raro, & admodum parum deglutias. Sunt ergo hæc improbi vsus & gulæ irritamenta, non necessitas, non vtilitas, neque vera voluptas, sed fucata. Assuescendum est igitur, vt naturæ arbitrio viuas non intemperantiæ.

Ergo quæritur vbi ad statum perueneris, quandoquidem omnibus antea vale dixeris cibis, à quonam incipiendum. Certum enim est præferri debere sorbitionem ex ptisana aut pane contrito leui vel oriza, sed cum iam morbus coctione magis quam astrictione indiget, aliquidque superaddendum est etiam ante coctionem morbi (non est enim idem vt in febribus, nam coctio in podagra materiæ morbi fit in articulis, cibi autem in ventriculo & iecore, quocirca vbi materia fluere desierit si vigiliæ non obstent tutum est corpus nutrire) A quo incipiendum est? in calida à carneis velut pedibus vitulorum & cerebro piscibusque leuissimis, velut gobbio passere rhombo, perca etiam fluuiali, tum lactibus & iecore magnorum cyprinorum: sin autem frigida sit à vino vt dixi vel puro sed valde pauco, aut pauco, & oligopharo, sed si ventriculus sit valde imbecillis modicum vini puri sed oligophori modicumque carnei alimenti, nam & Galenus quandoque in febribus etiam commutationem ab vtroque incipit. Sic etiam de exercitatione vbi morbus ceperit declinare, nam non solum longè maior, sed etiam tutior est deambulatio quam malus situs: hic enim semper sine vtilitate est, & dolorem & morbum adauget. Exercitatio calorem intendit, aliquidque continui detrahit ex materia, nec tamen semper dolorem adauget. Quominus tutum est peccare in malo situ, quod frequenter fit etiam si non doleamus nobis non animaduertentibus: siue homo stet, siue sedeat, vtcunque sentiat se grauari aut dolere, & vt solum leues affectus humilior sit annexis corporis partibus; præstat enim esse subliminiorem qui patitur.

Vnde dubitatio oritur, quoniam sensi hac nocte in genu dextro adeò collisam patellam, & quæ cum ea erant ossa coniuncta vt luxata viderentur: dolore non mediocri, non ergo articulus non dolet: tendo verò solus sic, quin etiam contra tendones incaluerunt non articulus aut minus. Cum verò etiam vtrinque tenderetur nulla fuit quies, & cur non in periculum distentionis incidimus. Dicendum articulos dolere etiam sed maiorem esse tendinum si nimis tendantur. Duorum autem dolorum qui secundum eandem partem fiunt maior obscurat minorem. Ita plerunque tendones soli videntur dolere: iidem magis incalescere dearticulationibus quæ in profundo sitæ sunt, non quia dearticulatio ipsa non magis à putredine vratur interest verò quod dictum est aliàs, quoniam tẽdonibus partes propinquæ carneæ sunt, & ob id calidiores. Sed de tentione dictum est non sufficere vt conuellantur nisi frigore admisto cùm inflammatione. Altera enim nimis distenditur reliquo distendi prohibetur.

Propter eiusmodi si non esset admodum tædiosa, perutilis foret illa frictio articulorũ cum sale contrito oleo immisto: conseruat enim ligamentorum & neruorũ etiam tendonum temperaturam, roburque adauget, sed quoniam seruitus est maxima quotidie, perpetuo tempore vitæ nostræ sic fricari, nescio quid dicam. In regionibas tamen humidioribus & vbi pituita multum abundet, in ventriculo non detestarer purgationẽ capitis quauis via & assumptionem thuris pellucidi ter aut quater in hebdomade, si abstinentiam tum à vino tum ab aqua alternantibus vicibus. In vniuersum potus paucus melior, quam detrahere ex cibo, modo natura ferat quem sumpseris.

Pororum quoque ac meatuum qui sunt in cute transpirationem facere, atque in senibus eam emollire oleis tepentibus consulo: & vt calor retundatur, & oscula aperiantur, & vapores qui intus sunt difflentur. De fontibus longitudine temporis si secundum rectum fiant & moderate quis vtatur prosunt, secus debilitant & deteriorem efficiunt non solum patientis sed & morbi ipsius conditionem.

De vstionibus verò dubium non est quod si sola qualitate peccet & non materiæ multitudine, membrum quod est in causa quia non multum prosit velut in vertice, vel in cerebri parte vnde spinalis medulla oritur. Sin intercipiendi causa quonam feretur materia interclusa via, sin autem ad deriuationem (nam si non intercluditur operam lusisti) iam fluxa parum proderit: ad custodiam forsan nonnihil præsertim modestis viris: At super locum doloris tempore non inuenio à Principe nisi in flatuoso. Administrantur autem secundum hanc formam. 22. 3. Tract. 2. c. 17. *Nã & de cauterizatione bona eis, aut de eis quæ ponuntur loco cauterij est, vt iaceat infirmus secundum figuram quam oportet, & prohibeatur ei motus, & circumdetur*

tur circuitus doloris cum pasta, & impleatur medium eius sale, & ponatur desuper parum olei, & ponatur desuper pannus, & sint præsentia cauteria diuersa & ignantur cauteria, & administrentur in primis taliter vt non sentiantur calida; deinde sentiantur cum ea, deinde fiant fortia donec non possint tolerari. Cum ergo pertransierint tolerantiam, perforetur massa vel pasta, & præcipiatur ei vt inclinetur quatenus aggrediantur sal & oleum, deinde cooperiantur cum lana & ligetur, & oportet vt sit super caput infirmi vas plenum aquæ, & aquæ rosaceæ, cum qua abstergatur facies eius, quando sudat, & caueatur ne caro adduratur & vlceretur, Et sumpsit hoc à Rasi 26.*con.fol.*296. authoritate Filogori, qui ait neminem fuisse cui applicatum fuerit hoc auxilium qui non sanatus sit, sed differt a Principe in tribus, primò quia Filogorius loquitur de Coxendicis dolore non de podagra. Secundum quia loquitur in qualibet materia, non flatuosa tantum. Tertium quia non meminit apertè ferri ardentis sed solum olei & salis calentium. Illud animaduertendum quod vtitur pice liquida liquefacta, & thapsia pro singularibus medicamentis. Tertium supra addidimus scilicet cortices capparorum, omnia feruida, sed cur non cum cauterio curantur. Si solùm cum igne fiat parum penetrare potest in tanta materia propter ossium dearticulationem. Est etiam sæuum auxilium & infame si non profuerit. Hippocrates etiam negat omnino ignem adhibendum locis neruosis atque tendonibus, his de causis non solùm tutior sed validior erit vstio per medicamenta, quam per candens ferrum.

Inter amuleta quidam referunt pedes aquilæ, locum etiam vulnerare torpedinis aculeo multum prodest, aut vt dixi asij lapidis flore emplastri modo. Quod penè auxilio simile est sarcophagi lapidis, in quo si quis pedem laborantem contineret paucis horis, sanatur naturali ratione qui in xxiiij. horis totum potest absumere pedem . . . si in longè paucioribus possit paucum consumere humorem. Capilli etiam puerorum primum præcisi adalligati loco, & super totum impubium. Fel similiter vrsinum vel pes leporis quem ferunt si ab animali viuo præcisus sit gestatum liberare patientem à podagra. Hirudines quoque applicato loco proximo & sanguinis detractione & torporem inducendo multum prosunt. Quædam etiam carmina Varro scripsit leuare dolorem, aut fide, aut antiqua vanitate.

Capvt IX.

De his quæ sunt necessaria ad tractationem hanc vbi de τρόπων.

POrrò necesse est vt vltra progrediamur scire quæ præmittere oporteat: Velut methodum inueniendi præcipuè quæ opportuna sunt, tractatio quam nos diligenter tradidimus in Dialectica cum Aristotelica magis communis esset: Galeni quæ perfecta erat non habebatur. Quæ habetur non solum imperfecta, sed etiam falsa: vnde multi Galenum arguunt vanitatis in his quæ sibi demonstrare persuadet. Inde methodum eam scire, atque intelligere, quæ duo nostra ætate facilia reddita sunt à nobis. Sed tertium est scire vti, hoc autem difficilius est multò: adeò vt paucis potuerim impartiri modum vtendi ea. At quartum est vt discamus deducere ad syllogismum Chrysippeum seu ad dilemma, & penè paria sunt, quanquam hoc minus difficile sit. Quintum est vt promptè quis & quouis in proposito id peragere possit: quod adeò difficile videtur vt nondum quenquam in hoc instruere neque assuefacere potuerim, adeò omnes nostra ætate molles sunt ad suscipiendos labores, præcipuè autem atque magis animi potius quàm corporis. Atque eo factum est vt cum alij admirarentur nostri non possint imitari, vt plerique me dæmonem habere opinarentur. Sextum est quòd oportet dici ac benè exercitatum esse in Mathematicis præsertim in Geometria: quo gloriatus est magis quàm quòd præstiterit Galenus, nam hoc facit vt expeditè dignoscamus quæ demonstretur & quæ non: id enim & ille affirmat in libro de *Constitutione Artis Medicæ, cap.*7. Septimum est vt sciat τρόπων, quod sit dictum in Experimentis: Octauum est vt norit quænam sint artis principia propria. Nam vt operemur rectè, duobus aliis præter hæc indigemus, scilicet diligentia exquisitissima in vnoquoque, & scientia vsus tropi. Consistit autem in modo translatione & mensura. Quædam enim eligimus vt absynthium macedonicum, virtus . . . ex planta comam cum semen emittit odoratum: quædam facimus vt cum vnguentum frigidum admouemus emplastrum calidum, & loco origani Cretensis, Italicum montanum in sole ortum miscemus sali & piperi, & diu terimus in sole donec fiat acre, vel etiam addimus aquā ardentem sæpius, atque terimus, denuóque siccamus. Translatio autem triplex morbi causæ & loci, nam quæ est symptomatis imbecillis est. Differentium autem in reliquis.

Capvt X.

De Artis principiis & cur accedere ad contrarium sit periculosius.

PRimùm est quòd cor est illud cuius participatione omnia membra viuunt, sanitate fruuntur, ægrotant ac moriuntur. Et qui auxiliatur cordi, omnibus corporis partibus aut parum aut multum confert, totúmque corpus ex eo afficitur. Ipsius ad imitationem singula membra ad sanitatem redeunt ipso & iecore etiam auxiliantibus: vt nisi noua materia influeret quæ iam influxerit discutitur, eò fit vt neque tentiones ad distentionem perueniant, & vt morbi multi spontè sanentur. Et medici plures perimunt suis auxiliis opus naturæ impediendo quàm sanent. Anima naturalis quæ in nobis est ad conseruationem agit, quæ Mundi ad interitum.

teritum. Velut gregem porcorum lanius consumit, hunc hodie, illum cras interficiendo, vt quisque potest subterfugit, ille facultati intentus quos primum obuiam habet, occidit, nemini parcit, nec vllius saluti consulit, aut cuiquam miseretur, ita hoc quod nos ambit & continet, consumit. Quod continetur vnumquodque pro viribus se tuetur. Id sunt animæ caloris naturalis instrumento corpora regentes. Quæ autem admouentur trifariam agunt, substantia qualitate & ex accidenti: substantia quoniam ea est principium actionis. Cum ergo qualitatis quæ est instrumentum substantiæ magnitudo latuerit, tribuimus hoc rectè ipsi substantiæ, velut iecori lupi, quod iecori humano confert. Cum autem qualitatis opus est conspicuum, falsò tribuimus id qualitati, cum & opus sit substantiæ: sed quia simile quid operatur qualitati ita vsurpatum est: Vt quod piper excalefaciat, dicimus quod hoc est à qualitate, nam si dicas quod est instrumentum, idem est in omnibus: semper enim substantia est principale agens & qualitas instrumentum, at non semper effectus principalior est similis natura instrumento. At cum commistum opus aliis causis aliud agit vt potè occludendo poros aqua frigida calorem adauget, in his dicimus esse fortuitum, ipsi appellant per accidens. Contraria à cõtrariis demoliuntur aut à similibus aut his sine quibus esse non possunt, à contrariis calor a frigore, frigus à calore, humidum à sicco. A similibus vt frigidissimum à frigido, calidissima à tepidis dum transpirant: venena ab elexiteriis: sine quibus esse non possunt: velut vapor putridus sine mora: & ideò à transpiratione putredo tollitur: Vita à suffocatione. Vita nostra & sanitas in quadam mediocritate consistit. Vnde morbi tolluntur vel leuiter contrariis: absque permutatione vel valde potentibus contrariis cum permutatione, vt frigiditas ventriculi cum vino leui aut longe potentiore, sed post superbibita aqua. Cum ergo sanatio sit remotio causæ contraria, causæ debebuntur morbo non semper sed quandoque similia: supergredi morbi causam quandoque licet cum morbi ferunt, tum ob motum, tum cum modica mora interponitur in transitu ad contraria, alioquin melius est infrà subsistere. Sit causa morbi ad temperamentum a,c,& sint b a, & a,c, æqualia, dico quod maius est periculũ in transitu ad e, quam ad b, solum redditur quoniam enim b,& c, sunt æqualia, igitur quòd ad distantiam attinet æqualis erit excessus, at in transitu ad b, minor est motus duplo, quam ad e: est enim b e dupla a, b: igitur d,e, & c,b, maior dupla eius quę est d, b, ad eãdem a,b. Imò infinito maior esse poterit. Et ita transitus ad e, poterit interficere hominem, & ad b vix lædet, imò forsan nec sentietur. Quanto enim minor est d b tanto maior est a e æqualis a b & proportio d,e, ad d,b, vsque ad infinitum.

Alia quoque sunt huiusmodi principia in nobis velut elementorum trium, aut duorum aut quatuor iuxta transmutationem ex duobus.

CAPVT XI.

De reliquiis morbi in nobis.

POrrò quæ relicta sunt mihi à podagra, sunt vigilia pruritus imbecillitas ventriculi flatus calor renum non mediocris, & abundantia aquosi humoris. Certè vsus fumariæ educit serosos humores, & temperat immodicum calorem iecoris, & conceptum ex vsu pulegij & origani feruorem, & ventriculo confert. Calori renum aqua & oleum citoniorum apposita. Ventriculo somno, vinculis, herbis prædictis delectu ciborum & obseruatione quantitatis auxiliabimur: Pruritus ad salutem totius corporis facit. Vigiliis quiete pomorum à cæna esu, sint autem benè cocta, ita etiam rapæ sub prunis primò tostæ inde in iure: exuunt enim aqueum humidum non aquæ similem, sed acerbum crudum obnoxiumque putredini quale in horariis fructibus, cum nihil tale sit in aqua, cum etiam recocta recenti mollique siquis ea contentus sit, syrupo & saccharo ex nympheæ floribus lotione pedum cum tepida & styrace cum croco. Flatui exercitatione, quæ iam nobis concessa est, inunctionibus condensantibus deiectione alui. Sed dubium est an exercitatio conueniat. Videtur Galenus inter podagræ causas calorem articulorum numerare, imbecillia etiam membra non sustinent laborem quinimo dolent. Ergo deambulatio citra calorem refrigerationem & multo magis dolorem optima est nedum necessaria vt dictum est. Sed dices, Galenus iubet Quinto de tuenda sanitate membra imbecillia in senibus non exercenda, sed solum in aliis? Dico non intelligit de deambulatione simplici: nam vult vt fricentur. Ergo statuit tres ordines ab imbecillitate, à morbo, ab ætate senili, atque hæc ad duo comparat ad exercitationem & frictionem, deambulatio media quasi est: quam insinuare post videtur dicens. Exercitatio non calor corporibus calidis & humidis confert siccat enim & non calefacit. Vnius autem admonet valde necessarij ibi: scilicet ne quis in exercitationem præsertim humoribus repletus se coniiciat, nam hoc propriè fluxiones immouet, & connumerat inter eas podagras. Ergo vt ad rem reuertar frictionem vtilem ipsi membro imbecilli putat, etiam superingruente accessione, modo ad illam intercedant, duæ saltem aut tres horæ, quoniam inquit membrum robustius redditur. Et quia dixerim etiam aperiuntur pori, pleræque autem fluxiones Galeno ibi teste fiunt, materia in vapores conuersa auocat etiam tumorem ad exteriora. Vnde in minus nobilibus membris tutius est hoc facere. Imbecillia autem exercere licet exceptis solis senibus. Non ergo crura podagrosis? Absit, podagricorum membra non vocantur imbecillia sed obnoxia fluxionibus, ideò de his loquens suadet altioribus membris obnoxiis in partibus contrariis

contrariis exercitationem obeundam: non ita præcipit vt omnino abstineamus ab altera sed vt diuersa parte maior sit ac lõgior: sic enim pars firmatur & nil trahit ad se non fatigatur, non laborat, non calet, quæ tria sunt in quacumque partis exercitatione, aut obnoxiæ morbo aut imbecilli deuitanda. Inquit. Hippocrates labor articulis & carnibus scilicet confert seu vtilis est, vt etiam ibi exponit Galenus, hoc autem quod est per se vtile semper conuenit, nisi à causa validiore prohibeatur.

Caput XII.

Podagra an vtilis producendæ vitæ.

Quod podagræ aduentus moderatæ non coferat, dum vitam sobriam & continentem ducimus, ad longitudinem ipsius dubiũ non est, & quæsitu indignum, at finges duos homines in omnibus pares, præterquam in latitudine virium vtque exercendo & edendo præposterè vnus podagra corripiatur alter non: dicimus si non minore morbo alter laboret vt pote scabie hæmorroidibus, podagrosum diutius victurum. Id ergo cum planum sit atque alia huiusmodi, quæramus rursus an si podagrosus tanto imbecilior sit quantum est quod medium interiacet mobo si habitus, vtpote A. B. robur podagrosi paria vt dixi cætera præter meatuum laxitatem, C.D. latitudo perfecta incolumitatis, à qua abest podagrosus: E. C. latitudine cuius dimidium sit E.F. habeat quispiam latitudinem sanitatis D.F. hic non laborat podagra, tum quia artubus strictis magis, tum quia robustior atque proximior incolumi naturę. Quæritur vter lõgiore vita dignus erit: sane si bene vtatur regimine qui D.F. simulo A.B. Et hoc videtur cõsentaneum his quæ dixit Galenus 11. *Artis cur. c.* 20. Sed enim quid mirum cum etiam podagrosi vita aliquantò felicior videatur incolumi modo non ad modum torqueatur: quoniam natura nostra mutatione adeò gaudet, à frigoribus brumæ calor æstatis ac vicissim, tum quia comparatione omnia cõstant adeo vt multi adeptis lucrãdi modis cum antea non cogitarent, nec tamen haberent vnde vitam ducerent facti sint tristiores, cum victus suppeditaret duntaxat eo quod alios animaduererent plus lucrari: tantum potest error in nobis. Quemadmodum enim limax & lapis tanto minus sunt infeliciores equo & homine si in calamitates decidant quanto antea felicitate ab illis superabantur, ita de podagrosis ad sanos paratis dicendum est. Sed hæc parerga.



Caput XIII.

Cur podagrosi maiorẽ in gustu sentiant delectationem quam sani, & magis incontinentes.

Cum aliæ voluptates desint podagricis relicta ea sola velut & pauperibus conuiuia maiora videntur, tum quia etiam magis mentem adhibent, & singula diligentius explorant. Appetunt etiam magis cibum adueniente declinatione idest dum defluxio cessat, quoniã corpus euacuatur citra noxam naturalium membrorum: quod in fluxibus venstis fieri non potest. Abstinentia præterea præteriti temporis cibi auidiores reddit: & quicquid offertur suauius videtur, & desiderant antequam habeant, & oblatum auide recipiunt. Sensus illorum sunt magis puri & ideò melius diiudicant & sentiunt sapores & odores ciborum. Quos longe maiore diligentia ob misericordiam præparere solent coqui astantes ac ministri. Deligit etiam sibi quod maximè placet ęger, cum in aliis morbis medicus ob metum vitæ qui hic non adest præscribere soleat: in sanis autem etiam aliis dum consulimus non prorsus solius cibi, cum aliis possint frui voluptatibus ratio haberi solet. Quod vero incontinentes sint podagrosi non mirum, primum sis conuerteris sermonem, intelliges causam: nam incontinentes ob incontinentiam cum fiant podagrosi, necessatio sequitur plerosque ex illis esse incontinentes, cum pauci admodum modesti in victu podagrosi efficiantur. Tædium quoque morbi & paruum commodum explendi voluptatem dum laborant, sublatusque metus mortis adaugent incontinentiam & licentiam, cum conualuerint, vel saltem remissus fuerit morbus.

Caput. XIV.

Hippocratis cura.

Conducit adhibere qua parte dolor hæret frigefactoria & quæ in sunt ex aluo subducere per clysteres aut glandem subditam. Ad sorbendum verò & bibendum dato quodcumque tibi conducere visum fuerit, si verò dolor intus fuerit pharmacum infra purgans bibendum dato. Et post hoc serum coctum & asininum lac. At si in digitis dolor relinquatur venas paululũ supra articuli nodum in digito inurito. Hæc prima cura. Alia huiusmodi. Abscessus introtrito aqua diluto cataplasmatis modo integito & tribus diebus non lauato, vbi vero laueris rursum nitrum rubrum crudum cum modico melle terito, & hoc semper vtitor Hæc summa in qua πόνον.

Caput

Capvt XV.

De curis dubiis & de occasionibus conuenientibus ac necessariis.

CVrationes etiam si bonæ sint, si non conueniant aut τρόπος non adhibeatur, obsunt: charta superinsperso puluere statim & derasa, inde siccata quadrante horæ & cerusa superlita digito tam tenuiter sed sæpius vt penè color solus relinquatur, inde tenui penna adhibita post aliud horæ quadrans si attramentum benè nigrum sit, nec vestigium prioris scripturæ retinet, nec diluit nec quod derasa sit apparet: eadem his omnibus obseruatis paulò minus diligenter mendum retinet.

Ergo quid intersit operari τρόπον ostendit vel minimum exemplum in scribentibus acie aut ventre vel medio latere pennæ: neque enim eiusdem scriptoris literæ videntur, & aliæ non spargunt in derasa, aliæ spargunt in non derasa. Sectio ergo venæ (nunc ad solum morbum non ad hominem ægrotantem respicio) conuenit, refrigerat enim retrahit euacuat: eadem attenuat sanguinem vt magis etiam & concitatius fluat. Purgatio aueitit sanguinem meliorem reddit: eadem appetit meatus vt plus & facilius materia fluat. Cataplasmata mirum in modum leniunt dolorem, concoquunt, aperiunt cutis meatus: eadem etiam calefaciunt. Frigida obtundit, dolores repellit refrigerat. Nocet tamen neruis, & materiam ad membra principalia trudere potest. Quæ stuporem inducunt dolorem sedant, & ideò fluxioni opportuna & vires dissolui non patiuntur: eadem tamen debilitant partem ipsam & eam motui ineptam reddunt. Inedia confert omnibus morbo causis symptomatibus, attamen vires minuit & persæpe calorem accendit. Quid igitur, agenda ne sunt, an non? Adeò certè periclitamur in ipso fine: an curandus sit æger & sanitati restituendus prorsus nec ne! aut solum quantum fieri potest cauendum vt futuris in posterum occurramus accessionibus? Duos qui nostra ætate vixerunt agnoui Scipionem Vegium medicum, & equitem Cataneum, qui curati intra biennium suum obierunt diem. Et ratio non est adeò obscura: nam cura eius morbi necessario fiet vel prohibito defluxu, at nullibi poterit securius deriuari quàm ad articulos. Crassior enim est quam vt possit in scabiei species verti, & tenacior quam per fontes educi, ideò retentaui aut expugnabit vitam aut quod minimum omnium malum est superantibus viribus redibit ad eadem loca damno certè maiore quàm antea, nec vllo modo licebit purgare vt supra commemoratum est, propter causam venarum iecoris simæ ac gibbæ. At si prohibere velis generationem permutanda omnino erit temperatura in siccitatem æqualem temperiei contrariæ & imbecillitati caloris, propterea benè dixit Hippocrates. Podagra non sanatur nisi in ætate incrementi antequam contraxerit trophos & in homine libero vbi liceat illum traducere ad alui lenitatem scilicet constantem. Omitto iam quod non possumus certè scire quando & quo tempore purgandus est æger. Emplastra quoque quæ materiam ex profundo auocant tunc maximè proderunt, dilatant tamen meatus & dolorem ingentem mouent, salis tœdium hoc habet etiam coniunctum vt materiæ locus exitus non detur, benè fecisset inquam Paulus si quo materia tendat tam operoso auxilio admoto aperuisset. Ergo vbi cura coacta fit: alterius scilicet negotij magni peragendi causa, vt maximè in castris accidere solet, quamquam homines non minus imo multi plures naturali quodam vt opinor genio ducti, priuati commodi causa sui potius quam publici obliuiscantur, vt meritò dicere possis.

Quis rogo nam furor est, ne moriare mori?

Tum omnibus auxiliis serio intendendum; an ergo quòd ad accessionem illam attinet, sectio venæ vtilitatem allatura sit ex regulis communibus & generalibus condisce. Si enim citra totius plenitudinem sanguinea sit podagra euacuabis: si dolor immensus etiam, si neque horum trium nullum, si tumor & caliditas magna etiam secus non: nam si tumor magnus & parua caliditas, neque sectione venæ, neque purgatione opus est. Si caliditas magna, sed non tumor purgatione bilis, è genere enim est erysipelatis: cataplasmata leuia & frigida, in his qui tumorem haben magnum calorem exiguum (imò potius vnguenta frigida) locum habent. Frigida aqua ab initio commune auxilium est ex Hippocrate ac Principe, vt in superioribus visum est. Quæ si non contulerit vt ad morbum dumtaxat, tum respicimus, absque prolixiori mora transibimus ad narcotica. De curandi ratione non suaserim nisi sit adolescens. Nam simpliciter insanabilis morbus non est, vt visum est ab Hippocrate quod etiam Plinius, & id quidem rectè sentit, dum dixit insanabilis non est credendus, quippe quoniam & sponte desinit & in pluribus cura. Quod verò magis mirum videtur eum morbum vniuersæ Italiæ peregrinum & nouum etiam refert. Et memoria patrum suorum rariorem, cum tamen minimè sit lethalis nedum contagiosus: causa est quod nulla ei prorsus est immista putredo, omne autem contagium à putredine quia aliter non propagatur. Ergo facinorosi, & sceleratissimi medici esset vt inuisse videaris hominem fidei & curæ tuæ concreditum in extremum discrimen vocare vitæ. Itaque & de sale non video magnum lucrum:

lucrum: nam si in scabiem materia versa fuerit periclitamur, sin conuertatur quam commodum erit perseuerare in salis vsu? At de vsu aquæ ligni alias satis dictum est: Auxiliorum igitur quædam per se prosunt, quædam etiam ægris, alia non his, vel non hoc tempore.

Capvt XVI.

De his quæ podagram mouere solent. Et de materia iam genita an concoqui possit, Quæ commodior sit illius distributio. Et signa illius. Et vnde calor.

ORdo quoque in illis est: quædam enim statim, & vt ita dicam eam commouent prompte & vehementer, alia si diu in eis perseueremus maiorem: alia promptè sed non magnam: alia ad eam longo post tempore præparant, alia solum sunt mala: Dicemus autem de simpliciter aduersis causis, inde mediocribus demum minimis, atque ex his alia genera perdiscemus. Causæ principales igitur, & illarum prima est eum fastiditus cibum assumit maximè plurimi alimenti aut cum cibo vinum potens, nam præter id quod causam adauget, signum est etiam per se superuenturæ podagræ. Aliud est cum quis parum dormiens multum edit ac bibit, cibariaque plurimi alimenti deuorat præsertim aluum astrictã habenti Tertium est venus importuna & laboriosa & à cibi repletione. Et si quis ambulet donec pedes fatigentur incalescant, & etiam magis si doleant, deinde plurimum sumat cibi copiosè alentis. Et si à contusione aut percussione aut luxatione pedis sumat plurimum cibum & qui multum nutriat, & præcipuè crudum. Sextum si plurimo assumpto cibo, & magis etiam si vino potenti superbibito exerceatur iuxta membri obnoxij partem. Quod si multa ex his iungantur velut à multa venere cibus intempestiuus, & ebrietas ex potenti vino inde intempestiua exercitatio. Et si ob lapillum renum quis repleto corpore vehementer aperientibus vtatur. Solet enim etiam insuetis nouam excitare podagram. Velut quæ ex seminibus medicamenta componuntur, & oleum ex lini semine, & vina exhibita potentia & frictiones. Demum in consuetis occlusæ fistulæ, sanare hæmorrhoides, suppressi menses diuturni, circuitus, vomitus prorsus sublatus. Minus principales causæ sunt quies in asueto exercitationi: Esus ciborum multi alimenti præter consuetudinem & præcipuè tenuioris substantiæ. Item transitus ad aromata, & vina odorata tenuia & in multa quantitate, Venereorum importunus ac longus vsus, fructuum acerborum copia. Vel qui minimè aluum aut vrinas cieant, vt acidorum cerasorum, & præcocium seu chryssomelorum & fructus omnes acidi saporis, & poma etiam cocta præcipuè cydonia seu cotonea, & arantia vocata & simunia. Cardui quoque generant podagram quia aperiunt prouocant & alimentum gignunt quod concoqui non potest. Forsan quis quærat an vt fructus acerbi sunt deteriores multo maturis, & adeò praui, herbæ tenuiores etiam deteriores sint adultarum plantarum foliis? tum maximè cum constet minus ad omnia efficaces, nam lactucellæ somnum non conciliant, neque cauliculi nouiter nati, radiculæ mordent linguam? Dicemus ergo quòd minus possunt, & minus etiam concoctæ sunt, & ob id deteriores suapte natura: sed quoniam teneriores ideòque facilioris coctionis, ideò melius præstant alimentum. Vbi ergo multitudine aut ob motum aut vigiliam, aut imbecillitatem ventriculi coctio frustretur nouellæ deteriores sunt, secus minus noxiæ. Vsus etiam vinorum crudorum & tenuis substantiæ non omnino aquosorum est per se sufficiens. Exercitatio quoque valida in repletis præcipuè insueta podagram excitare solet. Multus vsus medicinarum & præcipuè à longe trahentium, etiam catapotiorum podagram conciliat. Quæcumque verò exacuunt humores, & illos attenuant aut calefaciunt immodicè aut mouent ad consequentia, velut purgantia & diuretica aut articulos excalefaciunt, aut dolorem in eis excitant: aut cruditatum sunt causa aut flatum gignunt, omnia faciunt ad podagræ insultum & ob id mala sunt. Materia autem genita cruda & permista ichoribus calidis tenuibus etiam insuetis podagram pati, si tamen contineatur in præcordiis nec dum mota sit concoqui potest, Vt Duodecimo Artis curandi, & Primo de Differentiis febrium. Mota verò ex illis locis difficulter sanè & nonnisi cum summa quiete & exquisita inedia; sed si ichoribus calidis præsertim admista sit multo minus. Cum autem iam moueri cæperit prorsus non est spes. Vnde calor ille in articulis accidit tunc ex metu. Calor enim naturalis accenditur dum mouet. Et hic semper adest: quod si ichor etiam calidus sit etiam maior loci caliditas sentietur, maximum verò necesse est percipi cum humor ipse fuerit biliosus, tunc enim calidissimus erit locus. Signa ergo motus, materiæ iam incipientis sunt fastidium ventriculi, deinde grauitas, inde dolor leuis post calor, inde grauior dolor, demum tumor, dolor calor & grauitas, tuncque perfecta erit podagra.

Distributio autem fit commodi per aluum inde per vrinas aliquando per vomitum, nonnunquam per hæmorrhoidas, sæpius per pruritum, rarissime per sudores quoniam vna particula laborat tantum & frigida, & materia multa est & crassa. Quocirca etiam alui deiectio & ad sanationem, & ad custodiam melior est euacuationibus aliis, & huiusmodi morbis: quoniam per illam serosa etiam ac tenuia & ichores, & materia vrinæ, & ascitis purgari potest & solet, ac per vrinam feces quis vnquam excerni vidit, eapropter aluum mollem esse vult Hippocrates, & inter signa salutis tanquam

quam causam enumerat. Ita hemorrhoides ab initio, post autem pruritus atque tubercula signi & causæ bonæ rationem in podagra habent. Verum quod est optimum ex permutationibus sunt vlcera propinqua loco.

Capvt XVII.

Cur à cibo melius habeant ægri? quantum flatus erumpens iuuet? Qualis sit dolor? An materia tota ab initio, cur magis sub vno statu, quàm alio doleat æger? De auxiliis.

Rationi consentaneum est minui dolorem statim assumpto cibo, tum quia calor ad ventriculum contrahitur: vnde vapor qui perpetuò gignitur (hoc autem est inditium) decidit & vires etiam instaurantur. Vt contra coctione procedente quod plerumque accidit à tertia hora, si mediocris sit cibus dolores & molestia augentur. Cum verò flatus generatio non solùm in particula, sed etiam in intestinis dolorem augeat, adeò vt erumpens per inferna interdum quasi è loco ipso prodiret eum alleuiet. Procurandum est molli aluo vt non generetur, & genitus statim prodeat, & vt aluus mollis perpetuo sit, mirum enim in modum hoc toti ac parti vtile est & ad curationem ipsam: Id autem maximè agunt origanum & Italicum quod est temperatius, licet minus Cretico efficax, & pulegium etiã melius: his duobus itaque in ferculis soleo vti. Et quanquam origanum damnauerit Hippocrates tanquam inimicum dentibus & visui, forsan de Cretico & orientali intellexit. Huius autem causa pulegio solo vt innoxio vtor, tum præcipuè quod auocat atram bilem. Et calorem naturalem fouet & vires instaurat ac ventriculo infert. Ex frigidis autem quæ flatum discutiunt non cognosco quid opportinius Berberis, sed ex cognitis Galeno coriandro. At licet etiam pulegium ipsum frigefacere sæpius in aceto infusum aut omphacio aut granatorum vino ac siccatum, licebit & cum vrget ne mora interponatur glandem ex cumino supponere. Dolor. enim cum sit extentiuus plerumque est à flatu, cum verò etiam ab eo fiat poterit & pungens esse, & mordax. Dixi etiam quid ex multitudine & crassitie grauare poterit sed huiusmodi dolor non multum lædit sensum nec facilè exacerbatur: nihilominus (quod valde mirum est) magis pro magnitudine vires quam alius quiuis debilitat. Causa est illius perpetuitas. Est enim indesinens. Et quoniam ad perpetuitatẽ tendit. Tota autem ab initio præparatur materia velut in cæteris morbis. Et si Galenus existimet illum in dies generari: non tamen tota transmittitur, sed in dies singulos & præcipue per circuitus plerumque etiam tertianos, ichor enim huiusmodi præualet. Verũ quicquid peccatum fuerit in coctionibus ipsis circa cibos illi adiicit, non quia necesse sit generari in singulos dies, nam & abstinentibus prorsus à cibo ingruunt tamen acessiones ipsæ. Dolet autem magis æger sub vno situ quàm sub alio, licet locus idem afficiatur, & materia si eadem numero & multudine, vel quoniam magis tenditur, quod est iam tensum, vt in tendonibus, vel quoniã magis prægrauatur dearticulatio, vel quia distorquetur quod commune est ambobus, vel quoniam locus magis incalescit, aut demum quoniam situs is consuetudini aduersatur, propterea puluinis & astantium auxilio procurandum est leui motu ac variatione membri vt situs optimus inueniatur atque adaptetur, sic & de qualitate, nã quibusdam magis frigidum confert, vt cum materia fluit adhuc & calida fuerit: quandóque tepidum vt cum frigida est & neruea sola pars aut maximè laborat, quandoque feruentia vt cum materia fuerit loco profundo, & valde exangui.

Capvt XVIII.

De vsu perpetuo quorundam. Et his quæ optima sunt.

Accidit autem vt multis persuasum sit iuxta Hippocraticum illud. Quæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet, vt existimarint annuo vsu alicuius medicamenti vt dictum est exterius de sale & oleo ita intus Diacoralij vel carnium capreoli leporis, aut herinacei, vel vulpis, vel abstinentia à vino, vel potuum, quorundam loco vini perpetua consuetudine posse ægrotantes liberari. Scripsit Plinius brasicæ vstum si edatur, & ius eius perpetuò bibatur, liberare hominem à podagra quod verum esse existimo, modo in reliquis moderatè viuat. Alia sed medicamenta potius in eandem sententiam commemerant Alexander Trallianus & Paulus Aegineta. Et Princeps videtur sentire de vomitu frequenti: & de vsu ossium humanorum, & hiera Hermete, & oleo viperarum. Et ratio id suadere videtur: cum enim medicamen iuuat valde ex vsu eius corpus transire in contrarium habitum, veruntamen obstat ratio quæ superius dicta est. Quare concludo quod in his qui crescunt, aut quibus morbus pro morbo leuiore commutari potest, vt in vlcera aliqua vel si patiens vtatur optimo regimine victus, aut vt singulis annis maximè in vere repetatur, velut vsus hieræ Hermetis: in his casibus poterunt liberari: in aliis non, sed poterunt videri curati, cum morbus alius podagram præuenerit ex quo intereant.

Caput XIX.

Quomodo Quartana præseruet à podagra.

Dictum est quod hæmorroides præseruant nonnunquam à podagra. Idem autem accidit à Quartana vt visum est in Illustrissimo Cardinali Corrigio annum agente sexagesimum secundum. Id accidit quoniam primum materia podagræ in Quartanæ materiam putredine aut per exustionem transiuit:contingit & moderatione victus.Tum verò ipso calore febrili partim absumente,quod tenue est,partim attenuãte quod crassum est vt exinde à calore naturali partim consequatur, partim digeratur,atque eadẽ ratione febres erraticæ & Quartanæ præsertim prohibent assuetos morbos, qui per circuitus accidunt ne eueniant: vt sit sufficiat solum id, vt materia vtrorumque sit eadem vel vt vna in aliam possit trasmutari.Etpodagra quidẽ superueniẽs iam assueto laborare podagra, illius materiam vt dixi ad se conuertit,& ipse morbus partim digerit partim concoquit siquid residuum est.Et podagra vicissim quartanæ superueniens, si non ex nimia plenitudine aut errore aut vi aliqua accidat, dum materiam febri subtrahit ne aduratur,soluit morbum. Eadem quoque ratio in aliis.

Caput XX.

Auxilia quædam & animaduersiones ex Paulo & Aetio ac Rasi & Principe.

RAsis inquit dolores fieri ex varicibus inter dearticulationem & dearticulationem podagricis similes,quos locus distinguit:quia podagrici sunt in ipsis articulis & valde prope.Eius verò quę est vera podagra multæ sunt species à qualitate, quia quædã est vehementer calida quædam vehementer frigida , & quædam in qua neque calor neque frigus manifeste apparent .A loco si enim incipiat à pede,alia incipit ab vno alia ab vtroque simul , & quæ ab vno , alia à pollice pedis , alia à calcaneo alia ab inferiore parte pedis, (maxime domestica vbi sæpe æger sentit quasi officulum à carne separari,& hoc accidit quoniam trahuntur tẽdones illius quibus annectitur aliis articulis & ossibus, vel etiãm musculus breuis inter duo ossa iacens) Et consensu : nam quarumdam dolor inquit ad tibiam vsque & genu & vesicam & etiam ventriculum ipsum peruenit. Alia etiam est in qua calor partis affectæ mutatur: alia in qua non: Et cum mutatur si in album est à pituita si in flauum à bile , si in rubrum à sanguine si ad nigredinem tendit á melancholia. Dico quæ à pituita est longa & mitis, quæ à bile breuis & acerba, quæ à sanguine media est in vtraque , quæ à melancholia longissima & minoris doloris quam à bile similis ei quæ à sanguine, sed locus frigidus est , quæ ab atra bile longissima & atrocissima.Causas dixit esse omnem immoderantiam caloris , frigoris , repletionis , motus, quietis , veneris , vigiliæ , tristitiæ , & à causa externa vt dixi. Fit etiam maximè in constitutionibus ventosis , & perseuerat dolor in temporibus humidis etiam quod podagra cessauerit. Balneum quoque vel quod quis genitus sit à parentibus vel maioribus podagrosis , ebrietas autem est causa valde potens. Et podagra pedis vix sanatur vt articuli maneant absque offensa, alij autem sanantur omnes nisi immoderata, & præter coxendicis dearticulationem. Temperaturarum autem pronior ad podagram est sanguinea inde biliosa , aut quæ abundat humoribus crudis , licet alij hos falso proniores illis ad hunc morbum existimauerint. Et retulit ex Galeno quod dolor podagræ mitigat colicam. Et carnis copia in edendo generat podagram. Et chiragra fit ab humore calido fermè semper , semper sane à calidiore quam podagra. Podagra autem membrum refrigerat, cuius indicio est quod membra podagrici longo tempore patientis tremunt , sanantur autem difficilius carnosi macilentis , frigidi calidis , & in hyeme quam æstate. Et in sinistra parte quam in dextra. Et quamuis venæ sciatica & saphena ab eadẽ oriantur sub genu, tamen exterioris sectio in morbo exterioris partis est multo vtilior quã interioris. Et ego hæc adduxi quia vera sunt, quorsum enim falsa transcribere vt decipiantur lectores , aut ea oppugnare vt fiat iactura tẽporis.Paulus autẽ inquit ἀρθρῖτις *seu articularis morbus est , cum materia in omnes corporis articulos compulsa fuerit. Quo etiam nomine intelligitur , cum vertebras , humeros , maxillas , aut alium quemuis articulum comprehensa fuerit. Nonnulli verò aures , dentes guttur , & nonnumquam iecur lienemque articularibus doloribus obtineri pronunciant : à quibus nisi subito vitium in artus depellatur breui tempore laborantes occupat.* Inde transit ad victus rationem , quæ cum in sanguinea præscripta sit in omnibus communis est , vt per ea fiat quæ parũ nutriant , atque extenuant ob id corpus , vnde à carnibus & vino nigro & leguminibus abstinendum. Et mihi quidem arridet vt parum nutriant , sed & vt crassi sint alimenti placet , ob id carnes ablegauerim. De leguminibus existimo magis deuitanda vt flatuosa quam vt multi alimenti : Communis ergo ratio est , vt si contingat nutrire ægrum seu ab initio acessionis seu iam declinante morbo , seu sanitatis tempore vt semper contraria & quæ flatũ non gignunt,& pauci

alimenti

alimenti cibaria exhibeamus. At facilis coctionis etiam semper, non tamen tenuis sed duntaxat tenui conuenit cum morbus iam declinauerit, nam ab initio vel ad custodiam crassus tenui melior est, præsertim calidis. Porrò transit ad excusandum illam medicamentorum ac cataplasmatum multitudinem inconditam & obscuram his verbis. *At in quibus obscura morbi est origo & in illis satius est semel hæc experiri, modo ad consimilia transgrediendo modo contrarijs pugnando.* Pudet me audire hæc dicentem, sed excusandus est, cum tot sint huius morbi species vt paulò post dicemus. Ergo inter ea quæ faciunt ad custodiam ab hoc morbi genere & similibus. Primum illud est quod pituitosis maximè & solis conuenit. Diatessaron appellatum Chamedryos partes xij. Gentianæ & aristolochiæ rotundæ singulorum partes xj. seminis rutæ sicci sextarius. Et est propè pondus illorum, non ad vncias vtrunque redactum parum differt quòd leuius sit. Datur Cochlear per annum. Si ad dimensum reducatur erunt vnciæ xlv. quare vt dixi rutæ semen ℥xij. fermè. Aliud huiusmodi ex coronopodio Agarici scrupula x. radicis coronopodij ℈vj. sem. Cnici absque cortice ℈iiij. Gingiberis ℈ij. piperis ℈j. Quantitas est ℈ij. pro vice. Inde etiam subiicit pastillum. ℞. thunis S. Alterci an. par. iiij. Terræ samiæ coralij minij sinopici opij an. par. ij. amyli balaustiorum an. par. j. excipe succo polygon. hoc volui dixisse ne deciperetis. Est enim foris potius applicandum, nec dicit cui morbo. Et per coralium lapidem in mari ortum intelligit. Subiicit autem quòd medicamenta huiusmodi quæ per annum solent exhiberi vt in pituitosis sunt vtilissima, ita siccis corporibus perniciosa. Purgantia verò medicamenta sunt catapotia ex lapide armeno quorum descriptionem ponit propè diacoralium, loco eorum his quæ constant ex lapide lazuli vti possumus ratione & experimento non valde dissentiente. Alia valde bona in his qui ex crudo humore ægrotant: colocynthidis veratri nigri Aloës Bdellij Gummi an. par. ij. nitri Alexandrini Euphorbij an. par. j. Dentur ℈iiij. Dicit se loco Gummi Epithymum admiscuisse. Exterius autem applicatur ceratum ex torpedine pisce. Aliud & est Physicum & bonum Thimus. Origanum calamintha in aceto quàm acerrimo cocta, & ex aceto illo irrigare dearticulationem patientem. Tertium valde bonum. Hienam (non enim sunt adeò raræ vt creditur in oriente tamen) vel vulpem cum supradictis & aliis egregiè discutientibus velut arthemisia asij flore, & quæ maximam vim in hoc genere possident, & si vna non sufficit duæ aut tres in olei libris centum coquere donec ex nuper mactata tota dissoluatur, & ex eo balneum toto corpori, si totum corpus plenum sit facere secus parti illi (huic autem semper) discutit autem per poros & cutim totam plenitudinem, & temperat inflammationem: vnde dolorem sedat: ac articulos ipsos confirmat. Verùm quoniam vel ex narcoticis vel vehementer refrigerantibus, aut etiam adurentibus medicamentis tophi in articulis generantur siue omnino corpus nimis plenum sit, seu podagra ex humoribus & præcipuè crassis aut lentis fiat, ob id tophis dum fiunt mollia conueniunt, & vlcera profunda procurare bonum est nulli parcentes negotio. Factis autem iam caseus vetustissimus atque acerrimus non solitus cum suillæ carnis præpinguis ac veteris decocto, nam sponte dissoluitur & virus emanat inde gypsea durities per frustra cadit: oportet autem crassum eiusmodi esse bubulum & qui cum toto butyro factus sit.

Aëtij verò sententia est primùm ne aqua vel oleum admoueatur pedibus quod de tepida intelligendum est: sed in custodia & vere & Autumno consulit antequam adueniat mittendum sanguinem & copiosè. Et si timeat præuenire. Et etiam à cibo assumpto maximè si descenderit: Et certè hoc est consulere morbo non forsan adeò ægrotanti. Mittit autem ex brachio si in crure, ex pede si in brachio. Et si dolor post perseuerat etiam ex ipso membro. Semper autem in brachio iubet in iecoraria arteriam, in cephalica neruum obseruandum. Quin etiam exemplo docet quantum venæ brachij sectio iuuerit in pedis inflammatione. Aliud maius quod consulit, venas quæ tumét in podagra nõ secus dicit quam in varicibus excindendas: quod vt verũ est ita eidé conueniet quod dixit Hippocr. 6. *Aphor.* 12. *A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, & quantò magis cum hæc violentior sit.* Quòd si articulus imbecillis ex influxione reddatur eum exuri oportet. Et licet tum vlcus sit ægrè sanabile in posterum tamen vbi conualuerit multo robustior euadit quàm antea foret. In vniuersum vsque ad sydera extollit pharmacum externum ex croco ab initio in medio in fine, & est Philagij quin potius Picarum appellari meretur. Picis aridæ ℔. octo, ceræ libram. Amoniaci libram mediam Croci ʒij. Thuris ℥iiij. olei rosacei libram mediam Galbani ℥iij. Aceti albi acerrimi ℥ix. Cera oleum acetum simul calefiunt donec cera liquescat, inde excolato & addito reliqua inter quæ cum spicem non connumeret suspicor additam, tum ob id quod neque fieri posset in tanta quantitate medicamentum nisi aridum postquam esset refrigeratum. Et vis reliquorum prorsus extingueretur, nec meritò crocini nomen indipisci potuisset. Dicit & rectè quod quidam post Philagrium addidere opij ℥j. quod in tanta quantitate picis nullam retineret vim, nam perutile est. Post subdit quod si æger non patiatur sibi mitti sanguinem, nec exhiberi pharmacum, melius esset vt in tales non incideremus. At forsan melius ægro persæpè ne in huiusmodi medicum. Consulit tamen benè vt vtamur inedia & clysteribus, nec validis sed moderatis. Post subiiciuntur emplasta quæ trahunt vesicam excitant & vrant quæ putat post narcotica adhiberi oportere. Ego verò & ab initio cum in profundum permeat materia. Eiusmodi est succi Thapsiæ ℥j. piperis ℥iij. Adarces canchreos Euphorbij recentis an. ℥iiij. Staphidis syluestris Pyretri an. ℥j. S. Terebentinæ ℥ij. Ceræ ℥iij. olei cyprini

cyprini lib. vj. summa præcedentis medicinæ septem huius x. Alia aliquanto validior tantundem medicinarum. Adarces ceræ, piperis pyretri euphorbij (atque in his quinq; conueniunt licet non in pondere:) Castorei Helenij nitri Gingiberis pares singulorum portiones, olei Irini quantum sufficit. Peros propinat quę somnū conciliant vt pastillū ex seminibus & qui vocatur triangularis à forma. Est autē descriptio huius apud Paulum eiusmodi. ℞. sem Alterei. 1. Apij. an. ʒ. ij. Anisi ℥. ſ. opij. ʒ. iij. cum aqua confice. Alterius autem sem. Ameos Anisi fœniculi an. ʒ. ij. sem. Apij. sem. Alterci opij an. ʒ. j. cum aqua eodem modo.

Ratio victus in biliosa quæ siccet & refrigeret velut sorba & mespila, manifestum est autem quod huiusmodi etiam parum nutriunt: quantò minus ergo conuenient oua & carnes: sed conuenit papaueris & lactucæ semen quia conciliant somnum: tametsi humida esse existimet. Vt verò distorti iam sint articuli apponit malagma Galeni ad canis rabidi morsum, quod recipit pitis bruia par. iiij apoponacis par. j. cum aceto acerrimo confice in formam emplastri. Aliud mirabile inquit foliorū sidericis ceræ an. par. l. Rafani. c. styracis par. x. thuris & nutri sing. part. iij. Mannæ pars. v. sicca terito, humida liquefacito atque inuicem misceto, puto mendum esse in ponderibus vt in plerisque, nescio an vitio authoris an librariorum, an interpretis an impressoris. Iuuat etiam cum cessauerit irritatio dicit quod & verum est, ad faciliorem & compendiosiorem sanationem vlcuscula ferro infigere, certè etiam voluptatem si ritè fiant allatura. In biliosa quoque exhibet ab ipso initio cyclaminis radicem quòd sudorem cieat. Vtitur quoque vnguento marciaton cuius descriptio est eiusmodi. ℞. styracis optimæ ℥. iiij. medullæ ceruinæ ℥. ij. Masticis ceræ candidæ & puræ an ℥. iij. therebentinæ balsami an. ℥. j. olei omphacini. Vnguenti nardini an ℥. ij. cum styrace: optimum balsamum imbibito in mortario tundendo, quæ liquari possunt liquefacito, & in ipsa immittito styracem cum balsamo inde pistillo cuncta cogito: est n. acopon singulare & verè bonum. Aliud quod solo experimento constat mirabile inquit. Asphodeli radicem in superficie derasam & contusam in sufficienti oleo coquito percolato, cui modicum styracis adiicito, quo eliquato addito (scilicet tantundem) succi sycomori & vtitor. Aliud ceræ & colophoniæ singulorum ℥. iij. succi seminis lini ℥. ij. Adipis anserini ℥. j. therebentinæ ʒ. xiiij. olei omphacini ℥. v. thuris ℥. j ſ. Ammoniaci ℥. ſ. lactis bubuli ʒ. xiiij. Alba ouorum quatuor cum dimidio, quod est magnorum quatuor ac recentium paruorū aut diu iam natorū quinque. Ammoniacū & thus lacte & succo sem. lini excipe & terito, cui adde candida ouorum: cætera liquefacta addito & misceto. Vnguentum ad omnem artuum morbum atque dolorem, acopon ex rubetis: Radicum cucumeris anguini viridis, olei an. ℔. vj. Rubetas viuas magnas num. vj. traiectis pedibus ex filo in oleo suspensas tam diu excoquimus, donec flacescant, inde his extractis radices cucumeris incisas addimus, & tandiu coquimus donec dissoluantur. Demum his abiectis & excolato oleo addimus ceræ medullæ ceruinæ therebentinæ an. ℥. vj. misce & serua in vitreo vt prius in lignea pyxide. Cōstat ho inuentum quadam ratione, postquam sonat vndequaque numerum eundem. Cognitum autem est mihi proprietatem inesse. Additur in olea etiam hyenæ ac vulpecularum ad maiorē discussionem herinaceus viuus. Facile parabilia. Terra nigra quæ in lenticula præsertim inuenitur cum aceto trita. Ad genuum podagram propriè scobs marmoris cum rosaceo mista. Aliud ad podagram arcanum. Ciconiæ stercus cum pari axungiæ porcinæ pondere. Et etiam stercus caninum album cum aqua calida dissolutum. Aliud pro diuitibus. Mameram aqua maceratam tere, & illine aut impone. Ad tophos Galenico auxilium Pomorum mandragoræ solam carnem terito, cui affundito ceratum ex cera & adipe suillo paribus ponderibus adiicito liquefacta scilicet.

Purgatis etiam humoribus crassis ac lentis exquisitè propinat carnem viperarum non marinarum abscisso capite & cauda & cum sale coctarum velut anguillæ solent, anetho & oleo additis. Oportet etiam esse parum ante captas & iustæ magnitudinis. Et si tecto capite in Sole edantur melius erit: pruritum. n. & pediculos etiam nonnullis excitant & per sudorem morbi reliquias euacuant ac corpus siccant, & ad contrariam podagrico humore naturam trahunt.

Antidotum magni vsus trisaginis ℥. ix. centaureæ ℥. viij. Aristolochiæ rotundæ ℥. vij. Gentianæ ℥. vj. comæ hyperic. ℥. v. petroselini ℥. iiij. Mei ℥. iij. Phu. Agarici an. ℥. ij. mellis ℥. iij. trita cribrata cum melle in pastillos digerito, quorum vnus cum ℥. ij. aquæ calidæ sumitur, inde melius est deambulare. Bibitur per annum & totum corpus extenuat sensus claros reddit: solis tamen humidis conueniunt.

Principis autem peculiaria auxilia sunt hæc. ℞. Aloes ʒ. j. Euphorbij & nitri an. ʒ. ſ. confice cum succo caulis, adducit. n. per vomitum. Emplastrū quod concoquit & resoluit. Ammoniaci calcis nitri visci an. partes æquales, Et pleraque horum dissoluūtur cū aceto acri. Est & Andreæ malagma quod etiam extrahit infixa & ossa corrupta, & oleum de costo vel rosaceūm cum colocyntrida decoctum donec aqua consumetur, & oleū decoctionis viperæ. Et oleum vespertilionis. Et aceti suffitus cū sexta parte ſ. rutæ syluestris, & in feruida Psilij mucilago cum oleo rosaceo. Et succus extremitatū arundinis humidæ. Et cum quis renouat auxilium diu seu calidum seu frigidum ferme semper sanatur. sed caue ne aliunde obsit. Et ei qui non potest ambulare oleum è floribus trifolij quod est valde odoratum & conficitur in syria potum & inunctum.

CAPVT

Capvt XXI.

Distincta enumeratio specierum podagræ.

Porrò vt singillatim rem modo doceamus, cũ sint podagræ genera iuxta materiæ varietatẽ tria: alia enim est in humoribus alia in ichoribus & tertia in vaporibus, totidem erunt etiam genera eius ita intelligendo, vt in singulis horum vnũ ex his prædominetur non vt sit solũ. Velut alia podagra est in qua ichores dominantur, alia in qua humor, alia in qua spiritus, cũ tamen in omni podagra humor ichor & spiritus necessariò adsint. Propriã eius quæ ex humore est pondus, & vt non facile dissoluatur, & tophum gignat. Eius quæ ex ichoribus vt dolor sit erodens, terminetur in scabiem aut vlcera, aut vesicas illius quæ ex vaporibus membrum leue est dolor acerbissimus, ossa diuaricantur, tensio magna pruritus cum declinauerit: ordo recursus penè nullus, breui terminatur sine topho arcus relinquuntur, pulsatio impetus & ictus quidam.

Species autem singulorum generum hæ: à sanguine crasso tenui, bono & corrupto. signa calor magnus non mordax & pondus. A bile crassa & tenui acri multum & parum, calor magnus & mordax pondus paruum aut nullũ. A crudo humore dulci vel insipido vel acido aut salso gypseo aut vitreo. Signa frigus non aridũ, & accessio diuturna pondus mediocre. A nigra bile prorsus naturali & est sanguinis fex, à flaua bile exusta secundum naturam, vt in habentibus calidum & siccum iecur, à bile flaua exusta, à calore præter naturam, vt in biliosis qui plurimum in sole maximè exercentur: à bile flaua putrefacta vt in fine febrium ardentium, à melancholia superassata citra putredinem vt in melancholicis nobilibus qui vinis potentibus ac aromatibus vtuntur: aut rusticis similis temperaturæ, qui allio & cæpis: & à melancholia per putredinem assata vt post quartanas. Vnde patet totidem etiam esse genera quartanæ scilicet sex: vt in vltimo exemplo cum quartana intermittens quartanæ intermittenti alij succedit: Vel cum conduplicatur aut triplicatur, vel si continuæ eiusdem generis succedat, signa sunt pondus stupor arida frigiditas: & quod auxilia minus prosunt. Distinguuntur etiam à calore, nigricat enim locus, at de hoc superius dictum est. Cum ergo singula genera ex his tribus contineant species xix, erunt omnes species lvij. & tot erunt podagræ simplicissima genera, cum compositæ species innumerabilis sint. Et licet quæ à melancholia præduros tophos generant: non tamen adeo ad viuum res resecanda est vt tulimus tantum esse differentia inter vaporum species, quanta est in ichoribus, neque in ichoribus quanta in humoribus licet maior sit & euidens. In vniuersum species à vaporibus satis commodi ad octo traduci poterunt à sanguine vna, à bile duæ acri & non acri, à pituita vitrea & moderata, à melancholia tenui & exusta & crassa, non exusta vel crassa exustaque. Quæ verò ex ichoribus difficulter ad pauciores species contrahuntur: quemadmodum & febrium species, præcipuè intermittentium,

Capvt XXII.

De Curandi ratione generali duplici & differentia inter arthritim & podagram. Et præcepto quodam omnibus morbis longis communi.

Cvrationis autẽ generalis duo sũt modi: vnus scilic. vt omnibus simul satisfaciamus, istqueest vt materiã tollamus ne fiat aut vt facta protinus auferatur: aliud vt mẽbra principalia cõfirmẽtur. Ergo quæcunque faciunt ad Venerem augendam si quis debilibus sit articulis aut iam podagræ obnoxius, aut immodicè quis eis vtatur podagram excitant, eiusmodi legumina. s. napi pastinacæ mel & huiusmodi vix excipiemus bonam coctionem somnum & lætitiam, namque huiusmodi etiã dum humores augent dum replent corpus materiam podagræ subministrant. Ratio verò satis manifesta est quod quæ incitant Venerem sunt aut quoddam superfluum tertij alimenti, aut spiritus qui tendit, aut ichor qui prorritatur: ab his tribus igitur vt visum est fiunt tria genera podagræ, solum differunt quòd materia vnicus est aut magis superata à calore naturali: scilicet coitus aut calor naturalis in illis viuacior sit. Ob id podagrosi plerunque tentigine multa laborant. Et qui tentigine multa laborant adgraues podagras, & ob causam & ob vsum sunt proni. Paruum igitur discrimen intercedere necesse est: id verò est quod materia coitus elaborata est in vasis & ob id plerique calidorum sunt renum. Ob id etiam qui multæ libidini assueuere, seu omittant vsum, seu retineant ei morbo sunt obnoxij, simile quid accidit inter arthritim & podagram, nam loco solum differre putãnt vt visum est; sed arthritis solet suuedere febribus magis quam podagra. Et podagra fermè semper reuertitur, arthritis raro? Et dolores podagræ sunt vehementiores doloribus arthtididis, nisi dicamus quod quæ in genu accidit affectio sit arthritis, & nõ podagræ, & quamuis causa quid dolor arthritidis sit maior cenceri possit merito quoniam dolor sparsus est, ob quam etiam scilic. laxitatẽ articuli popliti podagra genu videtur minus torquere, quam pedis, sed tamen est alius modus doloris arthritidis atque podagræ & ideò discrimen inter causas. Et est quòd arthritidis materia sparsa est ad cutim quia elaborata & simul effusa sit ad totum membrum scilicet articulum tendones musculos carnem & cutim velut lacus: in podagra autem eiicitur in articulum: postmodum vel ab illo protruditur extra, vel quoniam nõ amplius possit contineri spargitur quod residuum est in tendones

tendones, & loca proxima. Vnde ille non malè curabat arthriticos acu: vellendo neruos cutis vbi dolor maximè vexabat ac præcidebat eos operoso labore sed vtilitum quia quod erat in cute non tendebat amplius neruos,& ei parti quæ sub cute erat,patebat via ad exhalationem. Ergo vt ad rem redeam alia medendi ratio est per singula genera ei quæ ex humore est aquoso purgatio debetur, nam abest periculum obstructionis iecoris,& materia quę facit morbum educitur, ei quæ ex humore venæ sectio pari ratione. Ei quæ ex flatu neutrum: sed quæ flatum tollunt refrigerando aut difflãdo, sed & serosis humoribus quæ vrinã cient: non tamen adeò prompta sunt.Ex his optime est quod elacterio constat,quo vtebatur quidam Venatus. Sed cum in ea vteretur quæ humoribus pendebat illos omnes qui catapotia sumpserunt euertit, inter quos Mattheum Amorinum Trapelitam alioquin aliis profuturus. Ergo & hæc illis opponere per genera oportet.Et quæ debilitant coitum omnibus vt inediam euacuationem,laborem sudorem alimenta crassa & inania, sic etiam vnicuique speciei per contraria calida frigidis frigida calidis,calida & humida ei quæ sit ex atra bile.

Est etiam commune quoddam obseruandũ in omnibus morbis materiariis in quibus sanguinis fit praua generatio,vel quia crudi vel serosi,vel exusti vel corrupti.Vt & interim & ab initio nõ solũ post iecur curetur. Etvt mẽbra spiritus ab aeris tẽperie iuuãtur, aut detrimentum patiantur. Ita iecur inquit Galenus nullam vtilitatem sentit ex eo, ex comestis etiam & bibitis minus longe quam vẽtriculus,non obscurè tamẽ verùm per applicata exterius communita omnibus his consulitur. De intemperie ibi loquitur;quoniam actu calida vel frigida humida vel sicca adhibere licet, nam in morbis quia compositione proueniunt à comestis & ebibitis (Et vt insinuat) Iecur à medicamentis,ventriculus à cibis iuuatur.

CAPVT XXIII.

Quæ Animalia præter hominem podagra laborare soleant.

POrrò non solum homines sed equi,boues & canes ea corripi solent vt octauo de Animalium historia scripsit Aristoteles. Et nos de canibus non semel vidimus. Quin etiam quod maius est audiuimus, à Theodosio Cerebello,Mõtis veteris sabino amico nostro dissectum canẽ,ex his quos braccos id est Qualearum indagatores vocant,qui in vesica prægrandem lapidem habuit, neque hoc mirum admodũ est, talia enim monstra videntur, non quia adeo rarò accidant,sed quia animaduertuntur. Ego vt ad propositũ redeam,facile est in his animalibus imò verisimile ea animalia quæ podagræ obnoxia sunt,quæque vrinam mingunt tenuem & clarum,lapidem in vesica posse generare. Et vt contra quæcunque lapidẽ in vesica generant podagrosa etiam fieri, nam materia vtriusque morbi vt declaratũ est eadem aut pene eadem est. Itaque licebit etiam in his animalibus dubia auxilia experiri: laborant autẽ equi & boues & canes podagra, quia immodicè & supra vires pedes exercent,boues verò etiam propter laxitatem actuum,vt canes etiam propter imbecillitatem.

CAPVT XXIV.

De Pessimis Erroribus podagricorum.

SI impurgato corpore emplastra imponantur, nam calida trahunt frigida intropellunt in profundum, atque ita melius iaceret,quod scribitur *in Arte Medica.c.95.* vel si adurentibus medicamentis aut nimis refrigerantibus, aut narcoticis tophus procuretur, Deterius si materia eousque repellatur, vt ad membra principalia redeat. Miserrimum si exsiccantibus longo tẽpore admotis,morbus salutis specie in deteriorem commutetur.

CAPVT. XXV.

An podagra ex astris pendeat? Et an morbus hæreditarius.

CÆterum quæri solet, an podagra ex astris ac genituræ qualitate pendeat? & an morbus sit hæreditarius? Etenim si ex astris pendet,quid refert vero vis modo regatur æger,nam vtroque modo redibit aut non redibit, quamobrem facilius esset tueri quod non ab astris pendeat. Verũ videmus experimento id cõprobari:Et nobis quidem quibus in piscibus & luna in Martis tetragono ad vnguem aduenisse podagrã,sæpiusque rediisse.Quamobrẽ dicendum est res nostras ex astris quasdã prorsus pendere:velut vitã: neque enim homo arte naturam superare potest. Alia prorsus absoluta sunt ab illis,vt cõsilium & voluntas.Alia partim sic partim non,velut hoc: quiuis enim multũ abest ab ortu,vix maxima custodia effugere illam poterit,& ex quouis minime errore ab illa corripitur,eritque perpetuò ei obnoxius.In his igitur potentia erit semper non actus:in aliis neque potentia neque actus nullus,in primis vtrumque.

Quocirca idem dicendum est de hęrediro,nam in membris principalibus impressio illa emanat vtpote raritatis substantiæ, de qua non est dubitatio, sed vt dixi quoniam interim si genesis vim habet in patris ac matris natiuitate signa erunt patiendi in articulis, vel igitur est necesse adesse eadẽ signa in filio: & ita mortalia immortalibus necessitatem imponent, vel non aderunt & ita morbi causa non pendebit ex astris, aut podagra non erit morbus hæreditarius,sequetur etiam quod omnes laborarent eo morbo,neq; enim fieri potest maximè iuxta Philosophos vt maiorum nostrorum nullus fuerit obnoxius eiusmodi morbo: sed hæreditarij morbi desinunt ob parentis alterius mistionem, cuius natura ei morbo obnoxia non sit; tum ob mutationem regionis, vel

q uoniam

quoniam ad morbum aliud natura inclinet illo potentiorem, vel ob genesim propriam quæ cum parentum genesi non conueniat in hoc casu;non est ergo intelligendus hæreditarius ita vt descendentium nullus possit ab eo immunis esse:sed quod plerique tales erunt, quicunque per genesim aliqua ex parte parentum genesi concordabunt, qui alioquin ex propria tamen genesi non essent & affectui obnoxij,non secus ac filii diuitũ, qui diuites sunt,quoniam & si suam ob virtutem nõ forent alioquin diuites,neque etiã sint amati à parentibus,illo tamen fulti vinculo cum exigua virtute propria & parentum gratia florent opibus.

Capvt XXVI.

Institutio custodiæ à podagra per capita, vt in exemplo,& primum de somno.

EXponitur vt dixi senex septuagenarius, obnoxius morbo huic in aere. Romæ nouus incola cum multis curis. Vnde primũ habenda est ratio somni & maximè matutini,ad primam saltem diei horam.Et vt etiam deuitet crepusculum quanquam dicant crepusculum matutinum esse salutare,nocturnũ solum exitiale,quòd quomodo esse possit nõ video, saltem in hyeme fieri non potest vt non sit noxium, & etiam valde. Quiescere igitur bonum est xi. horis æqui noctialibus in lecto aut saltem nouem & vt ille.

Ad quartam iaceo.

Et cum puluinari de quo alias è pluma molli anseris iuuenis, & cum integumento purpureo superlecto è stuppa serici,subiecto ei alio è gossipio,cui tertius à palea subiiciebatur.Die obturare aures gossipio,sed & noctu confert: verum in die magis necessariũ & capitio vti quod aures claudat, non dormire super renes: plures culcitræ ad madorem vsque,& ne renes incalescant madefacere illos frigida manè, inde inungere oleo è citoniis. Et si frigidius velimus abluto sæpius frigida.Et ad vigilias lauare pedes ante cœnam tepida;parua deambulatio nocturna, vt cibus ad imum ventris descendat, bona coctio, vsus croci cum pulegio,suffitus styracis,assumere etiam saccharum è nympheæ albæ floribus,imaginari nauigationem, loca deserta,florida & amœna. Et in vna cogitatione diu fixam mentem habere. Et scias quod bifariam cõtingit hæc actio:vno modo simpliciter,cum res in mente tantum repræsentatur,& est pura, sed non semper somnũ parit:verum est tota in potestate nostra,quia cum sit tota in anima paret voluntati: alia verò repræsentatur oculis ipsis,& homo videt quod apparet,licet oculis clausis,& quãto magis clausi sunt,eò melius cernit, & est ac si per vigiliam videret.Et ista est cõstans omnino & longe magis stabilis priore,& si tamen quandoque etiam ipsa mutetur,& est similis miraculo. Et de ea locuti sumus in Dialectica, & ostendit res miras & plerunque iucundas, imò persepè lætissimas & super fidem, & hæc breui, & semper omnino antequam finietur parit somnum, quia est fixa,sed non possumus videre quod desideramus,quia fit hæc actio in oculo,qui cum sit corporeus,& instrumentum sensus, non obedit voluntati, quod ad speciem rei vidẽdæ attinet & est præstantior in somniis, est enim animæ magis coniuncta. Et sunt lapides & Hyacinthus etiam his qui vulgo dicitur chrysopatius & sapphirus, & smaragdus,ob frigiditatem, & coloris pulchritudinem, & propriè,

Capvt XXVII.

De Diuina Negociatione.

AB hora surgendi fricare paulisper brachia, intus aluum exonerare,excreare,emungere nares, mingere, exponere se paulum igni:siccare si quid est humidum. Post si tempus concedat in publicum prodire vehiculo, vel aliter vt dicemus, pectere etiam caput eburneis pectinibus non inutile erit.Vt etiam lauare manus & faciem frigida,à cibo quiescere:ludere post sextam horã & vsque ad nonam,si non ...... & potes per anagnostas scribere.Quod si non liceat exire ob pluuiam,ventos,viam impeditam,molam vertere, pollire chartam magno nixu, & pro ratione somni: semper enim memineris illius.2.*Aphor.*16.*Vbi fames laborandũ nõ est.*

Capvt XXVIII.

De Prandio & Cœna ,& mirum de limunij succo.

VBi concoxeris & dormieris quantum satis est,horis scilicet nouem,senex vel puer vel inualidus, aut septem vir ac nulli obnoxius calamitati,vel si nequiueris & cogaris quinque sed matutinis: quieueris autẽ nouem:aluum etiam abundè deieceris,fricaueris brachia,exercueris, etiam laueris vultũ ac manus,caput & capillos pectinibus detersenis,emunxeris nares mucis,& os sputo, iãque ex his famescas & esurias, tum distinguendum est quid assumere debeas: si enim valueris benè ventriculo, nouemque horas putaueris posse intercedere:ad cœnam vsque plus ac solidioris cibi accipies: sin contra minus & madidi, vt in vniuersum obserues illud *Horatij Satyr.*1.

Pransus non auidè quantũ interpellet inani.
Ventrem die durare.

Ergo tum munitum quatuor medicamentis te volo, quorum primum voco familiare.

℞. Origani & Pulegij Italici sing. ʒ.iij.

Mentæ rubræ odoratæ, croci, nucis myristicæ sing. ʒ.j.Sacchari ℥.j. ʒ.j.

Terantur folia non stipites vlli,seu semen, ac flores si adsunt admittantur;sint autem in furno prius leuissimè siccati.

Secundus hoc ipso mitior & lepidior.

℞. Origani & Pulegii Italiorum (est autem) pulegium Italicum de quo nunc loquor,rarioribus nodis hac forma sing. ℥.iii. Mentæ rubræ odoratæ tenuis. ℥.ii.

Croci ʒj. ſ. nucis myrriſticæ ʒ. ſ. Sacchari ʒj. ʒij.

Fiat puluis ſubtiliſſimus, eadem in omnibus obſeruata ratione.

Tertius longè validior & qui valde purgat atram bilé, præſertim & calefacit diſcutitque humores etiam crudos.

℞. origani orientalis ʒij. Pulegij Orientalis ʒiij. abſque ſaccharo fiat puluis.

Quarti generis eſt puluis confirmans omnia membra principalia, & lætificans hominem, & ventriculo confert coctioni & oris odorem commendat, & eſt Franciſci Pedemontani cum additione noſtra margaritarū & eſt longè ſuauior aliis.

℞. Coriandrorum præparatorū cum aqua roſacea ℥iiij. Cinamomi optimi & tenuis ℥ij. foliorum è ſemine meliſſæ ʒj. Margaritarum Orientalium ℥j. ſ.

Contrita omnia tenuiter valde, vt ſint cribrata cū ſacchari de medera ℔. j. ſ. miſceātur.

Ergo inſpicere habitum hominis & præſentem ſtatum: ſi igitur ventriculus videatur imbecillis, & purus ſufficiet in parandio ſumere panis ℥iij. comedat cum coma abſynthij viridis & odorati ac mollis & teneri, cum oleo ac ſale ſuſpicienti, non bibat in mane prorſus aut in omni caſu colluat os vino odorato dulci atq; potēti tenuiq; ſolum.

Sed ſi dentes non valeant, aut non confidat panem poſſe cōcoquere, edat panem ex iure madefactum edita ʒ. ſ. pulueris primi ſi non admodum flatus vrgeat ſi vrget ex tertio, parum autem à cibo ex vltimo.

Quod ſi corpus cōpatiatur non adeo ventriculus, ſumat eandem quantitatem panis ex iure cum puluere & carnis aſſatæ ſolidæ, mollis, optimè ac tenuiſſimè gladio diuiſę ab ℥ſ. ad ℥ſ. ʒij vel lactes. In vniuerſum cum podagra morbus ſit ex repletione, neq; enim humor tam malus eſt, vt in pleriſq; aliis morbis ex quatuor, quæ ad victus rationē attinent. Quantitate ſcilicet, qualitate, præparatione, occaſione; duo ſunt in hoc ſpeciatim obſeruanda, atque vnum in genere, ſcilicet in ſpecie, vt cibi parum alant non tam vt benè, & ſint benè cocti. In genere autem vt cruditas non adſit in ventriculo, & ſi fieri poteſt neque in præcordiis.

Quod ſi ſigna quædam repletionis adſint, & aluus aliqualiter aſtricta, aut ſaltem non fluida: ſi quidem abundet ſaliua eandē quantitatem panis deuoret, ſed benè mandendo cum ℥j. ʒij. vuæ paſſæ magnæ, recentis pinguis, creticæ, abiectis vinaceis & cortice ſi craſſus fuerit, ſed ſi ventriculus fuerit plenus cruditatibus, appetat tamen, dabimus mel parum aut cum ſucco & medulla limmoniorum. Dicam autē quid acciderit circa hoc. Erat tempus profundæ brumæ xiiij. Calendas Ianuarij MDL. XXII. dum vellē condire limunia quinque in fruſta conciſa cum melle: mel concretum: pigebat ſuperponere igni, (inſtabat enim cenæ tempus) Immiſta manebant. Die ſequēti dum volo immiſcere imprudens amoueo caimum & eſpondo, demiror tum animaduerti diſſolutum mel à ſucco limunij factumque liquidius quam ſi manſiſſet diu apud ignem, habes hiſtoriam, vt ab igne diſſoluūtur, à coagulo concreſcūt multa: quorum vnum eſt ſummum in caliditate actu, alterum prope ſed poteſtate tantum: ita à frigore ſummo & humidoriſquidem actu diſſoluuntur, vt à contra & ſimili a & contraria proueniant; habes rationem quam ſi diligenter excuſſeris ad multa proderit. Sed redeo ad propoſitum: melle vtor cum aranciis eadem ratione qua limuniorum medulla, vt hodie in prandio: nihil enim opportunius quam vti diſſentientibus & concordibus, velut mel & arancia diſſecant & attenuant, horum vnum eſt calidum non parum, alterum frigidū immodicè. Vtraque cum ſint inimica ventriculo, ſimul tamen iuncta proſunt. Sed ſi detergere ſolum & attenuare, vel nutrire, melle ſolum cum pane vtar. Eſt & tertius mellis vſus cum piſcibus, nihil enim magis congruit; calefacit, attenuat, ſiccat, iucundum guſtu exhibet edulium, vt ventriculo commodum ſit, vt etiā diſcipuli domino hæc duo obtulerint. Arantiorum loco ſine melle malis punicis vti licet, maximè cōtra podagras; feruorē ſanguinis extinguunt, ventriculo & iecori amica, & oculis & hilaritati conferunt, matura ſint, craſſis granis valde dulcia atque ſuauia nec veto, ne non cum his omnibus ſint ſubacida. De cæterorum fructuum vſu vt inutilis etiā ſanis loqui ſuperfluū eſt. Cum enim cibaria in 4. ordines Gal. diſtinxerit, & ex quadruplici ratione: 1. vt bona vocet quæ ſanguinem generent medium & optimum, mala autem qui ſeorſum vt vrina aut feculentum vt pix, atque in his omnibus tū aliis quæ ſub iicientur magis ac minus magno interuallo 2. quæ cum hoc facilè efferueſcāt, & minimè diſcutiantur per vrinas ac per ſudores 3. vt in venoſam qualitatē tranſeant: Et in his duplicē differentiam; alia quidem quæ quouis modo & lethalem venū, alia ſi modo corrumpantur nec concoquantur in ventriculo, nec lethale adiicitur his. 4. eſt ne ſint contumacia. In primo ordine conſtituit olera, quæ minus praui ſucci ſunt, & radices. Et in his ari & raporum minus malas, cum etiam quod ari radix medica eſt, & ad multa vtilis calefacit, atenuat, & illita podagris auxiliatur: cætera cum dracuriculo communia, ſed longe vt dixi melioris ſucci ſi cocta edatur, aperitque obſtructiones, Herbarum autem neque bona neque mala lactuca, ſed vt dixi dę coctis intelligitur. Poſt inquit malua que ventrem lenit, inde atriplex portulaca, blitum & rumex, aliarum nulla. Quippe cichorium & ſchādix & condilla peſſima, ſcilicet primi generis ſunt. At ſecundi generis omnes horarij fructus vt ceraſa & Fraga, ſed vua & ficus dūtaxat excipere oportet. Tertij generis ſun tperſica & pruna, nā veneno ſimilem ſuccum gignunt, quia in ventriculo etiā corrumpuntur cum ſint ad concoctionem cōtumacia. Proptereà mora in medio ficuū & perſicorū prunorūque conſtituit: ſi enim concoquantur mala ſunt vt craſſa, & fraga, ſi non, vt perſica vel pruna veneno ſuccū ſimilem generantia. At quarti ordinis ſunt cucumeres pepones & hi enim corrumpuntur omnes in ventriculo, & ideo dicit niſi ſtatim deiiciantur qui nō longè à mortiferis venenis abeſt, ſed de cucumeribus coctis, nō idē cēſendū quoniā crudis intermiſcuit, parum ergo pulegij & cichorij,

cichorij, sed huius etiam cocti sumere debemus, vt sit medicamenti loco. At si ventriculus videatur debilis, & fastiditus, & aluus non liquida oporteat tamen nutriri, nec adsit vua cretica assumere soleo non sine vtilitate euidenti vuas passas albas, quæ sunt paruæ & sine granis dulces & acidæ, crocei coloris, imò potius rufsi, coctas in iure aut etiam aqua: tument enim & iucundæ sunt, & ventriculum iecur renesque confirmant: aluum etiam manifestè molliunt.

E piscibus ergo cum tempora ieiunij fuerint, quos cum melle edendos dixi, oua frixa optima sunt. Frixa enim melius ac celerius quibuscunque assis aut elixis coquuntur. Et quæ facilè coquuntur non aliter benè coqui possunt, quam si frigantur, nam elixa vt dixi quicquid habent succi, remittunt in aquam & ius: assata autem nimis siccantur quę facilis sunt coctionis: at in oleo frixa nil remittunt cogente oleo, & calore concluso etiam si dura sint celerius coquuntur quam assata vel elixa: propterea neque sicca sunt nisi vrantur, neque exsucca, neque dura, sed optimi saporis atque odoris concoctuque facilia. Oportet igitur in multo oleo, & iam feruente, mergere, & multa atque indesinente flamma coquere celerrimè. Indicium est odor suauis mollis admodum caro & candidissima: corium nullatenus exustum, & tamen molle, splendens, ac quasi attenuatum; quapropter & circumuertere oportet non longam moram interponendo, nec vt aeri exponatur permittendo. Si ventriculus optime valet, nec opus habet alio quam cibo bono, nil melius inueni (quod etiam consulit Zoar) Mazapano recenti, nam aperit iecoris obstructiones, & ipsũ impinguat, purgat renes, somnum conciliat, substantiam cerebri adauget, quæ semper augetur ac vicissim minuitur, more eorum quæ lunæ subiiciuntur: sed non adeò euidenter, alimentum verò eius est vt ita dicam imputrescibile nedum optimum. Fit autem ex amygdalis dulcibus non annuis, à cortice purgatis ac selectis, cum pari sacchari pondere & aqua rosacea: inde summam partem saccharo liquido circunuestiunt & coquunt; modus coctionis in furno donec superficies bene splendeat, vt purissimum vitrum & candidum, sed pauci norunt modum: plerique nolunt laborem tundendi per tres horas: tantundem enim temporis exigit vt fiat absque omni crassitie aut duritie: quapropter ego deuito nolens & inuitus illius vsum adeò salubrem, cuius habendi spes propemodum nulla est.

Vnum aliud prætermisisse nolim: quoniam sæpe accidit vt propter negocia non possim, aut ob importunos liceat edere vel hora sexta, vt coactus sim semper mecum deferre Mostacini partem: est enim è saccharo aromatibus & farina siccum edulium & non durum, ideò nihil habet simile. Est enim hoc ei peculiare vt in dies quantò fit siccius, eò fiat mollius.

Redeo ad ieiunij tempora, in quibus piscium vsum laudaui, persæpè in prandio sola oriza contentus fui, non solum dum carnibus vti licet ex iure, sed etiam tum cum butyro vel oleo, semper verò misceo mel, igitur sola hac in prandio vtor, vel si ventriculo timeo admisceo panis vii. vsq; ad semiunciam, est enim optimi alimenti & facilis coctionis (siquidè optimè cocta esse debet, ea tamen celerrimè coquitur) & siccat ventriculi omnem sordem. Delectus autem piscium, Post in cœna dicetur, partium autem in prandio præter oua solum, iecur & lactes.

De cæna ergo sumemus ℥vij. panis & si in prandio ij contentus fuit, vij. in cœna aut viij: obsonij tres, vt sũma prãdij & cœnæ sit ℥xiiij. potus autẽ à x ad xij, vt diei moles sit circiter xxvj. quę fuit A. Cornarij sed inuerso ordine: dixi autẽ superius voluptatem esse in re & tẽpore mandendo sensim & diligẽter, nihil oberit quod paucũ sit quod assumitur. Ergo ex genere rerum eadẽ quæ in prãdio, vt tamen liceat ex radicibus vti solùm his quæ sunt cichorij: Ex oleribus boragine cocta, cruda, valde tenera, propterea mẽta valde nobili iam dicta melissa apio & dracuntio. In condimentis petrosilio & rosmarino, puluerum sit duplicata quantitas, licet duplo plus assumere cibi vesperi quã mane, quòd tempus sit aut duplo maius aut ferme saltẽ duplum, inde somnus: quies altior & vacuitas à curis, & aer frigidior, & corpus magis opertũ. Duplo autem maius quod panis qui editur sit aut coctus, aut madefactus in iure aliquo, dixi aliquo, nam & pisces efficiunt ius vt cyprinus, & lucius maxime cum oleo & vuis passis aceti aut vini, modico croco petrosilij, roremarino, nuper dictis. Piscium ergo optimi ex aqua dulci cyprinus qui & suauissimorũ optimus est, trotta & eius genera cauedani vocati, qui sunt valde & candidi & splendidi, lucij, percæ, botiæ magnæ. Carpiones Benaci lacus Temali, Abduæ fluuij salmones, quibus dentes sunt in lingua è genere trotarum esse censentur. Laudatur & varolus piscis sed paruus. In summa quicunque sunt è fluminibus claris, mollis carnis & candidæ, squammosi optimi sunt: hi præterea sint lati & friabiles, & iucundi saporis, iam habes coronidem absolutã. Ex mari autem pelagij & saxatiles, sed optimi omnium passeres, rhombi gobij, specialiter autem auratæ & arbores, & qui lati sunt ac plani, cũ mollem carnem & candidam habuerint, omnium autẽ est vna conditio vt sint recentes. Alias admisi anguillam sed paruam, & lacu perspicuo, cum recens frixa fuerit. Partes autem piscium vltra tres dictas quæ circa oculos & os valde molles, & quasi humidæ & magnorum venter si mollis sit: Et dorsi caro si parui & iuuenes. Ex animalibus partes in vitullo lactante septẽ, linguæ pars ima quia glandosa est, lactes, pedes, mamnæ, pulmo, cerebrum, & lumbi cum pinguedine & renibus assati in veru tum verò calidi. Aprorum iuuenum caro quæ friabilis sit ex veru, aut incisa minutim multisque gladiis cõtusa, & in patella condita circundata pasta: vnde pastitium dicta: vel in iure sic cocta & glomerata: appellant Bononienses polpetas. Medium quendam modum tenent caupones Romæ. Sunt & hædi & castrati iuuenes agniq; assati. In his omnibus nõ tam res quã modus præparandi & occasio obseruãda est, sed reliquorũ neque modus est, neq; occasio vlla. Auiũ Gallinæ pullique earũ, & capi sed

liberæ vitæ, post Galli paui, Inde Phasiani his etiam meliores, post quos perdices, columborum pulli, sed valde iuuenes, vt pene implumes sumantur è nido, & maximè torriti meliores domesticis magnis: & pinguiores agrestibus: & longè præstantiores palumbis: Horum omnium iecora solum & quod sub alis iacet & caro ventriculorum: quoniam ventriculo non illorum tunica vtilis est. Auiculæ autem pene tutæ bonæ sunt & mihi ob id in vsu, sed tantò minus alunt quò meliores, ideoque etiam quò minores. Eadem igitur in cœna & in prandio, nisi quod vt dixi plura exhibere licet. Et vinum dilutius. Et si quid ad summum facit in fine cænæ. Embamma ad mentem Galeni, licet autem vti, cùm crudus humor solum is est qui tollit appetitum cibi, & coctiones vitiat, nec medicaméto locus est, vt in hyeme dedicatis, & adhuc incipientibus affectibus. Raphani seu radiculæ domesticæ succi ℥ij. succi petroselini ʒ.ſ. Gingiberis ℈j. salis ʒij. aceti potentis ℥ij. vini ℥.ſ. panis ℥iij.

Caput XXIX.

De deambulatione & aliis exercendi modis.

Eiusmodi victus ratione comparaui mihi inter reliqua vnum commodum euidés, vt flatus omnis qui ad vétriculum recurrere solebat, ad inferna descenderet, libereque prodiret, leuiore etiam longe aluo reddita, & ventriculi coctione facta validiore. Et vt tempore descensus cibi nihil in eo sentirem. Sed vt ad propositum redeam (quandoquidé meliora in dies sperare possim, quod legem quam mihi imposuerã, nec ad vnguem nec satis propè nec constanter seruauerim, tum impeditus multis negotiis, tum veritus repétinam mutationem: tum quia nescirem vel quantum profutura esset, vel quam commodè laturus essem) De exercitatione illud mihi eiusdem Poëtæ proposueram.

Post hac vagor, aut ego lecto
Aut scripto quod me tacitũ vocat, vngor oliuo.

Exerceo ergo partes superiores acuédo cote gladios, vel chartam vt dixi gemma polliendo, aut quod omnibus præstabat, Bononiæ trusatilem molam lapideam haud magnam, sed ponderis librarum circiter xv. aut viginti circum agendo, inde deambulando ad D. passus, alias si commodius est, præcedit deambulatio in aëre libero, post scribo. Dum sedeo ad aluum exonerandã aliquid lego, ne tépus mihi interim pereat. Atque hucusque cuncta aperta sunt. Solum id restat vt videamus quid vtilius mihi cæterisque podagra laborantibus scilicet equitatione, an carpentũ an deambulatio. Equitatio & deãbulatio ad pedes trahunt: carpentum non ita sed magis agitat totũ corpus. Ergo vbi iam dolere pedes cæperint, carpentum melius est: vbi auté desierint, deambulatio parua, vbi diuturna sit aut molesta, melius est equo vel mula gradaria vehi quam pedibus iter conficere. Et generaliter quanto robustiores sunt pedes, corpus purius, materia tenuior, morbus procul ab initio & fini propior, ac non laboriosa nec diuturna fatigatio, eo melior est deambulatio equitatione: contrariis causis præferenda equitatio, vbi suspicio sit fluxurę materiæ, vel labor carpentum quanto magis si doleat. Vnius tantum meminisse oportet à deambulatione apotherapia vtédũ, nã lassitudiné tollit, & securos à fluxionibus præstat.

Caput XXX.

De Balneo & lotione capitis Et cæteris euacuationibus.

Vsus plurimum in omnibus rebus potest: olim toto corpore lauabantur capite intecto aut perfunctoriè abluto, vt potius voluptatis causa nunc lauatur caput reliquũ corpus lauari desiit, vix lauant manus frigida & faciem: pedes pauci & raro adeò, vt nec liceat si velimus sublatis à balneis opportunis domibus scilicet atque instrumétis: sed & ob id in Africa deficientibus aquis multi populi desierunt & manus & faciem abluere, suibus parum absimiles. Ergo pedum lotio minus, quanto vtilis est tepido balneo quod auocat, ita frigidæ ablutio, tantò vtilior est solis pedibus etiam præter munditiem. At capitis ablutio quibusdã vtilis est, qui rara sunt cute, aliis non ita, sed calidissima inde frigidissima caput perfundere oportet. & corpore vacuo, non quemadmodum quidam ante cœnam. Sit lixiuium pauco cum cinere & benè coctum & assiduè caput fricetur dum lauatur. Multum refert in consuetis quibus podagra ex capite ortũ habet. Diu insuetis periculosum, aliis fermè indifferés. A lotione non se exponere statim aeri oportet nec comedere: caput linteis siccis vix calidis fricare præstat. Corpus autem euacuare pro ratione causæ in Autumno persæpè, magis autem in vere: cum verò inchoante accessione sit non tam vtile quã persæpè necessarium, vt in ichoribus purgare, in humoribus sanguinem detrahere, merito queretur an vtilius sit ad custodiam facere quam non; Euacuatio per medicament um primum difficilis est corpora sana habentibus, deinde aperit meatus intus corporis vt materiæ facilius confluant in articulos: sed & humores colliquat in sequens tempus & totũ corporis statum cõmutat. At si velimus sanguinem educere perpetuò magis fluet quoniam semper magis attenuabitur deteriorque euadet. Quid plura dicam melius est in adolescentibus ac iuuenibus ea ratione neque purgare neque sanguinem minuere, nisi quis aut intemperatius viuere velit aut omnino seruituti addictus. Ætate constituta exacta purgare corpus melius est vere, vbi ex ichoribus morbus sit sanguinem mittere haud expedit. At sudores & vrinas prolicere, & in ichorum abundantia & vaporem vtile fuerit: sed si ab humore podagra fit tenui, multum etiam prodest in crasso & lento vbi attenuatus prius fuerit atque dissectus. Veneris autem vsus omnibus suspectus videtur, & certè importunus malus est: rarus tamen & corpore mundo & abũdãte semine calefacit artus, flatus discutit & humorem crudum attenuat accalefacit, oluitque atram bilem, pluribus tamen lon-

gè in casibus nocet quam iuuet. Primum cum defluxio iam inchoauerit:vel cum corpus etiam immodicè repletum:vel cum venticulus aut articuli fuerint valde imbecilles: aut si importunè quis ea vtatur vel si nimis: Vel si ei alia causa ciens podagram eo tempore adiungatur.

Capvt XXXI.

De Aere & Victu.

INter causas quæ curare huiusmodi morbos possunt(& enumerauimus duas quæ admodum pertinent scilicet robur articulorum & concoctionem restitutam) duæ aliæ sunt quæ vocantur curatiuæ , quarum vna est mutatio aeris magna ad calidum & siccum,vt in Africam vel Aethiopiam , plenè enim liberare solent præcipuè accedente etiam maxima victus mutatione , quam necessarium est accidere in tam longinquis regionibus. Alia est inedia exquisita multorum annorum vt de illo qui in carcere fuit xxvi annis pauco pane & modicis nucibus nutritus & liberatus est. Propè huiusmodi causas est mutatio artis:vt si quis fiat pistor aut vitrearius : Et scias quod aer Romanus propriè gignit podagras. Et aer qui gignit podagras etiam gignit enterocelas & scabies & morbis ac vlceribus crurium est noxius & infestus,similiter & fluxionibus omnibus obesus. Aer igitur calidus & siccus in huiusmodi morbo tum tenuis & purus optimus est:tametsi humores calidi & sicci ac tenues faciant propriè vt dictum est ad podagræ generationem. Ita quidam venatores facti liberati sunt. Et nisi nostra tempestate vidissemus Andream Dauriam maris vt ita dicam Principem,podagra etiam in extrema senectute laborasse , possemus sperare ex diuturna nauigatione obnoxios ei morbo curari, forsan nocet non posse exerceri, Vt vt sit aeris mutatio plurimū potest in podagra quod ineuitabilis sit, quod in mole incredibilis ac maxima, quod vndiq; penetret intus extra per poros, palatum nares,ad cebrum per se primo & cor & in ventres,& in articulos,& intima,quòd motum secum habeat,quod sit iunctus qualitatibus primis atque potentibus. Indicant autem & regiones ipsæ velut præcipuè Roma & Mediolanum quod aer calidus Romæ etiam calidus(licet victus lautior etiam plurimum faciat & ociosus)& temporum anni mutatio Vt sexta Aphorismorum Et in eodem tempore diuersa consideratio humida aut sicca vel austrina vel borealis:in quibusdam enim laborantibus tantum discrimen quantum si benè aut malè vixissent.

Capvt XXXII.

De Aliis negotiis.

VIta iucunda & æqualis libera ac moderata bona est ad custodiam , sed & cogitatio de rebus arduis facit ad incolumitatem , animus enim ardens ad maiora corpus seruat & humores continet. Et timor magnus aliquando multum iuuat aut commutat. In vniuersum mirabile dictu quantum animi affectus huic morbo prosint,quoniam humores non admodum maligni sunt: & putredo non adest. Et principium motus in podagra est à natura non ab humoribus, & contra ex tristitia & metu repentinis aliqui inciderunt in podagram aut enterocelé, multi verò non multo post,& materia podagræ plerunque est materia hęmitritæi primæ speciei.

Capvt XXXIII.

De Auxiliis externis & nouem modis conficiendi olea.

EXterna autem auxilia sunt emplastrum simplex exēplastrū cū cera quod ceratū vocatur.Vnguentū vnctio seu oleū & Aqua de qua post & eius vsu peculiariter dicemus. Nullum emplastrū vt refrigeret conuenit:nā si refrigerandi causa calidum apponi non debet;plus enim trahet ob caliditatem qua actu feruet quā potestate refrigerari possit? neque frigidum obturando enim meatus cutis & locum prægrauando plus oberit & calefaciet quam refrigeret:sed neque in principiis frigida:nec si refrigerabunt materiam intus compingent , calida autem plus trahent materiæ frigidioris.

Cerata verò parum prosunt in podagra quoniam membra per se non laborant:neque enim attrita vel incisa,sed à materia ipsa est lęsio quæ si resoluta prorsus sit non indigent cerato:sed solum exercitium sufficit & affatim:sin autem superest quicquam tophaceum est , nec nisi valde pinguibus vt dixi indiget non ceratis:eadem fermè pariter de vnguentis , quare ad olea deueniendum est. Ipsa enim sunt leuia & frigida adhiberi possunt, & si perperam administrentur calida statim refrigerantur : nec lædere grauiter possunt , sed quoniam in illis solum vis potens desideratur,ideo eligenda sunt quæ potestate ac facultate sunt præstantissima , vel natura ipsa rei vel belzoinū velut modo ipso quo conficitur , velut ea in qua substantia propria ingreditur. Sunt autem modi huiusmodi hi.

Primus est vulgaris imparus & imbecillis seplasiorum,rem in oleum iufundunt exponunt soli,in annos addunt & oleum aliud & oleum aliud & rem ex qua conficitur.

Secundus est per duplex vas. Vnum amplum in quo aqua feruet,in altero res est à qua oleum exprimere volumus , & oleum ipsum,& hoc in illo excoquitur saltē tribus horis,communiter sex:alij per diem integrā: aliqui etiam diutius. Sumptus est à Galeno Octauo Methodi loquente de sola vnguentorum calefactione nedum confectione.Dices quomodo scis?Quia experimentum docebat aliis facientibus spicata illa & mala Vathrina vnguenta adeò odorata odorem amittere. Inquit enim : Non autem te fugit sole me vnguenta calefacere vase duplici , vtique coniecta in vas maius aqua feruente quando aliter calefactis vitiatur eorum facultas. Alibi quoque idem necenset

recenset septimo de Compositione medic..a-mentorum secundum locos, ac quasi rep..etit, imò etiam de ipsa compositione agit. Hic modus est validior & purior primo ..x apud pharmacopolas in vsu dum conficiu..nt oleum Masticinum. Non me latet de .Vnguentis Galenum hæc dixisse: sed ea ..olea quæ sic fiunt rationem vnguentorum obtinent.

Tertius modus est vulg..aris & ipse: vtpote quem docuit Dio.. corides pluribus exemplis in primo libro.. repetitis infusionibus tanto validior sec..undo quo plus in faciendo temporis atqu..e materiæ consumitur est autem vnguenti.. communis. Differunt vnguenta ab oleis .. mistione seu adiectione, densitate atque o..dore, quocirca fit oleum in odorum vt gl..andis vnguentariæ vnguentum non sit.

Quartus est quasi medius in furno duas ollas paral..is vnam cuius basis sit tenuissimis foramini..bus pertusa, atque in eo condito materi.. quamuis oleo imbuta vt sit sub forma sp..issionis mellis cum pasta circundato, & h.. asim alteri ollæ indito. Inde igne circu..mposito coges oleum per foramina in c..llam. Quod superest iam tenuissimè contritum combibito oleo iam expresso: inde igne apposito vt antea coges reddere cum fœnore etiam quod acceperat, hoc ter quaterue cum effeceris habebis oleum quasi ex substantia seminis, & materiam exsuccam. Erit autem calidissimum ac siccissimum. Et quod ex seminibus rustæ exprimitur ferunt curari enterocelem si assiduè cum vinculo locus inungatur, Quod à me nondum expertum est, nec tamen ridiculum videri debet, cum is morbus ex peritonei laxitate proueniat, quam si quid aliud hoc tollere potest. Videtur autem in eo τρόπον vt in pluribus non sit sine spe.

Quintus est proprius floribus expertus sum in floribus sābucci, nā diebus canicularibus cum ampullæ imposuissem, eamque contectā soli exposuissé tota substantia humidior in oleum rubrum conuersa est: quod terrestre fuit in placentæ formam coactum pendebat in vase, educto oleo cum ampullam frangere nollem, aqua immissa dissolutam eduxi. Hoc oleum prorsus est è substantia florum nec tamen odoratum, nam si in aquea parte odor potius est quam in pingui vt apparet in rosacea & violacea ea parte absumpta per solem necesse est oleum fermè inodorum reddi. Sed dices quidnam aqua rosacea vbi educta est solet Soli exponi vt odorem fragrantiorem reddat. Verum, sed duntaxat vt quod fumosum est euanescat: nam sic odor rosæ in parte aquea ac terrea situs cum sit, non solum purior sed maior euadit resoluto fumi odore. Parcè igitur agendum est, nec diutius permittenda soli. Oleum igitur hoc inferius est potestate præcedenti, sed longè purius ac innocentius. Mittantur autem in ampullam flores integri: nam contusi in aquam verterentur, ac succum, & descenderent non vt oleam, sed materia quædam informis euaderet.

Sextus est cum flores in vase (eodem modo quo superius) vitreo compositi sepeliantur, transeunt enim in oleum magisque retinent odorem quam in priore, quoniam pars aquea minime resoluitur. Ideò etiam plus offendunt olei: sed facilius corrumpitur propter id quod ei immistum est ex aqueo humido, ita flores verbasci transierunt in oleum rubrum, quod tamen ego non vidi. Simili fermè modo fex vini quæ tartarum vocatur ex vsta, & sub terra humida sepulta transit in oleum sed valde aquosum, adeò vt quidam negauerint esse oleum, sed hic cinis seu calx etiam sua sponte in penu vinaria in lapide marmoreo non secus ac sal in aquam, in oleum conuertitur. Et etiam si in ampulla condita suspendatur è regione caldarij in summa parte, dum aquæ fumus infra feruentis ad eum proueniat.

Septimus est proprius cum ex materia extrahitur oleum: velut cinamomo resina chaleantho. Id autem tribus modis: ex resina & omni re quæ aquam contineat primum destillatione elicitur aqua, inde oleum rubrum demum nigrum, atque eo modo è seminibus omnibus: melle manna & similibus, nisi si quæ sint quæ oleum nō remittant. Velut vinosa & mucosa. Ita myrtus, vua, punita mala & semina cotoneorum maluæque quoniam mucosa sunt oleum non reddunt. Vt nec quæ nimis sunt & penè tota aquea substantia, vt folia pleraque herbarum & arborum, maximè quarum semina parum sunt oleosa vt nitrum & lactucæ. In his ergo vt in chalcantho iuuat ea vrere sed non exquisite, verum vt pars aquea solum euanescat. Tertius modus est vt dixi in cassia lignea quam hodie appellamus cinamomum, nam vt alias domi canalis per vas aqua frigida plenum traduci solet Hic modus oleum efficit tenuissimum maximè. Secundus huius septimi sed in quo magis ignea vis est propria reluceat, vrit enim & præacutum est.

Octauus est similis ferme quarto in ollam cuius basis pertusa sit ramenta cornuum aut vngues vel ossium imissa supposita alia olla sepeliuntur, & integumento terra supponitur, id enim debet esse propinquum superficiei terræ: inde ignis superaccenditur & oleum destillatur, sed in hoc etiam differt à quarto modo præter id quod nullum oleum additur hic, quoniam non repetitur neque feces oleo denuò commiscentur.

Nonus fit sepulto vase vitreo in equino fimo, sic vt vas plenum sit floribus (est enim quasi medius vt liquet hic modus inter sextum & primum septimi aut quintum) conuertitur in oleum aquosius quinto, & minus aquosum sexto. Itaque modi hi sunt potuis XI quam IX.

Capvt XXXIV.

De sectione venæ & hirudinibus, Præparatione & purgatione.

Præter hæc foris etiam auxiliari dicuntur cucurbitulæ cum scarificatione, sed de his alias dictum est, vt etiam de sectione venæ. At peculiariter nunc agendum de

tubus

tribus, de reuulsiua quæ in altero pede, De deriuatiua quæ in eodem cum iam confluxerit multa materia, & dolor admodum sæuit: Media quæ fit in brachio eiusdem lateris, hæc sunt valida & tutissima auxilia, sed nonnisi in maximis affectibus aut necessitatibus adhibenda, vt superius etiam docui de aliis venæ sectionis generibus: quanquam hæ non sint tanti detrimenti vt sint vtiliores Similiter hirudines super loco positæ vel propè super venas dolorem leuant non tantùm euacuando, sed torporem quendam membro inducunt. Et ideò minus debilitant vires quam venæ sectio, & profundius extrahunt sanguinem & materiam quam cucurbitulæ etiam scarificatæ, (quamquam quidam vtebatur siccis admodum multis in balneo, sed hoc est peculiare & potens geritque vicem præsidij regij) verùm membrum patiens plus debilitatur quam ab vllo aliorum præsidiorum. Itaque adhibenda est cautio in hoc auxilio, quamuis sit præstans & molle, nam delicatis satis accommodatum est: scilicet diuitibus quibus non est necessarium tantum robur præcipuè crurium. Sed consulere oportet doloribus sine dolore. At vbi materia antecedens maximè quod frequentius euenit purganda veniat, seu in principio morbi seu iam concocta: tria sunt fundamenta eius, Rosa, mirabolani, vinum granatorum, quod etiam facit ad præparationem. Ergo hoc præcipuè vsus sum medicamento, præsertim in Illustrissimo viro, ac vt vocant Comite Octauio Blanchino Bononiensi amico ob singularem benignitatem præstanti.

℞ mirabolanorum citrinorum (erat enim biliosa & sanguinea materia) ℥ij. Infundantur confracti in ℥vj. vini granatorum per noctem, inde bulliant ad consumptionem tertiæ partis: excolabis, adde syrupum rosatum solutiuum aut mannam ab ℥j. ad ij. si pituitosa emblici vel chebuli, si melancholica nigri. Vinum idem ad præparationem etiam vtile est, betonica, saluia, rosmarinus, chamedryc, chamepytis, stoechas panax mater sylua, amaracũ, laurus, absynthium, lilium, & iris croceus, Castoreum peucedanum Amomum Raphra Petum, Peru, Pulegium: ebulus etiam inter purgantia heliotropium sulphur herba S. Petri in ambitu tota serrata. Tamarindi. Quarto loco sunt maximè in initio. Ita ad præparationem serapia è rosis siccis & granatis è betonica è stæchade, è succo balsaminæ è trifolio ferrum æs, xiloaloes, colocynthis agaricus, elacterium cum astringentibus. Mel quoque exterius vtile est, intus Rha obsonium & berberis & sphondylij radix, cuius etiam ℥. ß. in acetario soluit ventrem. Antiquo tempore ad purgandum strenuiter catapotia ex coronopo id est coruino pede alias coralio vocata herba est, sed nunc non benè nota, an sit stellaria item ex hermodactylis, & putant eos venenosum quid referre. Vtrunque tamen prosuntillæ pillulæ in affectibus articulorum & podagra vt persæpè earum vsus non solum sit valde vtilis, sed penè necessarius.

Caput XXXV.

De Modis administranda aquæ

Frigidæ vsus frequenter, calidæ rarò est necessarius. Dicendum est autem de his non simpliciter, sed eatenus vt conducit præsenti proposito, namque & madefacere & abluere & lauare & aspergere, & fouere, ac inspergere & irrigare atque vt balneo vti tum superfundere in vsu est. Abluere nunc dicimus cum solum sordes tolluntur cumque adhuc leniter aqua superfunditur lauare: Vt verò etiam moram ducunt, in ea balneari dicimus aspergere minutim, in spergere affatim sed non diutius, irrigare verò assiduè in particulam aliquam aquam immittere. Infundere autem copiosam sicut totum membrum amplectetur. Fouere tam frigidæ quàm calidæ conuenit, tametsi magis de calida soleat intelligi cum linteis assidue impositis locum refrigeramus aut calefacimus, semper autem temperamus calida refrigerando, frigida calefaciendo. Ego ex his nouem modis septem in generalibus & quid possint & quomodo administrentur edocuimus, præcipuè autem in podagra sunt fouere & superfundere vt qui etiam sint efficacissimi: & superfundere propriè iuuat frigidam in vaporosa bis aut ter, vaporis enim generationem prohibet, & genitum aut expellit per poros aut dissoluit in ichores. Propterea large superfundere & valde frigidam bis aut ter sufficit, inde linteo frigido sed sicco crus & partem dolentem circundare, operæ precium fuerit. At tepidæ etiam aliquando simili vsui locus erit dum laxare partem volumus, nec calor adeò magnus sentitur, & corpore senile valde habitusque & aer frigidior. Fouemus autem contra locum diutius & vt penè dicam donec quieuerit dolor: cum calor in ichore aut humore bilioso acrior est. Intentum enim est solùm extinguere, non autem repellere, cum id parum tutum sit: hoc autem auxilio non id periculum subimus. Quare quando & quomodo & cur id agendum sit explicauimus, sed fotus alius etiam vsus est non superfusionis, cum locum linteis ex vino calefacto, in quo rosarum placentæ coctæ fuerint assiduè madefacimus, id prodest non solum in processu cum materia non calida fluere desierit, sed etiam ab ipso initio cum fluere incipit, temperat enim locum, resoluit & moderatè, ac sine periculo repellit.

Capvt XXXVI.

Podagra an morbus erronicus. An deterior articulari? An periculum de distentione & morte? Quæ signa sint mortis & declinationis? Quid agendum cum dolor à cibo desæuit, & magnæ vigiliæ cum cruditate coniunctus est.

QVæri etiam solet de podagra, an sit morbus acutus an chronicus. Et videtur hoc simile de morbo comitiali, & spirandi difficultate quæ recurrit & cephalea & similibus: qui quidem sunt è diuturnorum genere, accessiones autem sunt breues. Vt verò acutæ mererentur dici, necessarium esset vt periculosæ essent ac cum febre, quorum neutrum adest in podagræ insultu. Ideò acutis similes sunt non acutæ accessiones. Ob id meritò etiam quæsitum est an sit periculosus? Id autem difficile determinare, quoniã morbi non periculosi magnitudine fiunt periculosi ob vigilias & dolores, fiunt tamen periculosi si materia retrocedat si febris adiungatur: si œdema côuertatur in leucophlegmatiam, non est igitur periculosus his modis per se, sed casu. Eques enim Marauilla Mediolanensis ex diuturna podagra succedentibus febribus variis obiit. Erat autem senex. Amorinus Bononiensis ex podagra in leucophlegmatiam nigram (quasi repugnante sensu, sed mos obtinuit) morietur, sed lxxvj. annum agit.

Quæsitum est ob id, an possit transire in distentionem? sic enim per se occidere posse videtur Illustrissimus Cardinalis Rambolletus Gallus, conuulsum seu distentum habet tendinem pollicis pedis, postquam à podagra conualuit: Itaque distendi primum potest cum ossa articuli separata trahunt, hoc enim à Galeno concessum, sed nil etiam prohibet tendi ex materia quæ illum ingressa sit tenui aut vaporosa: hoc, non quantum vellem Galenus animaduertit est enim rarum. Tertium in quo etiam concedamus, non potest tendi ob podagram ex inflammatione.

Deterior itaque podagra quia recurrit: & quoniam dolores illius sunt vehementiores, articularis autem ob febres & quia accessio eius plerunque longior est, & magis nobilia membra infestat.

Signa autem mortis sunt signa vt dictum est transmutationis in leucophlegmatiam: & impotentia motus & adiectio febris indesinentis, & signa communia virtutis imbecillitas, casus appetitus, malus color faciei, cumque accidit distentio aut conuulsio est signum malum, & repentina cessatio magni tumoris cum quadam lenitate, & absque expulsione materiæ vlla est signum regressus ad membrum principale, & maximè si adsit inquies vel delyrium vel vrina cruda. Et cum venter astringitur periculum est de colica: & si superueniat magnus stupor in membro non patiente vel resolutio, est signum apoplexiæ aut paralysis. Et magna grauitas aut vigilia aut dolor capitis vehemens sunt valde mala signa.

Signa autem declinationis sunt vesicæ, tubercula, pustulæ, pruritus quies, cessatio doloris, appetitus, leuitas membri, fluxus ventris, vel vrinæ multitudo: sudor in loco vel in membro patiente sanguinis profluuium, & quandoque febris superueniens soluit podagram. Et hæc atque alia signa, intelligi debent cum vrina bona non aliter.

Si ergo contingat vt iam pranso incumbat accessio, & dolor vehementer infestet, & vigiliæ cum cibo vel cruditate incumbant: ad vomitum nisi quid omnino impediat cogendus est æger: si non succedat, clysteri subluere aluum & molli oportet, tũ inedia exquisita opus est. Cauebis autem à sectione venæ quantum poteris: melius est tamen facere dum homo cibum sumpsit quam in cruditate: & in cibo multum refert si grauis sit & duræ coctionis: si multus, si multum denique nutriat. Velut si quis multa oua dura ederit. Interim sola frigida vtemur locum superfundendo: nam si cibus est in ventriculo non adeo imminet periculum retrocessus materiæ.

Quod si à nullis auxiliis morbus remittatur possumus aquam copiosam in potu dare cũ syrupo nenupharino, id est, de nymphea floribus maximè in calida podagra: aut enim ciet vomitum, aut descendit, aut somnum conciliabit, aut vrinam prouocabit aut fluxionem mitigabit. Quodcunque horum fuit bonum.

Capvt XXXVII.

De reliqua victus propria ratione & an balneum pedum possit conducere podagroso? & quod non datur medium in agendis.

CÆterum vt ad ordinem institutum reuertar: quoniam ab ea ratione victus non parum alienatus eram, restabant vigilia & quædam inquies. His commodum est balneum vt visum est, sed balneum pedum & crurium auocat podagram. Vigiliæ ergo simul ac podagræ occurrere vellemus, sed vnum alteri obstare videtur, vt auocare ac perfundere, repellere & attrahere. Dubitatum ergo merito est, an balneum pedum ex tepida possit saltem non nocere pedibus? cũ enim omnis calor præsertim tepidus auocet ac relaxet, dubium non est quin ad podagram non conducat, quatenus autem ex profundo digerit, prodesse potest: sed tamen non tempus est, sed in exacerbationibus, vel cum consistunt, vel cum declinant. Vnde liquet balnea laborantibus (De tepidis loquor) prodesse posse, non laborantibus autem minimè. Quid ergo faciendum, siquidem à tepida frigida lauemus tuti erimus à noxa, sed perit beneficium postmodum tepidæ ad somnum aut totum aut maiore ex parte. Atque hic tamen modus vnus tutus: voluptas mundities, robur pedum, prouocatio somni sed leuis. Alius

modus

modus eſt vt tepidæ adiiciamus(abſque frigidæ commemoratione) quæ ſomnum prouocant & aſtringunt ſimul: cuiuſmodi ladanum vel iridis, aut liliorum alborum radices aut flores vel ſmilax, vel vitex. Item ruta Camæmelon quoque & parthenium partim quia leniter aſtringunt, partim quia reſoluunt, vtiles ſunt podagræ: ſomnum autem conciliant & manifeſtè, ſed vinum nouum potens aquæ admiſtum roborat particulam ac ſomniferum valde eſt. Sic alia etiam & præcipuè ſtipites quos caudas vocant roborant particulam & ſomno conciliando vtilia ſunt. Pro principibus autem agallochum vel crocus vel ſtyrax vtrunque bonum præſtant, ſimiliter & acetum modicum acre prohibet influxiones, ſomnum non prohibet ob aquæ admiſtionem ſed potius augetur. Ergo de balneo quærendum fuit: cum conſtet nullum eſſe auxilium quod neque iuuet neque obſit, ſed alterum eorum efficere neceſſarium eſt, licet quædam adeo obſcure vt vix percipi eorum operatio poſſit.

Ergo ſi vigiliæ admodum & præter rationem infeſtent non ſunt negligendæ & tum magis vbi cauſam non habent & præcipuè in ſenibus: aut inſaniam aut hydropem aut apoplexiam gignunt. Et quanto magis producuntur eò difficiliores ſunt curatu. Et ſi ſupradicta non ſufficiunt edere poma cocta à cœna, aut cænare ex recocta, & eſt pars quæ in aqua lactis in caſeo relinquitur. Et ſi nec hoc iuuerit caput lauetur ex ſomniferis. Et balnea aſſidua non ſolum pedum ſed totius ſunt tutiora. Vngito loca arteriarum & tempora, & nares, & frontem ex vnguento è floribus populi: & faciem laua ex decocto pulegij. Et ſumma medicamentorum eſt nymphæ flos: Inde ſemina papaueris albi, inde poma & radices mandragoræ: poſt apollinaris ſemen. Demum vltimum quod etiam eſt ſupremum papaueris nigri ſemen & opium. Solanum etiam radicis quæ & halicacabum dicitur cortex cuius ℨj. decoctum in potu datur.

Si verò ex aduerſis triſtitia ſuboriatur, cogita illud ſcenam eſſe hunc mundum, in qua gerulo obuenit habitus regius, quod diu etiam immotus debeat ſe exponere oculis hominum, nec tamen neceſſe ſit quicquam proloqui: contra multis qui genere, opibus, eruditione, forma ſunt præſtantes: aliis habitus lenonis, aliis mercatoris, aliis pædagogi, pluribus etiam ſeruorum & ancillarum obueniunt. Quid ergo inuidebitne quiſquam alter alteri ob hoc? quin fungetur partibus ſuis & potius ridebit, dicetque poſt hanc ſcenicam cænã cænabit gerulus ſuam betam & allia bibetque vappam & edet panem νυτοπύρου imò forſan τιοτυριον aut milaceum aut hordeaceum: veſtem laceram & obſoletam induet, contemnetur in his ludis ab omnibus. Ego verò mihi conſcius tot rerum gratulabor, & inter mei æquales ſodales cum gratulatione excipiar. Quis tam inſanus eſt qui gerulo eam conditionem diariam & mutuo acceptam inuideat doleat aliorum, aut aſpernetur? hæc cum tecum cogitaueris quæ ad vnguem ſimillima ſunt huiuſmodi vitæ lætus omnino viues. Imò hæc vita minus ſecura eſt quandoquidem à Deo nemo poteſt dieculam certam imperare quam ſcenæ domini ſpondent gerulo: dicebat enim Flaccus.

Quis ſcit an adiiciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Dij ſuperi?

At ſi mæror ſpontaneus ſit, vtaris ruta, boragine, ozimo, denique croco atque eouſque vt mãdragora atque halicacabo & pulegio atque origano, tum ellebori nigri germinibus in ſaccharo borraginato conditis. Si ad iram pronior ſis quam deceat ob modeſtias ob euentus ſiniſtros, balneis vtaris & rapis ac carne agnina purgare bilem flauam ſæpe cum lupulis & fumaria. Vtere ſaccharo violaceo, abſtine à multo vino, & etiam pauco ſed potenti, ab omnibus acribus.

Studiorum autem horam cum exercitio & deambulatione commiſceo, aut cum aliud ago ſed non homine dignum, vt edere, veſtiri, ſedere ad exonerandam aluum, tum maximè cum lector non deſit: ita per anagnoſtas etiam ſcribere licebit ſeu amanuenſes. Poſt opera neceſſaria ad ſalutem proxima ſit ſtudiorum, neceſſe eſt aliquid perire ei qui vult multa ſeruare, contra volenti omnia ſeruare neceſſe eſt, vt magna & meliora intercidant, hæc enim eſt humana conditio.

Cum autem ſero nimis comederem, auidius tranſglutiebam, & plura quam conſueuiſſem deuorarem, & minus temporis ad cænam intercedebat. Quid plura? conuerſo ordine omnia fiebant, ſi tamen ſolo pane eoque leuiſſimo vtaris ſine potu vel omnino pura aqua ritè peragetur. Sunt autem quidam panes leuiſſimi ſacrarum Virginum, quorum vel maxima ſumma non replebit, multo minus onerabit. Minus etiam nebulæ ſed hæ vicem panis non obtinent, parata igitur hæc habeas: ſi non tenuiſſimè panem in offas diuidas, & in aqua infunde, & vbi intumuerint ede: maius enim occupabunt ſpacium, & parum naturam onerabunt, nec multum nutrient.

Quod ſi à cibo exerceri cogerer aut noctari carpento aut mula gradaria, vel nihil aut non antea cœnabam, quam ſomnus crapulam diſcuſſiſſet. Et demum memineris quod cœna leuis & ex ſimplici pane cuique crapulæ niſi immoderata ſit vel etiam intempeſtiuè à cibo deambulationi ſubſtitui poteſt, concoquitur enim in præcordiis.

Capvt XXXVIII.

Quinam sint morbi qui quasi conducunt vitæ diuturnitati : Et quare in malo regimine multi non periclitentur. Eadem quæstio de sanis, & etiam dum podagra laborant & quid eis accidat, & an melius sit à prandio pedibus ire, an equitare? Et de causis morborum peracutorum. An sectio venæ conueniat in aere malo ad custodiam? Et quibus sit necessaria. Puluis noster ad hæc purgans. Quantum prosit longa peregrinatio. De sanguinis partibus in sectione venæ.

CÆterum multis videbor forsan obliuiosus, qui quod quæsierim antea iterum quæram scilicet, an deambulatio sit equitatione salubrior. Id licet facere in rebus dubiis atque vtilibus: difficillimis verò ac vtilissimis præstat. Et vt breui agam vbi pedes conualuerint, & vbi ventriculus sit imbecillis & exercitatio non ad lassitudinem, melior est quæ pedibus deambulando fit. Vbi verò contraria equitatio est præferenda. Vbi autem mistæ sint contrariæ indicationes, vt quæque præualuerint non numero quidem cum sint tres tantum, sed magnitudine. Vna enim duabus præferri poterit, quo in casu forsan adeò æqualis videri poterunt vt neutra conducat, tum maximè cum aer malus flauerit. Et eo magis sic venti praui flauerint, tunc enim carpento opus est & concluso. Cacochymia verò imò etiam plenitudo equitatione longa melius discutiuntur aut si vtrumque adsit, nam paulatim tuto absumitur quod simul tollere periculosum esset, maximè si moderato victu vtatur, forsan & melius nauigatione, si vomitus præcipuè facilis sit, ob id multi ac multi ex longis peregrinationibus ex malo habitu susceptis, cum bono in patriam redierunt. Similiter & alias quæsitũ quinam morbi (& præcipuè de podagra) vitam producant, & cur? Eiusmodi sunt fistulæ hæmorrhoides, podagra scilicet, pruritus diarrhææ per circuitus fluxus sanguinis narium : dolor capitis, vomitus per circuitus, aut à repletione. Vrinæ etiam fluxus per interualla: Tubercula, glandulæ, insania tumor lienis. Causæ in singulis quæ dictæ sunt in podagra idem de arthritide, nam hoc vt dixi Galenus insinuare videtur. Ergo hoc parum mirum est, id enim in continentibus prodest, quando natura omnia excrementa detrudit ad locum illum, sed mirum illud quonam pacto cum corrupti fuerint eo morbo non pereant. Quin imò Romæ cum multi & nobiles ex peracutis morbis pereant alij in tertia die, alij in quarta vel etiam citius paucissimis: tamen ex purpuratis id accidat cum primum & inquilini sint plerique eorum, nec Ciues Romani vel Romæ oriundi : suntque plerique ex his senes, & curis multis obnoxij, malaque victus ratione vtantur : non enim exercentur, & cibis qui molles sunt dico vinis potentibus vtuntur. Quænam ergo causa est, quòd corripiantur his peracutis morbis, vt plerique in aliis? In his considerate ergo oportet in quibus vita eorum à cæterorum habitatorum vita differatur. Et sanè primùm quòd plerique laborant podagra, aut morbo vt dixi aliquo per interualla recurrente : qui si non sit in membris principalibus aut vitæ necessariis, vt dixi, multis modis iuuat ad vitam producendam, Voco membra vitæ necessaria Ventriculum pulmones, renes & vesicam. In his enim si morbi fiunt vitam breuem reddunt, Et renes quidem ac vesica ob continuum defluxum tantæ materiæ per loca angusta, nam intestina lata sunt & longè latiora quam callum vesicæ, & virgæ. Seminis autem effusio non tanta est, vt possit ad magnum detrimentum hominem deducere. Vanum quoque excrementum non multum est, & aliunde effluxum patentem habet. Secunda causa est quoniam carpento vehuntur id multum iuuat ad iniuriam aeris euitandam, maxime quod clauduntur in eis. Ita & à ventis solibus atque aliis causis noxiis tuti sunt. Similiter & in cubiculis conclusis ac mundis iacent : igne præsenti aut propè vtuntur. Mensibus æstiuis & caniculæ maximè & vsque ad tempus quo sol exit scorpij signum, cum antea pestilentes morbi sæuiant à Roma absunt, & in aere libero atque ruri degunt. A Veneris vsu non enertuantur quod plurimum prodest in huiusmodi casibus. Vtuntur præterea delectu ciborum singulari, & frequentibus purgationibus, & certa viuendi ratione. Sed & commodis omnibus vitam munitam habent. Et quod plurimum facit ad bonam valetudinem & longæuam vitam vacuum timore animum habent. Quin etiam pluribus ex his fontes sunt in cruribus, sed maximè in brachiis vt naturales & non perpensi salutares maximè sunt homini, & propè centesimum annum homines nisi aliquid sinistri eueniat perducere solent, ita vi facti & perpetui in genere problematis neutri reponi possunt.

At vt ad propositum redeam, quæri merito debet cur Romæ morbi adeò acuti contingant? Dicebat Galenus *Quarta Aphorismorũ* super illo Aphorismo *(Febres quæcunq; non intermitẽtes)* quod morbi lethales euadũt vel quia pestiferis, vel quoniam inflãmationes secum viscerum coniunctas habent: sed non quæuis inflammationes in visceribus, peracutos morbos adeo gignunt, sed duntaxat in cerebri substantia aut pericardio, aliquæ etiam in pulmone, sed omnium acutissimæ si in corde incipiant, Velut anginæ in larynge : vel in ore ventriculi. Verùm in ventriculo & iecore & Ileo peracutos simpliciter, non autem perperacutos quales vt dixi hi. De pestiferis verò intelligit, cum putredo putredini quasi fermentata superuenit, & hoc accidit quoniam hic aer calidus est & humidus valde, & impurus & clausus, ac vehementi impetu ventis agitatus. Cùm ergo influxiones in his locis acciderint ex humore afflato ac putrido,

trido,maximè mordaci,maximè perimũt. Vt autem hæc vel illa eueniant,cauendum est ab acribus omnibus ita vehementi,à frigore exercitato ab oleribus paucis & leguminibus, fungis ac semiputridis rebus & præcipuè à vino potenti : tum venere importuna , & quibusdam fructibus , pepones ac melopepones , tum præcipuè cum quis & vinum multum superbiberit, aut carnem multam comederit, aut plurimum se exercuerit. Aër & nocturnus & vespertinus supercalefacto corpore, præsertim sudore capitis assedente. Et scias quod dolor capitis præcipuè emigranea non est è genere peracutorum morborum, imo nec simpliciter acutorum nisi in quibusdam constitutionibus, quæ vagantur ob aeris intemperiem,tunc enim tales fieri contingit.

Magnum etiam est id , quod quidam etiam podagra ægrotent,non tamen ex mala victus ratione periclitantur , id verò accidit quoniam quo magis delinquant , eò magis morbovsque ad certã metam prægrauantur, inde ex illo debilitatis articulis recipiũt omnia incómoda.Tophis igitur genitis & sensu pereunte , putrescit quantumcunque materia aduenerit , & exit quidquid accesserit celeriter saniei instar, & ita morbum absque magno incommodo ferunt. Ita postquam occaluerit hic morbus,satis commodè errores quoscumque magisque à principio ægri ferunt.

At vt ad noxam aëris praui redeam , quidam sibi vtile plurimum venæ sectionem putant, quod ego non probo multis ex causis , nam dum mutatur aër & patria etiam, præter id ratio victus cum ad malum sint ex supposito , quærendum est vt robustius efficiamus corpus , vt non patiatur ab aëre aut quam parũ. Id fiet si sanguinem non detraxerimus,detractio n. minuit vires. Accedit quod vt dictum est natura non fert plures simul repentinas mutationes : quare cum iam sit mutatio aëris & victus si sanguinem miserimus fient tres , vt pauci ferre possint. Rursus vel sanguis erit bonus & paucus , & tunc extrahemus bonum sanguinem , & malos humores in corpore relinquemus: aut malus & paucus & ita fermè occidemus ægrum debilitando ipsum : aut erit multus & bonus, & tunc non debet detrahi nisi in magno morbo , vt in *Quarto de victu in acutis.Tex.* 19. Quod si non ad est morbus, vel si sit immoderantia multitudinis, tunc dicit Galenus debet minui aliis modis inedia , balneo , frictionibus , *libro de venæ sectione. cap.* 10. Quod si sit multus ac malus, vt ex eo immineant morbi,tum quidem melius erit ipsum corrigere medicamentis , frictionibus , inunctionibus , vt ibidem docet *cap 6.* At si dicas modo etiam quod plenitudinis signa non adsint , debemus mittere sanguinem , vel ob periculum morbi imminentis : vel fluxionum quæ solent mitti ad renes aut pulmones aut lienem tanquam laxiores partes , & vt aliàs dixi ex eodem articulo. Quanquam hoc ibi non recensuerit quòd natura non sint laxi,sed in quibusdam vel ob nimias ac validas exercitationes , vel ob propriam illius corporis prauam structuram ; Respondeo quod in hac quæstione nunc tractatur de regionis mutatione , non de paratis ad morbos. Satis enim est quod nõ debet mitti ea ratione , sed potius non mitti aut minus quam si esset in propria patria. Sed quoniam plebeiis in vsu est sectio venæ , considerandum est si conueniant ? Et si conuenit quibus ? nam in ipsis tum ob imperitiam tum inopiam , tum ob frequentes occasiones , contrarias , recta victus ratio seruari non potest , ideò ad meatuum qui sunt in cute impedimentum & obstructionem , & ad lassitudinem & ephemeras deuenire necesse est, nec possunt ferre inediam. Vnde ad febres putridas & continentes sunt parati , quorum causa est & maximè cum prægrauantur mittere sanguinem expedit , scientes tamen non esse hoc tam salutare quam necessarium auxilium , nam neque adeo sanguis pinguis & densus, qualis ab initio fuit, esse potest: & membra principalia , & ventriculum & sensus præsertim oculos imbecilliores huiusmodi detractio reddit , & naturam huic auxilio obnoxiam , vt nisi postea repetatur non possit quiescere. Et si repetatur ad maximam debilitatem deuenire necesse sit ; vt sint tremuli mali habitus , luscιosi , & ante senectam decrepiti. Inditio tamen est fore hoc auxilium necessarium , quod plerisque misso sanguine pars superior flaua aut alba vel cærulea , aliis fusca,aut viridis aut liuida seu plumbea , quibusdam varia. Et plerique affirmant albam esse pituitam supernatantem , sicut flauam bilem , videntque verisimile aliquid dicere ob ea , quàm authores de coloribus humorum scripsere. Nos autem diximus hos colores esse non humorum sed sanguinis corrupti , & putrescere incipientis , nam cum tribus tantum coloribus albo & flauo & nigro humores tribuere possint,colores autem qui in sanguine conspiciuntur sint plus quam decem , reliquos septem quibus tribuemus. Præterea pituita non insidet sanguini,sed est illi permista per totum ; hæc autem pars alba superinsidet sanguini , vt etiam quandoque nigra quæ si esset humor naturalis in imo deberet apparere : nec albedo illa quæ in pituita nostra est , eiusmodi est vt cerusæ & qualis cernitur frequenter in summa sanguinis parte , sed velut etiam de albedine hypostasis , quæ non est alba sed subaurei coloris,& si alba sit profecto non sanum est id corpus : multo minus in febribus sanitatem pollicetur : ita albedo pituitæ est vt muci. Et si modo candidior sit cum splendore est,qui in illa superficie sanguinis nunquam cernitur:imò est opaca & si esset humoris naturalis quantò esset candidior eò melius se haberet æger:ac totum contrarium nam tales colores omnes (dico præter rubrum) in malè affectis & iam ægrotantibus apparent; aut his qui paulò pòst ægrotaturi sunt. Et certe in illis qui praua non optima victus ratione vsi sunt. Neque possunt colores alij esse in sanguine non corrupto præter rubrum , nam sic natura essent separati aut naturaliter misti quare necessario etiam in optimè se habentibus.

 Illud

Illud præterea non omittendum duxi, vt admonerem cum sint in corpore nostro septem liquidorum genera, quatuor humorum latitudinem, cum sint quasi termini solam esse perexiguam, at crudi humoris atque exusti, ac ichoris permagnam & amplam, siquidem crudus est à cibi natura ad pituitæ generationem. Exusti à bile flaua vsque ad nigrum, vbi rubra viridis cærulea rubiginosa fusca liuida vsque ad atram. Ichores ab aquæ colore vsque ad nigrum tum verò etiã pro humorum tam naturalium quam præternaturalium vanitate, horum igitur trium latitudo centuplo maior est quam quatuor humorum. Et ob id tot admiranda in his solis apparent.

CAPVT. XXXIX.

Quod podagra non est morbus neque per essentiam neque per consensum, Et de primis generibus morborum longa disceptatio. Podagra non fit à ventriculo, Et de exemplo palpitationis cordis.

PORrò quod magis mirum videri debet, podagra non dicetur morbus per essentiam in articulis cum pendeat ita ex materia quæ aliunde aduenit, vt si eam auferas planè conualiturus sit. Sed neque dicetur per consensum. In consensu enim necesse est membrum ex cuius cõsensu ægrotat, aut ægrotare, aut saltem symptomate prauo affici: sic dicimus ex nerui punctione conuulsionem accidere in cerebro & in aliis neruis. Et si cor palpitet ob difficultatem spirandi, erit palpitatio cordis per consensum pectoris ipsius aut pulmonis; at podagræ membrum quod humorem suppeditat, vt aliàs dixi plerunque est iecur, sed fac vt ex cerebro adueniat omnino, dicetur podagra morbus secundarius, idest cuius materia ex alio loco transmittitur. Et cum in podagra luxatur articulus aut thopus generetur, iam tunc non est propriè podagra sed ex podagra. Et tum est morbus per essentiam in articulo, ita nunquam podagra dicetur morbus per essentiam neque per consensum neque in articulo, nec in alio membro. Intemperies enim quæ est in iecore vel cerebro, non potest vllo modo appellari podagra. Neque à ventriculo (licet fastidium cibi præcedere soleat) vnquam fit podagra, nam potest materia transire ad articulos nisi per iecur si à ventriculo procedat. Ergo tunc concoquetur aliquo modo in iecore, & dicetur à iecore procedere. Licet imbecillitas ventriculi possit tamen dici & merito causa podagræ. Ergo eiusmodi quæstiones solum de nomine sunt, quas tamen tam vtile est nouisse vt etiam sit necessarium, nam rectè feceris tum si ventriculo non iecori auxilia adhibueris. Raro tamen contingit vt nihil delinquente iecore fiat podagra ex sola ventriculi imbecillitate.

Morbus ergo qui ex podagra contingit, cum articulus laxatur in compositione est, sed & podagra in compositione, sed non eodem modo: nam qui est in cauitate sanari potest: qui autem in substantia ipsa membri aut vtrumque omnino sanatur aut difficillimè. Potest autem esse in numero, & si auctus plerumque curari potest si diminutus nequaquam. In situ: extra membrorum sanabilis est plurimum: interiorum nequaquam: præterquam in intestinis vt in enterocele, non tamen neque in his semper quandoque & ita circumuoluuntur, vt nulla cura sit, interficitque velociter: nisi casu quodam absciso abdomine summo periculo per manus auxilium curaretur. In figura quoque raro aut nunquam. In magnitudine quæ cum putredine sunt dum ad vlcera proueniant sanari nonnumquam possunt. Estque tantum spei quantum periculi. Vbi enim nullum periculum ibi nulla spes: putredo enim & mortis periculum ostendit, & spem sanationis perfectæ si conualuerit, sed in obstructionibus atque similibus non est verè morbus in compositione, quoniam non est propriè in ipsa membri substantia.

Ergo vt ad exemplum redeam, quidam in palpitationem cordis ex nimia & frequenti Venere incidit: palam est quod multis in ipso concubitu cor palpitat: atque his ob concussionem, sed nondum demonstratum est quomodo fiat palpitatio: hoc enim ex sensu symptoma est vnum: causæ verò penè innumerabiles, fit enim & in sanis præcipuè à timore & cursu, fit in ægris à ventriculo affecto in febribus malignis, in magna sanguinis effusione, præcisis præcipue venis magnis, ante vomitum isque ad ventriculum pertinere videtur, sicut & quiuis humor circa illius os maximè corruptus aut vitreus aut bili acri natura affinis à dolore vehementi, ab obstructione circa & iuxta cor, à difficultate spirandi, à repletione quauis immodica humorum, sic & ex vtero, & etiam in viris ex seminis retentione & ex quauis maxima noxa cerebri vel iecoris ob consensum membrorum principalium, & etiam pulmonis, ob propinquitatem & officium, & in magnis morbis repentinis quæ sunt cum motu vt comitiali & conuulsione ferè semper: & potu venenorum: à morsu serpentum à flatu, ab aqua vel alio humore in pericardio in veneris actibus, & à veneris superfluo vsu: à vermibus ab incerta causa: incumbente morte ab omnibus cordis intẽperiebus præsertim calidis & frigidis, à somno etiam in sanis ab insomniis terribilibus, à melancholico humore. Denique ab omni causa maligna quæ interimere possit. Oportet igitur vnam esse causam tremoris cordis, in qua hæ omnes conueniant. Atque vtinam Galenus qui ardua quæque attingit, hoc ipsum quod minus difficile videtur non prætermisisset. Sed omittamus maledicere iniustè de eo, cum neque nos eam animaduerterimus, nisi ea ætate quę maior triẽnio est obitu eius. Igitur cum cor duos habeat sensus, vnũ naturalem quo cum iecore communicat, alterum animalem

nimalem quo cum cerebro, vtroque sensu quendam obtinet appetitus & odij ac timoris quo est absentis sensus: ob consensum enim vtriusque facultatis in vnũ cognoscit noxia & iucunda: & delectatur & tristatur, & timet & optat, cumque perpetuo motu præditus sit, illum timorem motu suo ostendit, cupiens si posset illum vbi est aufugere, propterea palpitas velut vir à satellitibus deprehensus aut à latronibus. Hæc sunt satis manifesta, sed nondum liquet qualis sit hic motus, quo quasi fugam meditatur & aggreditur. Quis ergo timet & fugam aggreditur, nec potest à loco separari congeminat ictus, vt celeriter se proripiat tres aut quatuor ictus pro vno edens. Vnde in tremore cordis videtur cor exilire, & si virtus valida sit attollit se quantum potest: sed si perseueret debilitata facultate, fit eo frequentior, quo minus attollitur, atque ita perducit ad syncopim, & si vltra etiam ad mortem. Magnum præterea ob id mortis timorem incutit hoc symptoma sensu animali naturalem sequente. Vnde in magnis euacuationibus, & præsertim lethalibus palpitatio cordis aduenit dum cor sentit se spiritu vitali vltra quam ferat exinaniri: sed merito dubitabis quoniam in cursu tremit cor, in quo non est timor neque naturalis neque animalis, in febre ardente non tremit in qua est maior calor & nocentior; aut saltem erit similis palpitatio pulsui febrili? Dico quod tremor qui aduenit post cursum, fit ob timorem suffocationis. Vnde his qui suspenduntur palpitatio cordis omnibus aduenit, sed causa cur differat palpitatio à cordis motu in febre & similitudine à pulsu cum quasi pulsus exilire videatur, non ita cor est quia cor amplum est, & ideò plus potest quam arteria dilatari, ideò non in omnibus cor est quietum. Et etiam quia vt cor exilire videatur necesse est vt accedat causa qua se concutiat cum sit substantiæ valde duræ, arteria autem tenera & mollis. Et hoc etiã dixit Galenus. Tertia dubitatio quoniam si ex timore fieret maximè vexaret mulieres & timidos, cum tamen magis appareat in fortibus viris tum sanguineis tum nigris & melancholicis. Ergo pro solutione horum dubiorum accipere oportet quædam partim præmissa atque à nobis nuper declarata, scilicet quod palpitatio cordis est illi tantum propria, quoniam solum corsensum habet quendam quasi mistum ex naturali & animali, vt sentiat naturales affectus quasi cognoscendo, & quæ sensui subiecta sunt quasi naturali facultate. Vnde etiam ob id præsagire ventura ei contingit solumque ipsum perpetuo motu mouetur. Alterum est quod & sensu manifestum est & à Galeno acceptum scilicet quod motus cordis & pulsus sunt æquales tempore, motus autem pectoris, semper rarior vtrisque, & quasi inter duplam sexquialteram atque triplam portionem. Quibus constitutis etiã adiiciendam puto dubitationem de palpitatione per essentiam in corde vt per hæc perfecta dissolutio quæsitorum omnium haberi possit. Igitur cum constet pulsum & cordis motum esse similia in magnitudine atque frequentia: non est autem motus cordis in palpitatione similis motui cordis, in febribus etiam vehementissimis necesse est pulsum arteriarũ & dissimilem esse in febre palpitationi vel cordis: motui verò arteriarũ in cordis palpitatione manifestè esse dissimilem, aut obscurè saltem: aut arteriarum motũ non prorsus esse similem motui cordis in palpitatione. Quæritur igitur merito an præter celeritatem magnitudinem & frequentiã in palpitatione sic aliquid in corde seu arteriis præter eximiam magnitudinem ac celeritatem & frequentiam, scilicet an palpitationis motus tam in corde quam arteriis differat à motu in febre sola magnitudine differẽtiarũ, an aliquare quę sit alia spetie? & hoc excepta cognitione illa & sensu eo animali de quo dictum est seu timore? Et rursus an in palpitatione cordis sit aliquid quod non transferatur ad pulsum: aut si transferatur cognosci non possit. Accipere autem oportet præter iam ea quæ dicta sunt duo: primum quod motum palpitationis cordis non solum patiens sed quiuis qui tangit regionem cordis cognoscit. Alterum quod palpitatio cordis est via ad syncopim & habet easdem causas & distinguitur eisdem differentiis quibus syncopis, & iuuatur eisdem auxiliis. Difficultas quoque de morbo per essentiam in corde, qui sit causa tremoris eius est magna; nam si tum posse esse negauerimus statim occurret illud, cur ergo aliqui ex quauis causa in palpitationem & quasi assiduam incidunt, vt Franciscus Gadius sacerdos primarius ordinis B. Augustini, qui fermè perpetuam palpitationem cordis patiebatur quasi indicem infelicis exitus? Et ob id sed non satis rectè in hoc etiam fieri ex nimio sensu cordis dicit Princeps sed non omnis, quæ enim sequitur ad nimiam euacuationem & ad immodicum vsum venereorum, & est frequens, non prouenit ex nimio sensu.

Quod si concedas quærimus merito quo sedari poterit vnquam vt non rectà deducat hominem ad mortem. Propterea primũ accipiemus quod est clarum scilicet eam palpitationem quæ per se sedatur (cum omnis morbus à contrario sedetur) bifariam & vno modo fieri seu sedari: vno modo vt causa tollatur cesset, sed hoc vt dixi bifariam contingere potest: vel ex ipso symptomate cordis ex quo vrgetur caliditas, & tunc proueniet palpitatio; vel à leui frigiditate cordis, vel à materia aquea tenui, vel à flatu, vel contingat casu, & hoc iterum bifariam: vel quia sponte cesset vt vapor aliquis aut vis veneni quæ fricatur, aut vermis qui descenderit vel interierit: vel natura & vi cordis irritata quæ propulsauerit morbum. Propterea bene dixit Princeps: Et multoties excitatur tremor cordis deinde expellitur aliquid infra à dextra vel à sinistra & tremor cordis sedatur. Dico ergo quod quando causa est valida, tunc non est necessariũ vt sit morbus per essentiam in corde: si autem imbecillis erit per essentiam præcipuè ex illius imbecillitate ob quam & paucitatem spirituum sibi timet: Et hoc

contin

cõtingit præcipuè à magnis euacuationibus ſãguinis & à multitudine vſus venerei. Vnde in eiuſmodi nihil melius venenatione mediocri refrigeratione renum : vſu carnis accipitrum: vſu margaritarum in magna copia cum abſtinentia à coitu. Et vt comedat corda luporum iuuenum, & comedat etiam cor Taurorum & ſanguinẽ illius. Et ſuperponat cordi coralios rubros in pollinem tenuiſſimum redactos cum quadrageſima parte croci orientalis.

Et ſi quis dicat quomodo quod eſt per eſſentiam in corde poteſt curari? reſpondeo quod quæuis minima noxa in corde parere poteſt magnum morbum, & ita morbus erit ſatis difficilior quam cura contrario modo, quo quartana & podagra. Et ſi dicas à quo curabitur cùm principale ęgrotet? Reſpõdeo quod à partibus ſanis quæ ſunt in eo, quia totum non ægrotat neque iuxta qualitatem neque iuxta quantitatem.

Ad obiecta primum dico quod etiam mulieribus & leuibus ex cauſis, ſed in viris ſenibus ratio & vſus ſuperat naturam: ideò non redduntur timidi : tamen atra illa bilis eſt adeò potens & malus humor vt cogat cor timere naturali affectu vincente: Et ideò etiam tales facile conuerſa materia ad cerebrum in inſaniam deueniunt. In ſanguineis autem vt iam dixi ob metum ſuffocationis. Ad ſecundum dico quod eſt aliquid diſſimile præter ſenſum illum quaſi animalem, & maiorem magnitudinem celeritatem & frequentiam ; Scilicet motum...... quinimo quibuſdam deſcendere, in profundumque mergi videtur. Et quamuis minimo interuallo moueatur, tamen quæuis minima differentia in corde magnã perturbationem afferre ſolet. Vnde patet ſolutio tertij non talis motus, cum arteria non ſit loco mobilis ad eam non transfertur, aut ſi natura transfertur eſt adeò obſcurus, vt vix percipi poteſt & huic reſpondet experimentum. In hanc ſententiam facit quod de media palpitatione in repletis valde accidere ſæpe videmus: maximè cum ventriculus imbecillis eſt : nam palpitatio quædam non obſcura cernitur conſenſu ventriculi. Et tum pulſus arteriarum Galeno teſte *3. de cauſis pul.c. 16.* ſunt inæquales & ordinati, celerioréſque quam crebri. Multò magis exiſtimandum eſt conſentire arterias in omni cordis affectu, cum ventriculo non conſentiant niſi per cor ipſum. Curatio autem generalis eſt cauſæ ablatio vt podagrę reditus. Concludo ergo quod ex cauſa & his quæ dicta ſunt morbus intelligi poteſt. Tum ex cura, Iuxta illud Hippocratis. *2. Aph. 16.* Oſtendit autem ſanatio ſed hoc poſt.

Capvt XL.

Quod medicina non eſt minima ex parte tradita, Et cur?

His igitur conſtat, cum in eis quæ ſunt manifeſtiſſima nihil penè boni ſcriptum habeamus, quantò minus in aliis quas ſenſus non oſtendit. Cauſa eſt quoniam medici ſunt impediti, & non poſſunt inuenire principia vt debent, ſed qui inuenerũt cum parũ eſſent in Philoſophia parati, & in Dialectica exercitati, non poterũt aſſequi quæ neceſſaria erant in arte. Galenus autem *9. de ſimpl. medic. iuxta finem c. de Chalcan. in principio*, cum multa amplexus ſit, & nimis ſtudioſus fuerit gloriæ nec admodum ſenex vixerit, & xx. perpetuis annis peregrinatus ſit, ac facundiæ magis quam rebus ſtuduerit plures optimas occaſiones amplificandæ medicinæ amiſit, aliqua etiam iam benè inuenta peruertit. Quia tamen optimus fuit chirurgus, facundus ſermone, medicamentorum exquiſitiſſimus, tum virium illorum explorator. Promptus ingenio Iudicij, in medendo incomparabilis, & methodum haberet facillimã tradendæ artis : ita in illo acquieuerunt maximè in ea penuria librorum, vt ſatis vnuſquiſque duxerit probare quæ Galenus tradiderit, intelligere quæ tractauerit : ita in quibuſdam tractatio defuit inter quæ Nobiliſſima De Dentibus, De podagra & palpitatione cordis. Cætera non ita quod Hippocrates iam antea attigiſſet.

Capvt XLI.

Reiectio opinionis quod remedia quædam ſingularia valde aut in omni podagra. Quorundam ex illis commemoratio.

Contendere ergo auſim neque intellectam podagræ rationem, neque traditam, quin etiam quod traditum eſt prauè & perperam ſcriptum : cum enim ſint tria illius genera, natura diuerſa neque in his ſpecies adeò contrariæ, tempora membrorum alia atque alia : inde tot aduentitia, quî fieri poteſt, vt quemadmodum dici ſolet vno callopedio omnes calceare nitantur? ſũt regiones, ſunt anni tempora, ſexus varij atque ætates, viuendi conſuetudines habitus, corporum compoſitiones, ritus & leges officia, conditiones hominum, artes proprietates, non ſolum corporum ſed & verum quibus opus habemus. Meminiſſe tamen decet quomodo quæ maximè ſunt in pleriſque ſalutaria, in pauciſſimis aut nullis noxia, qualia ſunt hæc.

Accipe anguillam quadrilibrem pondere, ſaltem non minorem, nuper captam & validam, eam lardo totam transfige vt pulli ſolent, & in veru aſſato collige adipem, inde adde in libram ſemis adipis ℈. Zibeti, & ſerua & vnge. Aliud incipiente podagra in lib. x. aquæ, adde aceti acerrimi ℔. v. furfuris triticei ℔. ij. coque donec redigantur in emplaſtri formam & crus ſupra circundato: inde ſuper locum circumligato corticem medicem attagenis, aut radicem rauunculi maioris contuſam, quæ eſt magnitudinis oleæ breuis, aut potius fructus ceraſi, & loca vicina leuiter ferro pertundito.

Aliud

Aliud accipe ranas magnas centum aquaticas, & totidem terrestres, & vocantur rubetæ. Elice oleum vel coquendo in oleo in duplici vase donec dissoluantur, aut destillando quod maius est abiecta aqua & oleo collecto: aut vt ponantur in olla noua pasta circundata, eáque indita in aliam funde, pertuso crebris foraminibus, vt etiam quæ subiicitur ita circundata sit pasta, sic colliges duo olea quibus mistis pro opportunitate vtaris, nam vbi calidior est materia plus adiicias ex ranis lacustibus: Vbi dolor est sæuior ex rubetis.

Ex Plinio autem desumpta & optima sunt hæc, & non negligenda. Radix cucumeris anguini cum aceto tusa: frigidæ ius rupi feruens. His quæ sine tumore sunt radix hibisci quæ etiam ossibus fractis medetur: semen papaueris cum lacte muliebri commune est. Radix Hippemarathri duplici emolumento est sedando dolores, & molliendo articulos: Radices quoque purpurearum violarum: Vrtica multis modis & natura, & trahendo,& in pruritum vertendo per se & cum aceto: herba vel radix quæ adeò non vrit, sed magis trahit, & concoquit. Tritici aceruí impositis pedibus. Sex Pomponium sanarunt à dolore, propriè, & in calida palustris lens, sed & cruda amurca. Fici quoque lacteus succus, & maximè caprifici: & etiam vrendo prodest, sambuci quoque caulici, cruda maiorem habent vim, cocta celerius agunt. Ari folia recentia vel sicca cum sale. Podagris antiquis veratrum nigrum, tum etiam ad purgandum exhibitum. Fucus marinus lactucæ similis, & morbo & articulis conuenit. Androsaces non solum illita sed in potu data. Bryos quoque & ipsa lactucæ similis in calida vtilissima aliis non adeò:lac etiam muliebre per se & sãguis menstruus, sed diuersa ratione hic arefaciendo, & extenuando illud leniendo. Sal & sol optima sunt quæ pluribus modis exhibita iuuant, & quæ per plures partes.

CAPVT XLII.

De causis compendiosioris viæ ad felicitatem, & commodis.

PORrò cum omnium quæ quæruntur vnus sit finis: scilicet vita optima: quæ & longissima, & felix: frustra quærimus plura si per pauciora haberi possit. Ergo quibus modis haberi possit primò quærendum: Secundo vt caueamus ab his quibus impediri potest. Maximè autem homo ab homine impeditur. Partes autem beatæ vitæ, aliæ quidem sunt prorsus in potestate nostra, vt animus compositus prudentia & sapientia: aliæ proximæ his quæ sunt in nostra potestate vt sanitas, & pro ætate bonus habitus & robur. Et ideò ad medicum de his ambobus, & considerare, & tractare spectat. Quod verò non est in potestate nostra nisi etiam fortuna aspiret est seruitus nostra nostrorumque. Plurimum autem facit delectus loci quem habitare proposuisti: indicat autem te rectè elegisse si non mutata forma dominationis nihil passus sis ex publico incommodi, quod magis contingere solet sub imo principe, nam in Repub. contingit permutari formam dominationis subditis non animaduertentibus. Quòd ad propria attinet plurimum prodest qui malo habitu sunt, ideoque senibus omnibus aut fermè cibus (& cum dico cibum intelligo etiam si necesse videtur potum) qui vires retineat medicas. Velut in aëre pestilenti rutæ cum sale ficubus ac nucibus etiã in vigilia recoctæ solius,sed mollis ac dulcis, cum pulegio, & origano: præsertim quòd vtrunque euacuat etiam bilem, & ventriculo confert, & aluum mollit ac flatus discutit, & peculiariter pulegium vires vitales confirmat & renes ac vesicam purgat. Propterea, & ad aëris iniuriam compescendam vitare crepuscula, & magis Romæ etiam vespertinum, concluso vti cubiculo & ignem semper habere accensum:cauere cum flat marinus vetus, gossypio obturare aures.Carpentum præterea valde commodum est ad hæc tum etiam ad laborem euitandum, & multa commoda affert sed sumptu non paruo eget. Propterea munere profitendi opus esset: quo promerito stipendio pateret via ad tranquillam vitam: aut conditione Principis aut sacerdotio. Hæc autem non nostra sunt, neque tota, sed maiore ex parte in fortunæ arbitrio. Quod autem nostrum est lætari: ad hoc facit ozimum melissa crocus qui etiam conciliat somnum, & ventriculum corroborat.Non fatigari non exerceri vltra metam: sed multo magis ab exercitatione non refrigerari: ad quod facit ignis, & vestis pellicea grauis tutior, & melior, lauare item pedes & crura cum tepida & calida etiam: hæc fluxionibus ne fiant opitulantur: simul & deuitare cruditates, & cibus multi alimenti. Itemque purgare corpus sæpe & cum his quæ primis tantum ex venis exinaniunt, velut in iuuenibus & humidioribus corporibus catapotiis ex aloe loto cum succo rosarum vel rutæ,aut puluerem è rosis cum cibis sumere.

Quòd ad animi tranquillitatem attinet cogitare debemus primum quid res: scena vt supra dictum est in qua quisque reputet breuem & inconstantem eius fortunam. Secundum quid nobis vita longa, soboles honores, plures habiti nomen magnum, libri CCC.xxxviij.superstites,conscientia tot arcanorum: vita innocens: sumptus, vitæ meorum etiam sufficiens. Tertia fortuna similium deterior etiam. Hippocrates capite damnatus amissis bonis in exilio apud Barbaros mortuus. Aristoteles & ipse exul periit. Oribasius, amisit bona quæ non recuperauit, licet à proscriptione in Pontum qua nulla deterior redierit.Galenus Paulus& Hasẽ, qui & Auicenna ab aliquibus vocatur minores nostræ ætate mortui, cũ totam vitã peregrinando consumpsissent. Themistius hæreticus iure damnatus est.Hæc si me sola-

ri non possunt, quali in fortuna viuere contentus potero? Ergo quod superest vt minus est omnibus ita adipisci facilius erit: & minus vt adipiscamur solicitos nos detinere debet.

CAPVT XLIII.

Auxilia quædam peculiaria nostra. Et de venæ sectione.

INter familiaria & nobilia auxilia est lac asininum, quod à ℔.vj.ad vij.sumi potest, dulce est & iucũdũ, purgat, lene nutrit, innoxium est, imbui potest quorumcunque medicamentorum vi: cum incoquendo tum si mollior sit qui laborat, depastis asinabus: Idem etiam foris applicitum lenit & dolores & ardores. Narrat Plinius *lib* 23. *cap.* 1. *in fine.* M. Agrippam supremo vitæ tempore, ignorante Augusto cuius gener erat, impatientia doloris aurium mersisse illas in aceto calido, in acerrimo doloris insultu, caruisseque in posterum simul & dolore & sensu: portentosa vnius medici scientia, non tamen dicit quòd dolores hi podagrici fuerint: Tertium auxilium est vt excindantur testes, *sexta Aphorismorum* 27. Dices non tanti est podagrosum relinqui? Quid si casus accidat: non impero, non consulo, sed commemoro quæ supersint auxilia. Quartum est ab initio Arthemisia, folia ebuli, & radicum capparorum, cortices in aceto acri c ctę sed prius radices quoniam plus sustinent de decoctione. Quintum in declinatione bitumen Iudaicum, Pix naualis, armoniacum, fiat ceratum cum cera noua pauca, & oleo hypericonis completo, confirmat membrum, emollit duritiem, resoluit quod impactum est, attrahit materiam extra, sedat dolorem, commodum est, nam tenue etiam si apponatur multum prodest, nulla molestia inter illa quæ illinuntur vel imponuntur, fel caninum, mus dissectus vermium terrestriũ cinis adipe etiã viperino: & fimus milui vel pullorum eius: Araneæ tela Articulorum noxis vtilis est si imponatur qualescunque sint: Generaliter autem intus & extra: cochleæ latæ nam bibuntur duæ ex vino vt Plinius refert: *lib.* 30. *cap.* 9. sic & illita pinguedo viperarum & sal earum sæpius ebibitus, extenuat enim mirum in modum: pleraque etiam quæ foris imponuntur trahunt, nam & harundines & ossa fracta & putrida euocant strenuè, mus dissectus vt etiam venena, ex aspidum morsu impacta & cochleo cum testis contusæ præcipuè addito leporis coagulo: & ossa anguium cum coagulo quadrupedium quorumcunque. Et præter id capita lacertarum cum sale: vel cantharides cum farina hordeacea: mitigandi scilicet causa: sicut & auium plerumque pars stercoris candida velut gallinarum columbarum accipitrum. Et harundinum radices de quibus alias: & viscum & thapsiæ succus & pix: Extremorum autem extrema sunt auxilia dicebat Hippocrates, *prima Aphor.6.* Trifariam ergo hoc extremum fuerit: & inter auxilia cum reliqua non contulerint. Et ei quod relictum est: aliter frustra & ordine dicto superimpositum. Et manifestum est etiam quòd viribus & loco & caliditate, vt vesicas excitet: & eo perficitur numerus stellarum errantium: nam reliqua sunt per similitudinem: & in extremo non extrema: sed vt patitur homo natus de muliere per totam diem integram. Primum igitur medicamentum purgans & non medicamentum; sed si acris materia influxerit acre, si lenis lene. Et sectio venæ vndecunque sed non in loco neque in capite & non sectio venæ. Et quartum clibanus & non clibanus. Quintum submersio & non submersio. Sextum colocynthis & non colocynthis. Et innumerabiles, & non magnus numerus earum, neque in loco magnæ paruæ mediocres, vsque quo terminetur acutus morbus. Septimũ obsidio & non obsidio, diuturna non diuturna, magna non magna. Hæc omnia simul & nõ simul. Sed statim vnũ post aliud, & non post aliud, sed cõmunicantia & non communicãtia. Omnium tria principia. Ignis motus & priuatio. Porrò an corruptus sanguis podagricorum? si enim integer quomodo crudus si crudus & albicans quomodo incorruptus? Dictum est enim quòd podagra est corruptionis expers, & ideo non contagiosa. Ergo non absolutus erit non tamen albus aut flauus vel varius, aut rufus sed aquosus, vt adsit vehiculum quasi necessarium. Si autem cum his etiam colores peregrinos obtinuerit erit aliquid plus in eo: & cum hoc paratus ad alios morbos nisi præueniatur vincente podagra ab ea. Similiter & custodia sempiterna (quæ difficilior est) originem ducit à curatione, actus enim potentiam parit & potentia actum, velut calor ignem, & contra velut ferrum cum ab eo incalescit & ex illo sulphur accenditur. Ex multis igitur actibus sic frequentatis, & moderata victus ratione, tum exercitatione ad calorem confirmandum fit habitus, vt à moderatione materia non generetur; à robore caloris concoquatur & consumetur, à motu toties inchoato & naturæ iam assueto vt vbilibet traducatur facilius quàm ad articulos, à quibus toties tam violenter auersa est.

CAPVT XLIV.

De Agnatorum morborum curatione.

COxendicis dolor vt est genere semper validior, ita validioribus indiget auxiliis, vino è semine hyperici per xl. dies chamepytis, & centaurij tamen; Dramunculi radicis (quæ ceraso magnitudine & forma similis est) vstione cõmune est illi atque arthritide, corticis ligni Indi cum vinis potentibus exhibitio: velut Cesenate Græco atque Maluatico. Vstio in

futura

futura coronali pro arthritide, pro coxendicis dolore in colli vertebris. Constat sane multos sic à me desperata ab aliis salute, ex vtroque genere esse sanatos, & Bononiæ & in patria. Quæ verò de Iberide referuntur, nunquam vidi quenquam cui successerint: vel ignota herba: vel quia Italica tantum inferior sit viribus ea, quæ adeò laudatur ab authoribus: sane ignis & exurentia medicamenta aut membro patienti aut origini imposita plurimum possunt. Et aër cum exercitatione: Et victus certa & exquisitissima ratio.

CAPVT XLV.

De Affinibus morbis, Et quid humor crudus.

NOn adeò facilè est ad morbos qui commutant inuenire ex dictis certa præsidia velut colica, lithiasin diarrheam hydropem, distentionem, resolutionem, emigraneam, febres, stomachi dolores: vidi enim commutatam, & frustra curatam, sed à medicis magni nominis tantum. In his cura est duplex: primùm reuocare morbum primum, sed non vt quidam faciunt exhibitis carnibus, & ouis multis: primum enim perit beneficium ex errore, nec securi sumus quod reuocetur. Et si non accidat æger periclitatur, & vt dixi etiam si accidat, non sumus certi quod non vterque morbus adueniat, antiquo reuocato, nouo possessionem retinente. Et si solus etiam ne sit intollerabilis aut occidat. Reuocabimus ergo exercitatione assidua ad dolorem usque frictione & balneis: & eo tempore vsu vini potentis, hoc enim modo tuta erit reuersio. Secundum est vt materia communis concoquatur, expurgetur & exsiccetur: concoquunt oxymel scilliticum inedia: exercitatio vinum potens paucum, vt sæpe dictum est, aut aqua ex aromatibus Mel cum pane: allium crudum & coctum. Ambra autem & sal viperæ. Et sudorifica, & etiam diuretica sed multo minus exsiccant ipsum. Fontes quoque euacuationis genus sunt, sed sensim educunt: at simul catapotia ex his quæ crudum expurgant humorem: qualia succus panacis, colocynthis, agaricum. Calamentum, coagulum, flos æris. Euphorbium, serapinum stibium præparatum, stilla, lignum visci, lapis Iudaicus, lapis lazuli, & ex eo catapotia vulgata Polypodium, radix palmæ Christi: sed nihil violentius aut validius stibio cuius iiij. grana vsque ad vj. educunt propriè crudos lentos crassosque humores, & ab imis articulis. Thapsia quoque & Chanaberi, & est Pauli...... Et quæ ex arte fiunt vt *summa Prima Tractatu Nono Quinti libri* catapocia. Et scias quod per humorem crudum non est necessarium intelligere humorem crassum neque lentum vt muccus, nam sunt humores crudi biliosi tenues & fluxiles, & ichores qui non sunt neque crassi neque lenti, neque omnis humor crassus est crudus. Nam melancholia naturalis est crassa & tamen non est cruda, sed dicemus benè quod omnis humor lentus est crudus semper. Et humores crudi plerunque sunt crassi vel.... Et sæpe etiam crassi ac lenti.

CAPVT XLVI.

An cuiquam conducat procurare podagram.

ET sanè non est hæc quæstio, quæ supra tractata est, neque alio in loco, nam hic quærimus an cuiquam non habenti conducat illius aduentum procurare? hoc enim multum distat ab eo, an sit vtilis producendæ vitæ? an conferat aliquibus deuitandis morbis? nunc enim solum quærimus an in non consueto pati podagram ea procuranda sit? vt pote si vrgeatur ab insania vel strumis aut dolore capitis vel angina per circuitus? Videtur autem non rationi consentaneum quoniam maiore impetu ferri possit quã opus esset? Et posset irritari, nec priore sedato morbo? Et quoniam posset reuertendo materia accedere priori, atque ita primum morbum augere: Et forsan id fiet in cassum. Neque dubium est quin si minor sit morbus non sit commutandum. Ergo prouocanda non est cuiquam podagra, postquam cõstat eam esse penè immedicabilem morbum, & acerbissimum, sed vtendum esse eis quæ eam prouocare possunt, nihil prohibet deambulatione vsque ad pedum dolorem, & grauitatem si conueniat: arantiorum & limuniorum medela, vino potenti & similibus: non tamen his quæ multum nutriunt velut carnibus & ouis ac ferculis pinguibus multis: neque his quæ crudos humores generant: neque cruditatem velut vigilia aut ambulatione à cibo. Ergo si rectè agenti superuenerit atque optata quasi non est dolendum, non tamen accersenda.


CAPVT XLVII.

De Conualescentibus & interuallo. De Victus ratione in illis, laus fortitudinis, Et de Ordine.

VBi verò quis conualescere incipit, Et dolor & grauitas desinunt: Et locus iam intumuit & sudat, aut prurit, Et æger dormit, & maximè si à somno sudat & appetit cibum absque fastidio, & sentit totum corpus leue, & pertransierint xxxvj. horæ cum hac alleuiatione: (rarò enim accessio fit quartana in hoc morbo) aut ad summum lx. horæ, tunc est morbus in declinatione, nam vt morbus solet ingrauescere vesperi, ita alleuiari in mane: à matutina autem hora idest tertia vel quarta die in qua podagrosi melius se habere solent si numeres lx. horas, incides in xvj. horam ab ortu solis, & ideò in occasum solis aut saltem in vltimæ horæ diei initium, etiam vbi dies longissima est horarum æquino

æquinoctij, alium xvij vt in Germania vltima & Noruegia ac Dania: tum verò si accessio futura est iam pes grauari incipit etiam si nondum doleat. Si ergo non ingrauescit fermè æger est in tuto, vt iam conualescat. Reditus enim Quintani & septani, vel etiam rariores in febribus nostra ætate sunt, pro monstris in Italia, quantò magis podagrici. Tunc ergo lauare potest æger pedes tepida & cultro sorditiem deradere, & tollere pellem crassiorem, & maximè circa locum patientem. Inde sibimet abluere membrum frigida aut tepida cum quarta vini astringentis parte. Vel si sit aqua fabrorum & in ea sal & furfur cocta fuerint. Et sanguinare locum non est malum præsertim si pruritus adsit. Emplastrum expertum tunc: Pix mel & farina hordei: auocat extra & locum confirmat, & est temperatum: aquam extrahit & siccat. Summa verò custodia est in motu: nam si moueas membrum dolitat & redit inflammatio: quicunque verò ab omni motu vel duntaxat qui dolorem etiam faceret, prorsus abstinerunt, syderati sunt, paulatim obtorpescentes, & ad ignauiam redacti, inde impotentiam motus corporis: quare paulatim exercendum membrum vsque quo leuiter dolorem ferre possumus ieiuno ventriculo, & ventre vacuo: inde statim quiescendum atque iterum redeundum, vt meta doloris sit eadem. Exercitatio enim maior erit si probe res processerit quia membrum validius: ideò sic breui restituetur. Quòd si offensam senserit tanto minus ab initio exercendum, vt τρόπως fit cum dolor cessat à labore statim: quantoque maior eò melior, & continuare æqualem. Et sumat interim in cœna vitellum oui cum pane & bibat modicum vini potentis flaui: vel si timet plenitudinem sumat pisciculos in crate cum sale assatos, & bibat vinum album paucum, leue.

Quod si dolor & grauitas sensim alleuiantur, non tamen vesperi est sine fastidio cibi, & præsertim si vigilat, tunc animaduerte si vel grauatur alter pes, vel minimum dolet, tunc æger conualescit ex ea parte, sed expectanda (aut saltem) est recidiua in alteto crure. Et est mutatio velut in febribus ex tertiana vel continua in quartanam, & rarius recidiua est grauior primo morbo: contigit tamen & maximè si aberres, aut grauitas membri maior sit. Et si non adest pruritus neque sudor, & tunc glande supposita excitet aluum, vel si fluxerit flatum alliciat & ieiunet. Et præueniat imponendo pedem in vas æneum calidum huiusmodi vt locus a, b, sit liber & aqua circum circa ferueat ex arthemisia, ebulo, radice cucumeris anguini, & cyclamine tum chamæmelo, & radicibus mali punic.



sale, betonica, stœchade, camepity capparorum radice, vermibus viperis, lacertis, radice syluestris solani, seu halicacabo, vel pluribus ex his. Si ergo sudauerit liberabitur tum absque magna noxa & forsan in posterum: quod si reuertatur redeat ad auxilium. Si non sudat non pruriat, nec locus etiam intumescat, tunc cessa, & administra aquæ frigidæ superfusionem, mane sequenti da pisciculos ex crate vt dixi, cum pauco pane, & leui, si esuriat & sit imbecillis, non bibat, nisi vel parum aquæ coctæ ex glycirrhiza, & coriandris paucis cinamomo & gariophylis, vt odor eorum vincat, & suauitas cinamomi, & dulcedo glycirrhizæ.

Quod si grauitas in membro manet, & dolor minuitur, & cibi fastidium vespertina hora redit, imendum est, ne ex eadem parte fiat transmutatio, quæ si ad superiora mala plerunque, si ad inferiora bona. Et tunc si grauitas non multai sit, vel locus iam sudet glande & ieiunio præpositis adhibe sphœrulam dictam, quæ quanto mitior est & tenuior eò melior, magnitudo vt pes infirmi circumuerti facilè possit: aut certè paulo amplior. Sed si neque sudet neque timeat & membrum graue sit, maximè si fastidium cibi vehemens accedat aut æger plurimum in victu aberrauerit, abstine à caldario & frigida vtere: & clysteribus & longa & exquisita inedia: ita tamen vt locū detractioni vsque ad statum relinquas, cumque minuitur fastidium adhibe sudorificum: si obesse videatur abstine. Sed si sublato fastidio cesset grauitas, aut sudor aut pruritus appareat, tutò vtere, etiam si per spacium aliquod temporis obesse videatur. Demonstrationes enim medicæ quod ad nos attinet adeò certæ sunt vt mathematicæ.

Rursus si dolor matutino soluitur, membrum leue est. Homo iam ambulare gliscit & potest, fastidium abest omne, & appetit, sed post tres aut quatuor horas grauatur locus, nullum est conualescentiæ signum, sed est interuallum & simile tertianæ simplici aut duplici. Expecta igitur accessionem hora vespertina & in nocte exacerbationem, aut saltem vespertina hora diei sequentis & nocte sequenti, & tunc æger regendus est vt in exacerbationibus futuris, ac incumbentibus. Materiam tamen indicat esse tenue & vaporosam ob exquisitū interuallū. Et ideò accessiones erunt breuiores: & totus morbus etiam breuis sicut solet esse in tertianis. Quandoque tamen præter spem etiam absque ægri errore poterit protrahi maximè si eadem hora semper redeat. Quid mirum cum & idem etiam in tertianis febribus accidat, sed raro, & in podagra quæ talis fuerit rarius. In omnibus autem morbis & casibus aduersis plurimum iuuat & auxiliatur fortitudo. Primum vt mollius feras & maximè quæ non tua culpa acciderunt. Secundum vt nihil turpiter dicas aut facias, vel indecorum. Tertiùm vt melius consulere possis aduersis & auxilia quærere. Quartum vt meditata deducere possis ad exitum: cum enim fractum te animo tui videbunt consanguinei torpebunt, amici deserent, domestici non parebunt: contra si non frangaris aut pudore aut spe aut metu te iuuabunt. Denique melius est cadere fortiter quam turpiter viuere, nedum mori. Si enim mors & aduersa quæ turpitudinem & dedecus ex casibus & extra adiuncta habent grauiora, & illis qui patiuntur & aliis qui adsunt videntur, quanto magis si ex proprio vitio id accidat deteriora habebuntur? Verùm fortitudo tametsi naturæ Deique munus sit, tamen

men vsu & ratione sub qua imitatio & exempla continentur multum iuuatur. Et ob id cum prudentia sit magis humana, fortitudo autem diuina, nil mirum si fortitudo præstantior sit prudentia, quantum diuina humanis præsunt. Omitto quod fortitudo duobus modis prudentiæ auxiliatur, prudentia non ita fortitudini: nam fortitudo consilium auget: vt non præ timore animus vim suam, & rationem deserat: Et quæ iam animis auxilia inuenerat: præstat vt exequi possit: (non quod prudentia non maiorem vtilitatem præstet, & frequentius in vsum & commodum fortitudine nobis non veniat) sed ideò longè fortitudo prudentiam antecellit, quod homo prudentissimus cum mediocri fortitudine felix esse non potest, infœlix esse potest: fortitudo autem summa cum mediocri prudentia coniuncta felicem sæpe, nunquam autem infelicem hominem esse sinit. Id autem contingit ob varietatem casuum humanorũ atque fortunæ, ob improbitatem hominum maximam ac tam multiplicem, & ob nostros, vtpote parentes, vxorem, filios, fratres, quorum calamitatibus nequaquam (tametsi prudentissimus quis sit) obuiam ire potest. Est igitur fortitudo donum Dei præclarum hominibus, quo id adipiscimur, quo præcipuè Dij hominibus præstant scilicet securitatem, atque id etiam adauget quod robur corporis firmius præstat. Animus enim fortis corpori moderatur, & humores regit, vnde non solum sanitas sed bonus habitus & vires validæ euadunt. Et sic solutus sum omnibus incommodis de quibus supra conquestus sum Dei gratia plenè præterquam quod non restituti sunt dentes, nec sanatus sum ex ramice.

Iam ergo ad finem & operis huius & libri vltimi simul peruenimus, cuius ordinem multi parum Aristotelis doctrinam intelligentes calumniabuntur: quod si eos ars ipsa & Aristotelis authoritas non mouerit, illud debet commonefacere, quod videant quanta facilitate tot ardua in vnum compegerimus & explicauerimus. Et vt ad minima quæque magno cum ordine & non leui subtilitate tractanda peruenerimus, adeo vt non solum nihil in diuturnorum morborum consideratione relictum sit, sed etiam incompabili cum arte tradiderimus. Nam de acutorum cura morborum in sex libris super librum de victu in acutis Hippocratis commentariorum egimus. De sanorum autem regimine in quatuor libris huic tractationi dicatis tractauimus. Et præ cæteris hæc tria volumina compendij gratia legenda sunt, nam alia in reliquis libris maxime in Hippocratem expositionum conscipsimus.

Capvt. XLVIII.

Paralipomena duo.

Relinquebantur duo dubitatione meritò digna; vnum quomodo contusionis dolor à podagra distingui posset; quod ad veram curandi rationem necessarium erat, si quidem.

Non intellecti nulla est curatio morbi.

Atque ab initio cum iam homo percussus est, difficile est scire an eo materia ob confusionem aut morbũ ipsum occurrerit. Incidit enim sæpe vt ob vtrumque, mouet enim dolor materiam ad locum: natura verò consueta & plus transmittere solet, & locus latior, & materia iam parata, plerumque igitur initium est à contusione ipsa: magnitudo doloris, tumor diuturnitas vtriusque, maior enim podagræ, si non cum luxatione ictus aut ossis desquammatione aut scissura aut etiam ruptura ipsa, quod peius est, fuerit. Tunc enim vbi certior de hoc factus fueris causa externa, & ictus omnia trahit ad seipsum. In declinatione autem morbi facilius est discernere, si stridet aliquid, si commouetur præter articulum præsertim durum: si loco excesserit fracturæ aut luxationis indicium, est punctio, præterea........ spitiæ aut crodeni fracturam indicat. Et si conquiescere nullo modo super membrum potest etiam cum detumuerit, alióque premit dolor quàm in articulo. Sedata autem prorsus inflammatione, in podagra cum presseris locum solidum vehementer, aut dolet plurimum etiam si non premat, aut non valdè si premas, quoniam in articulo locus vacuus est: in tendone autem non est quod renitatur, sed tactui cedit. Verùm in contusione certa pars & plerunque parua vbi leuiter prematur non dolet aut parum dolet, quoniam periostron non adeò excelenti sensu præditum est, & inflammatio id cessauit, sed cum valdè presseris valde dolet: quia læsa pars exanguis, & quod subest valde durum est. Quod si desquammatio fuerit aut scissura, aut fractura adhuc longè magis, nam partes asperæ premunt periostron.

Quidam cum in crure scissuram passus esset longo tempore doloribus acerbissimis tortus tandem interiit, quare contusa negligere non oportet, luxata quoque cum obcalluerint vix restitui possunt: & si non restituantur plerumque claudicat homo, Et doloribus sæpè obnoxius fit.

Alterum dubium est an podagra hominem eximat à periculo lapidis in vesica? nec hoc est quod quæritur, sed à contrario quasi principali constituto (hoc enim primo intentum est) sumenda dubitatio, scilicet an sanato prorsus ex podagra præsens immineat periculum lapidis generationis in vesica? Et an in omnibus? & quibus nam; omnibus & in quibus stultum fuerit prorsus maximum malorum sibi accersere. Quæ-

rendum est igitur id rursus contraria quasi ratione: scilicet an vllus ex his quibus lapis excisus è vesica fuerit podagrosus extiterit. Nam ratione videtur cõmutari renum lapis in podagra, non tamen adeò ita podagra in renum lapidem. Rationem igitur experimento confirmatam inuenire oportet, ea est quod si ex lapide renum fit ob moram dum non eiicitur vesicæ lapis, ex podagra autem quandoque dum retinetur materia, renum lapis fiet ex podagra vesicæ lapis licèt hac via quam rarissime. Secunda via est à causa, si enim causa podagræ est humor, & præsertim crassus ac lentus & multus, & præter id accedat alui durities & renum calor qui materiam ad locum trahit, & etiam illam conuertit in lapidem, tunc lapis omnino est expectandus: si hæc non adsint maxime quòd sit vaporasa aut ex ichoribus, & renes calidi non sint, non expectabimus lapidem. Tertia via est à signis, si sanata podagra proueniat vrina aquosa prorsus, aut pauca & crassa, aut suppressio infesta, aut lapilli in renibus, aut materia tenax fluat, erit euidens suspitio de lapidis generatione facta in vesica iam aut futura. Si verò vrina sit boni coloris, & substantiæ, & cum contentis figuratis, nondum potest esse lapis, nam vesica per lapidem refrigerata aut læsa in substantia vel mole impediente hypostasim cogi, nunquam poterit fieri vrina bona in substantia & colore & contentis. Quarta est à superuenientibus (omitto modo indicia præsentis lapidis aliàs suis locis enarrata) vt si suppressa podagra pondus sentiatur in renibus & sub osse pubis: si homo etiam abstineat à venere, si citra aliam noxam repleatur cibis, & vtatur vinis potentibus & alimentis crassis ac lentis: si diuersa incommoda senserit in meiendo. Si deambulatio magis prægrauat hominem, hæc sunt signa conuersionis ad lapidem: sicut contra vomendi noua consuetudo, lassitudo, in membris febres, tubercula hæmorrhoides, diarrhææ per interualla securos nos reddunt ab hoc morbo, vertigo etiam noua.

Caput XLIX.

De variis podagræ finibus: De varicibus & caluitio.

Cæterum cum varij sint fines podagricorum: & etiam quidam alij morbi, qui cum podagra communicant nondum commemorati, scilicet caluitium atque varices de his dicendum est. Constat enim quatuor esse pricipales morbos, in quos cæteri commutant, tanquam alleuiationis causa. Quartanam podagram hæmorrhoides atque varices. Atque hi omnes etiam inter se & ipsi in alios. Dictũ est autem superius de aliis omnibus in quos commutant præterquã de varicibus. Et qui commutant præterquam caluitio, vnde de his duobus tantum dicendum restat. Igitur Hippocrates *sexta Aphorismorum* 27. inquit: *Eunuchi non laborant podagra neque calui fiunt.* liquet ambos affectus contingere aut ex materia eadem aut efficiente aut vtroque. At si testes causa sunt efficiens caluitiei & podagræ non nisi per materiam genitam; ex illis igitur commutat materia sola vel cum efficiente: dicebat idem *secundo Epidemiorum. Varices caluorum si non magni sunt furiosi sunt.* Idem quoque in *libro de Natura pueri pag.* 9. *Eunuchi non caluescunt, quoniam pituita non agitatur adeò à venere, vt calefacta exurat capillorum radices.* At obiicies ex Epidemiis, ibidem caluus & varicosus morbus habent vehementer attrabiliasios: podagra autem ex atra bile raro fit: non ergo caluities & varices, commutant cum podagra? Respondeo quod atrabilarij calui fiunt & varicosi, ob caliditatem quæ exurit; in podagra autem solum impellit humorem crudum nomine pituitæ antiquo more appellatum. Ideo commutant cum podagra. Dicebat Princeps, varices adueniunt in fine febrium acutarum. Rursus Hippocrates *Quarta Aphorismorum*: Delassatis in febribus ad articulos abscessus fiũt. Commutant igitur podagra & varices, & varices & caluitium. Sed dices varices caluis aduenrunt non igitur commutant. Quæ enim commutant vno adueniente alterum abscedit. Dico quod podagra commutat cum alterutris, quia illa sunt eiusdem generis, & à tenui fit caluities, à fece autem varix, quæ inter se sociantur. Erunt igitur morbi qui commutant xvij. Equibus quatuor in quos soluuntur, xiij autem qui soluuntur, cum ad podagram omnes comparati fuerint, nam comitialis licet ad quartanam, non tamen ad podagram comparatur.

His visis deuenio ad morbos, in quos maximè & propriè soluitur podagra. Et sunt pruritus, tumor ruber & ædema. Fiunt autem modi nouem: primus cum fit ex vapore, & tunc plenè & breui soluitur absque tumore vllo: præcipuè si sudauerit locus & partes circumuicinæ, solum relinquitur imbecillitas articuli, & laxitas vt videatur disiunctus & leuis rubor ob præcedentem inflammationem. Secundus cum causa est ichor simplex, aut biliosus, aut bilis tenuis articulus remanet tumidus & ruber, cum cute tenui & pruritu: sed paucis & exiguis pustulis. Et color flauus declarat bilem, & ruber sanguinem. Et non adest œdema: neque loca circũuicina tument. Tertius est cum ichor est pituitosus, & dolor est lenis, & finitur breui: & non est œdema nisi propè articulum & in articulo. Sed si vehementer exerceatur cum fuerit post vigorem, in vna die soluitur dolor, sed œdema occupat magnam cruris partem: & tunc durare solet per quinque vel sex dies, quoniam multitudo conseruat humorem, si tamen vtatur bona victus ratione non trãsit in leucophlegmatiam. Differentia autem leucophlegmatiæ & œdematis alias docuimus. Quartus est cum ichor melancholicus est: œdema nigrum eadem ratione qua pituitosus spargitur

gitur vel in articulo solo & propè vel confertim. Hæc si sæpe redeat crus cum tumore & cute reddit durum & nigrum & graue: & ad leucophlegmatiam nigram facile transit, nisi quis exquisita vtatur victus ratione: & inde in hydropem. Quintus est cum sanguis peccat: tument tamen vicinæ partes rubræque sunt, & in fine succedit œdema non puri coloris sed leuius. Si verò cum sanguine ichor plurimus extiterit: œdema etiam cum tumore rubro superuenit ab initio, & tarde soluitur & pustulæ cum pruritu fiunt. Et inde pronus est ad leucophlegmatiam & hydropem. Septimus est cum pituita seu humor crudus albus seu purus seu cum ichore aduenerit, locum & crus occupare solet. Si quidem cum ichore ab initio si absque post, sed non multo: non tamē magnus sed qui crescūt in dies: at cum ichore manus ab initio & pertinax, hic nisi custodia quis diligenter vtatur facile licet serius nonnunquam transit in leucophlegmatiam & hydropem. Octauus est cum melancholia & ichor sunt podagræ causa, fit œdema magnum nigrum ab initio, cutis crassa fit, dura, totum crus graue; hac propriè transit in leucophlegmatiam nigram opusque est non solum magna costodia sed animo forti: sed si ichor non adsit, serius aduenit œdema nigrum, quod vix post vnquam soluitur. Verùm hoc commodi adest, quod licet occurrerere ei ab initio, vlcera lata & profunda facienda. Hic rursus aliud periculum ne in corruptionem substantiæ carnis ac membri & cancrū Italorum, id est Celsi transeat, nihilominus facilius vitari potest præcedenti. Atque ex hoc satis apertè liquet quantum hæc tractandi ratio vtilis sit ad perfectionem doctrinæ, ordinem, facilitatem, & vt subtiliier ad cuncta perueniamus.

Sunt præter hæc morbi qui causarum speciem sed remotiorem retinent, velut si podagra à lue Indica ortum habeat: plurimi enim patientes cum morbum, ob id ipsum in podagram & difficillimam inciderunt, quoniam causa causæ adiungebatur, & quæ adiuncta erat per se inexpugnabilis erat & etiam impediebat curam. Et tales morbos communicantes appellamus, non qui commutent: podagra enim non transit in luem Indicam neque contrario modo. Sed de elephantiasi licèt sit verisimile ratione quod communicans, non tamen adeò mihi constat, vt de lue Indica: cuius frequens habemus experimentum.

CAPVT L.

De exercitatione, consilio, consultatione, præexercitatione. Qui libri legendi sint. Conclusio totius operis.

Finis autem omnium est sanitas, ad quam adipiscendam vel opere ipso præsentibus nobis, vel consilio abscentibus. Idque duplex ex enarratis tantum symptomatibus, vel aliorum etiam scriptis prius visa aut consultatione quæ est ex pluriū medicorū voce accepta. Ea verò multiplex est, alia in qua nihil cōscribitur, alia quę in scriptis colligitur, atque in vtraque contingit vel te non adesse curationi, aut adesse vel solū, vel cum sociis. Commune autē est exercitationi, consilio & consultationi, vt in duas diuidatur partes suppositionum, & est symptomatum à quibus læditur patiens, & in quo omnes conueniunt si plures adsint, enarratio; Et inuentionem. Hæc autem constat ex sex partibus. Rebus naturalibus, Contra naturam, scopo, Prognostico, curatione & τρόπον. Quorum omnium exemplum attulimus in consilio Illustrissimi legati Gallorum regis, quod Romæ conscripsimus. Res naturales (præstantiores inquam) rursus in sex diuiduntur. Patriam, temperaturam, habitum seu compositionem membrorum. Proprietatem, Aetatem & Consuetudinem. Ea duplex est, vna eorum quibus iam consueuit, Alia quæ præscripta est illi vel legibus, vel munere illi incumbenti. Res præter naturā sunt symptomata iam acceptae, & si qua tu diuinando quasi intelligere potreris. Morbi causæque omnis generis, & remotæ, atque inter eas quæ principalis? & an per circulum se habeant? Morbi an continui per, an circuitū, per essentiam secundarij & per consensum: scopus, sanare an custodire? Et vterque perfectè, an in parte tantum, an mitigare solum aut etiam lenire? Atque in his difficultas, aut tarditas, aut non omnino vel eis contraria, tum vt tutò aut quid possit accidere aut quam blandè idest sine dolore, & de commoda opera aut incommoda, nam quod non reuertatur non aliud est membrum, sed ad custodiam pertinet. Prædictio autem omnia hæc docet antequā fiant, & est de omnibus tribus primis scopis vt *Tertio Methodi cap.* I. Inter curationis partes reponetur, quod ex naturalibus iam considerauimus: scilicet an ætas profutura sit an nocitura. Et quoniam magnitudo morbi in hoc ipso præter ea quæ ad speciem pertinent consideranda est; animaduertemus præcipuum magnitudinis morbi signum, vt ibi in consilio propodagra grauitatem, adiicientes rationem, vt quia cum virium robore mala ob causæ magnitudinem: cum imbecillitate præcipuè ab ætate maior deficienti auxilio: magna autem dispositio tripliciter comparatur, vel ob mortis vel alterius morbi deterioris periculum, vel ob dffiicultatem sanationis: vel ob symptomatum acerbitatem: præcipuè doloris & vigiliarum. Inde totam curam diuides in communem, generalem & specialem. Ex secundo libro. Et ea administratus per victus rationem medicamenta, sectiones & ignem, & quæ eis similantur, sudaria, balnea, fomenta: irrigationes, & medicamentorum potentium varias naturas, inunctiones metallicorum & venenorum, & quæ vicem vtrorumque subeunt: depasta animalia inde sumpto lacte aut sumptis illis in cibo: tamen verò destillata

lata & fermentata, atque in his tempus coniungere robori, & cibum ex medicamentis facere, & ex cibis vicissim medicamenta, ita de aëre. Hoc tamen speciale est in consultatione sola cum fueris cum malis sociis, vt dicas tantum. Hoc volunt authores.

Horum igitur causa præexerceri oportet in quibusdam præcipuè operibus. Et Hippocratis quidem Prognostica cum nostris commentariis. Et totam chirurgiam cum Galeni etiam expositionibus quibuscunque quæ habentur ad malum (vt dici solet) legere, Et Aphorismos etiam: ex Galeno autem libros quatuordecim Methodi, & xvij. de compositione Medicamentorum cum sale perlegisse. Ex Oribasio quæcunque faciunt ad condimenta & ciborum præparationem, deficiunt enim ex Galeno pleraque. Dioscoridem quoque De simplicibus medicamentis: Et vniuersum Vesalij de Anatomia opus. Ex nostris autem περὶ Αἰωρων Κια βαδίων. Et illud de causis locis ac signis morborum, & opusculum cui titulus est Actus: facit enim ad promptitudinem omnium. Volumen autem Hasen minimè aspernari quemquam suadeo, maximè cum tempus studendi non datur: ob ordinem eximium & claritatem cum copia rerum non inutilium iunctum. Exemplar autem quoddam refert maximè pro iunionibus, & ad imitationem etiam his qui studuerunt ea lege, vt alia etiam inuenire studeant, parua illa praxis Leonarthi Iachini in qua velut ex cœno relucent collectæ scintillæ gemmarum plurium: ille enim eo opere primus docuit qualiter ex doctrina confusa, breui barbarica, & obscura; nitida & satis pro breuitate absoluta, eliceretur: quare & superioribus ob imitationem vt dixi adiici poterit, Et sufficiet ad numerasse meritis omnino legi.

HIPPOCRATIS.

De Victus ratione in Morb. Acut. cum sua expos. v j.
Prognost cum Nos. Comment. iiij.
Aphoris. cum commen. Gal. & nost. vij.
Chirur. offic. cum Gal. Comment. iij.
De fracturis cum Galen. commen. iij.
De Articul. cum Gal. comment. iiij.
De Vuln. capitis. j.
De Vlceribus. j.
De fistulis j.
De Hæmorrhoi. j.
De Visu j.

XXXII.

GALENI.

Methodi. xiiij.
De Compos. med. secundum locos x.
De compos. med. secundum genera. vij.

XXXI.

PRINCIPIS Seu Hasen.

Canonis v. licet ex secundo solum noua medicina & ab ordi: celeritas inuen.

V.

L. IACHINI.

Commentariorum in Rasim ad Alman. ij.

II.

ORIBASII.

Collectaneorum Quartus Quint. sextus & Decim.

IV.

DIOSCORIDIS VI.

VI.

VESALII.

De fabrica corporis humanis. vij.

VII.

CARDANI.

De Dentibus. v.
De Tuen. sanitate. iiij.
De Causis signis & locis morborum. j.
περὶ Αἰωρων Κια βαδίων. j.
Actus. j.

XII.

Summa omnium XCIX.

COMMENTARIA IN QVATVOR PRIMAS PRINCIPIS PRIMÆ SECTIONIS DOCRINAS, SEV FLORIDORVM LIBRI DVO.

PETRO DONATO CÆSIO EPISCOPO NARNIENSI. S. D. N. PAPÆ domestico Antistiti, & vtriusque subscriptionis Prælato, Apostolicæque cameræ clerico. S.P.D.

CVM multa sint quæ & beatæ vitæ obsint, & optimos quosque viros in scribendo remorentur, tum illud maximum esse animaduerti; P. D. Cæsie inclyte, quod homines difficillime à Consuetis opinionibus auertuntur. Adeò enim tyrannica res est consuetudo, in humanis rebus, vt homines etiam contra propria commoda armet. Quis docuit nautam per frigora, & imbres, ac ventos maria secare; aut militem aduersus præsentem mortem alacriter ire, nisi consuetudo improba? Eadem, cum secùs hominibus ad quietem, & tranquillitatem natura optime consuluisset, nihil firmum nobis reliquit: diripimur, spoliamur, cedimur, ducimur in seruitutem occidimurque, omnis insontes culpæ, vt nihil iam tutum sit, fueritque ab hac improba: Quid ergo mirum est si illa impietatem nobis suaserit? Et nos ignorantiæ, atque erroris amicos non solum, sed mancipes effecerit? facilius eripias clauamè manu Herculis (vt dici solet) quam addictos his sectis abducas ab illis ad sanam doctrinam, ac veritatem: pudet errorem confiteri: piget temporis amissi, & prædæ quam præ manibus tenent relinquendæ: omnes præclari viri de hoc malo conquesti sunt, nullus opem tulit? quid facias nunc, cum nullus hiscere audet, nemo non rogatus auxiliatur: timuerunt moniti exemplis præteritorum quibus illi deiecti sunt, & in vnum arctè consenserunt. Mallent admittere vitam quam dogma, & si rationibus vincere posse non sperent, vim intentant. Alius Aristotelicum, Alius Galenicum se clamitat: Et cum in omnibus rebus, quæ natura quàm diligentißimè facit, plura cogamur abiicere quam ea sint, quibus velut vtilibus vtimur, hi tamen adeo peruersi autoritatem illorum tuentur, quid illorum authoritatem, imo proprium fastum, auaritiam, imperitiam ac pertinaciam, vt nolint ex eis vel verbum periisse. Quidam ex Aristotele Deum nihil curare docent, animas esse mortales, atque cum his simul iusti & æqui habendam rationem, deos esse venerandos prædicant, ac principes multos magno suo malo in perniciem primò miserorum subditorum ducunt, Deinde illos. Quis pudor? tandem vis me nil habere quod verear, & iniustos doces esse deos, visque nos mortales iustos esse & timere, cum nil sit quod timeamus, at saltem vera docerent cum tanta impietate atque vanitate? Alii Galenum volunt decipi non potuisse cum multa scripserit, nec emendauerit parumque in arte exercitatus fuerit; alij contra nihil scire: sed hos vt amentes meritò reiicimus: illis fauemus aduersus nostra commoda. Neque

vlla alia spes nos aluit, quod tandem veritas esset emersura, quam multiplex exemplum eorum, quæ cum essent peiora superuentu meliorum deciderunt. Quanta fides Cnidiis olim sententiis habita fuit: horum tamen authoritatem Hippocrates eleuauit. Quanto in honore Erasistratus Aristotelis nepos: Asclepiades, quem etiam ferunt mortuum suscitasse? Archigenes, Thessalus, aliique multi, quos omnes Galenus è loco deiecit. Floruit Plato diu: ipsum euertit Aristoteles: nemo euertet Euclidem, Archimedem, Appolonium, Ptolomeum, quoniam veritatis assertores fuere. At nos non curamus Aristotelem euertere, aut Galenum, id enim falso nobis adscribunt, sed cum vtrumque diligamus, veritatis tamen amorem præponendum illis duximus. Si Deum curam istorum inferiorum agere nouimus, quam falsi testes, quàm sumus ingrati futuri erga benefactores, quàm impij in illum & perfidi in totum humanum genus, si ob vnius hominis vanitatem id fateri non audebamus? si id ille vt est, nunquam sensit: cur mihi irascimini? vter nostrum in Aristotelem est iniquior. Multa ille non nouisse visus est, Multa etiam illum excusant, quod nondum comperta forent: vitæ breuitas, ignorantia maiorum: quod nullibi bonæ litteræ colerentur, nisi Athenis, ibique inter magnas difficultates, tum bellorum, tum metus legum ne accusarentur, librorum paucitas, & ingentia illorum pretia, Blattæ sepulchri in quo eius scripta tot annis latuerunt. Omnes mirantur quod Aristoteles errauerit, vel quod aliquid ignorauerit: at ego miror quod tam multa ad nos ex illo benè ac sapienter dicta peruenerint. Quinam iustius, dubitan? qui ei magis ratione fauent, illi ne an ego? Succedit Galenus quem nos à tot erroribus pro viribus defendimus, nemo potest alacri animo & tam diuturno labore tueri quem oderit. Si nullus vir est Galenus, quomodo excusabo tanti temporis iacturam in illo defendendo? si magnus, quomodo magnus, qui nil magnum præstiterit in arte: si passim errauit quorsum defensus est à me præsertim illius (vt dicunt inimico)? Quis non videt has esse meras nugas & absurdas calumnias? torquet me in vtrisque quod etiam torquet nos in filiis, si errauerint, si erroris speciem prætulerint, si inepte scripserint, si quæ non norint temere, si parum accurate protulerint, homines fuere non dij, pro Deo nobis sola veritas habenda est. Si illos ob virtutem & sapientiam colendos putatis, cur quæ minus defendi merentur tuemini, vt neque Dei cultores nec philosophi habeantur. Hanc igitur ob causam Hasen cum & pius in Deum vt philosophus, & sapiens ac verax extiterit, admodumque in tradenda disciplina vtilis, merito exponere aggressi sumus; quis enim subtilitate, grauitate, ordine, iudicio, multa lectione, facilitate, auxiliorum excellentia & copia, huic authori comparari potest? non opus est vt in quo vnusquisque defecerit referam: sufficit illi propria gloria vt nemo dignus sit qui ei comparetur. Castigare non potuit opus suum, sed si potuisset quid adiicere, quid adimere, immutare vt oportuit, mihi sane castigatum videtur satis quod optimum est. Sed quo argumento conuectamur non potuisse illum opus suum castigare, quod omnibus numeris esset absolutum? non ego laudi illi duco, quod breuitati Pauli, prolixitati Galeni, obscuritati Hippocratis, confusioni Aetij, empiricæ Alexandri, vulneribus Oribasii, aceruo Rasis, exilitati Auenzar, tricis Auerrois præponendus sit. Quæ enim laus sumi potest ab aliorum vitiis, aut quod non peccaueris? ipsa ea laus sit nostri Hasen omnia cumulatè præstitisse, tot modis, cum paucissimi vel in vno id potuerint. Felix ætate sua ob gloriam: felix post mortem nominis æternitate, felicior tanto beneficio in vniuersum humanum genus, cui omnes debemus. Huius ergo operis, cum primam partem, quam dignè non possum dicere, quam diligenter id sanè audeo, explicarem commentaria singulis temporibus, quibus id munus obtigit, collegi atque contuli posteriora prioribus castigauique, eaque ipsa nomini tuo dicaui, vt beneficia in me tua, omnesque studiosos, testarer his meis lucubrationibus. Neque enim corruptum illum morem sequi debere existimaui, qui dum turpe non ducit de laudibus alicuius agere, ac simul ad illum scribere, quod omnibus palam, si modo ita est quasi in angulo & in tenebris factum sit obscurant, dubiaque reddunt, non solum illius egregia facta atque virtutem, sed etiam maiorum nobilitati suo testimonio obsunt, & dum illam euehere student, multa adimunt, pleraque relinquunt. Quin etiam id, magis à te probari animaduerti, scilicet vt malles facere egregia, quam laudes factorum audire. Vale calendis Iulij MDLXV.

PROOEMIVM

Papiæ habitum anno, MDLXI.

MENECRATES Syracusius Medicus fuit insignis temporibus Philippi Macedonum regis, quem nescio, quàm parum diligens hac in parte Otho Brunfelius cum tot minus notos nominauerit, in suo catalogo Medicorum prætermisit. Is ergo inter multa ambitiosissimæ stultitiæ exempla illud edidit singularis amentiæ, quod Iouis habitu cum purpura & sceptro ciuitates Græciæ circumibat, comitatus ægris, quos fortuna aut casu sanauerat, & ipsis deorum habitibus atque ornamentis. Vidisses Herculem cum claua & leonis pelle. Mercurium cum chlamide caduceo atque talaribus; Apollinem imberbem cum arcu atque sagittis conrra filium: Æsculapium, prolixa cum barba ae serpente. Quid plura? Philippo Regi Macedonum scribens, sic exorsus est Menecrates. Iuppiter Philippo regi salutem: Tu quidem Macedoniæ Rex es, ego vero medicinæ. Itaque Philippus illius insaniam castigare volens respondit. Philippus Menecrati mentis sanitatem. Idem vero Rex cum conuiuas plures hilariter excepisset, ac locupleti mensa satiasset, ipsi Menecrato thymiamata iussit adoleri; quo facto, cum exureret, atque irrisum se à rege animaduerteret, indignabundus è conuiuio se proripuit: Author Hegesander apud Adrianum Iunium adagiorum centuria quarta. At contra Hippocrates quem vniuersa posteritas pro oraculo colit, cum immensum auri pondus ab Artaxerce Persarum Rege, ob Græcorum charitatem, aliud amplum munus etiam à Pœonum regibus, vt regionem à peste liberaret, repudiasset: cum filium pro Atheniensibus in Siciliam gratuitò, ad curam exercitus per triennium misisset: cum Athenas sine præmio, primum adiens Thesalus illius filius; inde paulo post Hippocrates ipse peste liberasset, decem post annis ab ipsis Atheniensibus patria pulsus bonis omnibus spoliatus, cum suis ad Thessalos reges confugere coactus est. Quodque maius est, & omnem superat fidem, tantum lumen, nullo scelere, nulla iniuria in Athenienses illata, perorante ad populum Antiphonte Rhetore pœna capitis damnatur ab Atheniensibus. Sed adfuit numen tutelare ipsi, & quem ingrati Græci damnauerant, Thessali barbari vocati tutati sunt, atque adiuuerunt eum, tamen ad aram precari, prius supplex, coactus esset: ita plus semper valuit quomodo exceptus sis quam quid egeris. Et demirantur quidam nostris temporibus fortunam meam, quasi ego præstantior sim Hippocrate aut felicior, aut virtutis cura maior nobis sit quam olim. Ille tamen forsan prudentior suos seruare potuit, & ciues amicos habuit quorum neutrum mihi contigit: nam & à ciuibus meis oppressus non semel ab exteris defensus, simulachrum supersum & ingratæ præsentis ætatis, & vltionis diuinæ in futurum. Nec quærantur posteri iniustè premi violata iura, si quidem vt in psalmis: In ipso laqueo quem absconderant comprehensus est pes eorum. Verum forsan felicior Galenus? nequaquam; ob seditiones enim è patria fugere coactus est, & auxilium, & vitam & gloriam ab exteris quærere. Quanta passus est; percussus, pulsus, exagitatus, quomodo obierit incertum est: certum est multa subticuisse scientem; quæ si narrasset, & seculi sui improbitatem testarentur, & famæ illius nòn parum obessent. Sed veniamus ad Auicennam qui recto nomine vocatur Hasen aliqui Albasen, quod *al* articulus sit, vt apud nos, *El* & apud latinos *ipse*, vt si quis dicat ipse Cæsar, ipse Põpeius: filius fuit Hali qui fuit filius Sine, & filium habuit Hali: ita proponitur etiam in titulo nomen filij, quod laude dignum est. Aristoteles autem Nicomaco filio decem libros de moribus.

Cicero idem exemplum secutus M. Ciceroni filiò tres libros de officiis quos summa diligentia conscripsit, nuncupauit. Sed heu tyrannica tẽpora? nunc filij insontium virorũ coram patribus minimis causis, ob inuidiam potius quam ob iustitiam mactantur. Multa sunt indicia huius; imminutũ stipendium mihi tam turpi excusatione, vt facto ipso fœdior sit excusatio, cum aliis auctũ sit. Inditio est Academiæ ruina, & rarus auditor, vt ex numero præcedentis anni, vix dimidium seruatum sit. Sed ad Hasen redeo, fuit ex Belchi oppido, sed natus est in Aussene, villa Corasena Persidis regionis, ex Citera matre, Pater autem præfuit Carmin, villæ magnæ: educatus, & instructus in Buchara, ciuitate eiusdem regionis Corrasen. Eruditus à Natalino philosopho, & Grammatico, quem pater in domo habuit, Geometra etiam nobilis perlectis quinquies Euclidis libris euasit: fuit & propter omnimo damdoctrinam, & ingenij adeò exellentis, vt etiam per somnia multa inueniret: felicis memoriæ & optimorum morum, & vt vno verbo dicam, iustus: nam qui iustus est idem & pius, & humanus, & probus ac gratus, liberalisque necessariò est, iustitia omnes virtutes complectente, Vt Aristoteles inquit. Studiosus verò supra quem credi possit, inter reliqua pauperibus multa largiebatur, tametsi hanc præcipuam virtutem à religione inductam, nescio qua causa superciliosi isti philosophi contempserint, cum præter officiorum compensationem, nihil Deo post iustitiam gratius sit. Curauit Etnuch Regis Bucharæ filium cum esset admodum ipse Hasen adolescens. Ex quo multorum librorum vsum adeptus est, quod ea ætate opus esset regiis opibus bibliotecam sufficientem parare volenti. Vixit annis quinquaginta octo: Moriens cuncta pauperibus reliquit, optimè enim de rebus ad pietatem pertinentibus sensit: Sepultus est in Medena, vbi periit, reliquit plures discipulos, inter quos Sorsanus fuit præstantissimus, & illi semper assiduus. Ægrotauit magnis & periculosis morbis, maximi coli doloribus & commitiali morbo vsque ad extremum vitæ periculum, & à propriis seruis veneno petitus est: sed re detecta conualuit, at non ita vt tandem ex eo morbo non perierit. Fuit veneri adeò deditus, vt & æger ei immodicè operam dederit, & ob id etiam credatur extinctus: ita cum summa pietate atque iustitia aliisque probatæ vitæ moribus hoc vitium solum manet: conscripsit hos libros.

De scientiarum diuisione.	1	*De cœlo & mundo.*	1
De demonstratione.	24	*Collectaneorum in Euclidem.*	15
De diffinitionibus & quæsitis.	1	*Dialectica.*	1
De gratia & compensatione.	1	*Geographia.*	1
De diluuiis Meminit conciliator.	1	*Archimia.*	1
De magia.	1	*De anima.*	5
Negromantiam Suesanus vidit.	1	*De anima.*	1
De animarum transitu.	1	*De animalibus.*	19
Aphorismi de Anima.	1	*Metaphysicæ.*	10
Regularum Medicinæ.	5	*Sufficientiæ.*	2
Canticum vnum.	1	*De intelligentiis.*	1
De tuenda valetudine.	1		

Omnium numerus est nonaginta sex. Ex quo apparet librorum de viribus cordis suum non esse. Desiderantur, de Demonstratione, de Gratia, de Magia, collectanea, Geographia & Alchimia. Cæterum de illius scriptis non leuis est discordia; adduci autem solent quatuor rationes, quibus Auicennæ scripta refelluntur. Prima quod ipse falsas habuit interpretationes Græcorum Authorum, Hippocratis, Galeni, Oribasij Aetij, Pauli, Dioscoridis, adeo necessarium fuit, vt magnos admitteret errores. Secunda, quod corruptus ad nos peruenit, inditio est varietas codicum emendatio, inconstans, barbara elocutio. Tertia quod cum habeamus omnes libros à quibus sumpsit, nunc optimè conuersos stultum est quærere in stagno, quod inueniri potest in flumine. Atque eo præsertim quod Hasen ipsum se parum Galeni expositorem

passim

passim fateatur: Quarta quod in simplicibus errauit insignis confudit. In curatione vt quamcumque artem exercuerit, fide dignus non habetur. Verùm anxia nimis est calumnia; & nostra ætate Montanus, Mathiolus & Vesalius omnium fermè clarissimi, recentiorum authorum aliorum pace dixerim, illum æquant, aut anteponunt Græcis omnibus præter Hippocratem. Nam etsi corruptos habuerit textus Græcorum, plures tamen habuit longè libros, qui à nobis desiderantur, è quibus hi sunt præcipui ex Galeno.

De demonstratione. lib. 24.
In secundum Epidemiorum. lib. 6.
In quintum Epidemiorum. l. 3.
In sextum Epidemiorum. l. 3. *ferme.*
Anatomicarum aggressionem. l. 6.
De alimentis in Hippocrate: l. 4.
De Humoribus. l. 3.
In Thimeum. l. 6.
De clisteribus. l. 4.
De Medico. l. 1.
De affectionibus.
De aere & aquis. lib. 4.

Præterea ex Oribaso atque aliis authoribus complura, quæ à nobis non habentur. Sed quod his omnibus maius est magnique facio, magis est indicium tanti viri in Dialectica & Philosophia exercitatissimi. Quale illud testimonium Montani in Præfatione in libros Galeni, qui Hasen nisi barbarica conuersio obstaret, relegere ac castigare libros suos potuisset, Galeno præfert, vel sic autem omnibus inquit certè qui Galenum secuti sunt. Quod ego iudicium probo & sequor: duntaxat Oribasium illi æquans, si illius opera ad nos integra peruenissent. Nunc cum minima pars supersit, longè Hasen cæteris præstare confitemur Græcis, Latinis atque Arabibus scriptoribus. De peritia simplicium commune vitium cum Galeno & multis in locis à Mathiolo defenditur, sicut in dissectione à Vessalio. At quod medicinam non exercuerit abundè reprobauimus. Iam verò si quis ad mores scientiamque disciplinarũm & ad modestiam Galenum cum illo comparauerit (nisi inuidiosè dictum timerem) dicerem puerum malè educatum sanctissimo viro conferrem. Vides in Galeno imperitiam, iactantiam, maledicentiam, prolixitatem fastidiosam, impiam opinionem, de anima turpia verba: nihil horum apud Principem, vt merito tum ob in arte præstantiam tum modestiam atque sapientiam nomen illud Principis Medicorum promeruerit, quanquam quidam falsò putent Principem ob id fuisse vocatum, quod vrbem aliquam aut arcem possideret.

Sed forsan dicetis, cur tanta vitia Galeno tribuit? magnis arboribus magnæ labes & rimæ inesse solent. Sed sufficiat in doctrina illos inter se comparasse, reliqua vt inuidiosa omittamus. In Hasen libris ordo adest, perfectio & breuitas, quorum vltimum in Galeno desideratur, duo reliqua in eodem sunt longè inferiora. Sed vt ad ordinem & breuitatem claritas maior sequitur, ita præter elocutionem quæ vitium est interpretum Hasen omnia habet Galeno meliora. Multis iam seculis feliciter medicam artem absque Galeno pròptè & sine alterius auxilio nondum inuentus est. Quis enim in eo possit curam synanche vel tribus diebus exercere, explicare, studere, cùm æger vix vna die suffecturus sit. Quid de cole dolore attonito, morbo, febre pestilente &c qui etsi non omninò statim perimant, nisi tamen statim succurratis, actum est de salute. Est nomen morbi speciei assentia causæ signa, interim æger moritur, aut quod turpius medico est, frustra adhibentur auxilia. Quamobrem dilectissimi Auditores huic vni mentem adhibete, audiendo incumbite, intelligendo studete, opera, verbis, meditatione, rem ipsam felici initio atque euentu finéque, qualem vobis opto omnibus, prosequamini. Erit autem modus hic explicandi. Primùm docebo sententiam illam vnde sumpta sit (pleraque enim ab aliis accepit) simplicemque verborum sensum iuxta eorundem opinionem. Mos enim est Hasen, vt si aliter sentiat, rationibus contra nitatur, nósque admoneat. Inde proponam continuationem ad præcedentia, eiusque dicti causam. Adiiciam post hæc singularum partium litteræ explicationem perfectam & claram

ram. Et quæ in oppositum adduci soleant, illa dissoluam. Demum eiusdem partis vtilitatem colligam,

PROOEMIVM ALIVD habitum Bononiæ anno MDLXIII. dum publicè quartò eundem librum exponeret.

VT nimis humilis nimisque abiecti animi esse crediderim, Viri ornatissimi, si quis hoc munere ptofitendi præditus in hunc suggestum ascendat, vt rem propriam agat, aut commodis suis studeat: ita nimis timidi viri atque sub rustico pudore impediti, si ea parte quâ eius fama cum disciplina pulsatur atque laborat, si bonus autor immeritò accusatur paruipenditúrque, hunc non cum illa vt seipsum quoque tueatur. Et plus vereatur & pudeat veræ defensionis, quàm æmulos inuidos perfractos imperitósque falsæ calumniæ. Multa sunt quæ animus meus gestit enarrare multa sunt pro quibus excusare me vellem, sed longè plura, quæ in artis & huius auctoris contemptores, quem nunc profitendum suscepi dicturus eram, si modo tanto negotio par fuissem, & facundia suppeteret, & memoria me non desereret. Itaque de arte primum: inde de authore ipso verba faciamus. Non ideo vt nos tueamur, nunc artem defendimus, sed vt artem ipsam defendendo, forsan etiam existimationi nostræ non parum consulemus.

Admirantur quidam quod & aliqui ægri in manibus nostris pereant, quasi vel ego si errem, tota ars erret, aut meipsum totam artem scire profitear. Sed vt video, non tam hic est error noster aut artis defectus, quam eorum apud quos ægri ipsi laborant. Principio quidem & ex Hippocrate professus sum, si quis tempestiuè ad laborantem acuto morbo nos vocet, neminem periturum. Suadeat hoc vobis tanti viri authoritas, suadeat & ratio (nam de experimento nunc prætermittam........ne agam) si quis antequam ægrotet acuto morbo præsidiis optimis vtatur: qua ratione eousque ne ægrotaret distulit, etiam in posterum euadere potest, ne ægrotet. At cum tempus primum quoddam sit, in quo iam vt moriturus ægrotat, non arduum est cogitare in medio tempore auxiliis adhibitis posse ægrum reualescere. At cum sero nos vocent, quomodo sperant id posse consequi, aut artem ipsam aut artificem culpare audent? Medio enim in tempore si quid peccatum est, si omissum; plerumque autem vtrumque contingit, ferme verò semper alterum, quomodo restituetur? Nonne dicebat Hippocrates 2. Aph. 29. *inchoantibus morbis si quid videtur mouendum, moue: cum verò consistunt ac vigent melius est quietem habere.* Circa principia & fines omnia imbecilliora, cum verò consistunt validiora. Et rursus quale principium intelligat, alibi docet: *Medicari in valde acutis si materia turget, tardare enim in talibus malum est.* De quibus autem auxiliis intelligat, nemo dubitat qui Galenum videt *prima Aphorismorum* dicentem (cum Hippocrates iam haberet in textu, *In acutis passionibus rarò & in principiis medicamentis purgantibus vti.* Et hoc cum præmeditatione faciendum.) Duorum præstantissimorum auxiliorum quæ sunt sectio venæ & purgatio: sectio quidem venæ frequentius, purgatio autem conuenit rarò, vt constet hæc ipsa præstantissima auxilia, quæ in acutis morbis hominem à morte vindicare possunt, inde exquisita etiam cum his ratio victus, & plerumque inedia exacta, quam

quot

quot modis vitiare solent, tum ægri, tum astantes, tum Medici, id vobis relinquo considerandum, nulli vsui esse. Et cum semel peccatum fuerit, plerumque nunquam spes est restituendæ sanitatis. Sed & id modo quisque medicus secum cogitet, quàm ab initio his omnibus intentus arcta ratione fuerit, nec vel vngue à debito recesserit: inde rursus vt nunquam præuaricatus sit. Quare non iam artem ipsam, neque me sed vos ipsos toties admoniti culpetis, qui eo tempore nos vocatis, cum nec sectioni, nec venæ purgationi locus datur, cúmque omnia iam pene profligata sunt. Vnde etiam qui id nobis suadere conantur, cum nec ipsi præstare norint, & præstare cupientibus refragentur, illos non esse legitimos medicos quisque intelligat.

Neque hoc mea causa dictum putetis, cum maius periculum sit in aliis vrbibus, & frequentiora peccandi exempla. Nam neque ego hic conqueror, nec plus cupio laboris, quàm mihi condeceat, optóque magis, vt nostrorum dogmatum, quæ quidem sunt Hippocratis, Galeni & Principis, tum etiam aliorum studiosi sint, quàm vt me longius socium in morbis curandis detineant. Verùm hunc errorem (cum ad ignorantiam sponte prolapsus sit, & magis quàm ex accliui loco in decliuem) maiore incommodo quidam scioli & sibi ipsis auxerunt: eos vituperando, quorum ingenio, industria, labore, sedulitate ars ipsa multum incrementi accepit, facilitatis longè plus, ordinem autem exactum & exquisitissimum; inter alios autem omnes *Hasen*, quem quidam *Auicennam* falsò vocant, ita eminet, vt verè illud de eo dici possit.

Verum inter alios tantum caput extulit Hasen,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Obiiciunt quidam quod Arabs fuerit, quòd barbarè loquatur, quod alio ordine tractet medicinam quàm Galenus, quod medicamenta non rectè vt ab antiquis descripta sunt, recitet, quod in aliquibus Græcis contradicat: denique hoc ipsum quòd eis non placeat, cum Galeni sententia nobis pro duce habenda sit. At o Viri egregij, quod ad prouinciam attinet, demiror quin etiam legem obieceritis cum Mahumetanus sit, sed deterior in hac parte Galenus, qui etiam idola coluit. Sit Arabs, sit Gallus vel Italus, numquid apud Deum, aut Musas, aut sapientes, deteriore in conditione habendus est? Nonne apud Indos Gymnosophistæ omnium Philosophorum sapientissimi extiterint? & apud Æthiopas Brachmannes? Nonne apud Chaldæos & Ægyptios inuentæ sunt omnes Mathematicæ? summa ingenij humani, quem habent, quem opponant: Trismegisto quamuis antiquissimo? si seruatorem volunt, numquid natus est inter Græcos aut Italos? sed inter Iudæos, inter quos nisi natus esset Christus, barbari haberent? quandoquidem & Christo inter eos nato, etiam pro barbaris ferme censeantur. Quot pulchra ingenia in breui tempore floruerunt inter Arabes? Quis doctior in medicina Rasi? quis præstantior in Philosophia aut acutior Auerroe? quis ingeniosior Alchindo? Quis sublimior in Astronomia Hebro? Quis mirabilior in Arithmetica Muhamede autore Algebræ? Quale iudicium Serapioni de simplicibus medicamentis? Obstitit breuis ætas egregiis operibus illorum, nam constat etiam diligentiam Mesues nobis breuitate vitæ illius magna ex parte ereptam. Quod illi & quantum tribuerunt Græcis, tantum par nobis est illis tribuere. Non est lis de regno, non de lege, non de sermone, si esset non eos collaudarem sed Ciceronem, tametsi qui eos accusant longius absint à sermonis Romani elegantia & puritate, quàm ab Arabum subtilitate atque ordine. Non est certamen in Rhetorica o Viri fucati, sed in solida disciplina quæ ingenio, sedulitate, ordine, scientia rerum atque vtilitate humani generis constat. Video nos cum contemptu Arabum etiam Philosophiam & Dialecticam & Mathematicam omnesque bonas artes neglexisse. Garulos in sermone, ambitiosos in conuersatione, infelices in medendo, magis re alienos a Galeni disciplina quàm verbis ab Arabum doctrina. Quid iactatis Galenum, quem solo nomine colere simulatis studiis nihil minus sapitis. Nonne ille docet studiosos sui, debere esse dialecticos, philosophos, mathematicos: vbi hæc in vobis, quorum ne vestigium quidem habetis. Silete impudentes, silete Carnifices, qui vt nouam simulatis ostendere doctrinam, illam obruistis, hanc non estis assequuti: Nonne Curtius atque Montanus, qui verè duo lumina in Galeni doctrina nostris temporibus fuere, maximè

mè Principis doctrinã probarunt. Montanus etiam in præfatione in Galenum, vbi minus conueniebat, nostrum Hasen paulò minus Galeno prætulit, certè coæquauit. Curtius in vltima senecta operã Arabicæ linguæ præstare decreuerat, vt Hasen in fonte videret. Tantum illi vir hic admirabilis visus est, cæpitque id facere, quod morte præuentus perficere nequiuit. Sunt medicamina fateor, quæ melius descripta apud Græcos inueniunt, cum recognoscere opus ipsi principi non licuerit: mors enim immatura præripuit illum. Sed quid etiam cum tot conatibus & tanto Græcorum autorum auxilio profectum est? Nunquid non obscuriora sunt etiam quam prius omnia? & quam theriacen aut mithridatũ melius, quàm antea habemus? Immo magno pudore vnam pro altera, & mala pro bona; descriptionem etiam in vsu hic habent, & tamen cum hoc & in illa deteriore, suprà decem sunt medicamenta, quibus prorsus carent, totidem etiam dubia. Dicetis etiam plura deficiebant: plura etiam incerta erant ante: veniat ergo æquus hic iudex, & iudicet inter hæc. Habemus Galeni, habemus Græcorum, imo etiam quod dici tamen non potest, Hippocratis medicamenta, sed mutila, incerta, nec satis regioni aut temporibus congruentia, habemus ex altera parte Arabica perfecta, nota, validioribus viribus præstantiora; Moschum, ambram, Zibethum, belzoin, gariophilum, rhabarbarum, mannam, smaragdum, zeduariam, cassiam nigram, gemmas multifidas, monocerotis cornu, pezar, bezoar, lignum sanctum, sarzam pariliam, cynæ radicem, thalasiam, sexcentaque alia quæ constat odore, sapore, viribus, prætio esse antiquis, meliora vtilioraque cinamomo, carpesio, amomo, malabethro, paucisque aliis quæ nunc desiderant: quæ amentia, quis furor est hæc, quæ non habemus, viliora que frustra desiderare; quæ habemus, elegantiora melioraque spernere. Itaque & hanc causam profligatam penitus esse puto.

Sed si tantus amor rerum cognoscere sensus.

Et id præstabimus emandata ad codicum Græcorum fidem, medicamentorum singulorum compositione. Reliquorum quæ nobis legendo non occurrent, vestrum erit qui maximè hac in parte præstatis, id facere. Nam mihi exemplo alterius, cui oxymel in omnibus med icaminibus erat, sufficiat, vel paucis & maximè notis vti. Contradicere dicitis Galeno: at non id querendum an contradicat, sed an iure contradicat: laudatur valde vox illa Vespasiani. Equiti non licere maledicere senatori, licere remaledicere. Constat Hasen optimum fuisse philosophum, & dialecticum, tum etiam mathematicum, defensorem Aristotelis, quod magna cum laude Galeni fecit Princeps, fecit Auerroës sine illius laude. Græci autem Aristotelis expositores, ne dignati quidem sunt Galenum habere in numero eorum quibus responderetur. Sic fastus fastu repressus. His non satis est, quod dignus habitus sit qui Principi philosophorum compararetur? Cæterum in ipsa arte tradenda tantus fuit, ac tam admirabilis, vt meritò ei palma inter autores debeatur. Solus enim vno volumine totam artem ita perfectè tradidit, vt nihil deesset, tam breuiter vt nihil abundaret. In tam magno volumine ne verbum quidem superfluum dici potest. Quis subtilior in inueniendo? quis doctior in recitando? quis grauior in iudicando? quis cupiosior in curando? quis ordinatior in tradendo? Deorum hoc munus est relictum esse nobis Hasen ad mortalium tutelam: An breuitatem in illo Pauli spreueris? an fabulas & mira mendacia Aëtij? An incompositam historiam Rasis? An empericum Alexandrum ei conferetis? Inuenit Hippocrates medicinam, Galenus excoluit, Hasen ordinauit atque perfecit. Ob quod meritò munus nomen principis medicorum assequutus est. Nam quod oppidi aut arcis Princeps fuerit, & ob id cognomen ei sit impositum principis, vita eius descripta passim fabulosum esse docet. Qui Galenum huic viro quanquam de se multa iactantem præferre volunt, rogo vt ostendant vel ipsius Galeni testimonia, quid in philosophia naturali, aut diuina, aut Mathematica scripserit, cum palam sit Principem vestrum feliciter in omnibus his, tum etiam in Dialectica, de qua solum Galenus se iactat, post Grammaticam commentaria conscripsisse, quæ & nunc extant. Sed cum facilè Galeni defensores quod tueri non possint, aliis sint concessuri, siquidem in aliis disciplinis Principem præferri æquo animo patientur, modò Galeno palma in medicina tribuitur. Vellem tamen oppidò scire id qua ratione: quod plura

docuerit?

docuerit? vbi ergo illa omnia, quæ à posterioribus Galeno Princeps accepit tam Græcis quàm Arabibus: aut quia meliora? At Vesalius magis Principem defendit quàm Galenum in desectione. Matthiolus etiam illum tuetur, Galenum non attingit, qui de hac materia nihil scripsit. Rursus breuitate illum confertis: cum in Galeno tot præter propositum ascripta legantur, vt nihil sit quod magis fatiget, aut fastidio efficiat lectorem, immensa illa prolixitate verborum. Sed neque ad exercitationem artis vtilior Galenus dici potest, cum constet nihil minus aptum eo ordine scribendi, quem non solum nullus Arabum, sed neque Græcorum secutus est. Non Oribasius, non Paulus, quem Galeni simiam vocant, non Aëtius, non Alexander aut Aretæus. Quid est ergo quod defenditis, cum noster Princeps, ac verè Princeps huius artis primum quidem totam medicinam in quinque partes principales diuiserit. Atque in prima generalia omnia complexus sit, & quæ extra curandi rationem essent; in secunda autem materiam totam medicamentorum simplicium. In tertia verò morborum propriorum vnicuique membro signa, causas, curámque internam. In quarta aut vniuersalium, aut quæ non intus curari exposcunt, sed potius extra: In quinta autem medicamentorum compositorum historiam describit. Horum igtiur causa primam partem in quatuor rursus diuisit partes: in prima quæ quam nunc præ manibus habemus, agit de principiis aut artis aut subiecti, & ideo eam in sex diuisit doctrinas In prima de diffinitione & diuisione medicinæ: in secunda de elementis, in tertia de temperaturis, in quarta de tumoribus, in quinta de membris, in sexta de facultatibus, quas illi virtutes & functionibus, quas vocant operationes. Secunda verò pars in tria diuiditur, iuxta illa quæ arti propria sunt, scilicet de non naturalibus rebus, in quibus tamen causæ sanitatis & signa, quam etiam morborum comprehenduntur; quare de morbis in prima doctrina agit, in secunda de causis, in tertia de signis. At in tertia parte libri eiusdem, (vocat autem eas *Fen* quasi dicat, non simpliciter partes sed perfectas) agit de conseruanda sanitate: rectéque eam in quinque diuisit: in prima de victu infantium, in secunda iuuenum, in tertia senum, in quarta lapsorum, in quinta quibus modis aëris iniuriæ resistatur, vnde etiam de regimine iter agentium. Quæ autem pars generalem curandi rationem complectitur, in secundo agitur de medicamentis simplicibus generaliter, primo inde specialiter. In tertio autem de morbis cerebri; post neruorum, oculorum, aurium, inde nasi, oris, dentium, gingiuarum, gutturis, pectoris, vt hæc sit decima *fen*: vndecima cordis, duodecima mammillarum. Post ventriculi, iecoris, inde fellis & lienis, simul in quinta decima: nam his expurgantur excrementa iecoris, inde intestinorum, renum, post vesicæ genitalium in viris, & hoc in vigesima *Fen*: inde in fæminis demum insturarum & herniæ. In quarto verò de febribus, in prima parte Ephemeris putridis, hecticis, pestilentibus, aut Epidemiis, Endemiisuè vel compositis, quod hæ omnes nullius videantur esse certi generis. In secunda de signis. In tertia de abscessibus ac tumoribus quibusuis: in quarta de vulneribus, vlceribúsue atque huiusmodi: in quinta de luxatione & fractura, in sexta de Venenis in septima de decoratione. Quinti libri ordinem maiore diligentia prosequi oportet; nam primùm in duas partes diuiditur, scilicet de medicamẽtis generalibus, inde vnicuique membro conuenientibus. Et ex generalibus sunt magnæ compositiones, velut theriaces, mithridati, Alchermes cõfectio regum, post Hiere, inde electuaria alia, post quæ sunt similia electuariis sed ab eorum dignitate deficiunt, Post syrupi, Inde pastilli: post decocta & catepotia in vnum conclusit tractatum: decimo loco de oleis, post quem egit de vnguentis, ceratis & emplastris. Adiecit hic tractationem, quomodo singula etiam vnicuique membro seorsum conuenirent, vt omnes partes simul duodecim essent. At in secunda parte egit de medicamentis ad iecur primum, inde ad oculos, aures, dentes, post os & guttur, & pectus: inde ad ventrem inferiorem, post ad iuncturas, & demum ad alopetiam, sicque omnia hoc vno volumine amplexus. Plura essem dicturus de huius viri præstantia, doctrina atque vita; sed quia memini alias in præfatione huiusmet partis Papiæ plura dixisse, ne contra morem meum quicquam bis dicatur, supersedeo, & vobis qui me attentè audistis, gratias magnas ago.

IN PRIMAM PRIMI

HASEN

COMMENTARIORVM

LIBER PRIMVS.

Procemium Auctoris

TEXTVS I.

IN primis Deo gratias agamus, ſicut ſui ordinis celſitudo & beneficij ipſius multitudo meretur, cuius miſericordiæ ſuper omnes prophetas exiſtunt.

COMMENTARIVS.

Circa modum exponendi primum dicebat Galenus *Secundo de Criſi cap.* 8., medium inter breuem & prolixum amplecti debemus, nam in breui eſt quod dicebat Horatius.

Dum breuis eſſe laboro, obſcurus fio.

Prolixitas tædium parit. Eſt autem mediocris ille apud Galenum, qui in neceſſariis ſolum affert demonſtrationem. Demonſtrationis nomine apud eumdem tria intelligo .... declarationem, ... firmam probationem, ...quo nomine ſimul vtrumque illorum amplectimur à ...... quod eſt demonſtro, eandemque retinet homonymiam, quam latinum verbum habet. Hoc autem ipſo ibi Galenus vtitur. Conabimur autem id nos præſtare, & quanquam non vt quidam vobis abblandiar, ſcitote neminem *abblandiri*, non vt alteri bonũ, & vtile impartiatur, ſed cum damnoſum aliquid ſuadere vult: ſunt enim preces iacturæ ancillæ. Sed & mos malus inoleuit, vt concurſores inter ſe inimicitias gerant, cum ſit Aſclepiades Philiaſius: qui cum Menedemo diſcipulo ſe ad audiendum ſtilponem contulit, cuius fuerat æmulus. Eſt Thomas de Garbo cum Diri eſſet filius, ad Gentilem, qui tamen patris concurſor erat, ſe contulit.

(*In primis Deo gratias agamus*) Diuiditur hoc opus in procemium, & tractatum, qui incipit ibi (*dico quod*) Ipſa tractatio in duas rurſus. In prima, quæ continetur primo libro generalia tractantur: in ſecũda quæ ſequẽtes quatuor amplectitur libros, ſpecialiter de ſingulis agit. Cum ergo generalia ſint totidem quot ſpecialia, ſcilicet naturalia, non naturalia, præternaturalia & inſtrumenta; Erunt etiam totidem primi libri partes integræ ſeu *Fen.* In quarum prima tractat de Naturalibus, in ſecunda de Præternaturalibus, in tertia de non naturalibus ideſt ad tuendam ſanitatem ſpectantibus. Quarta de inſtrumentis, ſectione venæ, purgatione & talibus. Cum verò prima primi partim ſic de generaliſſimis, diffinitione, & ſubiectis conſtituitur prima doctrina: res autem naturales ſunt ſeptem, *libro de oculis* elementa, temperaturæ, humores, membra, ſpiritus, facultates, & functiones: coniecerit autem Princeps ſpiritus, facultates & functiones, in vnam doctrinam; factæ ſunt quinque doctrinæ, quibus antepoſita prima generaliſſima illa, fient omnes doctrinæ primæ *fen* numero ſex. Procemium diuiditur in quatuor partes: in prima agit Deo gratias: In ſecunda ponit cauſam cur ſcripſerit ibi (*Et poſt dicam*) In tertia ordinem & materiam ibi (*Et mihi placuit*) In quarta vtilitatem ibi, (*non eſt autem bonum*) Cum ergo dixerit Deo gratias eſſe agendas, ideo ſolet de hoc dubitari; verùm alias dictum eſt: ſicut & illud an Deus hæc inſcripta cognoſcat, alibi quoque tactum eſt. Multa enim in alia loca referre neceſſarium eſt.

Poterant iſta ſufficere, ni animus eſſet explicare cauſas quas adducit Princeps quæ ſunt tres: *Ordinis ſui celſitudo* quoniam in ordine omnium eſt ſupremus dicebat Philoſophus quinto Politicorum *cap.* 3. *Honor duplex: iniuſtus qui indignis exhibetur, & iuſtus qui dignis.* At Deus cum ſit ſupremus, optimus, potentiſſimus, & ob id bonum ſimpliciter à Plotino appellatur, digniſſimus eſt: ideoque honos ei iuſtiſſimè habetur. Vnde cum in eo ſint ſummæ nobilitatis omnes partes, Sapientia, Potentia, Beneficium, antiquitas, omnia nobilia ad ipſum referuntur. Cum verò exhibere honorem his qui merentur ſit, ideſt quoniam honeſtum eſt, pertinetque ad virtutem, hoc igitur clarum eſt. Sed quomodo virtus & honeſtum, vt ab vtili ſeiungitur illo vulgari, vtilia ſint verè, in hoc laborauit multum Cicero: tum primum in *Primo de officiis* vbi Panetium defendentibus minimè aſſentitur, quod vtile nunquam ſeparetur ab honeſto. Certè ſeu honeſtum vtile ſemper

per sit, seu vtili præferendum, maior honesti quàm vtilis cura habenda est. Quomodo autem honestum vtili præferri possit, ex ipsius Ciceronis argumentis eliciendum est. Is inquam in eodem opere hanc primam adducit rationem. *Honestus homo exercetur in eo, quod secundum naturam est, & intimum ipsi homini, perficiturque, turpis autem contra omnia*; igitur honestum optimum est & præstantius vtili, turpe pessimum & damnosio deterius, velut siquis suem rectè inspiceret, perfectèque illum contemplaretur; alius in Rege vidēdo distorqueretur oculis, nec planè illius formam, & ornamenta assequeretur, Nonne melior esset ac perfectior atque vtilior operatio, intuentis suem quàm regem, tametsi Rex esset longè nobilior: vnde etiam illa verba sæpius repetit. *Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum agere commodum, magis est præter naturam quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor*. Ratio autem, cur turpe sit contra naturam, honestum autem secundum naturam, est quia homo natura animal est ciuile, & sociale, honestum est autem causa conseruandæ sanitatis, turpe dissoluendæ; nemo est qui non videat has duas rationes esse efficacissimas. Est etiam honestum id solum, quod propter se est expetendum, cum in omni genere vnum præstantissimum constituere oporteat, palam honesto nihil esse præstantius: itaque quod per se expetendum est, omnibus aliis præferri debet. Atque id dicendum de homine qui turpia admittit, humanitatem exuere, leges per quas stabilitur humanum genus pessundare, & perpetuo in deteriora ruere. Equidem si honestum maximè secundum naturam est, & quod secundum naturam est vtile quod est honestum, idem etiam homini vtile & valde, iuxta id quod honestum secundum naturam est.

Inde subiicit *(& beneficij sui multitudo)* Philosophus *primo Rhetoricorum cap. 5.* inquit *Honor exhibendus est ob beneficia accepta, & ob spem accipiendi*: vtriusque rationem habuit Princeps. Acceptorum beneficiorum à Deo quinque sunt genera; quatuor meminit in *Nono Ethicorum*: vita, nam viuere natura bonū est. Sensuū cognitio per quā & nos viuere scimus, & multa alia percepimus & mouemur etiam, nam motus est propter sensum. Tertium est quod boni simus, vt quartum quod beati fortunæ & corporis commodis. Quintum autem ostenditur *in Decimo*, mens & intelligentia, iuxta quartum vsum inquit felicissimam vitam agimus. Hæc vero omnia à Deo nos habere ostendit auctor libri *de causis cap. 3.* dicens: *Causa plus influit in suum effectum, quanis alia causa illam sequente.* Constat igitur Deo omnia hæc magis quam parentibus vel patriæ deberi.

(Cuius misericordiæ super omnes prophetas) Secundum legem suam arbitratur Prophetas posse remittere peccata: hoc supponit, quod anima à morte sit capax gratiæ; hoc rursus, quod sit immortalis ac distributa in singulos homines. Propheta dicitur vates latine à .... quod est prædico. Sed hæc accipitur pro digniore scilicet legem promulgante. Hi autem omnes futura præuident, non tamen omnes qui futura præuident, Prophetæ sunt in hoc sensu. Necessitatem horum docebat ipse Princeps dicens: *Homines pro commodis suis indigent coniunctione*: hæc non potest stare nisi per constructiones iustas, quæ omnes nostras actiones complectantur, tam occultas quàm manifestas: sed hæ non possunt persuaderi hominibus, nisi à vero sapiente, & cui credatur à multitudine; igitur oportet hominem inuenire iustum & sapientem, in quo multitudo confidat. Vt autem talis apud ipsam multitudinem habeatur, oportet vt edat mirabilia. Sed miraculorum potestas non est nisi à Deo, ergo talem hominem à Deo proficisci necesse est, qui & miracula edat, & ei credatur à multitudine, & qui leges iustas promulget. Sicut igitur Deus cauitatem in planta pedis constituit, vt firmius homo staret, & circa oculos cilia, ita maiorem ob vtilitatem atque necessitatem largitus est prophetas vitæ populorum duces. Et ita misericordia est magis super nos, quam super Prophetas. Secunda causa est, quoniam Propheta secundum legem Maumedis etiam quod posset ignoscere nobis, Deus tamen hoc potest magis facere, & cum hoc etiam præmia addere, quæ non potest Propheta. Est etiam cognitio Prophetæ dicit Princeps ibidem vtilis ad cognitionem Dei, per quam consequimur vitam beatam, post discessum à corpore nostro.

Sed dicetis, agitne Deus hæc absque medio? Auerroes *Octauo Physicorum com. 15. & septimo Primæ philosophiæ com. 31.* respondet quod non, quoniam Deus nihil agit, nisi cœli medio. Galenus quoque *vndecimo de vsu partium cap. 14.* Deus *non potest facere aliquid nisi ex propria materia, & in hoc* dicit *errauit Moses.* Princeps quoque *Nono primæ Philosophiæ cap. 4.* idem sentit, & adducit rationem: ab vno & vnum est, non potest fieri nisi vnum; sed Deus est maximè vnus, ergo non potest producere diuersa sine medio. Istæ sunt opiniones falsæ & impiæ. De impietate nemo dubitat: quod autem falsa sit, nam hoc est necesse, vt sit impia apparet: quia velut ignis subito multiplicat, si materiam habeat idoneam: ita si Deus est causa ciliorum in cartilagine, & est causa cartilaginis vt fateris; ergo totum est in sua potestate.

Quæritur etiam, an Deus liberè agat? Respōdet Auerroes *Disputatione tertia contra Algazelen c. 4.* quod sic, quia ex bonitate propria. Idem vult Princeps *Nono primæ Philosophiæ.* Deus contra quæ agit liberè agit. Et est verissimum: superant etiam multa quidem dicenda, velut de Animi immortalitate atque substantia secundum medicos, sed quæ alibi vberiore oratione tractata sint.

TEXTVS II.

ET post dicam quod quidam de melioribus amicis, quos habere videor:

videor: cui in omnibus pro quibus me deprecatus fuerit, satisfacere debeo: de re, quam possum me rogauit, vt ei librum de medicina faciam.

COMMENTARIVS.

Sequitur igitur (*vt dicam rogatus ab amicis*) hanc sententiam sumpsit à Galeno *libro de libris propriis*: libros nō composui vt ederem, sed vt discipulis aut amicis satisfacerem: Idem *Tertiò Epidemior.* Nullum ego composui librum, nisi ab amicis rogatus. Sed *Septimo artis Curandi* dicebat: *nullum ego composui librum, nisi vel rogatus ab amicis, vel honestæ exercitationis causa, vel vt senij obliuioni occurrerem.* Dico quòd intelligitur in primis autoritatibus de editione, in hac autem vltima de causa conscribendi.

TEXTVS III.

Eius regulas vniuersales & proprias taliter comprehendentem: vt explanatio cum breuitate in eo coniungatur, & secundum plurimum, afferam quantum est afferendum de declaratione in verbis paucis. Quod equidem concessi.

COMMENTARIVS.

Annuit huic petitioni edoctus ordinem, quē seruare debuit ab ipso, vt scilicet inciperet à generalibus, circa quod cōsurgunt tres dubitationes. Prima an vniuersalius prius cognoscatur? Respondet Auerroes *Primo Physicorum* ex Philosopho in Procemio eiusdem, & *Primo Posteriorum commento magno*, quod sic; tres ob causas: Prima quia notiora, Secunda quia demonstratio communior: Tertia ne fiat petitio principij. Circa primum dicebat Galenus *Secundo Artis curandi cap. 7.* vniuersalia non solum apud homines, sed etiam apud belluas prius sunt cognita, & probabat experimento. *Asinus naturaliter formidat Camelum; huic igitur cum à longè abuiauerit, pauor incutitur, cum verò agnoscit contubernalem, blanditur.* Sed hoc probat solum de cognitione sensitiua & singulari vago, nos autem quærimus de vniuersali vero, & intellectiua cognitione. Vt igitur euadamus quæstionem de primo cognito, respondeo quod vniuersale est prius cognitum intellectu, quia cognitio illa est similis cognitioni singularis vagi, & ita cum Galeno: & hæc de prima dubitatione, in qua magis vniuersale minus vniuersali comparatur. Secunda dubitatio est, vtrum procedendum sit ab vniuersalibus ad singularia in cognoscendo; cúmque intellectus non cognoscat singularia, nec sensus vniuersalia, prior est cognitio singulariū *Secundo posteriorū*: & Galenus *tertio Prorrhetici*. Hippocrates ex singularibus collegit vniuersalē doctrinā, & probat id ex *Epidemiis*. Sed dicetis *Primo Physicorum* ab vniuersalibus ad singularia proceditur. Respondeo generalis cognitio est minus perfecta, ideo in eodem genere procedit, sed quia & habetur libro *De sensu & sensilis: omnis nostra cognitio ortum habet à sensu:* ideo cognitio singulorum procedit non vt singula; sed vt sensui subiecta, præterquam in Mathematicis: nam illæ cum à materia abstrahant, etiam quia procedunt ex primis principiis, intellectui notis, procedunt ab vniuersalibus ad singula. Tertia dubitatio, an in tradendo doctrinam, vniuersalia præcedere debeant, & respondetur à quibusdā, quod in eo genere, non in diuerso, & adducunt ob id dictum Principis, quia ita placuit se excusantis: nam ipse omnia vniuersalia proposuit. Sed hæc responsio damnat Principem, nec illa verba sunt in interpratatione Mantinei. Respondeo igitur quòd omnia vniuersalia præcedunt singula quæque, quia ordo est ad vnum, & ideo redduntur omnia eiusdem generis, igitur præcedant vniuersalia. Sed Galenus cum voluerit præponere singula multorum generum vniuersalibus, vt necesse erat *in libro artis Medicæ* præposuit libros desectionis libris Methodi medendi, & ita in abusum incidit, & difficilem reddit doctrinam. Sed dicetis hoc idem fecit Hasen; Respondeo quod Hasen supposuit Anathomiam esse generalem non propriam vniuscuiusque membri, posuit in tertio libro. Doctrina igitur Principis clara est ob hunc ordinem, quem in sequenti lectione declarabo Videtur autem hac in parte obsequutus honestæ petitioni viri eruditi, qui librum hunc legere cuperet. Indignum enim esse insinuat his dedicare libros, qui eius opera vsuri non sunt, nec in manibus habituri.

TEXTVS IV.

Et mihi placuit, vt in primis loquerer de rebus communibus & vniuersalibus vtriusque partis medicinæ, theoricæ videlicet & practicæ.

COMMENTARIVS.

Describit quam breuissimè ordinem & contenta in primo libro. Principium enim medicinæ est, vt dicebat Philosophus *in libro de Respiratione cap. vlt: in fine: vbi desinit Philosophus, ibi oportet, vt tractatio medici incipiat à fine Philosophi.* Itaque cum Philosophus ponat elementa & temperaturas, humores, membra & operationes, vt in *libris de cælo*, elementa esse quatuor: *in libris de generatione* qualitates quatuor: *in libris de Animalibus* humores & membra, *in libris de anima* virtutes, & operationes: meritò igitur totam primam hanc Fen Hasen huic tractationi

rationi dedicauit, quam Galenus & ipse iuxta sex doctrinas posuerat. In prima tractatur de subiectis medicinæ, hoc Galenus *in primo de partibus artis medicæ* edocuit, & *in principio artis medicinæ*. In secunda de Elementis, Galenus *in primo de Elementis*. In tertia de temperaturis Galenus in tribus libris *de temperamentis*. In Quarta de Humoribus Galenus *in secundo de Elementis*, & *in commentariis de humoribus*. In quinta agit de Membris: sumptum hoc à Galeno ex tribus primis libris Anathomicarum Aggressionum. In sexta de virtutibus & operationibus, sumptum hoc ex *tribus libris de facultatibus naturalibus*. Quo ad operationes naturales & quo ad animales, ex *libris De motu musculorum*: quoad motus ex *libris de Decretis Hippocratis*, sed quo ad vitalem ex *libris de causis pulsuum*.

Sequitur secunda *fen*, in qua comprehendit secundam partem medicinæ & tertiam, ideſt morborum & causarum tum etiam signorum cognitionem, ideo diuiditur in tres doctrinas: in prima de morbis agit, in secunda de causis, in tertia de signis. Prima sumpta est à Galeno in libro vti titulus est *de differentiis morborum* secunda ex libris cui titulus est *de causis morborum*, tertia ex quatuor libris de *præsagio ex pulsibus*. Cum enim sint decem & septem libri, eorum ordinem ponebat *libro primo de præsagio ex pulsibus*, item ex *libris Prognosticorum & de vrinis*, si modo Galenus eum fecit. Certum est quod liber ille qui sub nomine Galeni circumfertur non est Galeni, & est spuritus. Actuarius librum edidit de vrinis impressum Parisiis. In tertia *fen* ponit quartam partem medicinæ ideſt conſeruationem ſanitatis, ſumptam ex ſex libris *de tuenda ſanitate*, & *primo de alimentis*, item libris *de cibis boni & mali ſucci & de attenuante victu, de ludo paruæ pilæ, de aſſuetudinibus, de ſalubri victu tuendæ ſanitatis*. Quarta *fen* continet quintam medicinæ partem ideſt ægrorum curationem, ſumptam ex libris *ſeptem methodi primis*, tum etiam *ex libris quos & quando purgare oporteat, ex fine artis medicæ, de ſectione venæ, de hirudinibus*.

Ex hoc colligo duo: primum quinam ſint libri Principales Galeni, & magis generales, & ſunt hi quos connumerauimus. Secundum quod illi qui diuiſerunt Galenum, neminem ſecuti nec Galenum, nec Auerroim. Nam vt dixi, Princeps ad vnguem Galenum in hoc ſequitur; quia ſecundam poſuerunt quæ eſt quarta, & diuiſerunt quintam à ſexta, vtramque verò perperam addiderunt. Hic dubitatur quod videtur Princeps peruertiſſe ordinem tractando propriè de conſeruatione ſanitatis. Reſpondeo quod tractat de conſeruatione ſanitatis, generaliter tantum & totius corporis: nam propriè de ſingulis membris tractat *in tertio libro de conſeruatione ſanitatis oculorum tertia tertij dentium, Septima tertij & Iecoris quartadecima tertij*.

Galenus in introductorio medicorum declarauit, quod medicina diuiditur in quinque partes, ... ideſt naturæ contemplationem .... ideſt paſſionum cognitionem, cui affine ponit .... ideſt cauſarum ſcientiam. Tertia eſt.... ideſt ſanorum conſeruandorum peritiam, poſt .... quod eſt ſcientiam ſignorum, & vltimo .... ſeu curatiuum. Sic igitur erunt hæ quinque partes, ſcilicet naturæ morborum, & cauſarum, tum ſignorum cognitio, & ſcientia ſanorum conſeruandorum, & morborum curandorum. Et quia ad curationem materia eſt neceſſaria, ideſt ſimplicia & compoſita medicamenta, quæ curandi ratione ſeiunguntur, erunt totius medicinæ ſex partes. Idem ordo apud Hippocratem, Ariſtotelem, Galenum, Principem & Auerroim. Sed Auerroes, vt Galenus loco allegato, reliquit cauſas cum morbis conſiderandas, quod etiam fecit Haſen in tractatione morborum ſingulorum. Sed Auerroes quia diſſectio erat res quædã extra medicinam, ſeparauit eam à phyſiologia, & ita reducuntur ſeptem partes. Igitur Auerroes *primo libro Collectaneorum* tradit diſſectionem, *in ſecundo* naturæ, corporis humani reliquam cõtemplationem: *in tertio* de morbis & cauſis, *in quarto* de ſignis, *in quinto* de medica materia, *ſexto* de conſeruandis ſanis, *in ſeptimo* de curandis ægris. Principis autem conuenit ad vnguem ordini Galeni, Galenus *Tertio de criſi cap*. 8. dicebat: artes ex principiis inueniuntur, & fidem ex operibus acquirunt.

TEXTVS V.

POſtea verò loquerer de vniuerſalibus iudiciorum, virtutum, medicinarum ſimplicium, Et poſt hæc de particularibus eorundem.

COMMENTARIVS.

Sequitur liber ſecundus Haſen, in quo docet de ſimplicibus medicamentis: dicebat Galenus *tertio artis curandi*, quod oportet cognitionem ſimplicium præcedere curam propriam: membrorum igitur ſecundus liber præcedat tertium & quartum. In ſecundo igitur libro ponit regulas generales, poſt proprias cuiuſque medicamenti, & ideo ſumitur ex *vndecim libris, de ſimplicibus medicamentis Galeni, & ex ſuccidaneis*: ſumptus eſt etiam ex Dioſcoride, & Probo, quod magis aſſimuletur Dioſcoridi, quàm Galenus in duobus: primo quia non reddit rationem operationum, ſecundo quia ponit operationes à proprietate, quas Galenus præteriit. Addit poſtmodum vnum pulchrum Princeps ſuper omnes, vt eſt quod diſtinxit omnia capita ſimplicium ordine vno, vt primum in viginti ſex arcolas; ideò ſi quis, coloribus depingantur ac numeri præponantur, vt docet Princeps hic in textu, Et clarius libro ſecundo, & litera omnis ibi eſt corrupta, & vult dicere ſic. Quamuis ſexdecim, arcolæ tamen reducuntur ad tredecim, quia prima continet tres, ſcilicet nomẽ cum figura, & correctione, poſt electionem & naturam; nam hæc non ſunt neceſſaria pro medendo, niſi ratione naturæ. Cum enim in-

uenisti quod conuenit natura, potes legere reliquum. Vltimus etiam numerus continet duas arcolas, venenum & permutationem: igitur erunt tredecim tantum, numeri & colores necessarij. Prima igitur est de natura, secunda operationes & proprietates, tertia de decoratione, quarta abscessus, quinta vlcera & vulnera, sexta iuncturas, septima caput, octaua oculos, nona pectus, decima membra nutrimenti, vndecima membra expulsionis, duodecima febres, tertia decima venena cum succidaneis. Ponamus igitur quod indigeamus medicamento ventriculi, frigidum dolorem patientis, & ponamus quod color arcolæ membrorum nutrimenti sit viridis, quæram igitur resoluendo omnia medicamenta colorem viridem, & quæram an conferat doloribus ventriculi frigidis, & ita in media hora habebo parata ad minus triginta singularia medicamenta ad omnem morbum, quod est valde vtile, commodum, & pulchrum. Ideo dicebat rectè in quinto, cum habes morbum præ manibus, quære primo medicamemta in arcolis secũdi libri, post curam morbi in tertio vel quarto. Vltimo deueniens ad antidotarium. Et est ibi illud præcipuum, quod non est in collectitis, quia diffusè explicatur. Et ideo sufficient quatuor colores simplices, & coniugati, viridis, cæruleus, ruber & croceus. Dubitatur quia secundus iuxta sententiam Galeni debet etiam præcedere, primum quia tractat de simplicibus medicamentis, quæ præcedunt methodum, vt dictum est *tertia artis curandi*, & vt vniuersale ad vniuersale, ita singulare cum singulare. Respondeo quod etsi necessarium sit medico, scire quod datur calida in tertio & vrens, non tamen præcedit secundus, quia in cura vniuersali non est eadem ratio, quæ in singulari, vel dic & verius, quod est factum commodi gratia.

(*Deinceps de communibus regulis*) Hoc egit in Primo tractatu secundi libri, vbi docuit de virtutibus primis medicamentorum, quæ sunt calefacere, refrigerare, siccare, & humectare, & de secundis velut apperire, attenuare, concoquere, expellere. Deinde de tertiis vt lac vel semen generare, præter quas etiam sunt duæ aliæ operationes silicet purgare, vt Rhabarbarum quod bilem educit, non melancholiam, & Epithimum contrario modo. Et operationes à proprietate, vt stercus lupi, quod sedat dolorem colicum, & hoc est magis manifestum in amuletis, in pœonia. Et in primis qualitatibus sunt quatuor ordines *Quinto de simplicibus medicamentis*, quia sensu distinguantur. (*Demum de morbis*) hoc agit in tertio. De illius igitur ordine dicit Princeps; primò tractabo dissectionem membri, & est instrumentum, nam de partibus primis, idest neruis, ossibus, carne, tractaui iam in primo *fen*, prima doctrina; in quinta faciam capitulum de conseruanda sanitate illius membri, scilicet quia sanitas est prior morbo natura, tempore, dignitate & cognitione: natura enim mẽbrum est sanum non ægrum, dignitate quia membrum sanum quod potest perficere operationes suas, ægrum quod non potest, *libro de differentiis symptomatum*; sed notitia quia non cognoscitur membrum ægrum, nisi in comparatione ad sanum. Aristoteles Primo de anima *cap. 5. rectum est iudex sui & obliqui, tempore nascitur membrum sanum, & post fit temporis successu ægrum.* Deinceps tractabo generaliter morbos, qui contingunt illi membro & post curam generalem. Quarto docebo de singulis morbis, diffinitionem, causásque in generali primo, post species singulas eius scilicet in vno capite; post in sequenti signa generalia morbi, inde specierum eius, & ita in tertio capite curam generalem, post propriam. Et quia in cura propria indigemus medicamentis dicit, accipies illa ex arcolis secundi libri, vt superius declaraui, iam depictis; de compositis autem in antidotario quod ponitur vltimo loco.

TEXTVS VI.

DEinde loquerer de ægritudinibus, quæ in vnoquoque contingunt membro. Prius tamen incipiam ab anatomia illius membri, & eius iuuamento.

COMMENTARIVS.

Declarat ordinem maximè terti j libri, qui solet ab omnibus proponi, Et ostendit quod in plerisque partibus (sunt autem xxij vt alias declaraui) ponit octo partes. Prima est anathomia illius membri, cuius morbos scribit. Circa quod sciendum est quòd anatomia est duplex: membrorum scilicet similium, quæ traditur à Vesalio in quatuor primis libris, de qua mox loquetur, & instrumentorum, de qua in tribus postremis. Propterea subdit.

TEXTVS VII.

DE anatomie enim simplicium membrorum, & similiter iuuamentis in libro primo vniuersali, iam tunc locutus ero.

COMMENTARIVS.

In Doctrina Quinta primæ *fen* loquitur de Anatomia ossium & cartilaginum, & membranarum; item De neruis, musculis, tendonibus, & ligamentis: & quamuis musculi non sint simplicia membra, quia tamen sint communia toti corpori, ideo simplicibus adnumerantur. Inde proponit anatomiam neruorum simpliciter & proprie, & cerebri spinalis medullę post, de Arteriis: vltimo tractat de venis. Hæc ergo est expositio; parenthesis huius postmodum sequitur.

TEXTVS

TEXTVS VIII.

CVm autem membri anatomiam cõsummauero, in quampluribus locis demonstrare incipiam, quomodo eius conseruetur sanitas. Deinde sermone absoluto, ostendam eius ægritudines vniuersales, & causas & semitas cognoscendi eas: & vias eas medicandi in sermone etiam vniuersali.

COMMENTARIVS.

Proponit quinque vniuersalia quæ facturus est, ita vt quælibet *Fen* seu pars absoluta, & perfecta tertij diuiditur in tres partes generales, dissectionem seu anatomiam propriam, & tractationem vniuersalem & propriam. Vniuersalis ergo quæ est secunda pars in quinque diuiditur. Prima est vtilium ad conseruandam sanitatem illius membri & eorum quæ nocent eidem. Secunda est morborum vniuersalium illi membro; tertia causarum vniuersalium. Quarta signorum, quinta morborum eorundem curam docet.

TEXTVS IX.

POstquam autem has res vniuersales expleuero, ad ægritudines redibo particulares, & in quampluribus earum etiam demonstrabo inprimis iudicium vniuersale in eius diffinitione & ipsius causis, & significationibus: deinde ad iudicia reuertar particularia. Post ostendam regulam vniuersalem in medicãdo. Deinde descendam ad medicandum particulariter cum vnaquaque medicina simplici aut composita. Ad illud autem quod prius dicam de iuuamentis medicinarum simplicium in ægritudinibus, in libro medicinarum simplicium in tabulis pictis, quas bonum est fieri, sicut in disciplinæ modo aspicies, cum ad ipsum peruenies, non reuertar ad dicendum nisi modicam rem. De medicinarum quoque compositarum, quæ mihi videbuntur in antidotario melius ponendæ iuuamentis, & quomodo misceantur, vsque ibi loqui dimittam.

COMMENTARIVS.

Hæc est tertia pars vniuersalis, in qua agit de curatione morborum propriorum & diuiditur in duas partes: quarum prima rursus diuiditur in quatuor, scilicet morbos, causas, signa & curationem: vnde illa verba (*Deinde ad indicia reuertar propria*) sunt transposita, & debent sic legi, *Et significationibus. Similiter & curam generalem edocebo: post deueniam ad propria vniuscuiusque, scilicet morbos, causas, signa, curationem, cum medicinis tam simplicibus, quàm compositis*: vt sint octo partes; quatuor generales & quatuor propriæ. Circa quod est notandum, ad vitandam confusionem, quod Princeps facit quinque ordines circa morbos, causas, signa & curationem. Nec ego illum probo hac in parte, quia nimiam parit confusionem, neminem hac in parte imitatus: nam pro scientia nimis diligens, pro arte nimis arduus, vt meritò illi ob hoc solum Oribasius & Paulus præponantur, sed cum fungar expositoris officio nolui hæc prætermittere.

Primus est horum generalium, vt à medico considerantur, & hæc proponuntur quoad naturalia in prima parte libri primi, & vt ad præternaturalia pertinent, in secunda. Tertia autem est de sanis. Secundus est de curandi ratione vniuersali, non comparata ad morbos vllos, nisi quatenus morbi sunt, qui eo genere curationis indigeant, & hic modus traditur in quarta parte primi. Tertius modus est, morborum, causarum, signorum, curationis vniuersalium in morbis communibus membri cuiusque proprij, & hic docetur in primo tractatu cuiusque *Fen* tertij libri. Quartus modus est de morbis causis signis & curatione vniuscuiusque morbi proprij in proprio morbo generalis, vt scilicet generalia, illa propriis morbis propriorum morborum applicantur. Quintus modus est propriorum morborum causarum, signorum, curationis, prout ipsi proprio morbo conueniunt. Et hi duo modi vltimi traduntur in eisdem capitibus; quartus in principio, post quintus, & sunt capita tria: primum de morbo & causa, secundum de signis, tertium de curatione.

Rursus quælibet cura & curandi modus diuiditur in tria auxilia, scilicet sectionis venæ, purgationis, & rationis victus, & hanc postposuit reliquis, cum deberet antecedere. Sed causa fuit, quoniam ratio victus potest serò administrari, adeò vt homo non indigeat in primis horis quandoque ea, sed sectio venæ & purgatio quandoque indigent statim vt adhibeantur, ergo talia debent proponi in docendo modum curationis. Sed dicetis in multis non posuit, quæ iuuant ac nocent? Respondeo quod fecit hoc in principalioribus, vt superius dixi de oculis, auribus, dentibus & iecore, voco principaliora ratione vtilitatis: nam licet renes sint principaliores dentibus, non tamen adeò indigent conseruationibus. Et ideo hoc præceptum propriè conseruandi debet respicere vel membri nobilitatem vt in iecore, vel vtilitatem generalem vt in ventriculo, aut quia sit expositum causis lædentibus & iuuantibus, vt oculi aures & dentes. Quæ enim applicantur possunt multum prodesse & secus obesse. Morbos ergo vniuersales intelligit velut intemperiem & dolores, & ita in prima tertij tractat primò de intemperie, post de doloribus, tertiò de abscessibus,

abscessibus, quia abscessus est morbus compositus. In quarto & quinto de morbis qui accidunt vitio operationis, vt vertigo, amentia, comitialis. Et hoc quia sunt magis remoti à mala intemperie, non ratione causæ sed modi, quia ferme differunt genere, cum possint ita dici symptomata, vt etiam morbi.

Hic subit me recordatio tot improborum, qui conantur euertere doctrinam tanti viri cum tanta iactura humani generis, sub prætextu quod faueant Græcis, sed verè vt ob auaritiam rapiant ad se imperitos, cum nemo simile opus huic viro conscripserit: nam neque ingenio, neque iudicio, nec peritia medicinæ nec multò minus aliarum disciplinarum possunt ei comparari. Et ego qui totam vitam in hac exercitatione consumpsi, & in omni literarum genere versatus sum, non auderem tentare similem prouinciam, nam cogerer aut eadem scribere cum iniuria illius, & multò deteriora, cum iactura humani generis. Vidimus Paulum, qui potuit habere, & vti opera omnium librorum Galeni, quantum profecerit. Et scioli isti maledicendo audent se comparare Hasen, prodentes salutem humani generis, persuadendo artem quæ difficillima est, planam esse, etsi non oblitus sim eorum quæ paulò ante dixi de ordine nimis curioso.

(*Ad illud autem*) Respondet tacitæ obiectioni, docens materiam medicamentorum non nisi per genera attingere velle. Et refertur ad verba quæ supra declaraui, quæ in secundo libro non tertio dicit se docturum, idest ordinem quem tenere velle iam dixerat. Et similiter de compositis in quinto habiturum sermonem. Et quia ex his verbis videbatur, quod quintus liber deberet esse quartus in ordine, propterea docet, quod necessarium erat quartum interponere dicens.

TEXTVS X.

PLacet autem mihi, vt postquam hunc librum cõsummauero, alium librum componam de rebus particularibus, quæ propriè nominantur ægritudines, non appropriatæ vni soli membro, in quo etiam de decoratione loquemur; & in hoc libro eo calle procedam, quo in libro particulari, qui est ante ipsum, processi.

COMMENTARIVS.

Nunc loquitur de quarto libro, qui diuiditur in septem *Fen*, & verba sunt clara, quia eundem ordinem obseruat, quem in tertio. Sed in quarto agit de morbis, qui non sunt proprij alicui membro, & pro hoc intelligendum est præter ordines supradictos alios tres debere obseruari, quibus Princeps vsus est in compositione huius operis. Quorum primus est, quoniam in capite tertio, vbi tractat de cura, ponit primò curam principij, & post argumenti, inde status, post declarationis. Secundus ordo est, quia incipit à sectione venæ, concoquentibus, purgatione, medicamentis simplicibus & compositis, à proprietate & ratione victus. Tertius ordo est inter membra. In prima igitur *Fen* tractat de capite, quia est superius omnibus: in secunda de neruis; illi enim illico à cerebro ortum habent. In tertia de oculis, sunt enim nobiliores & sublimiores. In quarta de auribus, sequuntur enim oculos in nobilitate. In quinta de naso: in sexta de ore, in septima de dentibus, in octaua de gingiuis, in nona de gutture, in decima de pectore, in vndecima de corde, in duodecima de mãmillis, in tredecima de ventriculo, in quartadecima de iecore; nam ventriculo primò occurrit cibus, quàm iecori: iecur etiam est totum sub septo transuerso, ventriculus partim supra, partim infra. In quintadecima de liene & felle, quæ excipiunt iecoris excrementa: in sextadecima de intestinis; in decima septima de ano, in decima octaua de renibus, in decima nona de vesica, in vigesima de membrorum genitalium masculorum morbis. In vigesima prima de morbis vteri, in vigesima secunda de morbis iuncturarum. Quartus similiter continet septem Fen: primam de febribus *ex libris de febrium differentiis, ex primo ad Glauconem, & ab octauo ad duodecimum artis curandi, & libro de tabe.* Secunda de crisi & diebus criticis sumpta, *ex libris de crisi & diebus criticis Galeni, Prognosticis etiam & Prorrhitico.* Tertia de abscessibus & elephantiasi, *ex libris de tumoribus secundo ad Glauconem, duobúsque vltimis methodi.* Quarta de vulneribus & vlceribus *ex Catageni & primis sex libris Methodi.* Quinta de luxatione & fractura *ex libris de fracturis, de articulis, de his quæ in medicatrina fiunt.* Sexta de venenis *ex libro Galeni de hoc scripto,* qui nunc non habetur: de hoc satis *in libris de venenis* à me dictum est. Septima de decoratione. Sumpsit pleraque à Galeno *in primo de medicamentis secundum locos.* In his quinque vltimis partibus adeò Princeps Galenum superauit ordine, numero affectuum, copiáque auxiliorum, vt omnes Galeno relicto Principem exposuerint, velut Dinus Gnido, Rogerius Lanfrancus, Io. de Vigo, & ex recentioribus licet Galenicus, Ingrassius.

TEXTVS XI.

QVod si mihi Deus auxiliatus fuerit, & hunc consummauero librum, addam postea in vno libro, Antidotarium.

COMMENTARIVS.

Hic proponit se scripturum Antidotarium quinto loco ab Antidotis appellatum, in quo primum tradit medicinas generales, & sumpta est pars illa à Galeno *in libro de Theriaca ad Pamphilum, & alio ad Pisonẽ, & duobus libris de Antidotis,* & est generaliter doctrina

doctrina Principis. Verùm si fateri volumus veritatem, meliora sunt quia emendatiora illa pauca Galeni. Adnumerantur & duo libri inter illos Galeni *de secretis* alter, alter *de experimentis*, qui licet sint inter spurios, nec sint Galeni, sunt tamen valde boni. Qui vult videre de ordine librorum secundum Galenum, videat librum *de ordine propriorum librorum*, *librum artis medicæ Secundo artis curandi.*

Secũdò ponit medicamẽta purgantia, quæ non habemus: forsitan Princeps habuit, quia Galenus *primò de medicamentis secundũ locos* ante medium promittit scripturum se de illis: vtrumque sit Princesps est copiosior. Aduertendum tamen quòd Hiera quæ recipit elleborum melior est, quam ea quæ recipit scamonium, *secundo regiminis acutorum.* Et ratio colligitur à Paulo *libro septimo*, quia scamonium ventriculo est inimicissimum. Aliud quod dicebat Galenus *primò de medicamentis secundum locos* & est doctrina aurea: scilicet quod tria sunt principalia purgantia flauam bilem, scamonium, pituitam, colocintis, nigram bilem elleborus. In tertia parte continentur medicamenta secundum singula membra, & hoc est sumptum *ex decem libris de medicamentis secundum locos.* Et ita patet concordia Galeni & Principis. Sciendum est autem quod tres sunt ordines tradendi artem: primus est iuxta rationem inuentionis & intelligendi; secundus memoriæ mandandi Tertius ad exercitationem deducendi, & in hoc & in secundo præcedit ordo Principis ordinem Galeni. Sed quoad inuentionem esset aliqua difficultas.

Quamquam hic plura essent dicenda, velut an tertius liber deberet præcedere quartum, & an febris sit morbus communis toti corpori, an venis tantùm, an cordi proprius, an tractatio medicamentorum compositorum sit posterior arte curandi; solùm illud quæram quis modus sit melior ex tribus. Antiquo enim tempore tres fuere sectæ in medicina; rationalis & emperica, posterior autem omnibus irrepsit methodica, vt *libro de medico.* Hippocrates autem rationalis fuit *prima aphorismorum*, sic & Galenus dicit. Igitur Galenus *tertio de locis: Empiricus* curat morbos frequenter euenientes vt rationalis, sed in raro euenientibus superatur, sed dicetis quid de morbo Gallico, quem Empirici argumento viuo & ligno inde optimè curant. Respondeo quod est morbus frequens non rarus, licet nouus: dicit autem Galenus ibi. *Ego nulli sectæ addictus fui, sed tamen in vtraque præstantissimos huiusmodi præceptores habui.* Empiricus tamen maximè ex hoc arguitur *tertiò artis curandi*, quod nesciat inuentorum reddere rationem. At *tertio de locis* per dogmaticos, non methodicos, sed rationalem doctrinam sectantes intelligit, è quorum numero magnus fuit Hippocrates. Conueniebant methodici in vno cum rationalibus, quod artem ad aliquam methodum deducebant, gloriabanturque vt Galenus refert *primo artis curandi* maximè Thessalus in sex mensibus totam artem docere posse. Conueniebant cum Empiricis *libro de sectis ad eos qui introducũtur* in duobus, quod non reddebant rationem alicuius & fundabant se in experimento: dissidebant inter se in tribus *libro de medico*, Primùm quod methodus in tribus tantum consistebat, in laxatione, astrictione & temporum consideratione, & ideo erat falsa methodus & insufficiens. Secundum quia non reducunt ad generalia Empirici similitudinem, vt rationales. Tertium quod Methodici ex communitatibus tantum procedant, Empirici ex obseruationum concursu. Scripserunt omnes egregij qui extant, nunc sequentes Hippocratem in rationali, sed in empirica extat solum quod sciam, liber Octauiani Horatiani Archiatri, idest Principis medici seu prothophysici, Valentiniani ni fallor Imperatoris. Vsque nunc credita est salus hominum magis verbosis & ambitiosis; nunc ipsa experimenta præualent. Tantum potest aduersus doctrinam hominum dolus! Sed de methodica extat alter liber Cesij Aureliani admodum absurdus, videte quia habentur impressi. Demum subiungit verba obscura in prima interpretatione, hic autem in Mantineo clara sunt, & dicit quod nihil est superfluum hic, quod dignum sit consideratione; dicit tamẽ deesse aliqua & quod si Deus vitam illi produxerit, quod se ad alia præparabit. Quid desit, & ad quam se præparabit, nemo expositorum declarat, nec attigit. Iacobus dicit quod loquitur de quatuor aliis sequentibus, in comparatione ad primum, sed est absurdum, quia subiicit (*nunc autem hunc diuidam in quinque*) igitur loquitur de toto libro? Respondeo quod in sex rebus generaliter deficit, & propterea dicit quod comprehendit minus quàm sit medico necessarium. Primum est demonstratio principiorum, vtpote de pulsibus: non docet propter quid, vt fecit Galenus, qui diffusè hoc tractauit. Secundum quia non exposuit Hippocratem, vt fecit Galenus, & quia sunt multa auxilia singularia, & casus vt in Epidemiis, & modus doctrinæ diffinitiuus, quem secutus est in cantica. Igitur definiunt hoc quinque, sed modum (vt dixi) definitiuum tradidit in cantica, quia erat facilior. Reliqua perficere non potuit. Ad scientiam enim *primo posteriorum cap.* 5. non solùm sufficit scire causam, hanc autem tradidit: sed necessarium est scire quod illius causa sit. Deficit vltimò pars quæ dicitur progymnasma à Græcis, vt liber *de secretis*, *de optima secta*, liber etiam *de ponderibus.* Quod verò dixit (*si Deus produxerit mihi vitam, præparabo me ad illum præparatione secunda;*) idest melius corrigam & complebo, nam sic satis perfectus est.

TEXTVS XII.

NOn est autem bonum, vt huius libri plurimum non sit apud vnumquemque, & in eius memoria qui huius doctrinæ nomine vocari, & per eam lucrari desiderat: minus namque

namque quod medico necessarium est, comprehendit: quod verò super ipsum additum est, incomprehensibile est.

COMMENTARIVS.

Laudat librum suum, exhortans vnumquemque vt velit illum habere, διγοτία enim victus est, cum talia sint superflua: quia tamen eo tempore nondum erat inuenta ars typographica, ideo cupiebat librum suum transcribi & seruari in communibus bibliothecis. Vnde ob librorum caritatem custodiebantur in publicis locis, vel à Regibus, vel à Republica, vel à Pontificibus & collegiis sacerdotum. Apparet eum fuisse gloriæ cupidissimum, vel solum ex hoc, & maximè tum vtile fuit, quoniam paucissimi erant libri Galeni ob immensam suam prolixitatem. Ad ipsum autem Principem aliqui Galeni peruenerunt, qui postmodum petiere vt antea diximus. Consulit prætèrea, vt memoriæ mandetur liber eius, vt qui velint diuitias, ac nomen ex arte adipisci. Atque huc vsque si non meretur laudari, excusari potest. Cum verò dicit, Minus: namque quod medico necessarium est, comprehendit, Quod verò super ipsum additum incomprehensibile est: vult nobis significare duo deesse: vnum quod est altius quam à medico comprehendi possit, vtpote cur natura fecerit cor in parte sinistra secundum verticem: quare in semine sit vis generandi: cur aliqui robusti ex leuibus causis pereant in iuuentute, alij longè imbecilliores & deterioris temperamenti, ad vltimam perueniant senectam? Secundum est mensura morborum & auxiliorum in vnoquoquè, quæ mandari litteris non potest, vt habetur à Galeno *tertio artis curandi.* Et quanquam hæc verba sint falsa, & ambitionis inanis plena; cum enim omnia feceris, quæ tibi ad discendum necessaria sunt, tunc dicas illud Socraticum: *te scire vnum quod nihil scias*, & vt in Euangelio: *cum omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus.* Quæ nouimus enim minima pars sunt eorum quæ ignoramus, & sunt vmbra scientiæ non scientia, & scientiæ augentur in dies donec placeat Deo vt crescant. Et vbi libri perfecti euaserint, homines fient sapientes. Itaque hoc malo laborarent antiqui, seducti quadam inani gloria, vt conarentur persuadere se omnia inuenisse, cum nihil in scientiis inuenerint vt ita dicam: artium sola initia. Excusandus tamen est Princeps hac solum causa, quia licet errorem errori opponere. Cum ergo homines putent libros esse contemnendos, vel quia credunt solum Græcos sciuisse litteras, vel quia solum antiquos, vel quoniam putant scientias esse inutiles, & ita ob iniquam causam contemnunt libros & illorum studia: ideo licuit falsa ratione homines allicere ad illa, pollicitus ex huius libri lectione, totam artem quamuis posse discere. Inde subiicit.

TEXTVS XIII.

QVod si Deus meum prolongauerit terminum, me ad illud præparabo præparatione secunda. Nunc autem hunc componam librum, quem in quinque sic diuidam libros.

COMMENTARIVS.

Quia dixerat, quod comprehendit totam artem hic liber, & quam breuiter. Dicit si vita sit superfutura, velle eam tradere alio modo, quàm breuius scilicet, ordine diffinitiuo, vel per aphorismos. Galenus enim docet *in libro artis medicæ & in libris de constitutione artis medicæ*, quod quælibet ars potest tradi trifariam; scilicet ordine resolutiuo, compositiuo, & diffinitiuo, qui omnium breuissimus est. Hippocrates autem per aphorismos: & per hoc fecit in Cantica quam habemus. Posset etiam intelligi, quoniam dixit relicta esse incomprehensibilia, quid vellet librum ipsum limare & supplere in aliquibus locis, si quid deficere videatur. Certè non videtur prorsus sine culpa, qui in eodem capite sæpius eadem repetat, etiam ter & sine necessitate. Atque id fermè in omnibus capitibus prolixis facit, quod diligenter est animaduersum ab his, qui opus eius in lucem ediderunt. Illud ergo ad additum potest referri, idest quod deficit: & id quod factum est, Videtur autem contra morem antiquorum (vt Cicero testatur) proœmium hoc fecisse, antequam librum ipsum conscripserit.

CAPVT I.

Fen Prima, Doctrina prima.

TEXTVS XIV.

DICO quod medicina est scientia, qua humani corporis dispositiones noscuntur, ex parte qua sanatur, vel ab ea remouetur, vt habita sanitas conseruetur, & amissa recuperetur.

COMMENTARIVS.

Hæc doctrina vt dixi est de generalissimis rebus ad medicinam pertinentibus, diffinitione, subiecto, partibus subiecti, & modo tractationis: & habet duo capita. Primum de diffinitione medicinæ: secundum de subiecto & partibus eius. Primi caput diuiditur in tres partes; in prima ponit diffinitionem medicinæ, in secunda ponit difficultatem ibi, (*potest autem aliquis,*) quæ est circa medicinam,

dicinam, an ſit ſcientia, & an tota vel pars, & an partes medicinæ ſint diſtinctæ : & addit exemplum de abſceſſus cura per ſua tempora. In tertia remouet aliam difficultatem de neutro ibi (*neque etiam aliquis.*) (*Medicina eſt ſcientia,*) In principio igitur libri diffinit medicinam dicens quod eſt ſcientia &c. & eſt diffinitio optima , complectens quatuor genera cauſarum formam &c. Scientia ponitur loco generis, & per hoc quod dicit , *qua humani corporis diſpoſitio cognoſcitur vt ſana vel ægra* ; remouentur omnes aliæ ſcientiæ præterquam ſola ſcientia de animalibus : pars enim illa philoſophiæ etiam conſiderat ſanum & ægrum;inde ſubiicitur Tertia conditio,*vt vel ſanitas conſeruetur , vel morbus remoueatur.* Per hanc differt à Philoſophia illa, quæ tractat de animalibus , in qua conſideratur morbus & ſanitas,ſed non vt inducuntur. Galenus *libro de medico* in artium diffinitione non finis ſed ſcopus aſſumitur , quia finem non ſemper aſſequitur : *ſecundo* etiam *primæ philoſophiæ* : ſcientiæ diſtinguuntur à fine : contemplantium enim veritas actiuarum opus, & propter hoc vt doceret Princeps medicinam eſſe ſcientiam actiuam,dixit quod finis eſt &c. ſed quia videtur duplicem aſſignare finem, ſcilicet conſeruationem ſanitatis, & recuperationem, propterea hanc quæſtionem cum propoſuiſſet *in Thraſybulo cap. 6.* qui locus eſt ad vnguem huic dubitationi deſtinatus, eam ſic diſſoluit exemplo volens eundem eſſe finem, & eundem eſſe modum conſeruandæ ſanitatis & reſtituendæ , in qualitate, non tamen in quantitate : & dabat exemplum;Si quis duo habeat dolia pertuſa aliquot paruis foraminibus , & aliqua plena, & aqua effluat ex ambobus,ſed vnius quod effluit perpetuò quiſpiam curam agens denuò reſtituat, alterius nequaquam, ſed quando iam plurima aqua effluxit ſuperueniens alter denuo vas ipſum repleat, nunquid dicemus horum duorum hominum diuerſa fuiſſe munera ? certè non, niſi quod vnum ſenſim peregit quod alius confertim ac ſimul. Ita qui conſeruat ſanitatem,ſenſim eam nobis reſtituit;qui morbum curat,confertim. Ideo ſunt vna ars,non ſolum ratione finis qui eſt vnus,ſed etiam modi adipiſcendi finem. Dicit ergo quantitas non variat artem , ſed qualitas nam reparare quatuor fila,non eſt ars alia ab ea quæ reparat vnum. Igitur artes neceſſariò exigunt veritatem in qualitate,ſi variæ eſſe debent.

TEXTVS XV.

Poteſt autem aliquis dicere quod medicina diuiditur in theoricam & practicam : ſed tu totam ipſam poſuiſti theoricam,cum dixiſti,quod eſt ſcientia. Nos autem reſpondebimus tunc & dicemus , quod artium quædam theorica , & quædam eſt practica : & de philoſophia quod eſt theorica & practica:& de medicina dicitur , quod eſt theorica & practica. In vnaquaque autem harum diuiſionum , aliud volumus dicere cum dicimus theoricam : & aliud,cum dicimus practicam : non tamen nobis neceſſe eſt declarare diuerſitatem, quæ inter eas exiſtit niſi in medicina. Cum ergo de medicina dixerimus, quod eius eſt theorica , & ex ea eſt practica:non eſt exiſtimandum, quod velimus dicere quod vnà diuiſionum medicinæ eſt ſcire , & altera operari : quemadmodum multi hunc locum perſcrutantes exiſtimant. Sed debes ſcire , quod illud quod volumus eſt aliud : & quod nulla duarum diuiſionum medicinæ , eſt niſi ſcientia,, ſed vna earum eſt ſcientia principiorum , & altera eſt ſcientia modi & qualitatis operandi:poſt verò primam earum nomine ſcientiæ, aut theoricæ appropriauimus, & alteram appropriauimus nomine practicæ. Per theoricam verò ipſius intelligimus illam , cuius doctrina confert ad ſcientiam tantum , abſque hoc quod dirigat ad declarandum qualitatem operandi ſeu operationis:ſicut dicitur in medicina quod genera febrium ſunt tria,& complexiones ſunt nouem. Et per practicam ipſius volumus,non operationem in effectu,neque inceptionem , vel actum motionum corporearum,ſeu neque aggredi , vel promoueri ad actiones corporeas ; ſed diuiſionem ſcientiæ medicinæ, cuius doctrina confert ad acquirendum ſcientiam, à qua quidem ſcientia dependet qualitas , ſeu modus operandi.

COMMENTARIVS.

Hic incipit dubitare circa diffinitionem propoſitam dicens. Videtur quod tota medicina ſit contemplatiua quia ſcientia : omnis autem ſcientia eſt habitus æternorum *ſexto Ethicorum* , & ideo contemplatiuus Reſpondet & obſcurius in antiqua & Belluenſis quam Mantinei verſione , dicens; Medicina & philoſophia poteſt eſſe practica & theorica,Et non eſt practica ſcire operari , vel exercitatio ; ſed demonſtrationem vel de rebus ipſis , vt quod ſunt tria genera febrium , & hæc eſt theorica , vel quomodo debeamus operari, vt quod abceſſibus conueniunt in principio repellantur;& hæc inquit eſt practica vt liquido patet apud Principem medicinam eſſe ſcientiam , Sed dicetis contra, quia capit ſcientiam communi modo : nam dicit quod vtraque eſt ſcientia principiorum , & operandi eſt practica, alia verò theorica , ex quo patet quod apud

Principem medicina nulla modo est ars. Diuiditur igitur medicina in Theoricam & practicam. Practica scientia dicitur, quæ in praxim ordinatur: est autem praxis operatio posterior intellectu nata elici, conformis rationi rectæ, vt à scoto *primo sententiarum* additur, sed est superflua. Ex quo patet: primum, quod non ab actu practica, sed à praxi quæ est voluntas, quæ fertur in opus: ista tamen sumenda sunt potius à Philosopho *secundo Metaphysicæ*; finis speculatiuæ est veritas, praticæ autem opus. Sed contra quia *secunda Metaphysicæ* diuiditur genus id est scientia in practicam & theoricam, igitur illa non possunt esse differentiæ speciei quæ est medecina. Respondeo quod differentia generis non potest esse differentia speciei, quia constituit speciem secundum Porphyrium: igitur conuenit illi, igitur non potest eam diuidere, non igitur hæc est differentia generis, sed differentia quædam primò conueniens speciebus & propter has postmodum generi, Et non possumus assignare exemplum in naturalibus, cum sint entia rationis, vbi species, differentiæ, & genera sunt ex voluntate. Regula igitur tenet in entibus secundum naturam; vel dic quod est accidens, vel dic quod medicinæ scientia non est vna, sed alia est thorica: & non est vna nisi per analogiam. Possem etiam dicere quod medicina non consideratur ratione modi sciendi, est tota Theorica, vt ratione finis seu scopi est practica; vt sine demonstratione operari docet est ars; vt operatur habitus. Et hoc totum est verissimum & ad mentem Aristotelis, quia Aristoteles non dicet medicinam nisi esse practicam, quia respicit inclinationem & non actum: inuenta enim est medicina operando non contemplando sicut Philosophia contrario modo. Et hoc videtur sensisse Galenus *septimo de placetis Platonis & Hippocratis cap.* 2. cum dixit Aristotelem posuisse vnam scientiam boni & mali, quæ diuideretur in plures virtutes exercendo: in eligendo temperantiam, in parando prudentiam, in retinendo fortitudinem, in distribuendo iustitiam, hæc tamen aliena à Principe. Scotus tenet contra Henricum in *quolibetis* quod ab abiecto non à fine dicatur practica scientia. Ostendo autem medicinam practicam esse scientiam; nam principium factiuarum ex *sexto Metaphysicæ* liquet esse non artem aut intellectum: igitur vel dabitur sextus habitus intellectus, vel practica erit vere scientia, imo ibi distingui scientiam in actiuam & factiuam. Dicebat Princeps principio suæ Dialecticæ, quod scientiæ speculatiuæ sunt de rebus quæ non sunt nostri arbitrij, & finis earum est scire, & sunt nobiliores practicis, nam finis eius qui est operari, docet esse opus.

Porrò hæc scientia operatrix est duplex *sexto primæ Philosophiæ in principio*: actiua & factiua: actiuæ ponebant exemplum in *secundo Ethicorum cap.* 2. vt moralis: non enim dicit est bonus Philosophus, qui virtutem agnoscit, sed qui operatur secundum illam. Cum igitur dixit Commentator in *Procœmio primi Physicorum*, quod sciētiæ mathematicæ sunt propter exercitationem, intellegendum est de exercitatione intellectus, vt Antonius exponit super Porphyrium, ideo vocabantur antiquo tempore Progymnasmata. Sed difficultas est in hoc, quod practicā vocata non est ars, vt vult zimarra, quia practica scientia differt in tribus ab arte. Primò quia subiicitur alicui contemplatiuæ, vt Musicæ, Astrologiæ, Astronomiæ, sic medicina Philosophiæ naturali, non sic artes: nam non accipiunt principia sua, nisi à casu ab aliis scientiis Secunda quia ars non vtitur demonstratione, scientia practica vtitur; quia scientia practica habet principia iam à scientia speculatiua sumpta; sed ars non potest hoc facere, quia non habet scientiam speculatiuam cui annectatur: ideo scientiæ practicæ commodè docentur & scribuntur, & reddunt rationem, non sic artes. Tertia quia ars facit noua, scientia practica etiam est de his sunt quæ à natura & medicina de sanitate & morbo.

Differentiam igitur practicæ & speculatiuæ ponebat Princeps, dicens *primo primæ Philosophiæ cap.* 1. vtraque perficitur, intellectus speculatiuus; sed in Theorica de his quæ fiunt à natura, in speculatiua de his quæ fiunt à nobis. Vnde etiam orta est dubitatio, an medius absque exercitatione perfectus esse possit; de qua alibi actum est.

In vniuersum duo facit in hac parte. Primum respondet obiectioni, dicens quòd tam practica quam theorica potest esse scientia, & quod dicitur Theorica ratione finis, qui est contemplatio, & practica ratione finis, qui est opus, & non vult, quod aliqua pars medicinæ sit ars contra Galenum, & hoc nititur probare. Prima ergo conclusio est, nulla medicina est ars. Secunda, Medicina practica distinguitur à Theorica, ratione subiecti, quod subiectum habet rationem finis, & vult quod in hoc finis & materia coincidant, & conatur demonstrare ambas sic. Medicina theorica est scientia, & datur aliqua medicina practica, ergo medicina practica est scientia. Primum quia practica refertur ad theoricam. secundò quia datur scientia practica vt visum est *secundo primæ Philosophiæ*, & illa non potest esse nisi vbi est scientia Theorica, nam artes mechanicæ non possunt esse scientiæ; Ergo vel oportet diffinire scientiam omnem practicam, vel oportet eam constituere, vbi est scientia Theorica, velut in Geometria, Arithmetica, Musica, Astronomia & Medicina, & ita est validum argumentum pro Principe, nec est alia solutio in via Galeni, nisi quod Galenus negaret dari scientiam theoricam medicinæ. Prima conclusio postmodum supposita, secunda facilè probatur, quia si medicina est practica, non potest esse ars, aliter essent ars & scientia practica vnum & idem, vel altera superflueret.

Nunc videamus, quomodo Galenus tueatur medicinam non esse scientiam, pro quo habetis contradictionem *libro primo*: dico quod medicina apud Galenum non est

scien-

ſcientia ob hoc, quoniam etſi habeat aliquas demonſtrationes, illæ tamen ſunt aut à principiis Phyſicis, & ita eſt Philoſophia & non medicina; aut ſunt ex experimentis, quæ ſunt propria, ſed illa non faciunt ſcientiam niſi in corpore humano, & ita non poſſunt eſſe generalia, nam ſi triangulus æneus ſolum haberet tres angulos æquales duobus rectis, non eſſet ſcientia hæc, & ideo Galenus concederet Geometriam Practicam & Arithmeticam, quia concedit Theoricam veram in eis, etiam concederet medicinam practicam. Senſus ergo Principis eſt, quod medicina ſit duplex, non tamen diſtincta in artem & ſcientiam, ſed in Theoricam & practicam, & omiſſis diſputationibus diceret: vel tu vis ſcientiam perfectam, & illa non habetur apud mortales, vel tu vis habitum quendam ratione ex principiis deducta demonſtratum, & hic habetur in medicina. Et circa hoc ſciendum, quod ſunt ſex habitus valde ſimiles. Primus eſt intellectus principiorum, qui non eſt ſcientia ſed eſt nobilior illa, ſed non eſt ſcientia, quia non eſt cum ratione ſeu diſcurſu. Secundus eſt habitus, qui deducitur ex principiis, & hic vocatur ſcientia. Tertius eſt habitus qui deducitur ratione ex ſenſibilibus tanquam principiis, & hic eſt habitus ſcientiæ, non tamen ſcientia vera, in quo genere eſt medicina. Quartus eſt habitus deductus ex ſcientia per rationem, & hic vocatur ſcientia practica quia tendit in opus. Quintus eſt habitus ratione acquiſitus, docente ſed non demonſtrante cauſam, & hic eſt ars. Sextus eſt habitus operandi, ſecundum illam rationem ſine ratione, & hic eſt habitus operandi, quo etiam in mechanicis operarij vtuntur. An verò ſcientia poſſit eſſe de mortalibus, viſum eſt *in primo contradicentium* 24.

TEXTVS XVI.

SIcut dicitur in medicina, quod apoſtematibus calidis adhibenda ſunt in principio, quæ repellant & infrigident & inſpiſſent, & poſtea repellentia cum mollificantibus permiſcebimus: deinde poſt ſtatum in declinatione erimus contenti mollificantibus reſolutiuis, præterquam in apoſtematibus quæ ſunt de materiis, quas membra expellunt principalia.

COMMENTARIVS.

Declarat quod dictum eſt per exemplum quod dixerat de ſcientia practica, circa quod notandum eſt, quod vt habetur ab eodem in quarta primi, quod cum abſceſſus calidus fuerit in principio oportet adhibere aſtringentia frigida, & quæ repellunt, frigida quidem quia calidus eſt abſceſſus & omnis medicina fit per contraria & etiam quia frigida aſtringunt, ſed ſicca magis aſtringunt, & ideo debent legi frigida & aſtringentia & poſt quæ repellant. In quarto autem libro dixit à repellentibus incipiendum eſſe, ſed ſubiungit ſtatim, quemadmodum in primo libro diximus: repellentia verò vt habetur *ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap.* 15. ſunt ex genere refrigerantium, & dabat exemplum *in primo ad Glauconem* de oleo roſaceo, vel vnfancino, & magis ecyrhodinum: & mirum eſt, quod *in quarto de compoſitione medicamentorum ſecundum locos* connumerat valde calida in hoc genere, vrticam, apium, ſerpyllum & ſampſuchum, quod etiam nunc *primo de compoſitione medicamentorum ſecundum genera* docet in phlegmonibus, non tamen ſemper vt non in conſendice *decimo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos* ea vocat ἀποκρουστικὰ, quæ dicit *quinto de medicamentis ſimplicibus* etiam frigida & craſſarum partium. Idem *in ſexto* & paſſim, cuius loco modo repellentia, modo repercutientia ſcripſere, ita vt ſub vna voce Græca quaſi diuerſa eſſent, duobus nominibus Latinè vſi ſint. Quod etiam in tabula, cum illam diſtinxerint maiorem poſſet parere ambiguitatem: Cæterum diſtant repellentia ſeu repercutientia, non ſolùm differant ab aſtringentibus, quoniam hæc ſolum retinent ne materia influat, illa verò vt retro agatur, compellunt.

Cum verò dixit (& poſtea repellentia) cum mollientibus docet per tria tempora quid agendum ſit in apoſtematibus, circa quod notandum eſt, quod vt habetur *ſecunda primi* per Apoſtema quod Græci dicunt, & abſceſſum ſignificat Latinè, & eſt tumor manifeſtus. Arabes intelligunt omnem tumorem, in quo materia quæ affluxerit faciat diuiſionem in membro. Apud Græcos autem & præcipuè Galenum cum habeant duo nomina ἀπόστημα καὶ . . . . . .: per hoc ſecundum intelligunt tumorem omnem, per primum affectu dignum, ideo apud Principem apoſtema eſt tumor, ſed non omnis tamen, quoniam tumor etiam dicitur de naturali magnitudine & circa diuiſionem vt in lingua illius, apoſtema autem non: igitur apoſtema Arabum eſt generalius quàm apoſtema Græcorum, & minus generale quàm tumor. Secundum eſt quod dicit; in principio calidorum apoſtematum competunt repellentia & frigida; poſtea verò in incremento emollientia cum repellentibus, poſt declinationem emollientia cum his quæ reſoluunt. Et ideo videtur comprehendere ſtatum ſub incremento, vt intelligamus in ſtatu conuenire emollientia etiam cum repellentibus. Sed hic cum non ſit locus, ſufficiat declaraſſe mentem Principis & quæſtionem, an in ſtatu debeamus vti repellentibus cum emollientibus.

Cum verò dicit (præterquam de materiis) intelligit, quod illa regula non tenet in abſceſſibus, qui fiunt cum membra principalia tranſmittunt ſuperflua in aliquem locum. Glandulæ autem facilè huiuſmodi recipere excrementa pronæ ſunt, etiam teſte Galeno *tertio decimo methodi*. Sed & in alia loca demitti materia ſolet ex principalibus: verùm vt omnia colligam quæ frequentius eueniunt,

niunt,ad glandulas materiæ transmitti solent ex corde quæ sunt sub alis,ad aures seu post ex cerebro infra inguina ex iecore vt maximè pestis tempore, non illius cœlestis sed quæ ob contagium euenit conspicuum est. Vnde perniciosissimè laborant, qui sub alis bubones patiuntur, nam vbi eo tempore eo cõsensu laborauerint,glãdulæ inflãtur atque tenduntur,& febris acuta eos corripit & moriuntur, præcipuè vt dixi, qui sub alis laborant: minimè qui in inguinibus medij sunt, quibus ad parotidas materia defluxerit. Secundus modus est,cum materia ex principalibus membris per crisim deriuatur,sed non ad glandulas, de quo intellexit *secundo Prognosticorum* cum dixit. *Quibus abscessus fiunt ex pulmonia.* Et in tertio ibi. *Si qua febris prorogatur saluo homine, seu cum salutis signis,* (hoc enim significare vult,) *abscessum expectare oportet.* In febre laborat cor, & ideo hic erit secundus modus: tertium autem vt dixi declaraui, cum crisis fit ex pulmonia. Itaque non solum excipere oportet quæ dicit Princeps,sed etiam aliquid plus: hoc autem non reddit dictum illius falsum, sed si minus esset quod excipi deberet.

TEXTVS XVII.

HÆc igitur doctrina confert in scientiam, quæ est declaratio qualitatis vel modi operandi. Cúmque duas diuisiones scieris, iam scientiam scientialem & scientiam operatiuam adeptus eris, etsi nunquam operatus fueris.

COMMENTARIVS.

Vult declarare,quod homo potest adipisci totã scientiã medicinæ,non solum theoricam, quia multi huic opinioni consensissent sed etiam practicam, nam hoc difficilius videtur absque vlla exercitatione: & ratio eius est, quæ dicta est; nam si supponamus dari scientiam medicinæ theoricam, vt videtur esse scientia Philosophi, ergo medicina practica non potest esse ars, sed scientia, & ideo dicit quod homo poterit habere perfectam scientiam ex solo studio huius libri,etsi obiiciatur illud vulgatum Aristotelis, quod artifex expertus melius operatur non experto, respõdebit Princeps,quod medicus non est artifex sed sapiens, nec ipse dicit contra hoc,sed solum loquitur de sententia, & quod homo poterit esse perfectus medicus, quod ad scientiam attinet sine operatione aliqua, etsi quis dicat: igitur per operationem nihil acquirit scientiæ, & istud videtur inconueniens, vt in pulsibus & vrinis, & in dignotione febrium, in quibus videtur experientia multum prodesse: ad conditionem etiam scientiæ diceret Princeps, quod bene intellectis nominibus, & in his quæ acquiruntur demonstratione, & in homine prudenti, non esset necessaria vlla experientia, nec ipsa conferet aliquid ad scientiam, sed deficiente aliquo ex tribus tunc experientia auxilium afferet.

TEXTVS XVIII.

NEque etiam aliquis dicere potest, quod dispositiones corporis humani sunt tres; ægritudo, sanitas, & dispositio,quæ non est sanitas neque ægritudo: cum tibi duæ suffecerint, possibile nàmque est, vt tum huiusmodi contradictor bene considerauerit, non inueniat vnam duarum rerum esse necessario: videlicet, neque hanc trinitatem esse,neque quod eam dimiserimus. Amplius si hac trinitas necessaria fuerit, quòd diximus remoueri à sanitate, colliget infirmitatem, & dispositionem tertiam, quam ipse posuit: cui quidem dispositioni tertiæ non connenit, diffinitio sanitatis, quæ est habitus aut dispositio,ex qua operationes subiecti ipsius sanæ proueniunt, neque asserit eam huius diffinitionis oppositum, nisi contradictor sanitatem diffinierit, quemadmodum desiderauerit,& posuerit in ea conditionem,qua non indiget. Præterea cum medicis in hoc non litigemus: neque enim sum, qui cum eis in huiusmodi disputare debeam, neque litigium hoc eis, neque illis qui contra eos sunt, in medicinam auxiliabitur: huius enim rei certitudo alterius doctrinæ principiis pertinent.

COMMENTARIVS.

Proponit difficultatem de neutris, circa quod notandum est quod solet dubitari an detur neutrum primi modi: hanc tractaui *Decimo contradicentium* 64.& videtur,quòd ad sensum detur iuxta tres causas ibi assignatas,non tamen verè:hic tamen Princeps non negat dari neutrum, sed solum sufficit,quod non impedit quin hæc diffinitio vera non sit. Videtur tamen Princeps illud negare, nam diuisio datam per oppositam euacuat omnem materiam,vt infra nullam habet rationem neutri, vbi subiecta medicinæ enumerat, & ideo videtur ipsum negare & similiter *secunda primi*,cum recitat sub opinione Galeni dari neutrum. Sed dices contra, Galenus etiam negat *Primo de locis*: totum & pars in homogeneis sunt eiusdem nominis, talis est ægritudo cum neutro, igitur neutrum est morbus. Respondeo argumentum concludit in re, non tamen in consideratione medici. *(Nemo præterea)* excusat se quod prætermittere visus sit neutrum: dicit neç prætermisi, nec adieci,

nam

nam cum dixi sanitatem esse ex qua incolumes proueniunt actiones, non conuenit hæc neutro dicit, nisi sanitatem alio modo intelligamus quam verè debeat. Ergo dicit neutri dispositio continetur sub ægritudine. Vtrum verò detur vel non detur neutrum, ad medicum non pertinet declarare, sed ad principia alterius scientiæ, & hoc intelligit de vero neutro simpliciter aut nunc, non autem de neutro quòd est apud medicum, licet cuius operationes læduntur sed non impediuntur, vt alias dictum est. Possent autem huc traduci, quæ alias explicata stant de Neutrorum historia, ex *libro Artis medica*. Sed melius est declarare quodnam sit medicinæ subiectum, sed quia peculiaris est *in libro contradicentium* tractatio, ideo qui volet eam videre ibi legat: nos prosequamur in Textu.

Capvt II.

Fen secunda, Doctrina secunda.

Textvs XIX.

Qvoniam medicina corpus humanum ex parte vnde sanatur, & à sanitate remouetur, considerat: & cuiusque rei scientia non acquiritur, neque completur cum causas habuerit, nisi per sui causas sciatur: ergo debemus in medicina scire sanitatis & ægritudinis causas. Et quia sanitas & ægritudo & earum causæ plerumque sunt manifestæ, plerunque occultæ quæ non sensu, imo per significationes accidentium comprehenduntur: quare oportet etiam in medicina scire accidentia, quæ in saniate accidunt & ægritudine. Iam autem declaratum fuit in scientiis veridicis, quod rei scientia non acquiritur, nisi per scientiam causarum & principioruũ ipsius, si causas habuerit, & principia: & si non habuerit, non completur: seu non acquiritur nisi ex parte sciendi eius accidentia & concomitantia essentialia.

Commentarivs.

Diuiditur hic Textus in quatuor partes: in prima tractat de subiectis & causis theoricæ; in secunda Practicæ ibi: (*verum contemplatio*) in tertia vero declarat epilogum subiectorum ibi, (*ex omnibus*) in quarta ponit distinctionem circa modum tractationis ibi (*cæterum de his*) Prima pars diuiditur in sex, primo probat de quibus pertractet: secundo de causa materiaria, tertio de efficiente, quarto de forma, quinto de fine, sexto concludit de his Theoricum tractare: declarat igitur sumpto argumento, & *Primo Physicorum* scientia nostra in his quæ habent causas principia & elementa, non est nisi illis cognitis corpus humanum vt sanabile, & habet causas, igitur oportet illas cognoscere. Sed quia quædam horum sunt occulta, vt non possint nisi per signa cognosci, igitur oportebit etiam signa cognoscere, Dicebat Galenus in initio *de causis respirationis*; est autem libellus, non possumus scire affectum, nisi sciamus causas sed efficietens, ad dignoscendum offensionem, vt occurramus præcipuis.

Sed dubitatur, quia Aristoteles dicit eleméta & principia vltra causas Principis solũ eas. Respondeo quod Philosophus intelligit per causas, vt ibi exponit commẽtator, fines; per elementa, materiam & formã, per principia causas agentes, igitur iuxta Principem omnia hæc sub causis comprehenduntur. Notum est quod Galenus *in libro de constitutione artis medicæ cap.* 3. inquit quòd per uoluerit autem medicinæ consequenter non leuis ac Architectus partes domus, sic medicus hominis cognoscere debet, atque hoc ad materiam & formam pertinet & exemplum dat de magnitudine, & aliis, & non videtur dicere de aliis causis, sed ibi docuit finem.

Cadit etiam dubitatio, an cognitio perfecta præsupponat cognitioné accidentium non solum propriorum, sed etiam communium, vt inquit Princeps in litera. Respondeo sermo demonstratiuus dat causam omnium accidentium, *Primo Physicorum & Quarto Physicorum & Primo de anima* accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est.

Quod dixit (*sed cum sanitas & ægritudo earumdemque causæ sint quandoque manifestæ quandoque occultæ*: intelligit quod causæ quãdoque sunt per se manifestæ & est cum sunt signa quandoque occulta; sed à signis cognoscuntur quandoque cum rationali coniectura, vt fecit Galenus *libro de Præsagio ad Posthumum cap. 6. & 7.*

Inde docet quod oportet etiam accidentia & propria consequentia cognoscere, differt accidens à signo & indicio habetur *tertio Prognosticorum*, nam signum est quòd significat robur aut imbecillitatem virium, vt coctio in vrina vel sucatu, vel malus color accidens, aut quod subsequitur morbi vehementia, & hoc ipsum etiam significat, sed solum pugnam naturæ cum morbo, propterea nõ est salutis aut mortis signum. Signum igitur & accidens ambo significant. Sed signum vim virtutum & accidens pugnam: secunda differentia est, quia signum de se est immutabile, & si mutatur hoc sensim facit, sed accidens repente mutatur: vt mala spiratio, stridor dentium. Tertium est quod indicium differt à signo cum sit futuræ rei certissimus nuncius: hæc ille.

In declaratione partium propinquiorum secundum materiam solet quæri quid sit spiritus & habetur *sexto de vsu partiu. c.* 17. quod

quod est exhalatio sanguinis benigni, & loquitur de animali tantum.

Multa hic videnda essent, velut illud an medicus possit recte curare morbum sine cognitione causæ? quæstio est multiplex vel antegressarum seu exteriorum, tum maximè quòd cura sit per causæ ablationem ex Galeni Auctoritate, sed & alibi eam tractauimus. Et quotnam sint causarum genera, Et an spiritus ex aere ipso nunciantur, quæ longum nimis esset explicare, at repetere superfluum est, quamobrem De aliis dicamus.

Sed non videtur seruari ordo causarum, à fine enim incipiendum est *libro De constitutione Artis Medicæ*, in his quæ methodo traduntur, à notione finis incipiendum est: & fuit dictum Philosophi; finis est nobilissima causarum, secundo Anima, & eorum quæ sunt ad finem, *secundo de tuenda sanitate.* Respondeo in doctrina resolutiua verum est, vt habetur *in libro Artis Medicæ* non autem in compositiua, sed apertibus materiam præferentibus, & si dicas à nobiliori est inchoandum, dico quòd non, sed à faciliori & sic non à fine vel agente causa, vel à forma. Verum à materia quæ magis se oculis subiicit.

Sed dices diuisio ista corporis in partes proximas debet esse, in tria cōtinentia; id est mēbra contenta; id est humores & spiritus, & sic humores erunt proxima pars hominis, & totius corporis humani sic enim inquit *sexto Epidemiorum*, & hoc recitabatur libro de medico τὰ ἴσχοντα ὁρμῶντα ἐνισχόμενα σώματα: continentia contenta impetum facientia corpora. Respondeo aliud est dicere partes proximas in actu, & sic bene diuisit Hippocrates, aliud est in comparatione ad animam & sic sunt tantum duæ, quia humores antequam esse debeant animati, vertuntur in membra vel spiritus, cum dixit σώματα intelligere voluit, nos non de aere intelligere, sed de spiritibus qui sunt corpuscula quædam. Subiectum vero remotum sunt humores, & his remotiora elementa intelligit tria subiecta proxima, & sunt spiritus & membra: in his igitur cum sit sanitas & morbus, erunt & operationes & anima, & vita, & sensus, & nutritio. Sed humores sunt proximiores membris, quia membra ex his nutriuntur, ex sententia Galeni *secundo de elementis*: non videtur secundum rationem vt tam diuersa membra ex vno nutriantur humore: dicit igitur quod humores & elementa redduntur ad vnionem, quia faciunt temperaturam & compositionem.

His visis remanebit dubitatio, an spiritus possint esse subiectum sanitatis vel ægritudinis, & dicunt quidam quod sic, quia temperiei & intemperiei, tamen non possunt esse subiectum denominationis, quia non potest illud esse aliud à viuente etiam animato: considera quod dixit spiritus vel membra *Duodecimo Artis curandi*, ex duobus resoluitur virtus, vel propter spiritus, vel membra. Humores autem & elementa sunt subiectum remotum sanitatis vel morbi. Sed dicetis igitur & nucleus deuoratus. Respondent quidam quod non, quia non possunt transire in corpus: ita responsio est falsa, imo nucleus est morbus in numero, quia impedit operations vbi impediat, sed hic sequitur quæ res quam non est viuens erat ægritudo. Ad hoc respondeant quæ negant causam coniunctam, nam si lapis in vesica est morbus, igitur sanum & ægrum vt de corpore, dicentur de eo quod non habet vitam. Ideo dico quòd hæc est verum solum secundum opinionem Principis, & de hoc habetis quæstionem à nobis *Septimo Contradicentium.* Pro solutione dico, quod res non viuens potest esse ægritudo, non tamen denominari ægrum sed subiectum. Sed quid de febre cuius sunt tria prima genera *Primo de differentiis febrium*; & ita quæ est in humoribus, vel erit primo & ita non erit morbus, quia humores subiectum primum non sunt nominati, vel non primo in humoribus, sed in spiritibus vel membris, & ita omnis putrida erit ephimera vel hectica quidam dicunt quod est per se prima in humoribus, sed non denominat, contra igitur non erit morbus febris, vt in humoribus, & est morbus, igitur denominabit membra vel spiritus. Respondeo igitur quod est morbus in humoribus, & per se primo in illis, vt est causa impediens operationem, sed accipit Princeps morbum & sanitatem non pro lædente operationem vt efficiens, sed pro formali causa, quæ est operatio læsa & quod verum sit, Princeps statuit subiectum propinquum morbi & sanitatis, illud quod est subiectum operationis, spiritum & membra: igitur vult sanitatem, & modum intelligere pro formali causa læsionis operationis, & non pro causa efficiente, nam si pro causa efficiente acciperet, nil vetat etiam esse lapidem, & generaliter dicam, Galenus vt artifex non considerat causam formalē, ergo causa immediata quæ est morbus est efficiēs, Princeps vt sciens interponit eā & vult quod sit morbus: ideo est in spiritibus, & membris, quia parum differt ab operatione. Et quāquam de numero specierum spiritus alias locuti simus, nihilominus cadit hic dubitatio, an detur spiritus complatatus. Galenus *quinto de simplicibus medicamentis 6. contrad. 23. cap. 9.* inquit exponens Hippocratem, calor naturalis idem est quod spiritus, vel dicamus substantiā aereā, sanguineamque simul cum spiritu esse calore naturalem. Conciliator igitur in quæstione non principali tenet quod sic: sed dubium est an anima sit forma spiritus & membris influat, an contrario modo, vide *Quinto contradicentium.* Inter causas efficientes ponuntur solum res non naturales sumptæ à Galeno *libro Artis medicæ.* Et de quibus actum est alias. Inter quas causas etiam possent connumerari cælestes influxus, de quibus hic non agam; sed dicam quod obiici solet, 10. *contrad.* 37. scilicet quod medicina non erit scientia perfecta, cum indigeat astrologia. Respondeo 2. *contrad.* 3. quòd non est inconueniens artes indigere aliis artibus. Sed quid de scientia? Dico quod scientia astrologiæ erit scientia communis; & scientiæ propriæ possunt indigere communibus. Sed ad quod genus

scientiæ

ſcientiæ reducetur. Reſpondeo naturalia principia enim eius ex altris pendent, in via tamen Philoſophi eſt difficile hoc ſuſtinere, nã dabitur ſciẽtia cuius principia erũt nobis generaliter ignota: Ad hoc reſpondetur ex Philoſopho *Prima Poſteriorum* quod ſic & datur exemplũ quod medicus accepit cauſã ex geometra, cur vulnera circularia tardius ſanantur. Sed hoc non ſufficit quia medicus ibi non accipit, quia eſt ſed ſolum propter quid eſt, ab Aſtrologo autem vtrumque.

Verùm vt ad rem de ſpiritu redeam, intelligere oporteret, quæ de illo ſcripta ſunt *tertio contradicentium (virtutem)* ponit tertium genus cauſæ formalis, contra primo; cauſa debet præcedere effectum, ſed hæc ſequitur: quomodo igitur poteſt eſſe cauſa, & etiam quia ponitur infra ſub genere cauſæ quæ eſt finis, diximus differentiam inter calorem & ſpiritum; hic declarandum eſt quid ſit virtus *tertio de criſi* volens docere quòd homo moritur cum vires cadunt, dixit quòd vires ſeu virtutem, naturam poſſumus appellare; *duodecimo autem artis curandi* docet quod in duobus conſtat in ſolidis & in ſpiritibus. *Nono artis curandi* eas eſſe tres. Idem *ex libris de dogmate Platonis & Hippocratis cap.* 10. docens eas per quatuor: Primo per nomen, nam prima dicitur vel appetens, vel naturalis cuius ſedes eſt in iecore, cuius canales ſunt venæ & eſt communis etiam plantis, alia vitalis, ſeu virtus animoſa, ſeu anima animoſa, & eius ſedes in corde rami arteriæ, & communis eſt animalibus. Tertia ratiocinatrix & habet ſedem in cerebro, & eſt propria perfectis animalibus, vel ſoli homini. nam de hoc dubitat Galenus *in exhortatione ad bonas artes*: & defertur per neruos, ſeu canales, inquit Galenus, idem *in libello de virtutibus noſtrum corpus diſpenſantibus*, & *ſecundo Prognoſticorum*, vbi dicit quòd principales cerebri virtutes ſunt memoria & cogitatio: ſentire autem & moueri illi inſeruiunt. Sed habet ibi *in Nono artis curandi*; quomodo illa quæ eſt vitalis pereunte, vel alia, aliæ prorſus pereunt, hic autem videnda ſunt tria: *primo* in quo differat virtus à calore: *ſecundo* quæ ſit illarum principalior: *Tertio* quomodo ſanitas & ægritudo in virtute poſſint conſiſtere. Ad primam dico quod differunt *primo* quia calor eſt cum ſpiritu vt dictum eſt & ideò cum materia, ſed primo loco virtus animalis eſt abſque materia, igitur differunt, *ſecundo* quia virtus eſt in membris & ſpiritibus, *Duodecimo artis curandi cap.* 5. & calor in ſpiritibus tantum, vel non in oſſibus. *Tertio* quia ſtat calorem eſſe magnum vt in pueris, & virtutes imbecilles, maxime animales, vt *ſexto de tuenda ſanitate* & tamen habent plurimum de calore, vt habetur *in libello contra Licum & Prima Aphoriſmorum cap.* 11. Qui creſcunt plurimum innatum calorem, item *ſecundo de tuenda ſanitate* pulſus varietatem ſuſcepit vel ob abundantiam caloris naturalis vel animalis ſpiritus vel firmitate virium vel duritiem inſtrumenti, ſed de hoc alias locuti ſumus. *Prima Aphoriſmorum contrad.* 17.

Dubitatur quoniam Princeps habet in littera (*Ægritudo, & earum cauſæ plerumque ſunt manifeſtæ*) igitur medicus poteſt procedere à priori, & hoc eſt quòd voluit Galenus *Primo Artis curandi cap.* 4. cum dixit Medicas demonſtrationes eſſe certas, vt Geometricas. Reſpondeo quòd medicus, vt artifex procedit à cauſis ſupra effectum. Sed vt ſciens non deuenit, niſi per demonſtrationem circularem, quia cauſas impoſſibile eſt per ſe eſſe notiores effectibus, ſed in Geometria cauſæ ſunt per ſe notæ, quia ſunt ab anima vt in his quæ de anima agimus. Plura de facultatibus quæ huc non refero, alias à me diſputata ſunt, velut an ſint tantum duo genera facultatum. Et an principalior facultas ſit in corde. Et quæ eſt in corde quam vitalem ſolemus appellare, an vna ſit. Hîc tamen admonere lectorem volo quod & ſi pulſus poſſit augeri aucto ſpiritu animali, & etiam calore naturali, tam & ſi non ſit aucta virtus vitalis, *vt cap. primo de cauſis pulſuum*, tamen cum ſint tria genera cauſarum antegreſſa, præcedens, & continens, vel ſe mouens ordinatim, & ibi dicit, antegreſſa mouet præcedentem, illa continentem, & ea eſt etiam triplex facultas, inſtrumentum, & neceſſitas; operatio primum & per ſe oſtendit, & ſignificat facultatem ſupra reliqua, non per ſe aut ſaltem non primo. Et ſignificat ſolum quia eſt facultatis, dicit ibi Galenus, quoniam quid eſt eius eſt ignotum, ſed Principi, quod ſit facultas, & quod hoc ex functione ignoſcat, hoc ſatis eſt.

Pro declaratione eorum quæ dicta ſunt, inquit Galenus *cap. Primo virtutum naturalium* tria ſunt quæ ordine ſe habent, virtus ſeu facultas, functio & opus: & quot ſunt genera functionum ſeu actionum, tot ſunt facultatum, opus igitur eſt quod fit, vt ſanguis, functio per quam fit, vt operatio, illa in venis & virtus à qua prouenit ipſa operatio. Quærit igitur quid ſit functionis cauſa, & dicit quòd temperies, igitur temperies eſt idem quod virtus, ſeu facultas: Princeps tamen ponit facultatem eſſe cauſam ſanitatis, non ſanitatem, dicit autem quod ipſa temperies non propriè videtur eſſe cauſa operationum, ideo dicitur temperies à facultate, quia temperies eſt, quod conſurgit ex mixtione calidi, frigidi, ſicci, & humidi, ſed operatio principalis prouenit à mixtione tam actiuarum, quam paſſiuarum qualitatum. Igitur temperies ipſa non eſt facultas. Dico igitur quod temperies eſt cauſa efficiens functionis virtutis formalis: ſed Galenus non curat, ideo probat illam Ariſtotelis opinionem & illum ſibi ipſi conciliat, ſed cadit dubitatio; quia aliqua ſanitas non erit in compoſitione, nec temperatura, vt calor oculi qui variat operationem: reſpondet Galenus *Primo cap.* 9. *de vſu partium*, quod ſubſtantia membrorum eſt ipſa temperies & qualitates ſunt quæ ex ea neceſſario pendent: igitur color ipſe & ſi erit cauſa ſanitatis, non tamen niſi medio temperici.

Galenus omnes actiones à ſimilaribus procedere vult *ſecundo artis curandi cap.* 6. *in fine.* Actionem definiebat *in libro de multitudine cap.* 3. quod ſit motus in agente ex

faciente in patiens sicut passio motus in patiente ex faciente in patiens: Porrò facultatem non vult dici passiuam quandoquidem vult quod sentire sit quoddam agere, vt habetur *Primo artis curandi* & dat ibi exemplum de visione quæ sit actio ipsius oculi. Aristoteles autem vt pati & hæc est contrarietas. Sed Princeps hic vt in plerisque principiis sectatur Aristotelem. Dubitat autem Galenus *Primo de tuenda sanitate cap.* 5. an sanitas sit in constitutione an in functionibus, ex quo liquido apparet functionem non esse ipsam corporis constitutionem sed posterius quoddam.

Est & animaduertendum quod Galenus *secundo artis curandi cap.* 6. & 7. *eiusdem c.* 2. ponit quòd functiones quædam sunt principales vt chrystalini ad videndum, quædam auxiliares vt reliquarum partium. Dic pro concordia quod quædam operationes sunt passiuæ ab obiecto, omnes tamen actiuæ, vt in cognoscente; ad aliud non maior est ratio de oculo quam de crure; nam si intelligis principale, aut primum vt in oculo crystaloides, ita in crure neruus si vt perficiens & subiectum proprium operationis sic oculus & crus. In libro autem quod animi mores corporis temperaturam sequantur; ponit hunc ordinem anima, inde membrum similare quod temperamentum habet cuius merito functionem, omnis igitur functio, & actio inquit à membro similari. Ab operationibus & functionibus ad substantiam membrorum: adeo constans est argumentum vt etiam valeat in diuersorum generum animantibus *Septimo anathomicarum aggressionum c.* 8.

TEXTVS XX.

Causarũ necessario quatuor sunt species, materiales, efficientes, formales, & finales.

COMMENTARIVS.

Meminit Aristoteles harum *in secundo de Physico auditu*, tum etiam, *in primo primæ Philosophiæ* licet *in duodecimo eiusdem* videatur tantum tres posuisse, nolens quod in his quæ à mente fiunt, forma sit idem quod agens. Itaque Princeps hic exequitur quod proposuit, scilicet vt cum non possit esse scientia nisi per causas, docet quæ sint causæ & quot, non secutus medicos in hoc præcipuè Galenum pro quo videtur *vndecimo contradicentium*, vt etiam superius retulimus. Et certè in naturalibus de tribus est valdè manifestum efficiente materia, fine. Seu quod agit, ex quo & propter quod: sed in quo differt forma ab ipso & quod fit & maximè cum simul fiat, ob has duas causas à medicis inter causas non computatur? ob id ergo solum forma dicitur causa, quod materiæ respondet, nam vt in artificiosis si stemma fit ex aere & æs est causa cur fiat stemma, sed materia quanto dignior est forma, nam & materia non minus eadem est, & manet, quam forma. Sed materia dices præfuit, non actu tamen, sed potestate, quare & forma potestate est in materia, sicut materia ad formam. Si enim compositum constat materia & forma, & materia est causa ob relationem, erit etiam forma causa. In his verò quæ materia carent, cum effectus sit forma, non poterit forma esse causa: sed ad efficientem reducitur, efficiens autem est desiderium vnde ad finem efficiens pertinet, vt in his tantum vna sit causa. Ratio ergo quæ demonstrat quatuor esse causas in naturalibus, ostendit apud medicum non esse nisi tres, nam si omne naturale ens constat actu & potentia illud constituentibus, ergo constat etiam materia & forma: sed ista oportet conuenire propter aliquid quod cogat ea in vnum, & ad aliquem finem, ergo dantur finis & efficiens, Sed medicus vt artifex formam à composito non distinguit, ergo apud medicum sunt solum tres hæ causæ ex naturalibus *agens, materia & finis*.

TEXTVS XXI.

Causæ verò materiales, sunt res subiectiuæ: in quibus fundatur vel inuenitur sanitas: & ægritudo subiectum quidẽ propinquum membrum & spiritus. Subiectum verò remotum: seu longinquum humores: & eis longiora sunt elementa. Et hæc duo sunt subiecta, secundum compositionem; licet sint etiam cum alteratione: & vnumquodque quod sic subiicitur in compositione eius, & alteratione ipsius, ad aliquam peruenit vnitatem. Et hæc vnitas, ad quam huiusmodi reuertitur multitudo: aut est complexio, aut forma, complexio vero, est secundum alterationem: & forma secundum compositionem.

COMMENTARIVS.

Proponit duo subiecta medici, vt theoricus est, & quæ pertinent ad causam materiariam, & sunt *membra, & spiritus* tanquam prima, vel vt secunda, post modum *humores & remotiora elementa*, ex quo apparet, quod hæc omnia pertinent ad causam materiariam; igitur sanitas & morbus sunt subiectum medicinæ & non corpus humanum. Et dico quod verum est primum scilicet quod est subiectum de quo non in quo. In vniuersum ergo erunt quatuor partes causæ materiariæ. Et multum intererit dicere causam materiariam medicinæ subiecti, & materiæ medicinalis, vt sunt plantæ, metalla, animalia, cibi: nam hæc omnia non sunt sub genere causæ materiariæ, sed efficientis.

Vt vero sententia Principis in compendium redigatur, dico quod res quibus corpus humanum constat sunt tres iuxta Hippocratem,

pocratem, continentia quæ sunt membra, contenta quæ sunt humores, & quæ illa agitant ac mouent spiritus. Naturalis Philosophus subtilius distinguendo facit nouem Elementum, Temperamentum, Alimenmentum primum, seu chilus, humor, spiritus, Alimentum verum, Membrum, virtus & operatio. Sed Hippocrates elementorum consideratione non indiguit vt nec materia prima aut priuatione: Alimenta autem sub Humore comprehendit, Temperamentum, & virtus & operationes, ad membrorum compaginem sequuntur. Itaque videtur Hippocrates huic negotio planè satisfecisse. Atque hæc omnia naturalia sunt & subiecti partes. Sunt præterea in hoc subiecto tres dispositiones à natura ingenitæ, totidemque fortuitæ. Ingenitæ vocantur simpliciter tales, fortuitæ vt nunc. Et sunt sanitas, morbus, & natura, dispositio seu media, sanitas est effectus quo corpus potest iuxta ætatis conditionem perfectas facere operationes. Si quidem simpliciter dicitur sanitas ingenita: si verò sui ipsius comparatione fortuita. Morbus est effectus præter naturam communem aut propriam operationes grauiter lædens, atque impediens. Et sic neutra dispositio: sed leuiter lædit, sentitur tamen noxa manifestè. In his etiam intelligendum est ætatis comparatone: Et quod ingenita ad communem refertur operationum perfectionem: fortuita verò ad illius propriam. Et sanitas sola naturalis dicitur præter naturam reliqua seu contraria naturæ.

In qualibet igitur parte corporis temperies & intemperies inueniri solet, membris, humoribus atque spiritibus. Cum verò humores ad nutriendum corpus geniti sint, in venis continentur. Hæ duorum sunt generum pulsantes, & non pulsantes. Pulsantes arterias vocamus. Cum igitur corpus ex humoribus nutriatur, hi verò humores partim à Iecore sortiuntur temperamentum, partim à corde in arteriis, à corde plerumque, in venis à Iecore, par est corporis temperiem ex cordis & Iecoris temperie constare.

Cum verò calor cordis sit ingens atque vehemens, vt Iecoris contra, tepidus & moderatus contingit sanguinem esse frigidi temperamenti secundum qualitatem, non tamen secundum quantitatem. Ita qui multa pituita præditus est & cor calidissimum habet, calidus hic quidem erit secundum qualitatem id est ad tactum & frigidus secundum substantiam, quia parum habebit de spiritu, & sanguine, maléque concoquet.

Hactenus absque demonstratione dicta sunt, quod per se euidentia à nominum diffinitione sumpta sint, spiritus verò est pars tenuissima nostri corporis ex puriore sanguine genita, atque animæ primum instrumentum. Epar autem non generat spiritum quoniam motu caret omnia autem talia quæ sensus participantia sunt motu generantur. Epar etiam operationes absque spiritu perficit. Et plantæ non nutriantur, tamen spiritibus carent. Contingunt autem illis setem generatio & corruptio, incrementum, & diminutio; Multitudo, & paucitas; claritas, & turbulentia Densitas, & raritas, temperies, & intemperies; Motus & quies. Generatio voluptatem naturalem quandam affert corruptio tristitiam, seu dolorem absque vero sensu. Facile est hoc percipere in debilibus qui maximè affliguntur, quomodo autem doleant non sciunt. Multitudo & paucitas sunt causæ roboris & imbecillitatis, vt in ætatibus. Pueri enim debiles habent vires animi, quoniam pauci spiritus in cerebro perficiuntur ob humidi abundantiam, senes etiam corporis, quod ob sanguinis crassitiem non abundent spiritus. Substantiæ verò incrementum facit ad robur virium motiuarum, sicut ad imbecillitatem diminutio. ; Perspicaces sunt qui claros habent spiritus sensibus & ratione; vi turbulentos obtusi. Propterea qui eminus parum percipiunt maximè visu plerunque ob id contingit, quoniam substantia spiritus ob claritatem dissoluitur, atque hi prope perfectè vident & mente valent. Motus vigiliarum, quies causa somni est, Caliditas incontinentiam, frigiditas parit hebetudinem. Qui densam habent spiritus substantiam ad labores perferendos sunt idonei, & plerumque tristes minusque ingenio valent, vt ex aduerso qui raram nec perferunt, nec sunt adeo tristes. Quamuis tristitia à siccitate potius fiat, vt ab humido lætitia Generatio verò à contrariis causis fit à qnibus corruptio. Corruptionis autem causæ notiores velut primum suffocatio, inedia, labor, calor immoderatus, putridus vapor. Reparantur igitur ex contrariis odoribus iucundis refrigeratione aut non, sed solum non consummi prohibent, non enim à contrariis generantur & corrũpuntur, nec homine, sed solum ab his quibus corrumpuntur ab eorum contrariis non corrumpuntur. Aut forsan neque hoc sed à calido vehementi, & frigido rursus vehementi, hæc autem contraria non igitur si à contrario corrumpantur, ab altero generari necesse est multominus cum nec non corrumpi necesse sit, sed ab vtroque corrumpi possunt & solent. Hoc igitur multum interest scire in omnibus à quibus generentur & corrũpantur & si aliqua deductio bona sit quæ nos doceat alterum per alterum, cõmodum enim erit hoc omnibus quæ ad propositam spectant tractationem. Videtur igitur distinguendum in contrariam mutationem quæ à contrariis fit, velut si à calido incalescit, à frigido infrigidabitur Potest tamen & alia ratione infrigidari, quia & alia ratione incalescere, velut à motu, sic quies refrigerat. A mediis verò in corruptione, & firmatione. Quod enim ab immoderato calore corrumpitur, à moderatoque frigore, à leni ac tepido calore aut frigore confirmatur; & hoc in præsentibus passionibus. Neque enim si spiritus alia causa puta à venere dissoluatur, à tepido balneo confirmatur, sed dissoluitur magis. Oportet igitur moderatum contrarium assumere eius à quo res ipsa corrupta est. In genere igitur cum à causis naturę cõtrariis corrumpitur, à naturali statu confir-

matur & corrumpi prohibetur. A quibus autem confirmatur, & conseruatur, ab iisdem ac potentioribus ac propriis semper generabitur. Atque hæc est methodus, & ratio generalis omnibus, minimeque fallax ad inueniendum generationis atque corruptionis causas, tum conseruationis atque mutationum vicissim ex alterutris admodum huic tractationi necessaria. Dicemus igitur opus concedere virtutem atque virtutē à substantia proficisci. Sit igitur opus spiritus actio omnis vitalis, atque ea in pulsu maximè cernitur. Pereuntibus itaque spiritibus perit & actio, actione confirmata necesse est pulsus vehementiores reddi. Sunt igitur ea quæ pulsus augent in robore etiam causæ generationis spirituum. A cibis & moderata exercitatione istud fieri solet, hæc igitur præcipuæ spiritus generationis causæ sunt, Non tamen primæ, quoniam primæ sunt quæ proximæ, sanguis tenuis & purus ac pinguis & motus. Idem enim quod in igne contingit, quandoquidem vterque calidus vtroque non sine motu esse debet. Ab humido fieri solum pingui necesse est, quòd in aqueo, nullam vim præter vitalem esse ostendimus in his: quæ de natura scripsimus. Est igitur generatio spiritus à motu & puro & sincero & pingui humido, hoc autē & tenue esse necesse est. Rursus ex his ad proxima deueniamus, cibi tenues & æqualis temperamenti facilesque in concoquendo & pinguis humidi plurimū habentes, tum calor in corpore bene perflatus cum motum habeat liberum generationis spirituum causæ erunt. Vt vinum, Iura, ouorumque nitella. Sed si calor præpediatur, nimiumque adurat, non à talibus, sed contrariis temperie generabuntur spiritus. Ostensum est enim nonnisi à causis naturaliter se habentibus fieri hanc generationem, ob id in febribus non vinū, non oua, non iura spiritus generabunt & multominus carnes, sed quæ humidum pingue habent, ac tenue qualitate autem ipsa contrarium velut vica succo moli medici mixta vel & alidis. A somno verò non generari spiritus argumento est quòd qui cum fame dormiunt debiliores surgunt. Equi quoque, & plurimi captiuorū cum cōdamnati sint ad labores assiduos, eos ferunt suppetente cibo, donec in morbos inciderint. Nam à vigiliis fiunt cruditates in primis coctionibus ex quibus postmodum sanguis genitus ad spirituum generationem est ineptus. A vigiliis etiam cerebrum maximè læditur quia animalis spiritus nō potest perfici nisi quiescat, nec quiescit, nisi per somnum. Quamuis ergo vigiliæ non impediant spirituum generationem duo tamen maxima mala afferunt cerebro nocentes, & cruditates generantes, ex cibis igitur proprie non ex somno spiritus generari demonstratum est.

Multitudo etiam & paucitas illorum non semper à generatione, aut corruptione prouenit, sed pauci sunt, vel quia corrumpuntur, vt in febribus pestilentibus, vel quia non generantur velut in sensibus, vel quia effunduntur, vt in effusione multa sanguinis & frequenti venere, & sectione magnorum bubonum. Multi autem fiunt vel propter assiduam generationem, vel quia pauci resoluuntur. In pestilentibus verò febribus plures spiritus perire solent quia putridæ sunt omnes etiam si in cordis sint substantia, & in humido pingui. Putrefactio verò cum sit caloris vis consumentis, & corrumpentis proprium alimentum spirituum, & innati caloris. Et pinguis humidi vapores cum sint substantiæ densioris celeriter corrumpunt istos spiritus & ob id in pestilentibus morbis, & syncopes à græcis vocatæ seu virium lapsus, & mortes repentinæ maximè atque insperatæ accidunt.

Verum facile quisque mihi occurrat dicens, si ex cibis spiritus generantur, atque id experimento quotidie in ægris videmus, cur non omnes languentes sanantur. Nam ex cibi assiduè confirmata virtute, materia autem morbi non acuta, sed concocta potius, quilibet morbus succumbere deberet. Attamen non ita est, sed ægrorum plurimi intereunt. Causa igitur huius est quod, cum nondum sanguinis adeò corruptus est, superueniens alimentum sanguineum in spiritus mutatur à calore natiuo, cum verò corruptus est in putredinem transit tenue alimentum, & nulla in spiritibus auctione facta, solus morbus suscipit incrementum. Et hoc de alimento tenuissimo, substantia, & iure carnis & vino, quod oligophorum vocant candide dictum sit. Manifestum est igitur quod ab his lædi maximè quæ qualitate sua non repugnent, indicium est extremi morbi. Atque corpulentum aliquod habent vt ptisana, fercula, oua carnes, præter id quod dictum est de putrefactione, si contingat sæuire nimis morbum semper duplici modo naturam onerant alimenti parte, quæ in materiam morbi transiit, si non celerrimè, velut per hostes auxilium transeatur. Quod verò celerrimè ad finem transit mutationis. j. in membrorum & spiritus substantiam vertitur; manifestum est idem etiam oportere exquisitissime concoqui. Quæ autem alimenti pars non ita concoquitur, tota suppetias morbo affert, exiguam igitur alimenti quantitatem esse oportet, & facilè concoqui aptam, & qualitate contrariam morbo quæ tota natura in morbo tam occupata & calore natiuo iam adeò mutato in alimentum transire id est, vltimum nutrimentum debeat. Alius modus quo alimentum corpulentum naturam grauat est ab excrementis propriis quæ nullum edulium effugiunt: crassum vt sex serosum vt vrina: Et vaporosum vt quod insensibiliter excernitur. Manifestum est igitur quot modis à cibis qui ex putridinis morbo laborant ægri offendantur & quam periculosum sit illorū alimenta paulo copiosiora, aut validiora, aut duriora, aut putredini obnoxia, aut non bene frigida, & humida efferre. Præsertim si morbus, aut totum occupet corpus, vt febris autem membrum aliquod nutritioni necessarium, etiam si citra febrem fieri contingeret: vt in his qui bilem in ventriculo, aut putridum, humores habent. Est igitur & illud perspicuum quod ad nutrimenti conditiones attinet, quæ

quinque

quiuque sunt temporis occasione etiam excepta. Et quod alimentum liquidum omnino vt vis, & bene temperatum ad morbi rationem si offendat, & maximè cum vires labuntur, perniciosissimū morbū esse concedit. Qui vero in his morbis oua, & carnes, & vinum nigrum offerunt siccarij iure merito possunt appellari. Quæ autem vina vt illico restituantur spiritus flaua sunt tenuia, & odorata

Diximus de vno genere corruptionis spirituū scilicet putredine. Aliud est suffocatio: spiritus enim alitur & generatur à motu aëris, non quod aer sit substantia spiritus. Aer enim duo facit, quod crassum est motu attenuat, quod exustum est expellit, his duobus modis attractione quæ vocatur inspiratio & expulsione quæ expiratio aëris, spiritus generatur & conseruatur. Impedito altero horum vel vtroque magis mors statim succedit. Ob id etiam tristitia & dolor cum motum sanguinis inhibeant causæ sunt interitus spirituum, eodem modo, & vapor metallicus: vnde qui illum hauriunt præfocari se existimant; In lætitia quoque pereunt cum spiritus paucus ad extrema diffusus deserit præcordia. Deest enim generationis principium quia à simili omnia generantur, Ob id statim interimere potest lætitia non dolor animi; quoniam facilius est expandi sanguinem ex corde quod exiguum est in totius corporis capacitatem, quam ex illa in cor contrahi, In somno verò spiritus quiescunt, sanguis tamen feruet atque mouetur, in timore autem gelascit sanguis, spiritus autem mouet & fluctuat, ob hoc qui timent non possunt dormire qui verò dolent mente facile somno corripiuntur.

Quæcunque verò spiritum tenuiorem euacuant, aut illius partem subtiliorem resoluunt, vt coitus, labor, cogitatio assidua, vires quidem non multum atterunt, somnum tamen prouocant, quia sistunt spiritū. Somnus autem quies spiritus. Moderata quies somnus est, extrema lethargius & stupor mediocris, motus vigilia immoderatus amentia atque delirium. Vnde similia similibus medicamenta & maiora maioribus. Qui igitur furore corripiuntur, non dormiunt, quoniam concitatior spiritus nulla ratione quiescere potest. Iuxta verò causas corruptionis refici solent spiritus. Nam à putredine sero vitiata etiam materia ex qua debent generari. In euacuationibus immoderatis eadem ratione vix restituuntur, deest enim materia. In doloribus verò, & laboribus, & mentis intentione facile, quoniam materia illius adhuc manet & incorrupta est. Confirmatur igitur his omnibus quæ sensus primò recreant, vt musica, aspectu cœli, fontium, & pratorum odoribúsque iucundis, quæ suauitatem cum frigiditate iunctam habent similiter & gemmarum aspectu & picturarum vmbra, balneis frigidis: Et libero etiam aëre: hæc enim ad tactus sensum attinēt. Gustu quoque liquorū mundorū & frigidorum. Ex odoribus Rosæ calida Pomáque præsertim appiana. Frigidis plerunque magis restaurantur, quam calidis ob motus frequentiam, præsertim sensitiuus, sunt enim tria spirituum munera seu tres differentiæ: vitalis, sensitiuus, & generalis. Horum discrimina sunt ex functionibus locisque in quibus perficiuntur, locis & vbi resident, & temperamentis, vitalis gignitur in corde proprie, residet in arteriis, calorem naturalem fouet, ac distribuit motusque vim habet & calidissimus est, sensitiuus in cerebro perficitur, frigidissimus inter omnes alios, attamen per se calidus vehemēter sensum & motum præbet per neruos permeans. Medicus temperamento est, genitalis perficitur in vasis quæ testibus adiacēt, generationis vim habet & per vasa iamdicta fertur. Anima verè in membris, non in spiritibus esse, vt Galeno placuit, & rationi consentaneum est. Nimia enim vicissitudo esset in animæ substantia, si quoties illi deficiunt, ipsa deficeret. Præterea aliud oportet esse animæ instrumentum, aliud subiectum, Diuersæ etiam sunt animæ facultates à differentiis substantiæ ipsius animæ. De spiritibus etiam constat quod generantur & intereunt; de animæ verò substantia maximè rationalis magna est dubitatio. Maxime verò spirituum pars continetur in arteriis, seu pulsatilibus venis, quoniam vicissim conseruantur. Palam enim est absque motu non conseruari spiritus: Quod si spiritus effluant languescunt manifeste hi venarum motus. Effluunt autem etiam non dissectis arteriis, sed solis venis, ob vocatam anastomasim, seu osculorum communitatem ex pulsantibus venis in eas quæ pulsatione carent. Extra venas etiam in cerebri ventriculis, in locis etiam ad quæ sanguis effluit. Cum enim hoc sanguine fiat, in sanguine nutriatur, vbi etiam sanguis est consistit. Qua ratione etiam & in semine vbi immutatus est cum simili substantia manet. Pluribus vere diebus munere ex hoc coniicimus quod abstinentes à venere facilius generant, quoniam semen absque dubio concoctū melius est in quo spiritus iuxta subiecti rationem perficitur, nisi & ibi illum generari dicamus; cum igitur in cerebri ventriculis seruetur, seruabitur & in locis aliis sanguinis fontibus proximis, eadem ratione vt in neruis, ac carne.

Si igitur diu manent spiritus velut & sanguinis pars melior, non erit spiritus aëris particeps aut spuma, sed totum quoddam in actu in quo potientiæ partes. Hoc autē subtilius est quam huic tractationi conueniat. Comparemus ergo animam oculo semetipsum in speculo contemplāti: Speculum autem spiritus mobilis vt speculum, ex cuius motu variæ imagines quæ in oculo erant depictæ repræsentātur. Aut ponatur sol sentiens & corporis extrema perfectio. Anima verò lux & aër spiritus & sensitiuæ imagines, res ipsæ quæ in aëre illo representantur.

Est igitur spiritus pars sanguinis tenuior & calidior, velut pinguedo in iure sanguini coextensa, continua, non tamen ex toto sed pluribus, non æqualis magnitudinis vbique sed alibi copiosior, & copiosior, alibi exilior & paucior.

Cumque dolor est sensusque pulsationis fit propter compassionem loci dolentis ab arteria. Et hæc contingit vel propter spiritus abundantiam & feruorem aut læsæ partis tumorem. In quibus igitur pars læsa non tumet, vt in doloribus per circuitum arteria incisa, cum simul feruor cesset, & spiritus fluat, cessat dolor ille. Ita incedimus arterias quæ iuxta policem vel post aures. Cum verò multis modis spiritus diminuatur, paucis autem & sero intereat necesse est substãtia illius augeri aut minui, rariorem fieri vel condensari robustiorem, aut debiliorem absque interitu, verum ex substantiæ incremento, vel diminutione persæpe contingit restitutio & noua generatio aut è diuerso interitus. Non enim eadem ratio quæ imperfectis, & absolutis.

Qualitas autem intellectus non ex multitudine spirituum pendet sed claritate atque temperamento eorum vique substantia densi sint ac subtiles. Cum enim clari sint non est quod perturbet, vt nubecula in oculo, tenuitas substantiæ facit vt optimè comprehendant, & penetrent temperamentum vt moderati sint in affectibus ad ingenium autem non tantum, nam plurimi eorum qui calido sunt cerebro ingenio tamen valent, densitas facit vt perferant studia & cogitationes, quòd non minus facit ad eruditionem ipsam ingenij breuitate.

Non obesse autem paucitatem morientes declarant quorum etiam præsagia quasi diuina habentur. Horum igitur generatio nulla, sed perfectio in arteriis ventriculisque cerebri: vt vitalium in corde atque arteriis iuxta Galeni sententiam. Non tamen vt dixi ex aëre sed ab illo. Fit autem ex sanguine puriore qui in arteriis continetur.

Genitalis autem spiritus in semine plurimus est, cumque à coïtu mulier quiescit, & dormit, vteri calore cogitur, atque hæret, túncque concipit. Amantes etiam ob id, & qui rarò coëunt propter seminis spissitudinem & qui à venere quiescunt, & à mensium purgatione maximè concipiunt. Amantes quoniam semina miscentur melius atque celerius, à mensium purgatione ob vteri siccitatem, ac puritatem vbi semen crassum fuerit, quoniam facilius cogitur, plurimúmque habet spirituum. Vbi succedat quies quæ miscet semina ac cogit quoque meliùs somnus. In lecto melius obsitum, ne diffluat coïtum auersa & prona muliere Paulus præponit, ob id quòd semen melius continetur, quod collum vteri sit altius, sed qui sic concipiuntur obscœni plerumque sunt atque catamiti. Iuuat & in his imaginari quod cupimus atque subiicimus. Ob hoc efficaciores plerumque sunt spurij. Vbi verò semen conquieuerit, nec diffluxerit, nec corruptum fuerit, quæ duo pericula generationem tollunt adeo vt si statim à venere mulier resiliat, nunquam concipiat, trahitur sanguis vtilior ad locum per venulas & quæ latas habent melius concipiant à virginitate & hæ quandoque post primum fœtum non amplius concipiunt, quæ arctas difficile, doloresque antequam conceperint in vtero patiuntur, vbi semel conceperit, frequentius etiam concipiunt & pariunt, sanguis autem ex venulis exsuctus seminique admixtus formatur in fœtum, Purus est & robustus à puro densóque sanguine, imbecillis & morbosus à corrupto. Iuuat non nihil natura vteri quæ cogit sanguinem & magis etiam seminis.

Spiritus autem hic per coïtum effluens, quoniam in his vasis magnum robur est, imo maximum ad generationis vsum, plurimus cum sit multum eneruat corpus, cum etiam reliquum sanguinis colliquet spiritus inflammet. Vt Ficinus videat dicere semen excretum plus afferre incommoda corpori quam si tantundem quadragies sanguinis affluat; signa igitur conceptionis sunt vteri contractio, hora coïtus quam ipsam mulier sentit, imò & vir, sed non adeò exquisiti. Et mensium supressio ex vtero perfecta, non tamen ex collo eius. Et si obstetrix tangat collum vteri inueniet ipsum conclusum adeò vt ne acus ingredi possit: & hæc signa propria sunt: quibus communiter associantur grauitas capitis, fastidium cibi, anhelitus maior, celerior, & crebrior, similiter pulsus, coloris mutatio, vrina cum nebula, simili gossipio carminator. Et cum iam fœtus mouetur linteum vino madefactum superpositúmque moueri illum cogit ob frigiditatem: præstat autem vt austerum sit nec valde potens.

Generationis autem modus est fœtui vt vermibus & papilionibus erucisque: nam primo tela quædam araneæ similis fœtui circumducitur, inde alia atque alia vt sint tres, quo fit vt vix deprehendi possit, quænam ex semine fœmineo generetur cum vna primum omnes fiant. Creantur inde venæ vtriusque generis, demum sensim concrescunt principalia membra, sed hæc extra propositum. Illud potius consideremus quòd ad generationem facit. Hoc enim vtile est atque honestum.

Corrumpitur igitur semen aut effluit, aut propter motum, aut humorem interpositum, aut quia vterus non concluditur, vel propter intemperiem, vel humidum aqueum, quòd abundat in eo, vel sanguine, omnis enim corruptio ab eo genere est; exercitatio igitur & raritas concubitus, & ciborum moderatio, & crassities humidum aqueum consumunt. Hisque de causis pauperes sunt magis prolifici diuitibus, Multum verò vteri tollit iuxta Rasimoleum colocynthidis, illi infusum Humidum, tenue, suffumigia ex calamento nepita. Origano Matricaria seu Parthenio Arthemisia, vino odorato, præterea aromata omnia. Nox myristica ladanum, & quæ vterum confirmant: præcipua eboris scobs & capreoli leporisque vterus, lignum cupressi suffitum & intus assumptum per os plurimum potest. Et vt dixi coïtus sit à fine mensium ne sanguis immodicus aut corruptus generationem impediat.

Renes quoque firmare docet inunctionibus: malam quoque vteri qualitatem temperare atque hoc tamen humidi superabundantis causam tollunt aquæ thermarum, quod expurgent, siccent confirméntque vterum & malam temperiem tollant. His si addideris,

addideris, vt mulier ſemen prius emittat, iam integre coitus rationem abſolueris, quæ ad generationem aliorum ſit vtiliſſima Sed his omiſſis illud potius quærendum eſſet, quòd Galenus affirmat, ſcilicet neruos qui ad oculos deferuntur manifeſte cauos eſſe, quoniam plurimus ſpiritus per illos defertur. Per alios deferri etiam conſentaneum eſt, ſed hæc omittamus affirmat præterea purum efficere vt acute proſpiciat, quæ ratio militat in aliis quoque ſenſibus, ſed ſi copioſius ſit efficit vt procul. Dubium eſt, nam ſenes longius proſpiciunt. Forſan quod à craſſitie ſubſtantiæ id magis contingit, tenuis enim diſputatur. Memini dum hæc his diebus ſcriberem tabulámque litterarum anguſtis ſpatiis, litteris verò ſubtiliſſimis læſum non parum: nec ſolum oculos verum etiam cerebrum manifeſte oſtendi. Plus igitur lædit cerebrum oculorum intentio quam mentis: ſed non ob id quod videt ſed quoniam neruus nimis dirigitur. Vt enim oculus paruam rem rectè comprehendat cogitur figi: figitur ergo à neruo illum trahentem imo muſculis, quæ operatio laborioſa cum ſit cum ſenſu cerebrum multum fatigat.

TEXTVS XXII.

EFficientes autem cauſæ, ſunt cauſæ permutantes, & conſeruantes humani corporis diſpoſitiones, ſicut ſunt aeres: & quæ eis continuantur, & comeſtiones: & aquæ, & potus, & quæ eis continuantur: & euacuatio, & retentio, & regiones, & ciuitates: & loca habitabilia, & quæ eis continuantur: & motus, & quietes corporei, & animales, & ex eis ſunt ſomnus & vigiliæ: & alteratio in ætatibus: & diuerſitas in eis, & in generibus, & in artibus: & in conſuetudinibus, & in rebus, quæ in humano ſuperueniunt corpore ipſum tangentibus, ſiue ſint contra naturam ſiue non ſint contra naturam.

TEXTVS XXIII.

FOrmales verò cauſæ, ſunt complexiones, & virtutes, quæ poſt eas eueniunt, & compoſitiones.

TEXTVS XXIV.

CAuſæ autem finales ſunt operationes Et in ſcientia quidem operationum eſt ſcientia virtutum procul dubio, & ſcientia ſpirituum deferentium virtutes. quemadmodum nos declarabimus.

TEXTVS XXV.

HÆc ergo ſunt ſubiecta artis, vel doctrinæ medicinalis ex parte qua, vel ſecundum, quod ipſa eſt perſcrutatio de corpore humano, quomodo ſanatur aut infirmatur.

COMMENTARIVS.

Vult Princeps docere quòd, huiuſque locus ſit de partibus & ſubiectis artis medicæ, tum annexit proutm edicina eſt theorica, & non practica, & licet dicat artis eſt ex malo intellectu eius qui librum vertit: Debet enim ſic legi *Hæc ergo ſunt ſubiecta doctrinæ medicæ.* Et licet verbum ſignificaret Arabicè artem etiam, quia lingua illa eſt pauperior latina & Græca, vt etiam Hebræa, & quæ ſunt eius generis velut Chaldæa, & quæ antiquiores ſunt, nihilominus Princeps poſuit in ſenſu manifeſto pro doctrina non arte. Circa quod eſt notandum quòd Galenus ſeu auctor Introductorij diſputat, an medicina ſit ars an ſcientia: Et dicit quod ſi per ſcientiam intelligimus veram ſcientiam nec practica nec theorica eſt ſcientia, cum nec philoſophia ſcientia ſit. Dicit autem methodicos exiſtimaſſe totam medicinam eſſe ſcientiam, ſed Eraſiſtratum vnam partem quæ de cauſis & naturæ agit contemplatione ſcientiam, quæ vero de curatione & ſignis coniecturalem. Atque in ea ſententia fuiſſe rationales medicos ſcilicet optimos quoſque & ex Hippocratis ſecta, verò credere quòd tota ars ſit & etiam dicit è genere illarum quæ non ſemper aſſequuntur ſcopum, vt ſagittandi, vel nauigandi: Et etiam ex his quæ aliquid efficiunt, in operando autem opus nullum habent inſigne ſcilicet, ſed ſolum præparant vt ſtatuaria. Ex quo liquet Principem, non Galenum ſequi opinionem Hippocratis.

TEXTVS XXVI.

EX parte autem complementi iſtius perſcrutationis, quæ eſt vt ſanitas conſeruetur & ægritudo remoueatur, oportet vt ſint ei etiam partes ſecundum cauſas iſtarum duarum diſpoſitionum, & ſua inſtrumenta. Et huiuſmodi quidem cauſæ ſunt regimen cum comeſtione, & potu & electio aëris: & menſura motus, & quietis: & medicatio cum medicina & medicatio manualis; hoc autem totum apud medicos eſt ſecundum

cundum tres species sanorum, & ægrorum, & mediorum quos modo nominabimus: & dicemus, quomodo connumerant media inter duas diuisiones, inter quas non est medium in veritate.

COMMENTARIVS.

Ex parte autem complementi, incipit Princeps docere quomodo debeat describi ars tota, quoniam medicina practica est media inter contemplatiuam, & artem ipsam, vult enim Princeps declarare quæ sunt necessaria instrumenta in arte, quæ non sunt necessaria in scientia contemplatiua saltem. Quatuor enim sunt ordines cognitionis, exempli gratia, in Tertiana Philosophus cõsiderat solum quod est æger, quia habet malam intemperiem ex bile conceptam, & quòd putrescit, sed medicus per scientiam cognoscit illam bilem esse simplicem aut mixtam, & quod exacerbatur tertio die & quod est pura vel non pura & quod secernitur per vomitum vel per sudorem & quod admiscetur frigus; sed scientia Practica docet quod iste morbus poterit curari, vel à natura sola vel à natura principaliter cum auxilio artis, & quod per contrarium ratione morbi, & ratione causæ præparando, concoquendo expellendo, & quod hæc expulsio fit ratione similitudinis cum humore, & hæc est prima differentia ab arte; quia practica constituit principale naturam in sanando, ars verò instrumentum, & decipitur, nam bonum rhabarbarum, si vires sint imbecilles valdè nunquam purgabit bilem, & si vires sint validæ etiam cum pessimo rhabarbaro purgabitur bilis, imò etiam sine rhabarbaro, secunda differentia est inter artem & scientiam Practicam; quia scientia Practica non admittit illa quorum non potest reddere rationem velut medicamenta, quæ agunt à proprietate; ars autem admittit; tertia differentia est; quia scientia Practica non est coniecturalis, & propter id etiam non adeo accedit prope ad exercitationem sicut ars. Quarta differentia est inter artem, scientiamque Practicam, & Theoricam; quia scientia Practica, & ars considerant neutrum primi modi, & scientia Theorica non potest illud admittere. Quinta differentia est earundem à scientia Theorica; quia scientia Theorica considerat quatuor genera causarum, sicut Philosophus naturalis, Practica verò instrumentum loco causæ formalis, vt dicunt, & ita etiam ars.

Declarat autem quod sunt tria instrumenta quæ ponuntur etiam *primo de victu in acutis* & etiam in tertio super *Tertium Epidemiorum* rursus *in introductorio Medicinæ* & per ferrum intelligitur etiam ignis hic, & in locis prædictis, vt *in libro de Dinamidiis* & *septima Aphorismorum* distinguitur ferrum ab igne, & ita essent quatuor instrumenta. Eodem modo sub diæta seu ratione victus comprehenduntũr sicut in textu, Aer & motus, & ideo ratio victus habet duplex significatum vno modo pro vt complectitur solum cibum, & potum, alio modo pro vt complectitur sex res non naturales, vt in arte Medica tertio modo complectitur & purgationem, & sectionem venæ, & ita inscribuntur *libri De ratione victus in morbis acutis* in quibus tractat non solum De cibis & potibus & Aere, sed & de sectione venæ & purgatione: Verum *in libris De ratione victus seu De Diæta* & *in libro De ratione victus priuatorum* inscribitur pro ratione vsus sex rerum non naturalium id est secundo modo.

Dicit ergo quod Medicus sic agit de sanis, ægris & neutris, quamuis vere non dentur corpora neutra, Dicebat circa hoc Galenus *in libro De optima secta ad Thrasybulum c.* 30. quod ars medica est de emendandis vitiis corporis humani & illa vel sunt magna & pars quæ docet illa tollere dicitur theropeutice, seu curatiua, aut est de tollendis paruis lapsibus, & hæc est triplex aut in corporibus sanis, & vocatur euectice, seu sanorum custodia, aut de restituendis conualescentibus, quæ dicitur analectice, seu docens resumere habitum, & vires. Tertia dicitur Salubris, quæ docet vitam eorum qui aliquo incommodo laborant velut intemperie vel in senectute sunt constituti, vel nauigantium vel in castris degentium. Præter has addit Quintum genus prophilactice id est eorum qui custodia vti coguntur veluti eorum qui subiecti sunt podagræ quibus olim ruptum est vas in pectore herniosorum, comitialium, & talium pro quo sciendum est quod morbi qui accessiones habent acutas, sunt tamen longi, triplicem sortiuntur medelæ intentionem, vnam quando accessione detinentur, & hæc est prorsus curatiua, aliam cum non laborant accessione quæ & ipsa curatiua est, si volumus sanare morbum, vel si sufficiat nobis præseruare custodiam adhibemus.

TEXTVS XXVII.

ET postquam iam diuisimus has causas tunc iam collectum est nobis, quod medicina tractat de Elementis, & complexionibus, & humoribus, & mẽbris simplicibus, & compositis & spiritibus & virtutibus cõrum naturalibus, & animalibus & vitalibus: & operationibus & dispositionibus corporis scilicet sanitate & ægritudine: & medio: & causis earum id est comestione & potu & aëribus: & aquis: & regionibus & locis habitabilibus & euacuatione: & artibus: & consuetudinibus: & motibus: & quietibus corporeis: & animalibus: & ætatibus: & generibus: & extrinsecus accidentibus, quæ corpori eueniunt ex rebus extraneis: & regimine cum comestionibus & potibus: & medicinis: & manuum operationibus

rationibus ad sanitatem conseruandam: & vnamquamque ægritudinem medicandam.

COMMENTARIVS.

Et postquam iam diuidimus, facit epilogum, in quo si quis bene consideret, docet quòd Medicus debet tractare de viginti rebus principalibus, septem quidem naturalibus, & sunt elementa, humores, temperaturæ, membra, spiritus, facultates in tres in vitalem, Animalem, & Naturalem, deinde tres dispositiones quæ accidunt corporibus, & sunt sanum, ægrum, & neutrum & per sanum intelligit quod habet operationes integras quales potest habere ratione ætatis, & pro vt conueniunt à principio suo, licet impediantur ab exteriore causa, velut frigore & vinculis, per ægrum quod habet læsas operationes vel à natiuitate, & dicitur ægrum simpliciter, aut quòd habet læsas operationes valde in comparatione ad suum statum naturalem, quam mensuram vtinam Galenus docuisset *libro, Artis Med. c.* 20. Propterea diuersi diuersa senserunt, quidam enim dixerunt quod cum læditur sensili læsione, quod tunc æger est; hoc falsum est, quia neutrum læditur sensili læsione, neque enim est læsio, nisi sentiatur. Alij dixerunt ex Galeno *primo De Diebus creticis c.* 6. quod morbus intelligitur, cum æger cogitur decumbere in acutis, forsan est verum, sed in morbo ventriculi, vel in hydrope est manifestè falsum; propterea dico quod morbus dicitur bifariam, vt pote dolor ventriculi scilicet, vel ratione partis deterioris, & ita dicimus quòd laborans per circuitum dolore ventriculi magno, etiam interim quando non laborat, dicitur æger ratione temporis in quo male se habet, etiam quòd tunc non laboret, sed si capiamus tempus intermedium dicemus sui comparatione esse neutrum tertij modi, vt *in libro Artis Medicæ cap.* 6. declaratum est: ergo neutrum tertij modi est nobilius & magis de consideratione medici quam reliqua genera neutrorum; nam primum habet nescio quid chimerici, secundum est notum omnibus, tertium vero desiderat peculiarem contemplationem; sed pro ratione temporis in quo maxime angitur, dico quòd tunc est æger, cum homo laborat ea parte, adeo vt vel molestissimè possit perficere operationes, aut omnino non potest perficere illas operationes secundum vsum suum, in illa ætate, ita vt læsio sit magna, vel in operatione, vel in modo operandi, vel ex duobus iunctis simul, velut si quis non possit ferre aërem tamen videt, est æger, alius fert aërem omnino, sed non potest videre aut comprehendere hominem qui sit, aut non potest ambulare licet crus non dolitet, dicitur æger, vel si non potest ambulare vt dolitat, sed ægre ambulat etiam est, æger sed si solum dolitat mediocriter, & ambulat vt sanus, aut ambulat debilius aliquanto, sed sine impedimento & dolore; dicitur neutrum; deinde enumerat sex res non naturales de quibus disputauimus alias, & maximè circa aërem. Demum proponit 10. *contrad.* 34. quatuor auxiliorum genera scilicet victus rationem, Medicamenta, & ferrum, & ignem; circa Medicamenta debetis scire quòd medicamenta omnia tam exteriora quam interiora trium necessario sunt generum quod sic demonstratur. nam morbi omnes sunt vel ex solutione cōtinui vel ex mala cōpositione, vel ex mala intemperie, sed morbi ex solutione continui omnes indigent exsiccatione, vt colligitur à Galeno *Tertio Artis Medendi*, quod vero alienum est oportet vt educat, aut vt ad ductionem præparetur. Omnia igitur medicamenta, vel temperant, vel præparant, vel educunt: in hectica vtimur refrigerantibus & humectantibus, in febribus vtimur præparantibus, inde educentibus præparántque, attenuant aut incidunt, aut æquant materiam scilicet temperando, idem ostendo alia via: nam morbi fiunt, vel in solidis, vel in humoribus, vel in spiritibus, & in solidis vel ex effectu vel abundantia; si in humoribus manifestum est quod præparari debent aut educi; si in spiritibus indigent temperatione: si in solidis, vel deficiunt vel superabundant: aliquid si superabundat, debet adduci: si deficiat, reparatur per cibos tanquam per materiam, & per temperamentum, quod si quis obiiciat de astringentibus, de lac generantibus, de somnum conciliantibus, & de his quæ à proprietate agunt; dico quod astringentia omnia siccant, & pleraque refrigerant, somnum conciliantia sunt frigida, vel humida, vel sub vtroque modo & ita reducuntur ad primum genus; quæ vero à proprietate agunt tametsi proprietas non sit prima qualitas, agunt tamen medio primarum qualitatum, & ideo Coralius & iaspis confirmant ventriculum cum sint frigida, & sicca moderate, & cum substantia valde densa, & omnia quæ infrigidant ventriculum, & exsiccant sine excessu qualitatum, & tamen vehementer, quia densa tennia bene concocta, exterius applicata ventriculo, quæ vero generant lac sunt frigida, vel si sunt calida sunt humida, sed quod dicit de igne dignum est obseruatione, & habetur, ab Albuchasi *lib.* 3. *cap.* 1. quod ipsum est vltimum in curatione, non sub eo sensu quod vltimo debeat administrari, & post omnia tentata auxilia; sed quia optimum si sit securum, & æger tolerare possit; nam mulieres, & timidi non audent ferre, est enim potentissimum; est ergo Medici egregij coniectura assequi, an sit necessarium, & statim adhibere excipiuntur quæ sanari non possunt; quoniam medicus crudelis videtur, & maximè apud plebem, & cum non audent ferre, & cum aliter sanari potest & cum periculosum est, id verò maxime in anteriori parte capitis, & vbi nerui sunt teste Hippocrate. Sectio autem membri vbi sunt venæ est periculosior ob sanguinis fluxum; *Quarta primi* & antiquo tempore erat in vsu vstio, ferro, ligno, vel fungis, & oleo adurente, diximus autem & de hoc *septima Aphorismorum.*

TEXTVS XXVIII.

Harum vero rerum quædam sunt, de quibus medico nihil aliud est agendum, nisi vt apprehendat: seu cognoscat, quid sit, vel earum essentiam apprehensione scientiali: & vtrum sint, vel non sint, doctori sapientiæ physicalis credat. Et earum sunt de quibus in sua arte ratiocinari debet.

COMMENTARIVS.

Harum vero rerum, Declarat quinque notanda; primum medicus quædam accipit à philosopho naturali, & ipse non probat, neque negotiatur circa illa, & hoc sumpsit ab Aristotele *in libro de sensu & sensili* & *in libro de respiratione & inspiratione cap.* 10. & quænam illa sint, de quibusdam satis clarum est, velut de Elementis, tangit autem Philosophus in primo Posteriorum, quomodo scientia sit prior, & principalis, & proprie ponuntur conditiones tres, prima quod illa quæ subiicitur accipiat ipsum esse, principalis autem ostendat propter quid est, vt in exemplo, naturalis Philosophia ostendit cur sint quatuor elementa, Medico sufficit scire quod sint quatuor elementa, Secunda conditio quod quam subiicitur addat aliquid pro subiecto velut Musica est de numero sicut arithmetica, sed sonoro ita Medicus tractat de corpore mobili; sed rationali, Tertia quod vtatur eisdem generibus demonstrandi, nam aliter omnes scientiæ subiicerentur primæ Philosophiæ, hunc modum subiiciendi Barbari vocāt subalternari.

TEXTVS XXIX.

Quæ ergo sunt sicut principia, vtrum sint vel non sint, credere debet. Scientiarum namque particularium principia credita recipiuntur: & in aliis scientiis, quæ secundum ordinem sunt ante eas ratiocinantur: & ita fit donec scientiarum omnium principia ad philosophiam primam, quæ metaphysica nuncupatur eleuentur. Cumque aliquis medicorum loqui inceperit, & affirmare elementa, & complexionem, quæ ista sequuntur ex eis quæ scientiæ naturalis subiecta existunt, errabit: ideo quod in scientiam medicinæ mittit, quod eius non est: & errabit, quia se aliquid declarasse existimabit, cum nihil declarauerit. Eius vero de quo medicus formare vel apprehendere debet quid sit, & eorum quorum esse non est manifestum & ipse medicus credere debet an sint vel non sint, hæc est summa videlicet. Elementa an sint: & quot sint: & quomodo sint: & quæ sint: & complexiones quæ sint: & quot sint. Et humores an sint: & quot sint: & quomodo sint id est qualiter generentur. Et virtus vtrum sint: & quot sint. Et prius vtrum sint: & quot sint: & vbi & quæque mutatio dispositionis: & fixio eius habeāt causam: & causæ quot sint: membra autem & eorum iuuamenta sensu & anatomia discernere debet.

COMMENTARIVS.

Iuxta hæc ergo Medicus accipiat à Philosopho tractationem de temperaturis. Respondet Princeps in littera quod omnia naturalia Medicus recipit à Philosopho, & hoc est valde dubium quia Hippocrates *in libro De natura humana* iuxta sententiam Galeni declarauit elementa, scilicet calidum & frigidum, & de hoc alibi tractatum est; sententia ergo est quod si medicus vult probare gratia exempli quatuor elementa esse, vult probare in homine tantum, & sic nihil probat, quia istud est demonstratum de omnibus mistis à Philosopho naturali, ergo nihil probat, vel vult probare de omnibus mistis sed hoc pertinet ad Philosophū naturalem, quia excedit subiectum medici, ergo medicus non potest probare aliquid simile, Et si quis dicat quod bene Philosophus naturalis probat elementa, & temperaturas quia omnia mista constant ex elementis, tamen ad medicum pertinebit tractare de humoribus, quia humores non sunt in omnibus mistis; dico quod sunt in omnibus animalibus sanguineis, ergo subiectum humorum excedit subiectum medicinæ: igitur non pertinebit ad medicum probare humores esse, & similiter Philosophus tractat de operatione intellectus *in 3. de Anima*, & tamen est peculiaris homini & propria soli homini, ergo multo magis tractabit de humoribus; ratio tamen Principis principalis huiusmodi est: si medicus probat humores esse quatuor vel simile ostendit per causam, sed illa est in omnibus habentibus quatuor humores, ergo talis ratio est naturalis. Dicit ergo quod medicus debet accipere à Philosopho naturali quid sint, quod sint & qualiter generentur, & quomodo sint, & species eorum, vt causas circa quod notandum est*, quod Philosophus proponit quatuor quæsita ad quæ reducuntur omnia alia quod sit, an sit, hæc duo simplicibus conueniunt, an conueniet & an omni, hæc compositis neque enim solem esse demonstrare possumus, sed quod lucidus sit, vel obscuretur, quod est ergo bifariam dicitur, vel quod eo nomine significetur & quod rei sit, sed & quomodo sit, referri potest ad compositam interrogationem scilicet propter quid sit, species autem ad quodnam rei sit.

Secundum dictum omnes scientiæ recipiunt

piunt principia sua à prima Philosophia, nam cum scientiarum duæ sint partes subiectum & principia vtrasque docet prima philosphia, & tangitur à Philosopho, nam cum sit possibile cognoscere aliquod nisi per genus & differentiam necesse est ergo vt deueniamus ad vltima genera quæ sunt prima at primus philosophus & similiter prima philosophia tractat de principiis complexis & tangitur à philosopho *sexto primæ philosophiæ* si igitur medicinæ principia medicus recipit à Philosopho naturali & ille à primo philosopho sequitur vt medicina recipiat sua principia à primo philosopho.

Tertia propositio medicus accipit membra qualia sunt & eorum iuuamenta partim à sensu,& partim ab anathomia & per iuuamenta intelligit etiam vtilitatem & sub vtilitate comprehenditur operatio, vnde sciendum quod per iuuamentum intelliguntur tria operatio, vtilitas, & iuuamentum vt in palpebra operatio est mortis quod sit mobilis vtilitas quod tegat oculum & tueatur illum, iuuamentum & pili qui sunt in palpebra sunt causa & etiam aperta palpebra & similes in oculo, operatio est visus, vtilitas crystaloidis quæ probet functionem, iuuamentum autem vueæ tunicæ, vt colligantur species, sensus autem ostendit membra exteriora vt operationes illorum verò vtilitatem rarò, quoniam functiones referuntur ad membra similaria, & maximè sensiles, sunt etiam iuuamenta ex anathomia cognita vnius membri ad aliud velut quod vesica, fellis mittat bilem, ad intestina, vt illa se exonerent à fecibus & ideo anathomia proprie pertinet ad membra interiora vnum præclarum exemplum vtilitatis eius declarabat Galenus *primo de locis cap.9.* cum declararet curam eius qui ex casu ab æquo debilitatos habuit digitos manus, tum verò alibi generaliter, tamen ipsa est vtilior chirurgicis & maximè masculorum, vt tangitur à Galeno *secundo Anathomicarum Aggressionum* docet autem ibi quod necessarium est talia scire chirurgo, at medico physico vtilis, est philosophis verò, an naturæ contemplationem, dicebat enim Galenus *in libro de subfiguratione Empirica* quod sine dictionibus & cognitione causarum poterat medicus exercere artem medendi & generaliter *in quarto Anathomicarũ aggressionum* docet quod Anathomia exteriorum partium id est quæ catent sub cute est vtilior quia nemo dicit aufert spicula ex corde vel iecore, sed ex musculis. Docet autem Galenus *Primo de locis Affectis* tria principalia quæ debet dignoscere Anathomicus, scilicet assentiam membri carneam, osseam nerueam figuram, colorem, omnia hæc sub assentia comprehenduntur. Secundo dicit vsum & operationem, differt vsus ab operatione, quia vsus fit etiam quiescente particula, sed operatio non fit nisi cum motu. Tertium est societas, ostendit autem Galenus quantos errores admittant medici ex imperitia anathomiæ maximè *Tertio Anathomicarum Aggressionum* vtrum verò Anathomia debeat dici scientia, ars, neutrum, sed sola cognitio sensus, dico quòd vt habetur *secundo Posteriorum* ex experimentis pluribus fit experientia, ex experientiis fit ars, & ideo dico quod primum est, ars, quia est recta ratio agendorum. Declaro modo quod sit scientia quoniam cum demonstrantur posteriora ex prioribus fit scientia, sed in anathomia hoc contingit & Aristoteles tradidit scientiam *in libris de animalibus* & non potest haberi scientia nisi ex his quæ sint per intellectum vel sapientiam vel per sensum, cognitio autem complexorum seu orationum necessario est non per sensum, licet medio sensus, cum ergo additur causa, & fit generalis transit in scientiam, ergo anathomia sine cognitione huius partis est ars, & cum ex cognitione est scientia. Exemplum adhibeo de oculo, oculum etiam patet sensu rursus & partes illius, sed non quod sint partes oculi hoc enim ad rationem pertinet, post quod oculus videat non sensu ipso deprehenditur Sed videre sensu deprehendimus, oculo ergo oculum video, communi sensu deprehendo me videre; ratione igitur adhibita cum cognoscam clauso oculo me non videre, aperto videre, ex his construo rationem igitur homo videt per oculum si igitur addantur his rationes vt pote quod oculus est lucidus & quod, species relucet in eo tamquam in speculo & illa species est ibi ergo deprehenditur spiritu quia est instrumentum animæ ergo anima videt per oculum si enim supponamus quod anima potest comprehendere, & istud est altioris scientiæ, itaque aut omnino nihil scimus aut hæc est vera scientia, concludo ergo quod anathomia est vera scientia sicut sunt reliquæ quicquid enim dixeris de hoc, dicam ego, de aliis etiam obiiciam partibus philosophię naturalis; anathomia ergo scientia est & præclara.

TEXTVS XXX.

EA autem quæ medicus cognoscere debet, de eis ratiocinari, sunt ægritudines & earum causæ particulares: & earum signa: & qualiter ægritudo remoueatur: & sanitas conseruetur. Et cuiuscumque earum esse occultum fuerit: ad illud declarandum demonstrationem afferre debet: ipsum diuidendo numerando, & complendo.

COMMENTARIVS.

Quartum dictum quod medico propria sunt morbi & illorum causæ propriæ signa & cura commemorat quatuor propria medico vt videtis, quorum primum profertur in plurali, quia morbus, vt morbus est, consideratur à naturali Philosopho, & ideo subiicitur causæ propriæ quoniam causæ generales etiam spectant ad Philosophum naturalem, velut defectus elementorum, aut abundantia, & similiter signa, & curatio, circa

circa quod dicebat Galenus *in libro de symptomatum differentiis*; tria sunt præter naturam, causa, morbus, & symptomata; & morbus est affectus qui vitiat operationem, primo affectus autem est illud quod relinquit post passionem similiter eam proprie est dispositio, seu affectus qui generat morbum, quamuis communi nomine & causam quæ causam desiit agere, causam & passionem quæ nondum affectum gignit, morbum soleamus appellare. Si ergo affectus primo producat operationem bonam sanitas nuncupatur, si malam morbus; causa verò illius affectus; causa dicitur esse, hæc tamen plerumque desiit esse, & si vitiet operationem dicitur causa morbi, & si efficiat bonam operationem dicitur causa sanitatis, harum causarum quædam sunt proximæ ipsi morbo, vel sanitati, & vocantur causæ primæ, quædam anteriores & vocantur causæ secundæ vel tertiæ, & sic deinceps, apponam autem exemplum, sit aliquis in cuius iecore generetur pituita cruda, quæ transmittatur ad cerebrum, & cum ibi non possit concoqui corrumpat coctionem cerebri & denuo transmittatur per spinam dorsi ad coxendicem, & ibi creando dolores & & pariendo laxationem, efficiat hominem claudum, claudicatio absque dubio est symptoma, quia actio læsa, dolor & laxatio ligamentorum est morbus; quia est affectus impressus in loco primo impediens operationem, humor distillans est causa prima in quantum receptus in loco, & est affectus, in quantum autem distilat est passio, & est causa morbi secunda, corruptio verò illius humoris in cerebro quatenus adest, ibi est affectus, & causa tertia, & quatenus est ab intemperie scilicet, vbi nullus humor fit in cerebro est passio, & dicitur causa quarta: humor verò transmittit à iecore olim qui gratia exempli nunc amplius non est, dicitur causa quinta, & est causa non affectus, intemperies verò in ipso iecore est affectus, & causa sexta. Cibi vero crudi & frigidi in magna quantitate comesti cum potu aquæ frigidæ quos palam est non amplius esse sunt causa septima, & sunt passio, seu efficiunt passionem, id est, effecerunt, aliquando iuste est modus quo & intelligi debent, scilicet quod causæ & morbi aliquando transferuntur ad passionem seu actionem; quia quatenus refrigeratur iecorem passio, quatenus cibi refrigerant iecur est actio, & sunt vnum & refrigerari iecora cibis, & cibos refrigerare iecur; non meminit autem Princeps symptomatum propter duas causas, tum quia symptoma comprehenditur sub signo cum enim sit actio læsa semper significat morbum esse, tum quia medicus non operatur circa illud aliquid. Dicebat Galenus *Secunda Artis curandi cap.* 1. Ridiculum est dicere medicum operari aliquid circa claudicationem ibidem docebat vnum nobis necessarium scilicet quod non debemus habere curam de nominibus nisi quatenus faciunt ad intelligentiam necessariam ipsarum rerum; Secundum hoc ergo diuisit Princeps fermè vbique tractationem de morbis in tria capita in primo agit *de morbo & causis eius* in secundo *De signis* in tertio vero *de cura.*

Quintum dictum. Modus procedendi in his quæ non sunt manifesta debet esse per demonstrationem diuidendo, numerando, & complendo; dicebat Galenus circa hoc *primo Methodi cap.* 5 *in fine*, modus demonstrandi optimus & clarissimus est, vt diuidas quod proponitur, vt pote in quatuor; hoc enim exemplo vtitur, vt demonstres non posse esse plura neque pauciora, & imponas singulis sua nomina quibus vtaris à principio vsque in finem, & demonstres quæcumque oportet de singulis: ideo traduxit in hunc locum Princeps eandem sententiam ad vnguem, oportet dicit, vt demonstres obscura diuidendo, numerando scilicet differentias diuisi, & complendo, scilicet vnum quodque membrum examinando, & per numerum intelligit quòd demonstres totidem esse, scilicet neque plura, neque pauciora.

His visis relinquebatur vnum dubium circa dicta, scilicet an ad Philosophum pertineat tractare de vsu Partium, an ad Medicum, Respondet Galenus decimo septimo *De vsu partium cap.* 1. *&* 2. quadruplex est vtilitas illorum librorum prima est medicorum ad dignoscendos morbos occultos per operationem, & vsum illius partis, læsam, aut sanam. Secunda est Philosophorum quam ipse ponit primam, vt declaretur vis vtilitatis cuiusque membri & vt complemur naturæ opera. Tertia est Theologorum qui cognoscunt per hæc esse summum quendam opificem sapientiâ maximâ omnium rerum & ideo dicit non solum hæc vtilitas spectatur in hominibus, sed etiam in animalibus reliquis. Similem sententiam referebat Ptolomeus *de cœlo in Procemio suo Magnæ comp.* quòd contemplando motus magnitudinem, velocitatê, & rationes illas artificiosissimas deuenimus in cognitionem altissimi boni. Quarta est Sophistarum qui negant dies criticos vllam habere vim, quia negant naturam habere rationem animantium.

Aliud quæsitum circa hoc, an Philosophus debeat considerare de sanitate, & videtur quod non primum, quia duæ scientiæ non debent considerare de eodem subiecto sub eadem passione. nam in syllogismo cum tres tantum assumantur termini non poterit recte concludi in primo primæ figuræ per duo media qui tamen modus est maxime ad scientiam, *secundo posteriorum cap.* 11. quamquam non declaret ibi de Primo modo; verum in eodem libro. Sed posterius reliqua docet. Accedit quod nullum experimentum tale habemus in alia scientia demum cum scientiæ sit subiectum aliquod, & de eo demonstretur, passio vt pote Philosophia naturalis corpus mobile sic est subiectum, vt de corpore mobilitas demonstretur, ergo cum sanitas non comprehendatur sub mobilitate, neque etiam competat omni corpori, ergo Philosophus naturalis non considerabit de sanitate neque ægritudine. Respondeo quod vt homo comprehenditur sub corpore tamquam species, ita sanitas & ægritudo

tudo sub motu quodam. quia sunt principia operationum & proueniunt à generatione & nutritione, quæ sunt quidam motus & quod propositiones, & conclusiones non sunt eædem, quia Philosophus considerat in generali, vt pote de morbo, & medicus in speciali, velut de tertiana. Sed dubitatur, num de corpore humano debeant præsupponi omnia hæc; quoniam de subiecto solet præsupponi, quia est & de passione quid sit, non quia sit, hoc enim demonstratur in scientia. Sed Princeps præsupponit subiectum & partes subiecti & etiam quid sit, quia præsupponit compositionem, facultates, & operationes, & præsupponit, quia est de sanitate, & morbo & non solum quid sit. Respondeo quod partes aliquæ dicuntur tanquam componentes subiectum, & illæ præsupponuntur. nam & Philosophus naturalis præsupponit materiam & formam ex quibus vnumquodque corpus componitur, ita medicus elementa, humores, spiritus, partes vero secundum speciem qualibet scientia demonstrat, id est de quibus subiectum dicitur, velut Philosophus demonstrat, *in libris de cœlo*, esse quinque corpora simplicia & medicus esse nouem genera hominum ratione temperaturæ & tria ratione ætatum, pueros, iuuenes, senes, de passione autem cum præsupponitur quid sit, in genere tamen demonstratur per species de speciebus subiecti. Proposito enim quòd mobilitas sit & sit in corpore non tamen præsupponitur, neque quòd insit omni corpori, neque qualis species mobilitatis qualis speciei subiecti conueniat, velut quòd cœlum moueatur motu circulari, quòd terra descendat, ita & de Medico.

Sed dicere forsan posset aliquis quod signorum cognitio pertineat ad Philosophum naturalem. nam Philosophus tractat de illis, & Plinius de morbis animalium & inuetinaria talia scribuntur, læsa quoque operatio est morbus, aut declarat morbum, & consideratur à Philosopho naturali. Respondeo vt in superioribus quòd cognitio signorum in genere etiam spectat ad Philosophiam naturalem, nam multa talia produntur ex Metheoris, sed vt contrahuntur ad corpus humanum & morbum specialem. Sic pertinent ad medicum; signa tamen magis pertinent ad medicum quam causæ, vel morbi, quia non ingrediuntur demonstrationem, nam argumentum à signo est ex probabilibus, & non demonstratiuis; ideo non ingreditur scientiam, sed contra quia dantur signa demonstratiua & Pathognomica quæ demonstrant; ergo dantur signa quæ faciunt scientiam. Respondeo quod signa Pathognomica sunt composita ex pluribus, & nullum demonstrat per se, & ideo neque simul licet maximam faciant coniecturam, imò neque indicium quod ponitur pro signo certo, vt *Tertio Prognosticorum. textu* 30. vbi dicebat Hippocrates probe verò peritum esse oportet de indiciis certis, talia enim indicia vt referuntur ad causam sunt certa, velut coctio est signum certum comparatione dominij naturæ supra materiam morbi, sed vt est signum non est certum vt pote quòd sit signum, quòd materia sit deuicta a natura, quia tunc refertur ad totam materiam.

Contingit etiam dubitatio; quia demonstratio est triplex, quia propter quid & simpliciter, vt habetur *in primo posteriorum* sed Princeps non vtitur aliqua illarum sed diuisione, si quis respondeat quod Galenus *in libro Artis medicæ cap.* 10. dicit esse tres modos resolutiuũ, compositiuum & diffinitiuũ, non videtur satisfacere, quoniam Galenus ibi tractat de Artibus & docet modos procedendi in Artibus & non in scientiis: At Princeps hic tradit scientiam propterea dicendum est quòd Galenus ibi non tractat de diuisione, sed de compositione, resolutione & diffinitione qui sunt modi procedendi Artium, sicut demonstrationum modi sunt vix procedendi. Diuisio autem & modus communis vtrique tamen scientiæ quam arti, de arte clarum est apud Galenum. At verò de scientia dicebat Aristoteles *prima priorum* sed contra; quia ibi Philosophus dicit quod est infirmus Syllogismus. Respondeo quod & si *ex Tertio Topicorum* diuisio reducatur ad argumenta probabilia nihilominus *secundo posteriorum* connumeratur inter principia inuestigandæ affinitionis, sed definitio est principium in demonstratione: ergo diuisio licet non sit modus demonstrandi est tamen certior ipsa demonstratione vt habetur, *pro posteriorum* propter quod vnum quodque tale est illud magis est tale.

Demum dubitatur quænam sint illa quæ sunt aliena à consideratione medici & Respondeo quod sunt duorum generum vt colligitur ex littera Principis vel ratione tractationis velut quæ pertinet ad Philosophum naturalem, vel quæ sunt aliena à fine Medici, finis autem medici est vel conseruare sanitatem, vel remouere ægritudinem, dicebat Galenus *in libro de optima secta c.* 1. ad Thrasybulum singula Medica præcepta debent esse vera, & vtilia ad assequendum finem, & principiis iactis consentientia, adeo vt hoc sit idem ei quod dixit princeps.

TEXTVS XXXI.

GAlenus namque cum demonstratiuã argumentationem super diuisionem primam facere aggressus est: non debuit aggredi in quantum est medicus: sed in quantum desiderauit esse: vel appellari Philosophus loquens in scientia naturali sicut facit Alphachi. Cum vult affirmare seu rationibus demonstrare veritatem: quam debet sequi communitas hominẽ, nõ debet loqui de hoc inquantum est Alphachi: sed in quantum ipse est Metachalem: medicus enim in quantum est medicus: & Alphachi, in quantum est Alphachi: non potest

potest de hoc ratiocinari quòd si non peruenit ad circuitionem.

COMMENTARIVS.

Concludit vnum quod videbatur inferre difficultatē, nam poterat aliquis dicere quod Galenus *in libro de elementis* videtur probare quatuor elementa esse, & est medicus. Respondet quod fecit id tamquam Philosophus, & hoc declaraui superius quia aliquæ rationes Hippocratis sunt Physicæ & illæ quas recitat Galenus ibi, & dat similitudinem pulchram cum Alphachi, id est cōcionator sine litteris, qui docet populum, se habet ad Theologum id est Metachalem, sicut Medicus ad Philosophum naturalem. Hoc fecit verè vt tacitè proponeret se Galeno qui medicinam tradidit vt artem non vt scientiam. Inde subiicit quod si medicus velit hæc demonstrare, incidet in circulum qui reprehenditur à Philosopho 10. *Posteriorum cap.* 30. ratio sic constat temperaturum sunt ergo, elementa sunt, quatuor sunt elementa ergo nouem temperaturæ, hæc est demonstratio medica, ergo si prior medica sit committetur circulus vt ipse proposuit.

DOCTRINA II.

De Elementis Cuius est vnicum Caput.

TEXTVS XXXII.

Elementa sunt corpora simplicia, & sunt partes primæ corporis humani & aliorum, quæ in corpora diuersarum formarum diuidi minime possunt: ex quorum commistione species diuersæ generatorum fiunt Medicus autem credere debet: quod sunt quatuor & non plura quorum duo sunt leuia: & duo grauia. Leuia sunt ignis & aer: grauia terra & aqua.

COMMENTARIVS.

Hoc totum libuit simul coniungere quamuis non sint eiusdem generis, quia vt videbitur vnum sine alio intelligi non potest. Et primum constat vsque ad partem illam (Medicus autem) haberi pro diffinitione ipsius elementi proposita à Galeno *octauo de placitis Hippocratis & Platonis cap.* 2. quamquam non adeo exquisitè hoc doceat sicut hic Princeps. Sed valeat hæc diffinitio, declarandum est primum quæ sit opinio Philosophorum circa hoc: inde quæ super addita sunt à nobis ex sententia. Demum super addemus ea quæ à nobis inuenta sunt num prætermittentes quæ & *in Quarto Theonoston* disputauimus de elementis, Et *in Decimo contradicentium*, De numero illorum, non tanquam non necessaria, sed tanquam alias nota. Philosophi igitur sententia est quòd elementa sint quatuor: adducit autem duas rationes primam *Quarto cœli* datur graue simpliciter, & leue simpliciter, & graue non simpliciter & leue non simpliciter, & similiter locus sublimis, & infimus, & locus superior & inferior; ergo dantur quatuor elementa quot enim loca tot necessario elementa altera ratio habetur *Secundo de generatione & corruptione* quatuor sunt qualitates, & sex modis coniungari possunt ex quibus cum duo constent ex contrariis, relinquentur quatuor: ergo totidem erunt elementa Hæc igitur est sententia Philosophi de Numero Elementorum & vult quod ignis sit calidus, & sicut & aer calidus & humidus, & aqua frigida & humida, & terra frigida & sicca. Istæ rationes parum concludunt & ideo Hippocrates *in Primo de Dieta* proposuit tria elementa & omnia frigida inde calorem sempiternum, & omnia sapientem, dico quòd si datur vera generatio, quòd elementa transmutari possint non datur nisi vnum elementum, quia si est terra potest fieri aqua & ex aqua aer, cum id fiat per ignem, ergo ignis aliquid generabit si specie differant aqua & aer, at in his nihil generat *secundo de generatione & corruptione* vt dictum est igitur tria elementa sunt vnum elementum, præterea videmus quod generatio pertinet ad vitam, nam reliqua miscentur, generantur, vt plantæ animalia & gemmæ quæ vitam habent, non autem elementa quæ vita carent, generatio etiam est nouæ formæ sed forma cognoscitur ex operatione, operatio vero est ab anima, ergo omne quod generatur animatum est, elementa non sunt animata; igitur elementa non generantur, ergo non differunt specie inter se, est etiam quod generat in eis secundum illos calor, sed calor est instrumentum; ergo non potest esse principale quod autem calor sit instrumentum declarabitur inferius, non enim calor magis generabit oculum cum hac forma, quam cum illa, neque cum septem tunicis interpositis humoribus, ista enim sunt opera animæ, & non caloris. At vero si generatio non datur elementa sunt impatibilia & ita poterunt esse tria, quia differunt substantia & loco.

Circa diffinitionem illa ponitur à Philosopho *Tertio cœli* Elementum est in quod cætera corpora diuiduntur in quibus inest potentia, aut actu, hoc enim vtro modo se habeat adhuc ambigitur, ipsum vero in alia forma diuersa diuidi non potest per hoc quod dixit, cætera corpora elementi genus declarat, scilicet corpus, & quoniam in illud dissolui potest celeste excluditur quod in alio includi non potest neque esse pars misti per vltimam autem differentiam secernitur ab omnibus corporibus mistis quæ possunt diuidi in corpora diuersarum formarum vnde liquet ex hac authoritate quod philosophus fuit ambiguus an elementa essent in mistis actu, an potentia solum. Princeps vero addit simplicia & prima

&

& ex quorum commistione diuersæ generatorum species fiunt, Aristoteles diceret quòd tum non possint diuidi in alia sunt simplicia, & prima, & similiter non sunt partes mistorum, ergo mista ex illis generantur; ergo tres illæ partes sunt tantum ad declarationem vtiles. Hic non præteribo vnum notatu dignum, & multiplici ratione animaduertendum quod Iacobus & Vgo, & huiusmodi expositores solebant facere longas disputationes in huiusmodi differentiis nullius momenti quas constat fuisse sophisticas & merito damnandas sufficit in talibus admonuisse lectorem quænam sit differentia in quot consistat & qualibus, & cur Aristoteles non adiecerit, quia dependent ex illis: & Princeps adiecit declarationis causa & hoc breuiter, sed alius est damnare doctrinam, aliud doctrinæ modum, sed vt dixi parum interest, vnum satis constat diffinitionem Aristotelis esse bonam & perfectam.

Declarandum modo superest quomodo calor agat ad generationem omittunt istiusmodi admirandi illi Philosophi, deinde nugantur in inutilibus & incertis quæstionibus duplici detrimento. Dico ergo quòd calor cum sit res diuina seu primarius & ex luce atque astris ad imaginem illius primi boni quærit generare sibi simili atque multiplicare & diffundere, hoc autem agendo mouentur partes corporis quia calor mouet, ergo dum mouetur, separantur, & dum separantur rarescunt, & dum rarescunt necessario attenuantur quinque ergo mutationes fiunt à calore ordinatim vt vides, propagatio caloris, motus, separatio, raritas, attenuatio, ex quibus omnibus perseuerante actione fit sextum quod dicitur concoctio vel corruptio, concoctio si sit naturalis & ingenitus motum habens moderatum, quia non intendit motum, & ideo non destruit subiectum neque humidum cum quo est, sed permiscet illud cogendo quia est alligatus animæ quæ moderatur ipsum, & redit, & ipsius natura cœlestis est, contra verò si sit igneus, neque secundum substantiam cœlestis, neque alligatus animæ, semper intendit motum suum, & licet habeat illos quinque motus, quia tamen mouetur vehementius dissoluit humidum, & putrefacit, aut exurit, & ita corrumpit subiectum; dicet aliquis quo modo potest calor naturalis cogere si separat, rarefacit. Respondeo quòd eius proprium est vt est instrumentum animæ cum secreuerit inutilem partem & attenuauerit permiscere, est autem inutilis, pars duplex cruda & exusta miscet autem impellendo dum circumscribitur terminis; sic enim qui miscent in vase æneo pharmacopola: vnde ergo terminus seu vas illud quantumcumque circunscribitur ex impressione animæ illius, vnde etiam vas ipsum auget sicut videmus in corticibus fructuum, attrahit ergo calor ratione raritatis factæ in loco in quo est, & alia pars caloris eidem consentientes dum propagatur impellit, & maximè ab inferiore parte ad superiorem & ideo radices sunt in imo terræ duplicem ob causam & ob alimentum & ob impulsum rectum, fructus autem in superiore ob triplicem causam, tum quia sunt ter, minus motus caloris naturalis, tum vt sint magis remoti à frigore terræ & vaporibus corruptis, tum etiam vt sint magis expositi soli non ob propinquitatem, illa enim est res nullius momenti in tanta distantia, sed vt non sint adeo obnoxij vmbræ aliorum corporum, vnde patet quòd cum Deus prouiderit etiam casibus, quòd ipse cognoscit illos & quicquid cognoscitur à causis secundis generaliter. Constat ergo quòd sunt septem motus communes omni calori nisi quòd naturalis generat, non naturalis corrumpit, ergo cum calor naturalis præparauerit materiam illis septem motibus in ipso primo instanti anima imprimit generationem & formam cum ergo calor obediat illi & magis subtiliter concoquendo hanc partem vno modo, aliam alio modo, figuras tam bene circumscriptas & exiles fabricandæ longe magis quam manus pareat homini manifestum est quod dicit Princeps ex quorum commistione diuersæ generatorum species fiunt. Sed quia diximus quid calor attrahit & etiam impellit & hi sunt motus contrarij & videmus hoc & in calore ignis qui trahit à lignis & expellit per fumum & ita in naturali gula trahit & intestina expellunt & iecur trahit & expellit, vnde dubium accidit an sint motus esse quorum vnus alteri iungitur sine quiete vt vita & mors, incrementum & decrementum. Dico ergo quòd attractio non est per se à calore, sed fortuita, ita tamen fortuita quod contingit illi semper, quia est necessaria causa, est autem vna necessaria, altera non semper necessaria est, cum calor dissoluat, vt dixi humidum expellat ex continuitate corporum necesse est vt trahat ad se, veluti si quis impellat b a, trahet necessario ad se b c alius modus est quòd dum calor rarefacit si postmodum extinguatur quod rarefactum est violenter condensatur, & ideo trahit partem propinquam ad se propter coniunctionem corporum, seu continuitatem quam vocant Aristotelici attractionem à vacuo per hunc modum cucurbitulæ trahunt ab adiacentibus locis, quia cum imponuntur super locum, ignis non potest trahere, quia non potest impellere, ideo extinguitur & extinctus condensatur, quia aër rarefactus ab igne redit ad naturam suam & occupat minorem locum, & ob continuitatem trahit partem adiacentem ad se, & in hoc decipiuntur, adeo oscitanter rem tractarunt & medici & Philosophi quòd dixerunt hanc attractionem fieri à calido cum fiat à frigido, & ideo qui volunt vt cucurbitulæ multum trahant imponunt linteum madefactum aqua frigida, sed per alium modum attractionis homo moritur suffocatus, quia dum non potest propellere non potest attrahere, quia attractio non est caloris effectus proprius, sed sequens ad expulsionem quæ sequitur actionem caloris, sed impedita expulsione calor non amplius trahit, quia non per se trahit, sed continuitas aëris est quæ trahit, ideo cessante necessitate attractionis quia non fit impulsus calor cordis non recipit nutrimentum, & ideo extinguitur, extinguitur etiam quia fuligo consumit humidum

cordis,

cordis, sed hæc non est causa per se mortis, sed celerioris mortis quod videmus in puluere pyrio qui in machina ardet propter materiam ignibus aptam, quamuis sit in loco concluso ex quo patet quod ignis qui ex flamma cum extinguitur transit in aerem.

His relictis declaro quasdam difficultates quæ oriuntur ex dictis à Principe hic prima quomodo in aqua ardente & separationis substantia sit aquea & vires omnino igneæ & similiter quomodo tartarum exustum operatione ignis debeat esse igneum, substantia sit terreum, è potestate sit aereum, vel aqueum, rursus admista constent omnibus elementis, an ex aliquibus tantum. Et dico quod in tartaro est substantia aerea coacta à terreo & quod antea aderat pars terrea exusta nimia & crassa & ideo non poterat dissolui sed per ignem maior pars absumpta est & reliqua est attenuata & ideo facilius disoluitur ab humido superueniente; nam partes exustæ plus trahunt ad se humidi & minores ac calidiores factæ minus continent ipsum. Et ita de quibuscumque quæ abundant multa parte terrea & humido denso & à frigore condensato & crasso ergo tartarum constat ex terreo tenui & aqueo crasso, & per exustionem non potest liquari, quia humidum celerius consumeretur, quam illud terreum quod remansit post combustionem, ergo humidum illud fuit coactum à terreo, & ita patet primum clarius, aut patebit tertio declarato.

Secundum de aqua ardenti & separationis, quia sunt igneæ vt & aqua ardens est aereæ magis substantiæ, & ideo transit in flãmam & hoc etiam est verisimile quia fit ex vino aqua atque separationis fit ex terreis & magis vnit, & non ita oritur & ideo dicemus quod substantia est aquea, an mistis partibus terreis initis & quod sit verum artifices vt mirabiles videantur excipiunt vaporem illum acrem, & nihilominus illa aqua dissoluunt argẽtum. Quis ergo dubitat quod si quis imperitus sit artis chymicę nunquam poterit recte philosophari, velut neque Aristoteles qui multos videntes errores tum in hoc tamen in historia de animalibus propter dissectionis ignorantiam admisit, dicemus ergo quod pars exusta terrea modica est in aqua, at vero in ardente aqua pars est aerea, multaque transit in flammam, aquea vero & ipsa tenuis transit in fumum eodem tempore, & ideo aqua ardens tertiæ distillationis tota videtur exuri idque persuadent chymistæ sed non est verum in aqua enim ardente etiam si sit eius generis vt postquam vsta sit nihil remaneat in vase, sed siccum relinquatur tres habet partes, vnam aeream, ignitam, & permistam aquæ, aliam aqueam tenuissimam, sed haud ignitam, tertiam ex vaporibus ignitis qui substantia quidem sunt aqua, sed qualitate ardent, atque hæ tres partes commistæ sunt ad minima non quod substantia substantiam penetret, hoc enim esse non potest, sed velut in vino & in aqua, nam claram est quod si vinum aquæ misceatur, mistum continet tantundem loci quantum vtraque separata: ergo non penetrant se mutuo neque etiam miscentur ad minima nam sic non statim miscerẽtur, sed qui volunt vt recte misceantur ambo agitant diu, vt substantia substantiæ misceatur, deinde relinquunt etiam simul diu, & hoc modo qualitates permiscentur ideo & partes vini sint frigidæ non absolutæ sed valde & partes aquæ calidæ non absolute sed valde, vt his calefactis, illis refrigeratis fiant fermè vna substantia in permistione: ergo repentina cum & aquæ primum partes quædam partibus miscentur, multæ autem multis non miscentur, & ideo omne vinum sic mistum habet partes diuersas gustu, & colore secundo miscentur secundum qualitatem calidi & frigidi ad quas sequuntur odor & sapor, sed non bene miscentur ideo diuersæ partes diuersos habent sapores & odores vna plus est vinosa, alia aquosa, sed de calore non sunt vere mista, sed calor vini redundat in aquam propter perspicuitatem cuius inditio est quod si capiamus duo vasa vitrea coniuncta, & vnum impleamus aqua, aliud vino, videbuntur ambo plena vino, si inspiciantur ab altera partium qua vinum aquæ obtenditur sed si à lateribus, scilicet parte angustiore, vnum apparebit plenum vino, aliud aqua, & veræ sunt, huius etiam indicium est quod vinum dilutum iuxta rationem diuersam aspectus modo videtur dilutius, & in colore aquæ modo vinosius, secundum diuersas partes reuertendo, ergo ad propositum dico quod vapores illi sunt substantia aqua (loquor de vaporibus in aqua ardente) & nunquam transeunt in aerem licet fiant ignei, sed semper remouent aqua & dilabuntur accensi, & tamen remanent vapores sicut etiam ferrum ignitum remanet ferrum, sed sub forma ignis verum ferrum dissoluitur vapores autem aquæ non dissoluuntur saltem qui tenuissimi sunt quia sunt partes elementorum, & ideo impatibiles secundum substantiam, secundum qualitatem autem recipiunt omnem pereginam qualitatem verum per se omnia elementa sunt frigida id est experientia omnis caloris ignei putridi cælestis, & etiam frigiditatis actiuæ. Inditio autem est aquæ ardentis substantiam esse aquam, non aliud quod relicta aliquot annis remanet aqua, sicut fluminis. Et hæc est veritas rei clara & facilis & remota ab omni controuersia, opinio autem Aristotelis est sicut opinio de sensu tactus sine neruis plena inuolucris difficultatibus controuersiis obscura, quia pendet ex falsis principiis. Concludo ergo quod elementa sunt impatibilia secundum substantiam, sed patiuntur. *Primum*, quia diuiduntur & iunguntur; *secundum* quia rarescunt & condensantur, *tertium* quia mouentur motu de loco ad locum, *quartum* quia calescunt & refrigerantur, & quæ recipiunt calorem naturalem vocantur concocta propter tres causas, tum ob causam caloris qui celestis est, tum quia permista, tum quia segregata quæ exusta sunt, illa verò in quæ non egit calor naturalis neque alius, vocantur cruda, illa verò in quæ egit calor igneus aut putridus, exusta vel putrefacta. Succedit tertia quæstio quæ est difficilior & est quomodo aliquid possit coagulari

lari à calido. Philosophus *quarto metheororum, cap. 6.* declarat quod sal & nitrum concrescunt à calido, sicco, & dissoluuntur ab humido, & frigido, & similiter lateres concrescunt ab eodem calido, & sicco, sed non dissoluuntur ab humido, & frigido; ita quod colliquentur, sed solum soluuntur, & hoc etiam in longo tempore: respondet ergo Philosophus *ibidem cap. 7. in fine* quod quæ crassescũt solum aquea sunt, quæ autem durescunt terrea, est enim crassities via ad duritiem, vt cuncta quæ durescant necessario prius crassescant, salem ergo & nitrum & lateres plus terrei putat habere quam aquei. Sed hoc minime verum est: portio enim terræ in sale & nitro sed magis in sale aquæ comparatione valde exigua est: quæcunque etiam dicit non soluuntur vt lateres sensim exsiccantur, & si superueniat frigus postmodum expresso humido, nec à calore nec à frigore dissoluuntur, quia ab eisdem congelata sunt. Veritas est quod Philosophum latuit exacta ratio, quare sal liquescat; ea autem est omissis nugis quod quæcunque durantur emisso humido quia terrea sunt, non liquantur; quia terreum non dissoluitur nec liquatur: quæcunque verò humida sunt, vbi vel minimum densentur, crassescunt vt oleum, sic paulo plus adhuc magis vt mel cum ergo à frigore constringantur refugiente humido minus spatij occupant, sicut etiam homines & animalia reliqua, ergo liquores densantur, ergo crassescunt: si ergo paulo magis crassescant durescunt, vt aqua, & mel congelata, incredibile est autem quàm parua loci diminutione quantum crescat densitas, & quàm paruo incremento densitatis quam multum concrescant, vt etiam ad duritiem vsque vt hæc de concretione à frigore nunc de calore in sale, nam clarum est quod pars aquea resoluitur ab igne, & terrea non exhalat; ergo substantia salis tota fit densior, & ita durescit: dictum est enim quod magna densitas fit ex exigua diminutione quantitatis, & magna concretio ex exiguo densitatis incremento, & durities parum aucta concretione. Et dissolutio ab humido fit non autem à frigore facta attractione à parte terrea circumiacentis humidi. Et ideo sal dissoluitur etiam à vaporibus humidis, & ab aere humido sicut etiam ab aqua. Et causa erroris totius præsentis est vnum dictum Aristotelis aut falsum aut male intellectum, quod pugillus terræ si fiat aqua conuertatur in decem pugillos, & quod si aqua conuertatur in aerem pugillus aquæ fiet decem pugilli aeris, nam vtrumque non solum falsum est sed etiam absurdissimè dictum ne dicam turpissimè, namque ex caldario aquæ fiunt plusquam centum caldaria vaporum; vapor autem multo crassior ipso aere, contraria ratione terra vel tantillum crassior est aqua, & si vel minimum crassescat aqua transit in terram; latuit tamen hoc Aristotelem neque animaduertit vnde paululum aut à crassitie in aqua terrea fit durities, & ideo sal soluitur ab humido non à frigido: idẽ ergo de tartaro exusto quod non dissoluitur ab humido, sed à frigido conuertitur, ergo in aquam exustum, quia pars terrea consumpta est, & reliquum, quia exustum trahit ad se humidum, atque ita rarescit, atque liquatur, quare in sale necesse est partes terreas exustas esse.

Quarta difficultas est vtrum in omni misto sint omnia elementa, & videtur quod sic ex sententia principis. Philosophus *Secundo de generatione & corruptione* ostendere nititur in quouis misto esse quatuor elementa. Prima est in quolibet misto est terra igitur & aqua, quia coalescere terra non potest sine aqua, at si hæc duo etiã illorum contraria: igitur omnia sunt ibi elementa, præterea iisdem nutriuntur & generantur; nutriuntur autem quatuor ex elemẽtis, ideo etiam mista omnia ex eisdemmet generantur At ego sensu distillando id ostendere possum. Quantum tamen ad substantiam attinet, in mistis terram & aquam adesse secundum substantiam palam est: aerem nullum tamquam misti partem esse existimo, sed refrigerationis causa solum in concauitatibus pulmonis, cerebri, tum in arteriis reparandorum spirituum causa. De igne, vt dixi non est necessarius, quoniam si est ille qui miscet omnia, erit calor cælestis vt *Secundo de generatione animalium cap. 30.* & ideo *in secũdo de generatione loco adducto iam,* non vult etiam tamquam materiam misti. Quare opinio Aristotelis parum in hoc differt à nostra, vtrum verò dentur mixta ex aere solo, & calore cælesti, alias disputauimus.

TEXTVS XXXIII.

Medicus autem Physico credere debet: quod sunt quatuor & non plura quorum duo sunt leuia: & duo grauia. Leuia sunt ignis & aer: grauia terra & aqua.

TEXTVS XXXIV.

Terra est corpus simplex, cuius locus naturalis in medio totius existit, in quo naturaliter manet quieta: & ad ipsum cum ab eo separata fuerit, naturaliter mouetur, & illud quidem est grauitas eius absoluta, cuius quidem natura frigida est & sicca. Ipsa enim talis existit, quod si dimissa fuerit sicut ei requiritur neque causa extinseca eam alterauerit, apparebit ex ea frigiditas sensibilis, & siccitas. Eius vero esse in generatis iuuamentum præstat ad retentionem faciendam, & fixionem: & ad conseruandas figuras & formas.

COMMENTARIVS.

Succedunt quæſtiones de terra, quas proponit Philoſophus *ſecundo cœli cap.* 14. oſtendit autem terram primo quieſcere, quòd ad motum circularem attinet, quatuor rationibus. Prima vnicuique corpori ineſt tantum vnus motus ſimplex, vel ergo motus eſſet naturalis, atque ſic ineſſet etiam partibus, at hoc falſum: mouetur enim ſolum motus recto, ſi violentus ergo non perpetuus. Secunda ratio, quæ conuerſione feruntur, poſt ſe relinqui videntur; at non videntur. Tertia proiecto lapide in aërem, lapis non cadet directè in eundem locum, at hoc non contingit. Quarta ratio: omnia quæ mouentur circulari motu præter primam ſphæram, ſaltem duobus motibus mouentur; quòd ſi ita eſſet ſtellarũ fixarum regreſſus apparet, quoniam idem apparet, ſi octaua ſphæra duobus motibus volueretur: idem autem eſt ſi terra eiſdem motibus moueat vt ſtellæ quieſcant. Quinta ratio eſt quòd non moueatur motu recto, quia partes non poſſunt moueri à centro, quia mouentur ad centrum, ergo multò minus totum.

Secunda quæſtio eſt an ad centrum mundi, an ad centrum terræ partes terræ ferantur: & reſpondet oſtendendo quaſi quod idem ſit centrum, quia aër & ignis feruntur à centro mundi, quia ſurſum; ergo terra defertur ad centrum mundi, quia deorſum, ſed cum æqualiter impellat neceſſe eſt, vt centrum terræ & grauitatis ſit centrum mundi. Secunda ratio eſt à ſigno, quia pondera feruntur ad angulos æquales, non æqualiter diſtantia, vt vides: iſta ratio videtur admirabilis, & tamen prodidit imperitiam Ariſtotelis. Hoc volui dixiſſe, non vt cum laruis luctarer, ſed vt homines intelligant in multis & manifeſtis cæcutiſſe: nam ſint pondera *a*, *b*, & altitudo ſeu ſub terra profunditas mille paſſuum, ſi modo tantum experimentum ille tentauit, quod Reges omnes mundi coniunctis viribus æquare non poſſent, proponatur ſimiliter linea *d*, *e*, quòd vix fieri poteſt; erit ergo ex mathematicis demonſtrationibus, qualis *d*, *c*, ad *a*, *b*, talis *d c* ad *d a*; *d c* autem ad *c a* eſt vt quinque millium ad quatuor mille nongenta nonaginta nouem: erit igitur differentia *d e* ab *a b* in mille paſſibus parum plus palmo. Vide ergo quis ſenſus hoc deprehendere poſſit, aut quæ ſolertia artificis, & quanta fides ſit adhibenda Ariſtoteli de obſcuris loquenti, in adeò manifeſtis cæcutienti, veniántque iſti noſtri Philoſophi, & tueantur illud. Inde addit rationem de Mathematicis, id eſt quoniam (etſi non explicet) ſemper dimidium cœli videmus, quouſque ſimus in loco: igitur terra eſt in Mundi medio.

Tertia eſt terra rotunda, quoniam premit æqualiter, igitur æqualiter ſuperficies diſtat à centro mundi, hoc autem non conuenit niſi frigore: ſphæricæ igitur terra & ſphæricæ figuræ probat idem ex vmbra in luna, & eſt ſecunda ratio quoniam circularis eſt, & deliquij tempore pars quæ obſcuratur rotunda eſt, quæ lucet concaua: tertio oſtendit ex proceſſu de Polo ad Polum, quoniam ſtellæ abſconduntur & in breui ſpatio terræ, & hoc dicit non ſolum oſtendit terram eſſe rotundam, ſed etiam valde paruam, cuius dicti demonſtratio mathematica facilis eſt, quia quantò maior eſt ſphæra vltima linea ſeu ſuperficies rectè ſimilior eſt: ſi enim duo arcus ſint æquales, ille qui eſt minoris circuli plus diſtat extremitatibus ſuis à recta, vt vides. Dicit autem non eſſe mirum, ſi columnæ Herculis quæ ſunt in extremo Occidentis, ſint proximæ finibus Indiæ, qui ſunt verſus Orientem, & quòd mare ſit vnum, ex quo dico Rex Philippus factus eſt tantus rex, & hæredes pauperis Genuenſis Bartholomei Columbi facti ſint Principes, & detectus ſit orbis nouus, tótque admiranda conſequuta ſunt: dicit autem creditum eſſe ambitum terræ eſſe quadringentorum millium ſtadiorum, & Ptolomeus inuenit poſt quinquentos fermè annos ab Ariſtotele, quòd in quingentis ſtadiis variatur altitudo Poli per vnam partem. Ergo cum cœlum ſit trecentarum & ſexaginta partium, erit ambitus totius terræ centum & octuaginta millium ſtadiorum, ſcilicet millium paſſuũ viginti duorum millium & quingentorum. Sed quia milliaria Ptolomei deducta ad rationem Italicam, fuerunt maiora quincunque fermè, erit ambitus terræ ad rationem milliariorum Italicorum paulò maior triginta millibus, hícque reſpondet nauigationibus & deſcriptionibus nouis, neque in hoc reſpondendus eſt Ariſtoteles: indignum eſt enim tantum virum in his quæ pendent ex aliorum obſeruationibus, velle accuſare. Ergo quatuor iam demonſtrauimus de terra; magnitudinem, locum, figurã, & naturam. Plura eſſem dicturus, additurúſque rationes mathematicas, ſed ſolum extra medicinam hæc, neque hoc tantum me mouet, quantum quòd omnia quæ dicta ſunt noſtris temporibus ſunt notiſſima, nec volo imitari Philoſophos, qui nugantur in manifeſtiſſimis & occultis, quæ ſciri non poſſunt, in his autem quæ ſcire præſtaret, nihil dicunt aut nihil ſani, & bona fortuna quadam cum aliquid dicunt clarius, & res deuenerit in lucem, falſi deprehenduntur.

Mouet dubitationem Philoſophus ibidem, centrum mundi & centrum grauitatis vnum eſſe, terram verò rotundam, cum hoc inuicem repugnat: nam ſi augeatur ex vna parte terra, centrum grauitatis alibi erit: ergo vel non erit idem cum centro molis, vel terra cogetur moueri eodum, vt centrum ſuum ſit mundi centrum. Trifariam poteſt induci dubitatio, vel vt non idem ſit rotunditatis centrum & grauitatis, vel vt non Mundi centrum ſit idem & grauitatis, vel vt non idem cum centro magnitudinis, vel vt non idem magnitudinis & grauitatis. Videtur autem vna fermè reſponſio, quòd non quælibet moles formam rotunditatis euariat, vel vt non quodlibet pondus efficiat, vt centrum permutetur. At ſanè debemus Ariſtoteli, quod etſi non veram inuenerit ſolutionem, rectè tamen dubitare, viſus eſt. Ego autem veriſimiliora proponam: ponatur

aquæ

aquæ terreque centrum *d*, ambitus *a, b, c,* supra, excrescat moles nec centrum molis & grauitatis *f*, dico aquam quæ est circa *a, b, c,* excursuram versus *g*, atque ita *d*, centrum semper manebit molis ponderis & Mundi idem. Terra verò inde variabitur. Ex hoc arcano habentur inundationes: aqua enim ad partem propinquiorem centro terræ descendit, simul æquatura molem rotunditatis & grauitatis. Quòd si hoc perspexisset Aristoteles, quantus vir videri poterat. Illud tamen bene dictum, quòd non omnis magnitudo aut pondus hanc varietatem efficere potest, sed necesse est, vt consumpta magnitudini atque ponderi sit sensilis. Quomodo autem & si non omni ex parte rotunda sit, centrum tamen habeat ab Euclide quidem *in quarto Elementorum de figuris*, ab Archimede vero de grauitate *in libro de Atqui ponderantibus* declaratum est. His ergo tribus rationibus indiget centrorum constantia & intellectus. Hæc autem de intelligentia quæ in libris *de æternitatis Arcanis* scripta sunt: quantum ad ea quæ de mutatione habitationum, & totius humini generis pertinent, non parum conferunt. Hoc autem argumento, quod Aristoteles adducit vtitur Calculator *In Tractatum de motu Elementi*. Dubitatur quia diximus, terram non moueri, & esse in medio; ad hoc adducitur dubitatio de terræ motu, nec valet dicere quod parum duret, quia cælum mouetur, quia terra quiescit; igitur si terra momento moueri posset, ergo & cælum quiescere; ad aliud respondeo. Ad primum Aristoteles negat *secundo metheorum cap.* 8. *in fine* esse motum totius terræ, cum declarat modo fieri in vna regione frequentius, modo rarius, & hoc declarauit Seneca *sexto naturalium quæstionum cap.* 26. dicens quod terra Ægypti nunquam tremuit; & voluere ambo, quod ab aere contento vt Seneca *c.* 24. Sed adnotandum, quod dicebat ibi tria sunt illius genera, inclinatio periculosissimum, Successio non sine periculo: vibratio quod caret periculo.

Vt autem de terra sermonem compleamus, dicebat Galenus *Nono de simplicibus medicamentis & differentiis terræ*: nomine terræ hæc tria apud Philosophos veniunt, terra communis, lapides, metallica: dicebat Philosophus *tertio Metheororum cap. vlt.* metallica fiunt ab exhalatione humida, in lapidibus maxime retinetur, lapides à sicca: & dicit quod propter id non liquatur, sulphur tamen liquatur. Quia tamen à sicco coguntur, ardent omnia propter aurum. De his igitur primo dicendum erit: nam Auerroes *Quarto Metheororum* omnia quæ sunt mixta, vel habent instrumenta propria, & sunt animalia, vel carent omnino, & tum vel fiunt vt dixi à sicca vel humida exhalatione, & ita sunt lapides vel metalla, vel media inter hæc, & sunt metallica. Dicam igitur primo de lapidibus & metallis hic, ratione dicta à Galeno: sed de Platonis, vbi de elementorum in mixtis vsu loquitur Princeps in fine. Sed Galenus dicebat causam generationis lapidum esse lentum humorem exustum ac crassum, vt *Quarto Decimo Artis curandi*; causam verò coloris, tum substantiam tum coctionem, vt parum excocti candidi sint, mediocriter rubri, diu verò fusci vel nigri, *libro de renum effectibus cap.* 3. idem dicit ratione materiæ. Differunt etiam calore, vt in fine illius capituli docetur. Respondeo quòd lapides extra corpus animalis generantur à sicco, quia deest causa, quæ materiam illam moueat, in animali autem oportet vt sit humor lentus: Et in sanguineis animalibus vt in homine, coguntur à calore in exanguibus à frigore.

Terræ autem primam differentiam, propriè dictæ, qua à lapide differt, Galenus *Nono de simplicibus medicamentis cap.* 3. de differentiis nominatæ passim terræ in initio quæ in aquam proiecta statim soluitur, ibi ponit glutinosam & friabilem. Glutinosæ celebrantissimum genus est lemnia, sfragis seu terra sigillata: ea enim erat valde rubra, vt milton qua fabri lignarij vtuntur. Secundo valde glutinosa, Tertio non tam glutinosa vt contactu contaminet: Quarto absque arena. Terra lemnia an in colle lapidoso oriatur, & an coacta hyrcino sanguine, diximus *in Tertio contradicentium*. Datur autem vna regula vtilis ab Alexandro *Primo de Anima cap.* 16. omnia elementa & composita, quæ carent sapore, carent etiam odore, vt plurima genera lapidum: causa autem cur omnia elementa careant sapore est, quia sapor consistit in quadam affectione, sed elementa simplicia non afficiunt sed corrumpunt sensum: cum verò refragantur tunc faciunt saporem, quia non corrumpunt sensum. Terra autem quia minus refrangitur, minus habet terra saporis, non mittant odorem quia sunt densa substantia vt dicebat Philosophus *in secunda de plantis*, vt etiam metallica, probabantque hoc ex duobus: primo quia non emittunt, quòd non contingit nec animalibus, nec plantis, quia sunt rara substantia: secunda causa est quia sunt frigida, & exhalatio omnis fit à calido, sed elementa non emittunt, quia non est quòd agat: non enim in eo est contrarietas. Temistius autem *secundo de Anima* existimat lapides non viuere, quia non vndequaque crescunt, quia tamen dicit, vndequaque crescunt, viuunt, sed tenui vita. Quidam enim etiam ex his, vt Clearchus autor est pariunt, sed non verè pariunt, nec vt animalia. Intendum enim natura proprios excedit limites, vt dubitet persæpe an sint lapis, an radix, an animal. Hic solet dubitari, an forma misti sit elementum, quod dominatur. Sed hæc alibi tractata est.

Omnis terra teste Galeno nec funditur, nec liquatur, infrigidat & glutinat vulnera teste Dioscoride, sed etiam siccat teste Paulo atque Galeno. Circa lapidum generationem in ipsis Galenus *Nono de simplicibus medicamentis* de lapidibus confitetur, proprietates inesse inter reliquos, Iaspidem viridem suspensum, vt à regione oris ventriculi tolleretur ventriculum confirmare, & Hieratitem & Indicum conferre hemorrhoidibus propria ex natura dicit, non ex qualitatum effectricum viribus sed tota substantia consurgit.

Genera terræ apud Galenum celebrata scilicet lemnia, samnia & Armenia. Sunt alia septem genera Chia cretica, sclimessa, Cimolia, ab insulis dictæ: Aegiptia quoque à loco, & præterea Prigites à vapore, nigra autẽ est, & ampelites à vite, quod in ea occidat vermiculos: nũc verò à Venetiis Cambil terræ genus venditur, quòd sulphure non minus exterminat scabiem, nec nocet vt argentum viuum, nec olet grauiter vt sulphur, nec imbecillis vt reliqua. Inuenio inter cætera apud Theophrastum, *Quarto de historiis plantarum cap.* 8. nasci in littore maris rubri fungos, qui calore solis durent in lapides. De arenæ autem generatione, in mari & in fluminibus & campis, docet causam *in secundo de Plantis, c.* 27. & est in mari spuma, & salsedo, & calor solis, & salsedo est causa, quod cogatur in lapides, & post quod fertur in arena. Pongeta autem in sua Philosophia idem. Galenus *Nono de simplicibus medicamentis* docebat, metallicis terræ generibus multum terræ, parum aëris admixtum est, sed metallicis plurimum igneæ substantiæ: lapidum natura media est. Apellat autem metallica vt sulphur & cadmiam, non autem metalla. De metallis dicebat Galenus *Nono de simplicibus medicamentis, c.* 4. quod plumbum plurimum continet aqueæ substantiæ & aëreæ, parum de terra: probat de aquea substantia faciliter, nam liquescit: facile dico ex hoc cognoscitur quod tamen est multum terrei admistum, quia liquatum est crassum & densum, neque est perspicuum. Sed de aerea dicit, probo, quia positum in loco frigido & humido sub terra, crescit pondere & magnitudine, ostendit etiam ipsum nutriri ex illo aere, posset dici quod aer ille est adeò crassus & immistus aquæ, vt in eo loco non resoluatur, sed transeat in plumbum, sicut accidit de fructibus immaturis, qui sub palea conditi maturescunt; Dicit Galenus est ratio cognoscendi, quod plumbum est frigidum & humidum, antequam experiaris, certior autem ab experientia ipsa colligitur dum succi in mortario plumbeo, pestillo itidem plumbeo teruntur; sed non probat illa ratio nisi de frigiditate, non quod sit humidum. Clarum est etiam iuxta nostra principia cur gemmæ vix mollescant, metalla autem liquescunt, quod iuxta Philosophos non est adeò facile explicare. Propter hæc quæritur cur terra conferat venenis, pestilentiæque. Fracastoreus *libro Tertio de contagiosis morbis c.* 6. dicit, quod cum frigida & sicca contraria sint calidis & humidis, & pestilens morbus maximè prouenit ab humido putrescente primum quod morbus ex his curabitur, tum maximè quia talia dicit minimè habent virtutem obseruandi: deinde dicit, quod hoc non constat nec experimento nec ratione. Contra hoc est authoritas Galeni quantum ad terram lemniam, & armenium, de Smaragdo zoar & aliis etiam: contra primam illa responsio tenet de pestilenti febre, sed Galenus loquitur de venenis generaliter, quorum pars maxima peccat siccitate, vt *in libris de subtilitate* docui. Preterea multa alia sunt frigidiora & ficciora, quæ conueniunt vt acatia, & hypocistis, & balaustiæ. Respondeo igitur, quod ob quatuor causas præcipuas gemmæ conferunt pestilenti febri; prima quia vt frigidissimæ & siccissimæ colunt causam putredinis ex toto, & febrem vt calida est: secundo vt tenuissimæ comminuuntur, penetrant ad cor: tertio vt solidissimæ agunt diu, & non immutantur: quarta causa est, quia lucidum confirmat spiritus.

Quamuis vero multa dicta sint de gemmarum perspicuitate, quia tamen ex hoc quærimus illarum vires, & dicimus quod omnes huiusmodi refrigerant gestatæ, etiam & hoc ostendit experimentum, adeo vt Veneris impetum valde debilitent, quoniam sunt terreæ substantiæ, & sumptæ intus resistunt putredini, & imperant calorem spiritus, & sua luce illum confirmant, vt *in libro de viribus cordis tract.* 1. *c.* 9. & debent teri subtilibus, imo vt docet Galenus *Nono de simplicibus medicamentis*, Dicebat idẽ *in primo de humana natura Com.* 38. si aqua consisteret pura & in sua natura, gelasceret statim, quia est frigidissima: & terra si esset in sua natura, & pura, esset siccissima & durior adamante: hæc sunt eius verba, in quibus quoquomodo ariolatur etiam contra naturã terræ, luculenter dictum est *Quarto Theonosti*. Sed ex hoc colligo vnum quod est verum, quia si terra est coacta aliquo modo à frigido, igitur à calido poterit mollescere. In hoc tamen errat Galenus, quod putat terram & aquam esse extremè frigidam, quod verum non est: nam aqua violenter liquida esset, & sic non posset æterno tempore manere, vt ex Aristotele *secundo cæli cap.* 14. nullum enim violentum est perpetuum, sed habuerunt principia falsa: est enim aqua & terra frigida solum; id est non calida; sunt enim elementa expertia vt dixi omnium qualitatum verè, vt reciperent omnes qualitates, & essent impatibilia.

TEXTVS XXXV.

AQua autem est corpus simplex, cuius naturalis locus est, vt sit circumdans terram, & circumdata ab aëre, cum in suis sitilibus naturalibus permanserit. Et illud quidem est eius grauitas comparatiua, & est frigida, & humida scilicet eius naturalis existit, quod si dimissa fuerit sicut est, neque vlla causa extrinseca eius contraria fuerit, apparebit ex ea frigiditas sensibilis, & disputatio eius, quæ est humiditas, & eius assentia à principio suo, vel à natura sua, est per modum: vel est ita quòd ipsa obedit causæ, ad hoc vt fiat separatio, & fiat vnio, quælibet figura recipiatur, quam postea non conseruat: cuius esse in generatis iuuamentum præstat ad figurandas formas, quas in suis partibus

bus alioqui figurare volunt: & ad figurandum, & ad lineandum, & ad temperandum. Humidum enim licet citò formas figurales amittat, faciliter tamen eas recipit: sicut siccum, licet eas duriter, seu difficulter suscipiat, difficulter tamen dimittit eas. Cumque humidum & siccum se ad inuicem temperauerint, adipiscetur siccum ab humido, vt suscipiat tensionem, & facilè figurari possit, & acquiret humidum à sicco, vt retineat firmiter quod in eo accidit de disputatione non fluida, & de æquatione. Et propter humidum prohibetur siccum à sua tefcit, id est à sua comminutione, seu pulueriżatione: & propter siccum prohibetur humidum à sua fluxibilitate.

COMMENTARIVS.

(Aqua verò) quatuor conditiones declarat de aqua: Primùm quod sit corpus simplex, & est manifestum. Secundùm quod locus sit inter aërem & terram. Tertium quòd sit frigida & humida. Quartum quòd in generatis genita, & docet vtilitatem de qua vt dixi *Quarto Metheororum*, & est vt siccum ab humido impressionem recipiat, & humidum à sicco retentionem.

Dubitatur cur aqua non cooperiat terras: respondet Conciliator, quia concaua intus & plena aëre; sed cur aër ibi retinetur, dicendum quòd semper fit noua generatio aëris calore in humidum agente, sed esset terra super aquam, & aqua super aërem æterno tempore violenter. Quòd autem dicit de altitudine versus Boream habet dubitationem. Dico igitur de mente Philosophi, quod calor excedit partes medias, ideò extremæ sunt altiores, & concaua replet aqua, & ita mundus seruatur, & hoc ex mente Aristotelis, nec tamen cauitas tanta est, vt rotunditatem terræ impediat, quia mari repletur. Aliter standum Principia nostra dicendum: cum enim elementa non transmutentur non possunt augeri nec minui: ab initio autem ita temperata sunt vt si tegatur ab vno latere terra ab alio detegatur, & tunc locum habet ratio Aristotelis, quæ aliter indiget quibusdam suppositis, scilicet vt aqua non possit crescere, nisi ad certam quantitatem.

Quæritur an aqua sit grauis in summo: quidam respondent quòd sic, sed non fertur ad centrum quia non est locus. Sed Auerroës *Quarto cœli com.* 26. dicit quòd non habent admixta leuitatem, non tamen sequitur quòd sint summè grauia, quia hoc tenet in compositis vbi quantum est de leuitate minus, tantò plus de elemento graue quia minus de leui, & tantò magis ergo de grauitate, sed simplicia non sic.

Dubitatur quare signum sex librarum non descendat in aqua, & tamen plus ponderat & velocius fertur in aëre infra quàm libra plumbi; debetis scire quod tres sunt appetitus in elementis, generalissimus & est vt fugiat vacuum, & adhæreat alteri elemento *libro de motu Thoracis*. Secundus est vt leue sit sursum & graue deorsum, & hic est minus potens primo. Tertius est vt elementa sint in locis suis, hoc stante quia in signo est multum de aëre causa raritatis substantiæ quæ in aqua vult ascendere, at in aëre iuuat ad descensum *vigesima quinta particula problematum* 13. ideo dico quòd cum secunda causa vincat tertiam, patet cur non descendat, aër enim esset infra aquam. Solet hic dubitari, vnde elemento grauitas ac leuitas, pro quo videbis *in Tertio contradicentium* 42.

Hic dubitat, cur aqua & aër celerius incalescunt, quàm exsiccentur, similiter & terra quàm humectetur. Respondeo quòd caliditas fit per se à calore, sed humidum & siccum per accidens, ab humido autem & sicco lenti, quoniam sunt qualitates in agendo imbecilles.

Dubitatur cur cum aqua consistat per frigidum magis, quàm per humidum, calefacta manet aqua, siccata non. Respondet Alexander *Primo quæstionum naturalium cap.* 8. quod frigiditas non est forma aquæ simpliciter, sed cum determinato humido, igitur cum tantum frigiditatis manet, & humidum maneat debitum substantiæ aquæ, aqua manet, melius est dicere quod frigiditas quæ est substantia, potest manere cum caliditate, quæ est qualitas, donec potest producere primum effectum, id est humidam qualitatem. Notandum quod vt habetur *sexto de Tuenda sanitate cap.* 3. humidum & siccum sunt substantiæ. Omnia hæc sunt falsa, quia procedunt ex falsis principiis, volumus tamen declarare mentem Peripateticorum: Hic dubitatur de ea, an aqua sit frigidior quàm humidior, vide *Tertio contradicentium*.

Dubitatur quonam pacto aqua frigida calescat: hic sunt duæ opiniones; vna Principis quòd forma remanet integra, & qualitas ei aduenit, sed contra quia forma non potest expellere caliditatem, quia frigiditate careret: secundo si forma est parentior qualitate, caliditas aquam non poterit calefacere. Tertio multa aqua citius quàm pauca refrigeraretur; ad hoc respondeo ad primum, quòd est contrarietas ex virtute: ad secundum dico quòd forma est potentior caliditate sola, sed debilior igne: ad tertium pauca aqua celerius ab aëre reducitur. Sed pro opinione nostra qui negamus aquam esse valde frigidam, est fundamentum quia aqua nunquam refrigeraretur. Nam dicunt quòd per exitum vaporum: contra sequeretur, quòd vbi aqua per se esset, reduceret se ad vltimam frigiditatem, & si dicas aër resistit: contra igitur non refrigerabitur vltra frigiditatem aëris, quòd est contra experimentum. An verò aqua optima sit frigidissima, dictum est alibi.

Dubitatur quomodo aqua possit & terra esse frigida, cum aqua sit calidior aere tempore hyemis, & etiam cauernæ sub terra sunt calidiores aere. Respondetur terram nobis

bis propinquam participem esse metallicarum partium,& propter hoc loca interiora sunt calida : secunda ratio est propter antispasim, sed prima est melior.

Forsan quis requirat cur aqua non probet tactu nec à Galeno, nec ab Aetio, nec Paulo aut Oribasio. Respondeo gustus est quidam tactus *secundo de Anima*,ideo calida humida frigida & sicca melius dignoscuntur gustu; Ideo præteriit tactum.

Quæritur cur aqua potus prohibeatur in febribus; respondet Brasauolus, quod etsi sit tenuium partium, non tamen est calidarum: vtraque autem requiritur ad transpirationem: sed Galenus vult quod aqua minimè apta est, quia vtraque modo aduersatur transpirationi. Propterea respondeo quod aqua est tenuium partium in se, tamen vt comparata ad id quod bibitur, est crassarum,quia non cōcoquitur vt iam declarauerat Galenus non solum ob frigiditatem, sed ob superfluam vim humidi & sicci crassarum partium, in comparatione ad reliqua quæ bibuntur aut comeduntur. Hic posset dubitari an aqua & alia elementa non nutriant & cur?

Et quia dictum est de oleo quod sit subtilis substantiæ, dico quod Galenus hanc determinationem quamuis sæpe de ipso loquatur vsque ad tædium subterfugit, de mente tamen aliorum dixit esse tenuis substantiæ *Secundo de simplicibus medicamentis cap.* 10. non tamen probat neque redarguit: colligitur autem ex dicta authoritate *Primo de simplicibus medicamentis cap.* 14.nam cum intendat probare quòd aqua sit subtilis substantiæ, quia subtilior oleo. Si argumentum valere debet, oportet quod oleum sit subtile aut saltem mediocris substantiæ, attamen ibi dicit quod oleum est crassæ lentæque substantiæ; posset respondere aquæ comparatione: oportet igitur primo prætermittere quod sit tenue in via Galeni, nam etiam quod raræ est substantiæ, & quod calidum est, & quod facilè penetrat, & quod facilè resoluitur,nondum liquido constat,an vnum ex altero sequatur, etsi non cui & principalibus hoc nomen tribuatur, vnum sat est oleum vel mediocris substantiæ esse, vel si plurifariam tenue dicatur, tenue aliquo modo dici crassumue. De hoc etiam diximus in contradictionibus *lib.* 3 *contrad.* 31.

Dubitatur circa hoc,cur odores oleo magis excipiantur & vino quàm aqua,cum tamen aqua sit vino oleóque magis odoris expers, & recipiens oporteat esse nudum a natura recepti *secundo de Anima*, dic quod propter quinque causas, quarum duæ referuntur à Theophrasto *sexto de causis plantarum*: prima est quod oleum est quasi callosum & densum, ideò odor retinetur nec euanescit vt in aqua: secunda quod oleum diu manet, nec tam facile vt aqua permutatur. Tres alias addit Galenus in libris *de simplicibus medicamentis*: prima quòd secus est ad lassitudines oleum vtile & molliendum corpus; secunda quod penetrat & est tenuium partium, Tertia quod temperatum.

Circa aquam quæruntur duo: primum an vrinam proliciat? non, *tertio regiminis acutorum com.* 40.in oppositum est experimentum. Respondeo quod non prolicit vrinam, sed bene generat eam *Primo naturalium facultatum cap. vlt.*

Secunda est, an aliquo modo concoquatur. Brasauolus super *Tertio regiminis acutorum com.* 40. adducit rationem, quod concoqui non possit, cum Hippocrates hoc dicat in textu, & est talis sumpta à Principe *secunda primi* nullum ex, quo generari aliquid nō potest,nutrire:aqua est huiusmodi, igitur etiam. Maior est Philosophi *secundo De Generatione & corruptione text.* 50. omnia nutriuntur ex his ex quibus generantur: Minor Hippocratis *Primo De Natura Humana text.* 11. Quærit de hoc quænam sit præstantior,& fecimus tres contradictiones Primam generalem; secundam rationē situs;tertiam de aquis puteorum.

(*Cuius est geniis*), ponit vtilitates quæ adueniunt mixtis, ex aqua tenax esse,& impressiones recipere, vnde passiones quæ contingunt mixtis manifestè ab agente exteriore connumerantur à Philosopho *Quarto Metheororum com.* 33. secundum Alexandri Aphrodisei diuisionem, & sunt quinque: prima est quæ pertinet ad ignem, & concretionem, vt non resoluunt mixtum, sed mutant. Secunda quæ pertinet ad aquam. Tertia ad violentum cum motu & separatione. Quarta ad motum absque separatione. Quinta ad actionem ignis vt resoluit. Prima igitur continet quatuor capita, quod possit coagulari, vel non liquari, vel non molle reddi, vel non crassum reddi, quod solum in eo textu omissum est. Est autem quasi coagulari contrarium, ei quod est molle reddi, vel liquescere: differentia inter molle & liquidum satis aperta est: fluunt enim liquida, non autem mollia; coagulari idem ferme quod congelari, sed generalius: lac enim coagulatur & sanguis, & non congelantur: quæcunque etiam à calido coguntur, coagulari possunt, non autem propriè congelari dicentur. Quod igitur coagulari potest, dicebat Philosophus cum prius liquidum sit, vel aqueum est, & hoc solum à frigido coagulari potest, vel aqueum & terreum, & tunc à calido sicco vel etiam à frigido potest congelari: cum dicit frigidum intelligit per se, vel & siccitati iunctum; sed calori siccitatem iungit, quia calidum solum non congelat. Calidum & siccum consumendo humidum coagulat, frigidum autem exprimendo calorem secum, & necessario exprimit humidum; igitur ambo coagulando crassius necessario reddunt sola aqua excepta, nam hæc etsi à frigido coaguletur, non tamen crassior redditur, quia tota substantia ob tenuitatem exhalat: per crassum intellige turbulentum, nam oleum & vrina turbida redduntur à frigido. Quæritur an aqua crascessere possit, vide *Tertio contradicentium* 55. Postmodum declarat quòd quædam redduntur crassiora tantum, non coagulantur, quia parum habent terrei, & ponit de oleo: redditur dicit crassius à frigido aere vaporante,& ob id dicit mixtum ex aqua & oleo:crassius redditur vtroque,aqua quidem quia dicit oleum crassius est; oleo autem

autem aër exhalat. Simile huic dicebat Galenus *secundo de simplicibus medicamentis, cap.15.* cum dixit, quòd mixtum ex oleo & aqua plus humectat vtroque, seorsum accepto oleo quidem, quia humidior est aqua oleo, aqua autem quia diutius inhæret membro ob oleum facta tenacior. A calido autem seu igne albescit, & crassior redditur: vaporat enim aqua quæ crassius redditur, quia aër in aquam conuertitur: Sic enim exponit Alexander, videns quod aëre conuerso in aquam, non poterat candidius reddi; dixit vetustate non albescere, sed tantum crassius reddi. Cuius oppositum Aristoteles dicit in textu, & etiam constat experimento: discedit etiam à Philosopho in hoc, quod ille vult quòd causa crassitudinis non sit vaporatio aquæ, sed transmutatio aëris in aquam, & ita duplex discrimen Alexandri à textu. Aristoteles enim vult, quòd ab igne & tempore incrassescat, & candidius reddatur: Alexander quod à tempore solum crassius reddatur. Aristoteles vult, quòd crassitiei causa sit transmutatio aëris in aquam candoris vaporatio aquæ. Alexander quòd crassitiei, & candoris causa sit aquæ vaporatio. Iuxta hoc quæritur an illa regula sit semper vera, Quòd coagulatur à frigido dissoluitur à calido. Videte *Tertio contradicentium 56.*

Ex hoc colligitur, cur balsamum in aqua descendat, quia aeris parum habet, cuius causa aquæ supernatat, teste Philosopho: ob id frequenter excoctum oleum poterit in aqua descendere, eoque balsamum adulterari fit, & coagulatio à calore in vino, vnde Sapa seu vinum Sireum.

De his autem quæ non crassescunt, sed coagulantur, solum datur vna regula generalis, quæ est quod omnia sunt aqueæ substantiæ; vt serum, vrina, lixiuium; quæ autem crassescunt alia terrea vt mel, alia terrea & aquea vt sanguis & lac, dicebat Philosophus. Sanguis à frigido coagulatur, quia fibras habet: qui autem caret his vt sanguis cerui, aut is à quo detractæ sunt fibræ cum coagulatur, Quòd autem non coagulatur, aut malè frigidum est, minimè actum & seorsum: quòd optimè concoctum. Quæ non mollescunt an terrea & aquea, vide *3. contrad. 57.*

Dicebat Galenus *Nono de simplicib. medicament. c. 1.* vbi agit de astringentibus atque adustis medicamentis, in fine adducens Aristotelis authoritatem: omnia exusta quamquam calida, si lauentur, dicit, quod relinquitur est terreum, quòd exit cum aqua aëre, & subiungit vnum quod est secretum, & est quod elota terra exusta amittit acredinem, & retinet subtilitatem: igitur frigidum tenue. Dubitatur an elementa in proprio significato simplicia dantur, & an elementum possit in contrarium transire: de vtroque & de motu elementorum dictum est *in decimo libro contradicentium.*

TEXTVS XXXVI.

Aër autem est corpus simplex, cuius naturalis locus est, vt sit supra aquam & sub igne: hæc enim est eius leuitas comparatiua. Ipsius verò natura calida est & humida secundum regulam, quam diximus. Cuius quidem esse in generatis iuuat, vt rarificentur, & alleuientur, & subtilientur, & ad superiora eleuentur.

COMMENTARIVS.


(Aër autem) exponit quatuor partes: primam quidem *est corpus simplex*; secundam quod locus eius *est, vt sit supra aquam, & sub igne*, &c. Tertiam quòd *calidus & humidus*, sed contra aër exsiccat humidum radicale, vt Princeps in doctrina sequente; vt etiam aër exsiccat corpora, vt de ventis *vigesima sexta Problematum*, vt etiam apparet de euro: sed contra quia *secunda Primi cap. 6.* refertur inter causas humectantes: Respondeo quòd hoc ex ratione motus. Secunda dubitatio est, quoniam ipse apparet frigidus in hyeme, & si dicas quod est calidus in æstate, illud est propter calorem solis, Nam res naturaliter calida non indiget calore solis; respondeo quòd aër est maximè impurus & frigidus, ob contiguitatem terræ & aquæ, ideo manere in locis sublimibus magis iuuat sanitatem, & tamen abbreuiat vitam propter duas causas, siccitatem & motum. Hic cadunt duæ dubitationes, quarũ alteram alibi explicaui, alteram hic opere pretium erit vt explicem, scilicet propter quod grandines generentur: respondebat Aristoteles *Primo Metheororum cap. 12. & 13.* quod inter supremam aëris regionem & hanc nostram, propter frigiditatem aëris & . . . . . maiores fiant grandines, & dabat exemplum de aqua tepida quæ congelatur in cannis dum in frigida mergitur: dicit autem quod nix, & grando, & pruina, fiunt ex eadem causa, sed nix in altiore loco, vt recitat de quadam nebula quæ descendit in terram cum magno strepitu. Aër an grauis in proprio loco *videre in contradictionibus.*

Princeps *secunda primi cap. 5.* docet quòd aër alius est simpliciter bonus, & de hoc facit vnum caput: postmodum ostendit, quòd aëri adueniunt mutationes secundum naturam, & de hoc tractat in duobus capitibus sequentibus. Primo tractat de aëre mutato, secundum tempora naturalia; postea tractat de mutato secundum tempora non naturalia: & hoc dupliciter, vel simpliciter velut si æstas sit nimis calida vel frigida, vel in comparatione ad tempora antecedentia vel subsequentia, & hoc totum sumpsit ab Hippocrate *Tertia Aphorismorum 20. 21. 22. 23.* Post tractat de mutatione aëris non naturali, diuidens illum vt declarabo. Demum de ea quæ est contra naturam seu præter naturam.

In

in Primo ergo vbi tractat de aëre secundum naturam ponit primum duas causas, quod sit purus & liber, & sumpsit à Galeno *libro primo De tuenda sanitate*, & *Duodecimo Artis curandi*, & subiungit signa quæ sunt sex. Primum quod sit clarus; secundum quod non oriatur ex cauernis, tertium quod non sit conclusus, neque inter parietes recentes: quartum quod non sit infectus à paludibus, cæno, arboribus malis, & connumerat ficum, nucem, taxum & vocatur toxicum apud Dioscoridem, & caules & erucam, & ego addo hyoscyannum, & napellum & buxum, præter reliqua; & quod non sint parietes noui neque carbones: occidunt enim adeò & corrumpunt aerem, & hoc vidi Mediolani de vtroque, & Romanus vtroque modo se peremit circumlitis calce noua parietibus, & conclusus in cubiculo cum carbonibus accensis: & credo quod humidi, & ex ligno duro & malo sint deteriores, quia Galenus *Secunda Aphorismorum com.* 41. recitat de illa, quæ in balneo linquebatur animo ex balneo calefacto, ex lignis malis. Quintum quod citò calefiat in mane & citò refrigeretur in sero: hoc est argumentum tenuitatis aeris. Sextum quod non strangulet hominem.

Omissis autem mutationibus naturalibus tanquam alias declaratis *in tertio Aphor. & in com. epid.* proponit sex mutationes, non secundum naturam, & sumpsit præcipuè hoc totum ab Hippocrate *in libro de Aere & Aquis ac locis cap.* 8. proponit sex causas eius quæ etiam possunt connumerari inter signa. Nam apud artificem, signa sunt ex iisdem, quæ sunt causæ apud sapientem, seu scientia prima est ex astris, cum dicit coëunt multa astra in vnum. Et de hoc videte *Primo canticæ cap.* 8. cum Erraticæ maleficæ fuerint, in exhalatione sua morientur animata, & si beneficæ bene valebunt: stellæ maleficæ sunt Saturnus, & Mars & Mercurius, cum fuerit malè dispositus: beneficæ autem Iupiter & Venus, & Mercurius, cum est bene dispositus: Et exhalatio habet duplex significatum. Proprium Saturnus in libra, Iupiter in Cancro, Mars in capricorno, Venus in piscibus & Mercurius in Virgine: Et communi modo etiam pro omni potestate, & ita Saturnus habebit tria signa; libram, Capricornum & Aquarium. Iupiter Cancrum, sagittarium, Pisces: Mars Arietem, Scorpionem, Capricornum: Venus Taurum, libra, pisces: Mercurius. Geminos & Virginem. Sed in virgine est longè validior vt dicunt, vt videtur in Alexandria & terra Aegypto, quod cum sol ingreditur leonem, Pestis cessat: ergo Sol numeratur inter beneficas: & per exhalationem intelligimus potestatem: nam solis vera exaltatio seu gaudium est Aries, leo autem est domus non gaudium, etsi hoc protulit Princeps ex experimento oportet illi acquiescere: si ex ratione solum, intelligere oportet de domibus principaliter, post etiam de gaudiis: Et cum coiuissent planetæ fermè omnes in Geminis, ægrotarunt intra quindecim dierum spacium omnes ciues Mediolanenses, destillatione, sine febre, mense Aprilis vsque ad initium Maij, & nemo periit nisi quatuor aut quinque errore medicorum, & fuit mirum, & fuit constitutio calida humida, sed temperata. Itaque dicit Princeps, quod cum coiuerint plures erraticæ; in vno loco mutabunt naturam aëris, iuxta naturam illius loci. Reliqua quinque sunt ex terra, & sunt quinque situs respectu solis; & si sub æquinoctio, sub tropico, & in mediis regionibus, & sub Polis: & manifestum est quod rectè iudicauit, quod postmodum experientia docuit, scilicet sub æquinoctij circulo esse habitationem, & etiam satis commodam. Aer ergo medianũ regionum est tẽperatus, & extremarum caledissimus sub torrida Zona, aut prope; & frigidissimus sub extremis, tam ex parte poli Antarctici, quàm arctici. Tertia est ratione montium: cum enim montes locum occupent, & prohibeant ventos, & tegant à sole, ideò montes è regione meridiei & occidentis reddunt aërem salubrem & frigidiorem: à contrariis partibus contrario modo; & si sunt medij sunt meliores, quoniam non est bonum, nec in montibus, nec in viis, nec in fenestris vt etiam docet Vitruuius, vt tegãt aliquam partẽ principalem, nec liberã sinant, aut respiciant. Quarta est ratione vẽtorum: & venti orientales sunt optimi, post boreales, inde meridionales: pessimus est occidentalis dicit *in libro de aëre, & aquis, ac locis.* Optimus ergo situs quoad incolumitatem est, vt sint exposita orienti, inde septentrioni: post meridiei, inde occidenti: sed respiciendo ad sanitatem, & robur, & habitum corporum, vt tamen habeatur ratio commodi debent respicere orientem inter Æquinoctium, & Boream, Æquinoctium, & Meridiem hoc modo secundum Vitruuium; & possunt fieri octo Viæ ex centro, partiendo spatium inter loco principalia, vnumquodque in quatuor partes: quarum duæ sint contectæ, & duæ apertæ: & posui exemplum in secunda figura quartæ partis inter orientem, & septentrionem: sed secundum medicos respiciendo ad salubritatem, debent omnes partes quæ sunt in meridie, & occidente & ab occidente in Septentrionem esse contectæ, & solum exposita, & detecta *a*, *c*,



in *d*. Et si volumus commodum cum vtilitate coniungere ab *a*, in *b*, solum debet esse apertus locus. Et hoc iudicium est de montibus, de muris vrbis: & si montes sint alti de tota prouincia; & de cubiculorum fenestris

ftris; & ideo quæsitum est quomodo locus dicatur expositus boreæ vel orienti? & sic de aliis, & respondeo quod trifariam: primum ratione montis vt Bononia cum habeat montem à meridie, dicitur exposita boreæ: secundò ratione situs, nam cum vrbs est sita in accliui vt Papia dicitur secundum partē humiliorem: ideo cum pars humilior in aqua quæ est flumen sit borealis, dicitur ad boream posita, nam ascendit manifestè versus meridiem; Et hoc cognoscitur in vrbibus, & regionibus cum libella instrumento. Tertio ratione viarum, qua parte ciuitas habet portas: neque enim semper tendunt viæ ab opposito in oppositum velut vides in figura, vbi via tendit à septentrione in Orientem. Dicebat Princeps inueniuntur venti, qui exurunt in quibusdam regionibus, & flammas conuertunt, & reddunt regionem morbosam ex acutis febribus.

Dico, inueniuntur præter hos venti erodentes, vt in Diomedea insula qui quascumque res ferreas in tricennio etiam crassiores exedunt: manifestum quod hi venti breuiant vitam, & morbos exedentes, ac melancholicos generant. Sunt & venti humidi pleni vaporibus, lacubusque, & palustribus, & crudi qui generant hydropes: hæc tria genera sunt pessima, & quibusdam tantum locis propria. Quinta etiam ratione maris, & mare producit vitam ob humidum, & calorem à sale; & etiam quia sal conseruat humidum, vt patet de lucerna quæ longè diutius durat cum sale, quàm sine sale: & sunt incolumiores ob ventos, & salsedinem, quæ prohibet putredinem. Et hoc nisi ibi aqua dulcis misceatur mari, nam corrumpit aërem; vel quod sit tecta montibus ab oriente, & Septentione, vel in aliqua valle. Sexta quod sit in loco sublimi vel valle dicebat Princeps, primo canticæ. Loca & intelligitur de omnibus, tam regionibus quàm vrbibus, & cubiculis, in aëre superflata, & excelsa magis sentiunt calorem æstate, & frigus in hyeme: & quæ sunt in vallibus sunt temperatiora. Dico quod verum est, & hoc modo quæ sunt minus temperata, sunt magis salubria: temperata autem morbosiora: sub hoc etiam continetur situs in montibus, in plano, in valle, in accliui, in colle inter nemera, & in locis producentibus herbas, & arbores odoratas, maleficas, & huiusmodi: ita de serpentibus iuxta torrentes habent puriorem aërem, sed crudum in palustri loco coenoso iuxta stagna, & lacus ac similia quæ aërem corrumpunt; & est totum sumptum ab Hippocrate *libro de aere, aquis, ac locis.* Post ponit mutationes præter naturam ad pestilentem dispositionem, & ad calorem, & frigus: & de pestilentia dictum est, sed de frigore & calore *primo de venenis & in 11. lib. comment: super Epidem.* dicebat frigus est vtilius sanis corporibus; roborat enim ea; dico moderatum omnibus, immoderatum solùm robustis; calor autem impuris corporibus, quia difflantur, & expurgantur, sed in bene dispositis resoluit vires, & debilitat calorem naturalem, dicebat *in libro de remouendis nocumentis in regimine sanitatis.* Frigus primò cog t calorem naturalem: inde prohibenda scilicet motus suffocat, & extinguit, deinde putrefacit, demum mortem facit. Hoc intelligitur tam de partibus quam de toto, excidunt enim partes, & corrumpuntur pedes, & manus, & testiculi, præcipuè autem digiti pedum ob distantiam à corde, & iecore, & quia sunt membra parua, & ab aliis diuisa, & persæpe homines moriuntur: & hoc apparet in transitu Alpium eundo in Galliā, & eundo in Germaniam, transeundo montes hyemis tempore: & hoc tantum est manifestum nisi quod remanet dubiū, quod sit quod putrefaciat, cum non adsit calor sed frigus. Et dico quòd denigrantur membra sanguine congelato, & corrūpuntur, non tamen verè putrescunt. Hic ergo dubitatur quid deterius sit an mala aqua, an malus aër: & respondeo quod oportet distinguere; primum de naturali prauitate, quæ potest calor, & frigus, & crassities, & putredo in aëra, de qua Princeps *secunda primi cap. 6. in principio*: nam calor dissoluit vires, & aer frigidus nocet cerebro, & pulmoni è neruis, & turbulentus tristitiam facit, & commouet humores; sed crassus facit hydropes, & morbos crurum: propterea quod non permittit humores vt debent attenuari. At de aqua generaliter dicebat *tertia primi aquarum* diuersitas iter agentem ad ægritudines magis perducit, quam nutrientium diuersitas. Et aquā frigida nocet neruis *secunda tertij*: iuxta hoc ergo maius detrimentum est in aere quam in aqua. Secunda distinctio est de corruptione; & in hoc dicebat Princeps *secunda primi cap. primo in fine: aër putrefacit humores & incipit putrefacere eum qui est in corde, quoniam ad illum propinquius accedit & ita statim infert mortem.* Sed de aquis paulo post dicebat: *Aquæ stantes, in quibus arundines nascuntur generant abscessus Pulmonis & splenis, & dysenteriam & hydropem, & insaniam & hæmorrhoides, & malum habitum, & extenuationem corporis, & in mulieribus abortus*; & sumpsit hoc totum ferme ab Hippocrate *libro de Aere aquis & locis c. 16.* Ex hoc patet quòd sūma prauitas aeris, est deterior summa prauitate aquæ, quoniam aer statim agit penetrando in cor & cerebrum vt in libro *de vsu respirationis cap. 5.* visum est. Sed est tertium discrimen, quòd rarius aer peruenit ad summam prauitatem, quam aqua, quia semper mouetur vel parum vel multum: Et etiam quia non tantum inficitur à terra, quantum aqua, quia non est adeò illi copulatus. Quartum discrimen est, quòd detrimenta aquæ non naturalia propter longum vsum & moram, computantur inter naturalia & illa quæ sunt aeris, quia non manent semper, distinguuntur à naturalibus: ideo detrimenta aeris naturalis sunt parua semper, sed aquæ sunt persæpe magna. Quinta differentia est modo contraria huic, & est quòd detrimenta aquæ multis modis licet effugere, vtpote non bibendo nisi vinum, aut hauriendo ex cisterna, aut deferendo ex alio loco, aut coquendo aut destillando quod melius est: at detrimenta aeris non licet effugere, quia tametsi cōclusus diligenter in cubiculo, tamen lichnium facit illos

fungos, cum superuentura est pluuia, ergo aëris detrimenta non ita possunt vitari sicut aquarum. Sexta differentia est, quod omnibus computatis pro plebe deterior est mala aqua, quàm malus aër, quia plebs non potest cauere à malis aquis propter paupertatem, & etiam non agnoscit detrimenta illa, quæ fiunt sensim: ideo plures læduntur ab aquis quàm ab aëre, & etiam deterioribus morbis, quia frequentius corruptæ inueniuntur aquæ, & pluribus in locis, & maiore corruptione quàm in aëre, quoniam vt dixi in corruptione aquæ computatur corruptio etiam præter naturam non ita in aëre. Nobilibus autem deteriora sunt damna aëris semper quam aquæ, quia si magna, sunt magis irreparabilia & celerius interficiunt: si exigua etiam possunt melius vitare noxam aquæ. Septima differentia noxa ex aëre malo cum fuerit extrema, deterior est tam plebi, quam nobilibus aquæ detrimento. Generaliter tandem concludo quod malæ aquæ plus noceant, quia rarius aër corrumpitur, & id de aqua in locis est perpetuum.

TEXTVS XXXVII.

Ignis verò est corpus simplex, cuius naturalis locus super corpora elementaria omnia existit: & locus eius naturalis, est concaua cœli superficies: ipse namque ad cœlum peruenit. Et hæc quidem est eius leuitas absoluta, cuius natura calida est & sicca, & eius esse in generatis præstat iuuamentum vt maturet, & subtilizet, & permisceat, & vt in penetratione currat per ea substantia aërea: & vt duorum elementorum grauium frigidorum, puram frigiditatem frangat: & vt de elementaria proprietate ad eorum quæ in generationem coëunt, naturam redeant.

COMMENTARIVS.

(Ignis postremo) docet quatuor conditiones vt in reliquis; simplicitatem, locum cum lenitate, qualitatem & iuuamenta. Ignis autem vt habetur *Primo cœli, com.* 91. est æquiuocè dictus de illo superiore & isto, & causa est vt habetur *secundo de generatione, com.* 31. quia differunt in quatuor. Primo quia hic ignis diffinitur quod est ardor corporis calidi & sicci, sicut glacies concretio corporis frigidi & humidi, à frigoris excessu & flamma, dicebat *Primo Metheororum, com.* 18. ex diuisione Alexandri. Secundo quòd sicut in hoc glacies cum sit vltimum frigiditatis vt in vltima authoritate; sic ignis hic non admittit generationem, vt paruus ille. Tertio quòd ille non lucet, hic lucet. Quarto quod ille non est calidus actu, vt in *commento decimo quinto*; quare, &c. Est enim duplex calidum actu ac potentia *Tertio de Temperamentis cap.* 1. Sed hic triplex vt sol, vt vestis, vt medicamentum, vt cibus: Vacuum an detur magna est dubitatio, licet Aristoteles & verè id neget. Videte *Tertio contradicentium* 59.

Quæritur an motus ignis sit in sua sphæra naturalis, quod non: quia vnicuique corpori simplici vnus tantum debetur motus simplex *Primo cœli com.* 9. Secundo arguo argumento Philosophi *secundo: cœli* partes non sic mouentur, igitur nec totum. *Tertio* sic moueretur ab intelligentia: In oppositum si violentus, igitur non perpetuus

Secundo cœli respondeo, quamuis aliis aliter videatur, quòd motus ille est violentus: quidam statuunt medium, etsi quis dicat, igitur non perpetuus: fateor quia non est sphæræ vt sphæra est, sed vt ex partibus constat, vt etiam in aëre; nam constat quod motus naturalis in toto æqualis est & sine resistentia, sed hic est resistentia, & partes inferiores tardius mouentur, quòd apparet in igneis. Contra est quia in longitudine & breuitate vitæ, ignis in concauo lunæ non corrumpitur: vret enim contrario. Respondeo quod dicit Philosophus ibi tandem cum arguat ad partes, quod quia habet materiam, igitur corruptionis principium, igitur corrumpetur; a quo igitur & in quod? dico quod effusa superiore parte inferiorem mouet ab aëre & in aërem: motu enim colliduntur partes, & à radiis syderum variè propelluntur elementorum qualitates: citràque an iuxta per Principem extremæ sint, videte *Tertio contradicentium* 60.

Dubitatur quomodo calor descendat ad mistionem; qui dicunt esse calorem ignis multas difficultates patiuntur: primum quomodo possit descendere cum sit leuis, nam non solum in principio, sed etiam in incremento oportebit vt descendat, & si dicant quòd augetur per motum, ergo erit igneus, nam motus non solum generat calorem igneum, sed etiam transmutat naturalem igneum, & propter hoc natura fecit respirationem, vt superuentu aëris extingueretur, quicquid ex motu superfluè accenditur. Præterea addidit materiam aqueam, vt temperaretur in siccitate, nam motus plurimum explicat & reddit calorem igneum. Secunda difficultas est quod mouetur non solum contra naturam descendendo, sed etiam maximo spatio vtpote plusquam centum millibus passuum: vel ergo passim & ita permaneret in mora plus quam per duos annos quòd est absurdum, hoc autem est necessarium. Supposito etiam quòd moueretur centum millibus passuum singulo die, sequeretur etiam quòd ille ignis destrueret, & non generaret, imo inueniuntur aliqua mista, quæ ascenderent in aëre; quia sicut paruus aër in multis mistis est causa, quòd ea ascendant in aqua, ita modicus ignis esset causa, vt multa mista ascenderent in aërem, aut saltem penderent in illo. Quintum absurdum est, quòd essent duo agentia & duo calores, quòd nescio vnquam quomodo in mentem eis venire potuerit, præsertim Auerroi *Quarto Metheororum*: scilicet enim dicunt quòd

quòd agunt vt principales, aeger sequuntur infinita inconuenientia, & quòd vna res erit duo, & quod mundus erit inordinatus, quod est contra honorem maiestatis diuinæ, & quòd omne quod generabitur erit informe, & multa alia, vtpote quòd vnus calor debilitabitur per alium, & quod consumetur humidum geniti celeriter;& quod mistio non erit iuxta propositionem elementorum. Sed si neges calorem cælestem adesse, obstat authoritas Aristotelis *secundo Physicorum com. 26. & secundo de generatione animalium com. 42.* vbi dicit, quòd calor animalis est quid, proportione respondens substantiæ Stellarum: hoc enim intendit per elementum stellarum. Adest etiam ratio cum infinitis experimentis, quia Ægiptus multa fert, quæ non solùm non possunt generari in Italia, neque propagari,sed neque omnino viuere, quantacunque adhibita cura calefaciendi locum. Quod si dicas ignem cælestem subiici igneo, nunquam admittet hoc quisquam præditus ratione.Peripatetici quidem, nisi amens aliquis restat, vltimum est, vt calor igneus subordinetur cælesti, & sic erit superfluus,quia calor cœlestis omnia potest & proportione potentissima, vt omnino non indigeamus illo elementari; vt si dicas quòd conseruationis causa, istud falsum est: primum quia igneus conseruatur à cælesti,ergo non conseruat cælestem:præterea quia corrumpit motum cælestis, ergo non conseruat operationem eius: destruit etiam primum subiectum caloris naturalis idest humidum innatum, ergo non conseruat ipsum; præterea prohibet circumscriptionem, ergo generationem ,principale enim in generatione est circumscriptio. Accedit quòd calor cælestis est potentissimus, & non deficit, ergo non indiget igneo calore: sed neque potest adesse, quia eadem faciunt ad generationem & conseruationem, sed generatio fit sine calore ignis, ergo talis calor non est actus ad conseruationem.

Sequitur vt dicamus de .... nam si ignis ille non est calidus actu, quomodo accendit, & etiam quomodo possunt vapores adeò ascendere. Aristoteles *Primo Metheororum cap.4.* docet quomodo fiant flamma, torres, capræ, & stellæ vagantes: inquit Philosophus,accendunt vapores ex motu, non dicit ab igne, iuxta extremum ambientis terram; quòd si longa latáque succensio vocatur flāma, si longa non lata,nec dissipata torris;si autē scintillet vt paulatim succedatur capra, quòd si ex loco in locum desiliat vel inferior materia, quamuis & longe à superiore succendatur, tunc stellæ fiunt cadentes, vt in duabus lucernis altera accensa, altera nuper extincta.

Omnium horum tandem subiicit materiam exhalatio. Sed causa quæ accendit est vel latio supra, vel aeris concretio:cum autem longe celerius Luna moueantur,inditio est non procul fieri.

Quæritur an calor in igne per se exsiccet; dicit Philosophus *Quarto Metheororum com. 6.* quod calidum exsiccat: vaporans enim humidum siccum trahit, quòd autem facit hoc tribus modis: primum scilicet hoc primo modo: secundo attenuando partes, vt siccitas magis possit penetrare. Tertio faciendo siccitatem magis acutam. Sed per se non potest facere, aliter non daretur aer calidus & humidus; secundo nec medicamenta calida & humida, & eruca & nux indica tertio ageret in id, quòd non esset contrarium. Succedit difficultas de maturatione. Philosophus *Quarto Metheororum c.2.* dicit.Omnis cōcoctio à calore fit:triplex eius genus; maturatio, elixatio,assatio,sicut incoctionis cruditas, inquinatio, & excalefatio. Concoctio igitur perfectio est à naturali calore, ex oppositis passiuis, quæ sua cuique materies est.

Maturatio igitur est vt ibi habetur, deductio ab innato calore ad perfectionem, elixatio verò concoctio à calore in humido, sicut assatio ab arido & alieno calore. Est autem duplex concoctio: alia quidem vtilis, alia vero inutilis, & cum phlegmon suppuratur, quomodo cum hæc fiat: sed huius causam dicebat Galenus *Quinto de simplicibus medicamentis.* Operatio triplex est quæ aduenit his quæ sunt in corpore:vt enim quæ permutantur à calore naturali & ad vtile permutātur,& sic concoctio nutritiua aut à calore extraneo & in inutile, & fit putredo aut à naturali calore nec planè vincente, nec victo, & fit suppuratio: ambæ autem vtiles à simili calore fiunt, vnde puelli ventriculo admoti, si quid aliud, adiuuant concoctionem. Si igitur à simili quomodo ab igneo calore esset, *Octauo de dogmate Platonis cap. 7.* cum dicta Platonis recitasset, concoctionem non ab igne inquit sed à calore naturali fieri dicendum, quia aquea atque aerea constat substantia: dicit Princeps, ignis est principium, & aerea substantia commoderatrix.

Vtilitatem autem in generatione ipsius dixit esse triplicem; attenuare & concoquere; secunda facere vt aer penetret, tertia vt remittat frigus, seu minuat & humidum aquæ & terræ, docebat Galenus *Primo de Tuenda sanitate cap. 2.* & erat quarta,vt concrescent membra: sicco enim indigebant, quare inquit *terra vel igne:*at terra non erat oportuna,ignis igitur necessarius, quare semen igneum & aereum, sanguis aqueus & terreus: hanc tantam vtilitatem prætermisit Princeps, possem dicere, quod quia terræ communis esse poterat, vel quòd non omnia hic narrare voluit. Aliam vtilitatem declarabat Galenus *septimo de dogmate Platonis & Hippocratis c. 5. in fine* dum ignem oculis, aërem auditui, aquam gustui, & terram tactui tribuit,sed odoratū aeri, & aquæ vbi etiam in caruncul is contra nostram sententiam illum fieri docet. Plutarchus disputationem facit cuius titulus est, an aqua an ignis sit vtilior, quæ tota versatur in hoc, quod aqua est vtilior igne, tum quia omnibus animalibus est in vsu,tum quia facilius paratur, tum quia alat omnes arbores & herbas;sed cum pro igne intelligimus calorem;ille est vtilior luce, artibus & generatione.

Cum verò dicimus ignem omnem esse tenuem,vel de illo sublimi,vel de flamma nos iube-

iubet Galenus intelligere *Primo simplicium medicamentorum cap.22.* nam primum solida est intus ardore, vnde est quæstio quomodo cum illis qualitatibus grauitas & densitas esse possint, si quis dicat esse sueficiarium, in ferro videmus oppositum, ideo non est substantia. De grauitatis ergo & leuitatis causis dictum est *in tertio contradicentium* 41. Similiter si quis velit scire ignis operationes, consulat quæ dicta sunt in *Quinto libro contrad.*44.

TEXTVS XLVIII.

DVo autem grauia plus iuuant ad membrorum generationem & eorum quietem: Et duo leuia plus iuuant ad generationem spirituum, & motionem eorum, & ad mouenda membra: licet motor non sit nisi anima: hæc sunt elementa.

COMMENTARIVS.

In hac vltima parte auctor ponit vtilitatem elementorum omnium, in comparatione ad corpus, & est duplex grauium scilicet generatio substantiæ solidæ membrorum & quies, sed tenuium & leuium ad duo, generationem spirituum & motum membrorum: subiicit autem ne quis crederet quod motor in nobis esset ignis vel aer, quod istud totum prouenit ab anima, tanquam primo motore. Circa hæc tria igitur primo intelligendũ est, quod dicebat Philosophus *in secũdo de plantis in principio* seu Theophrastus: mista & præcipuè plantæ varietatem recipiunt ex tribus; terra dicit quæ fixionem exhibet, aqua quæ agglutinationem, & igne qui vnionem, quod dicit videmus manifestè in fictilibus.

Quæritur an in omni generatione sit corruptio, & an in corruptione generatio. Respondeo *ex primo de generatione* quòd sic de vtroque, sed non videtur verum, quia sic cum dissoluitur mistum, non generantur elementa, aliter non essent in misto: nam generatio vt diffinitur *Primo de generatione text.*23. est mutatio totius, nullo manente sensibili subiecto, & materia. Respondeo quòd illa elementa generantur in ea dissolutione, igitur confiteri oportet quod generatio vnius est corruptio alterius, sed corruptio vnius est generatio alterius vel aliorum.

Tertia dubitatio, quia dicit quod anima est principium mouens, nam *Primo de anima text.*19. animatum ab in animato differt motu & sensu: his duobus exponit Auerroes de locali motu, at si plantæ non essent animatæ? vel igitur per animatum intelligit sensitiuum, vel quod melius est per motum quemlibet, intelligit mutationem sub aqua, etiam nutritio, generatio, pulsatilis vis, & augmentum, & motus localis comprehenduntur: horum omnium est principium ab anima. Sed dicetis, Philosophum *primo de anima text* 64. dicere animam misereri vel intelligere, est dicere animam texere vel ædificare. Respondet ibi Philosophus quod melius est dicere hominem misereri & intelligere secundum animam quod anima est principiũ omnium motuum & sensuum, qui in nobis fiunt. Sequitur ad hæc disputatio de forma misti, quid sit, *habita secundo Contradicentium.* Cum igitur de mixtis nõ viuẽtibus, satis dictũ sit, & auctor ponat vsum elementorum in animatis, nunc de viuentibus scilicet plantis dicemus, auctore maximè Theophrasto, sed antequam ad Theophrasti mentionem accedam, pauca de libris duobus de plantis & Theophrasto præfari volo, vt sciatis quantum illi ex Galeni authoritate tribuere debeatis, Is *secundo de facultatibus naturalibus cap.*4. Aristotelis inquit & Theophrasti scripta tanquam Hippocratis commentaria; & *libro an sanguis in arteriis contineatur.* Theophrastus sine rationalibus disciplinis nihil scribere aggressus est, & *in libro aduersus Iulianum* nihil scripsit Aristoteles & Theophrastus, nisi habita mentione calidi, frigidi, sicci & humidi, tum quatuor elementorum, sicut Aristoteli modò æquet, modò præponat, cum ei nequaquam vt illi contradicat. Videtur autem Galenus Hippocrati & Platoni in paucis contradicere, aliis autem omnibus contradicit, quare merito Theophrastus apud Galenum, cum ei non contradicat, anteponendus erit.

Sunt autem plantarum principia duo *Secundo de plantis* materia locusque conueniens. Docet autem naturam illarum cognoscere ex vndecim regulis: A materia, nam olera generatur ex humida materia, & à forma quasi quia humido loco. Quæ in salsis aquis; siccæ quæ in aquarum summo sine radice, foliis, floribus; quæ aridis in locis vel in vmbra sine floribus, humidum est tenue dicit Philosophus, quandoque exiles herbæ in vna hora nascuntur: A magnitudine: paruæ herbæ ob id plerũque siccæ, quia calor paruum humidum celeriter resoluit, & hæc est tertia regula quæ vera est. Quarta à generatione fructus, quæ fructum edit ante folia, multum habet oleaginis succi; quæ verò cum foliis, abundat humido: vtrique enim foliis & fructui planta humorem simul suppeditat, & vehementis est attractionis. Quinta ab accidentibus: cui decidunt folia, eis occluditur via ex frigore. Sunt ergo raræ substantiæ hæ plantæ, aut humidum concrescit ob caloris paruitatem. Sexta à loco generali & proprio: in oriente, & ab orientis parte, & locis apricis, & regione calida, vastáque, locis incrementi pulchra, in contrariis contraria. Septima à calore, quæ venetum calorem habent, actionem caloris validam sortitæ, & magis quæ nigrum; vnde etiam plerumque cogitur materia, & aër extruditur, atque sic ebenus in aqua descendit, ea autem est ratio ligni Indi: ipsum enim cum nigrescat à calore concoctum, acres ac tenues, benéque concoctas sortitum est partes, quibus dissecat, attenuat, aperit, dissoluit ac expellit. Porro demonstratum est morbum Gallicum esse cruditatem,

tem, tum maximè in secunda & tertia cõctione factam; ob id plerumque prodest, hoc est Philosophi *secundo de plantis.* Octaua à sapore, de quo vide *in contradictionibus.* Nona à partibus; folia sunt magis cruda, humida, & terrea, flores tenuioris substantiæ, fructus humidi & magis cocti, lignum & vertex sicca & magis terrea; semen autem robustissimum. Sed cur semina cum minima fuerint dicit Theophrastus, eò magis abundant *secundo de causis plantarum c.* 17. & probat sic vt minima & imbecilliora, igitur eò facilius proueniunt, nam ab aere facilius immutantur: sic etiam videmus quòd breui perficiuntur, sed quæ facilè proueniunt, eadem etiam abundant, ideo semina parua in magnam copiam crescunt. Decima ab odore: quæ enim adorata florum instar tenui materia concocta constant. Vndecima à cortice, cortex enim crassus ab humido tenaci plurime, & calor sit tenuis contra. Duodecima ab occidentibus propriis, vt lac generare ab humido oleoso, cum calore temperato foras trahente: fit enim lactis color ob aëris ingressum. Tertia decima à comparatione; quæ enim obstructos habent meatus in aqua descendunt, & eò magis si humido plurimo abundauerint, & compacta sint.

Sed cur plantæ robustæ semina edunt imbecillia, debiles robusta, cum absonum sit ex validis plantis produci imbecillia semina, & ex seminibus plantas: magis autem absonum ex imbecillibus contraria ratione robusta progigni. Illud consideratione dignum, quòd legumina à triticeis in duobus differunt, quò ad generationem, nam ex eodem capite legumina, ex quo germen emittunt, ex eodem etiam radicem; at triticea ex crassiore capite radicem, ex aduerso germen emittunt, vnde subsequitur secundum, quòd legumina simul radicem producant & germen: sunt enim magis aërea, & principium est vnum, sed triticea prius radicem fundunt, quam germen, ideóque hæc iuuantur à frigoribus, illa autem ab his plerumque extinguuntur, *Quarto de causis plantarum cap.* 8. neque hæc est causa etiam, cur celerius legumina erumpant, atque ideo etiam terram minus exhauriant, excepto cicere, quòd cum paulo plus XL. diebus perficiatur, multum tamen tum ob robur, tum ob salsuginem sibi iunctam terram extenuat, *quarto de causis plantarum cap.* 9. ex quo plurimæ possent ad Medicinæ vsum perfici quæstiones, cur maximè prosit pulmoni, cur atterat lapides, aperiat obstructiones, quas practicis relinquo.

Caliditatis plantæ. Theophrastus *Primo de plantarum causis cap.* 26. quinque signa adducit: primum quod folia nunquam amittat minus cum sero: secundum quòd germinet celeriter: Tertio quòd fructifera sit, Quarto quòd lignum ardeat facile, Quintum & vltimum quòd locis frigidis viuat, ita quæcunque in frigidiore cœlo, in montium cacuminibus, in aquis viuunt: calidiores iuniperus, abies, iunctus & harundo, sed in sequenti reprobat singula: primo fœcundæ arbores bene sunt calidæ, non tamen calida fœcunda, vt in animalibus, leo & talia; solus canis & sus, ex calidis sunt fœcunda.

Deinde dicit: tardè germinant & fructificant, quæ perpetuà fronde viuant: alterutrum igitur fallum, vel ambo, cum horum vnum calorem, reliquum frigus significet. Nasci etiam in frigidis locis plantas calidas verum est, plures tamen in calidis: Forsan dicit quod hoc est argumentum, esse alimentum aliquod in his quo frigori resistant, ardere facile non est argumentum caliditatis, sed attritus maioris quo liquor ignem possit excitare, inditio est ignem attritu suscitari: dicit igitur, cognoscitur potius calidum ex duobus, quòd pingue sit, & ab operatione in sensibus, vt quòd sit odoratum, quòd sit acre, quòd superpositum excalefaciat & coquat. Arbores cum fructum edunt maximè flacescunt, & quæ plurimum fructificant eò magis debilitantur, vnde etiam cum affectæ sint verno tempore, facilè ob minimas noxas intereunt, & fructiferæ non fructiferis: imbecillæ enim à quacunque noxa capiuntur: cum enim inquit fructus perficiuntur, radices crescunt; Theophrastus *secundo de causis plantarum cap.* 15. ex quo colligo quòd radices herbarum autumno collectæ, tenues aut nullas habent vires.

Quonam pacto generantur plantæ sponte est causa vna, quod imbribus quibus bituminosa aqua decidat, vt de lassere in Africa, aut quia putrescente humore à sole germinent vi stellarum & solis; rursus ex alluuionibus semina deferantur aut partes plantarum, quibus postmodum pullulent; vel quarto quod semina quorundam tam exilia sint, vt lateant velut cupressi, etiam ex flore nascuntur vt Thimum. Theophrastus *Primo de causis plantarum c.* 5. Addo ego quintum genus longè verisimilius, quòd vt ex animalibus animalia creantur alieni generis putredinis vitio, ita post inundationes & pluuias, & situm cœli squalidum, semina & partes plantarum putredine quadam in alienas species longè facilius, vt quarum natura vilior sit & concipiendo formas aptior, quàm animalium in alienas degenerat species. Inditio est quòd simul vno in loco plurimæ ex vno genere plantæ nascuntur, & cum eis vel ante eas satiuæ rursus plantæ eiusdem generis plurimæ fuerant.

Cur quidam surculi germinent ex arbore detracti, alij non, causa est humidum copiosum quòd abest, & spissitas substantiæ tum signi, tum corticis, ideóque rariora surculo magno germinant non paruo, vt olea, quæ autem spissa & non adeo humida paruo non magno, vt palmes: facit ad hoc corticis asperitas, vt magnos stolanes impediat, ramulos nequaquam, Theophrastus *primo de causis plantarum cap.* 1. & 2. Addiderim ego quòd clarius est, vbi humidum pingue valde fuerit atque concoctum, ramuli germinant; sin aquosum magis rami: dum enim maturatur, effunditur radix, sin autem paucum aut nimis aqueum, aut toror substantiæ, nullo modo concipit. At quæ surculis propagantur, robustiora sunt, celerius, & melius germinant, quàm quæ semine seruntur *Primo de causis plantarum c.* 8. tum alibi. Concoctio

duplex dicit Philosophus *secundo de plantis*: vna in radiculos, secunda in medulla, quæ etiam in venis ligni celebratur. Tertia superadditur in animalibus.

Quæ facilè germinant, calore plurimo abundant & humido, Theophrastus *primo de causis plantarum cap.* 10. intellige semper pingui, non aqueo: nam illud obstare germinationi, & copiæ humoris, fatetur *primo de causis plantarum cap.* 2. *in fin.* dum perfurari plantas docet, *& post*: simile enim illis accidit his, qui ob multum aquæ potum non concoquunt, ob id contingit serius germen, & fructum producere, quæ semper frondent: siccantur enim multum fronde perpetuo humorem hauriente, vt ibi docebat; *cap.* 11. ergo cur frequentius germinent & fructum edant, maximè causa est, vt Theophrastus docet *libro primo de causis plantarum cap.* 12. humor abundans & calor potens: hæc autem tum ex arboris natura, tum loci & aeris proueniunt, decidunt autem folia non vt ille putat tam defectu caloris aut humoris, quam quòd vt rectè inquit Philosophus *in secundo de plantis*, pediculus folij ab externo frigore constringitur, estque hoc impedimento, ne folium humore alatur; ac simul argumentum, casura folia ob id in regionibus calidis, vt demonstraui *in libris de subtilitate*: perpaucæ arbores folia amittunt, ob id etiam arbores maximè inquit Theophrastus, fructificant autumno & æstate, quod tunc plurimum caloris, & humidi abundet, nam licet canicula ferueat tunc, tum sunt imbres copiosi, cúmque humidum abundans & calor aëris morbos pariat; aut temporis inæqualitas maximè morbi creantur æstate & autumno, quod vtroque tempore multum humidum abundet, altero cum calore iuncto, reliquo autem cum inæqualitate.

Sed cur siluestres arbores fructum ad maturitatem non producunt, videtur in hoc argumentum imbecillitatis: aliud etiam quòd succus fici cogit lac, saprifici minimè, attamen celerius syluestres germinant, tum quia minus habet humoris ob solidiorem terram, vt etiam quia cortice & ligno sunt tenuioribus, vnde humor ille celerius tum à sole tum à proprio calore concoquitur: in vniuersum igitur syluestria frigidiora, ficciora & imbecilliora cultis sunt, nisi cultura nimis curiosa sit, vt cum præcidimus ramos, & fructificare ante tempus cogimus.

Theophrastus *Primo de causis plantarum c.* 17. *&* 19. Non igitur maturescunt, dixit, ob multitudinem primo fructuum, secundo ob imbecillitatem caloris, cum sint prætenues. Tertio quòd humoris abundantia non suppeditet locis incultis & asperis. Quarto quia sicca substantia ad se proprium trahit humorem: siccæ enim sunt arbores syluestres. Vltimo quòd asper cortex non permittit humorem permutare. Quæ aut celeriter maturescunt, ob caloris & humidi abundantiam, & raritatem substantiæ id agunt, tamen quia & foliis vmbra non accedit; aut enim rara sunt, aut exigua; ob id qui celeriter maturescunt, fructus dulces sunt plerunque, qui verò tardè, aridi aut acerbi, aut astringentes, vt pira cotonea glandes, inditium enim est frigidæ & siccæ temperaturæ arboris, Theophrastus *Primo de causis Plantarum cap.* 15.

Mora serò germinant ob loci frigiditatem, celeriter fructum edunt dicit ob imbecillitatem. Sed quomodo imbecillitas celeritatem concoctionis efficere potest? Respondet *in secundo de causis plantarum c.* 16. quòd imbecillitas facit, vt celerius ac magis aeris actionibus & qualitatibus obediat. Mihi alia ratio videtur quàm Theophrastus *Primo de causis Plantarum cap.* 21. assignet, scilicet quod serò erumpat, concoquatur autem interius interim humor. Secundo quod fructus paruus sit, ob id & cerasa celeriter, & sub initio æstatis absoluuntur, quòd parua sint. Tertio quòd humidum sit aqueum, ob id vtraque etiam valitudini importuna, & quæcunque talia vt fraga, & pepones, ac melones, de quibus *in libello de malo medendi vsu* diximus.

Oliuas, quæ carnem plurimam habent Theophrastus auctor est *Primo de causis plantarum cap.* 13. parum habere olei, contra quæ minorem carnem: plus causa est dicit quòd ab immoderato calore, aut abundantia humoris, vt in assiduis imbribus ea generari solet, vnde colligitur nec adeò vtiles esse, nec etiam gustu iucundas, nam vtrumque præstat copia olei, vnde Ianuenses oliuas detractis nucleis oleo conditas exhibent, gratum & vtilem sanè cibum. Sed cum imbecillis sit arbor, olea dicebat Theophrastus *Primo de causis plantarum cap,* 25. cum bene germinat, malè fructificat, arboribus autem robustis secus contingit, vt vitibus & ficui, tunc enim bene fructificant, cum bene germinauerint atque etiam contraria vice.

Cur autem mutentur vt lolium in triticum, & rursus triticum in lolium, multum laborat Theophrastus *Quarto de causis Plantarum cap.* 6. tandem concludit quod nec validissimæ plantæ, nec valde imbecilles mutantur. Primo quidem ab aere & alimento mutari nequeunt, aliæ priusquam mutentur moriuntur. Secundo quod oportet vt sint affines. Tertio quod terra habet rationem fœminæ semen maris, quamobrem & indebilius mutare potest, cum semen validum & terra plenior; humore autem in robustius, cum semen imbecille, terra autem fuerit validior, vt ex tritico in lolium, quandoque etiam distantia multum transmutari affirmat, vt ex Lino lolium; quod si sit, oportet tamen affinitatem inter illa intercedere.

Palmæ tantum sal prodest, quantum sal refrigerat radices, & terram: reddit rationem vnde radices maiores euadunt, & ita in Africa & Babilonia, saltem pro stercore radicibus adiiciunt *Tertio de causis plantarum cap.* 22. Salsugo autem, dicitur, proprietate sua tantum palmæ prodest, cum omnibus aliis obsit arboribus: confert & ciceri *Quarto de causis plantarum, cap.* 9.

Sapor in hoc differt ab arbore authore Theophrasto *Sexto de causis plantarum c.* 1. quod vterque cum in sicco consistat, attamen

men sapor in humore consistit concocto, ac exprimente partem illam siccam, sed odor est, cum siccum fuerit in corpore perspicuo, id est, aere vel aqua mixtum.

Multæ sunt plantæ gustu dulces, vel saltem iucundæ, quæ tamen sunt veneno præditæ, vnde non pauci interiere, sicut & radix carduo similis, quæ insaniam parit, Theophrastus *sexto de causis plantarum cap. 4.* omnium plantarum siccissimæ existimantur, quæ lacteo succo præditæ sunt vt ficus: Theophrastus *sexto de causis plantarum c. 7.* Quare omnes tales veneni vi præditæ, vt elula & lactriticis; sed & lac coagulabunt vt lac ficus; sed quid de lactuca quæ lac mittit, & pleræque herbæ, quæ inanem habent caulem, dico quod lac plerumque fit à superflua coctione propter siccitatem, & lactuca tunc est venenosa.

Quæ odorem habent, saporem gustantibus exprimunt, & quæ gustu saporem exprimunt, dum gustantur maxima ex parte odorem referunt, adeò cum sensus ipsos propinquos sibi locauerit, etiam sensibilia *sexto de causis plantarum cap. 12.* Ideo sequitur dulce est principium iucundi saporis, vt amarum odoris, sed longè magis amarum odoris, quàm dulce saporis, cum plurima longè inueniant iucunda gustu quæ dulcia non sunt, quàm odoris iucundi, quæ non sint amara: vix enim comperire licet odoratum, quod amarum non sit, Theophrastus *sexto de causis plantarum cap. 13.* causam quasi reddebat, quoniam dulce oporteat esse crassum, & molle & humidum, odoratum contra.

Quæ tota olent vix possunt habere flores bene olentes, vt sisenium serpillum, sysymbrium, *sexto de causis plantarum cap. 15. & 23.* causam reddebat quia concoctio in quadam mutatione est, flos autem vlterius concoquitur. Cum igitur odoratæ sunt reliquæ partes & ad summum deuenerint, tunc necesse est mutata in deterius verti, non tamen hoc est dico generaliter necessarium vt in libris de subtilitate docuimus: namque citrangulorum folia vt flores longè magis, tamen etiam fructus mirum in modum olent, tum mali medicæ, nec necesse est ex eadem materia fieri flores, folia, lignum: sed ob id forsan contingit, quòd pleraque quæ bene olent, tota sunt immodicè sicca, quibus maior in excoquendo flores siccitas accedat, peruertuntur & odorem amittunt.

DOCTRINA III.

De Temperamentis.

CAPVT I.

TEXTVS XXXIX.

COMPLEXIO est qualitas, ex actione ad inuicem, & passione contrariarum qualitatum in elementis inuentarum: quorum partes ad tantam paruitatem reductæ sunt, vt cuiusque earum plurimum contingat, plurimum alterius prouenit.

COMMENTARIVS.

In hac tertia doctrina; quæ est de Temperaturis, Princeps intendit docere, quid sit temperatura, & hoc trifariam; vel simpliciter in comparatione ad corpus humanum, & ita est primum capitulum, aut in comparatione ad membra & partes corporis, & est secundum capitulum, aut in comparatione ad sexum & ætatem, & est tertium capitulum. Primum capitulum diuiditur in tres partes: in prima tractat de temperatura in generali, in secunda de generibus temperaturarum per octo diuisiones æqualis temperaturæ ibi, *(accidit autem:)* in tertia declarat species & sunt nouem ibi *(cum autem species)* sed in ea addit vnum de temperamento medicinæ, quomodo dicatur in comparatione ad hominem. 1. diuisio. 2. An temperaturæ cognitio necessaria apud Galenum medico. 3. Quot modis temperatura dicatur apud Principem. 4. Declaro quid sit apud Principem. 5. Quot modis temperatura constat apud Galenum. 6. Qualitatum species secundum Aristotelem. 7. Diuisio qualitatum secundum Galenum. 8. An elementa agant in mixto. 9. An calor naturalis sit simplex, & an acris dicatur naturalis. 10. Quomodo fiat temperatura. 11. Cur ex igne & aqua non fit temperatura.

Prima diuiditur in sex partes: in prima ponit diffinitionem temperaturæ, in secunda declarat eam, ibi *(cum enim)* in tertia deducit corrolarium ibi *(& quoniam)* in quarta diuidit temperaturã in æqualem & inæqualem ibi, *(& illud)* in quinta docet quomodo æquale an detur non pertinere ad medicum, ibi *(quod autem)* in sexta docet quid medicus intelligat pro æquale ibi *(debes autem)*

Ponuntur autem partes tres. Prima est temperatura est qualitas: In hac diffinitione ponitur genus, quòd est qualitas, de quo est dubitatio, quia illam posuit substantiam, Pro quo vide.... Circa modos quomodo fiat temperatura ex primis qualitatibus, sunt duo animaduertenda: vnum pro mistione, nam aliqui crediderunt solum qualitates, non elementa esse in mistis, vt Philosophus *2. de Par. Animal. cap. 1. in princ.* Alij elementa sed impatibilia, vt Empedocles: Alij mistis elementis secundum corpora, sed sic corpora se penetrarẽt: Alij vt substantiæ cùm qualitatibus refrangantur, vt Auerroës. Alij vt refrangantur qualitates, & corpora se diuidant ad minima, vt Princeps. Alij vt se non diuidant ad minima, sed qualitates permeent, vt Galenus. Circa qualitatis autem quæ temperatura vocatur generationem, sunt tres modi qui possunt imaginari. Primus est vt qualitates maneant, & temperatura sit aggregatum continens illas, & est Galeni. Secundus vt omnes qualitates corrumpantur & resultet vna forma quæ virtute eas

eas complectatur, & hic modus non est verus. Tertius est vt fiat refractio quædam ipsarum & ex hac consurgat quoddam mixtum, & vocatur temperatura, Et hæc est Principis. Sed dices quomodo ex pluribus in actu fit vnum per se. Respondeo *ex Decimo Primo Philosophiæ com.23.* fit vnum tanquam forma, reliqua vt materia, quia solum potentiæ sunt in eo, quod exuperat elemento, & quia declaraui iam de mente Philosophi quod temperatura est mixtum, & non illud quod prouenit, & quod prima opinio est verior aliis in via Galeni, Tertia in via Principis. Nunc autem adduco rationes pro Principe, nam si temperatura est aggregatum, sequitur quod ligata manu remanebit idem temperamentum: igitur eædem operationes. Respondebit Galenus *ex primo de locis cap. vlt.* operationes à nutritione indigent alia virtute, ideo non poterit exercere; de nutritione autem quod calor cordis est conseruans illum innatum, ideò intercipitur & etiam nutrimentum. Secundo non requireretur aliud agens ab elementis, si sola hæc mixtio sufficeret. Respondeo quod in inanimatis requiritur calor solis, vt *secundo physicorum cap. 26.* sol & homo generant hominem. Sed in animatis alia forma quia anima non est temperatura vt dixi. Tertio calor in ventriculo semper generat chilum in manu nunquã, quocunque varietur, igitur temperatura non est aggregatum. Respondeo quòd non est locus idoneus. Sed difficultas est & maior; cur sanguis non in ventriculo. Respondetur quod ob latitudinem non tantam potest facere impressionẽ. Quarto in vno febriente sene pituitoso, erit tantus calor, quantus est in Iuuene bilioso sano, & tamen primus corrumpit & secundus concoquit. Respondeo quod casus primò potest negari, quia vt dixi vnus est calor innatus, & est substantia, alius impressus, & etiam ratione diuersorum obiectorum iuxta illud Poëtæ.

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit.
Vno eodemque igni.

Spiritus vbique inuenitur *Septimo de dogmate Platonis cap.4.in princ.* fateri videtur in neruis, seu ibi conatus, seu tunc adueniens, & ipse est pars caloris naturalis, vt supra visum est *Quinto de simplicibus medicamentis cap. 9.* sed temperatura etiam de inanimatis dicitur, vt de humoribus, substantia autem est prior vt in prædicamentis. Quinto sequeretur quòd generatio esset sola mutatio in qualitatibus. Respondeo quòd illæ qualitates non sunt in via Galeni aliud à substantia, vel si concedas, dico quod qualitates non sine substantia mutantur. Sexto sequeretur quòd omne mistum esset & heterogeneum. Respondeo quod istud non vocatur heterogeneum, quia qualitates non sunt distinctæ loco, hoc autem requiritur in heterogeneis. Septimo sequeretur, quod omnia inanimata essent idem in specie, quia differunt tantum secundum magis & minus; hoc ego concessi *in secundo Contradicentium* in primis quæstionibus, fretus dicto Auerrois, membra leonis non differunt à membris cerui, nisi quia anima leonis differt ab anima cerui *Primo de anima com. 53.* Idem ad vnguem *primo de vsu cap. 2.* membra animalium differunt, quia animæ illorum differunt: idem etiam ibi dum dixit, simiæ corpus ridiculum datum ob animam ridiculam, quod & *in Tertio de vsu replicatur*: inanimata igitur non differunt specie, quoniam actionibus & anima carent: quod si dicas piper nonne à lactuca differt; Dico receptum esse sic à medicis ob vtilitatem, sicut cum neutrum corpus sit primi modi ad vsum medicinæ, effingunt aliud à sano: ægroque verùm dum viuebant distinguebantur, & ea ratione per comparationem etiam mortua distingui creduntur, vt cor equi & lupi, sed vt declaratum est *ex quarto Methcororum cap. 2.* paulo post non distingui, palam & esse solam elementorum congeriem, in quam alia breui alia tardè resoluuntur. Quid dicam de metallis, cum ea sic terræ immixta sint, vt vix magnis ignibus queant separari. Tandem concludo, quod opinio Galeni & Principis est vna, quia volunt quod primæ qualitates, quæ sunt substantiæ maneant, impressiuæ corrumpantur solum. Hoc est quod Galenus vult, vtramque qualitatem impressiuam manere, & ita contraria in eodem subiecto *Tertio de simplicibus medicamentis cap. 16.* opponantur rationes eius, & experimenta in initio huius quæstionis, & siquis dicat quod lingua sentit secundum diuersas partes, contra quia transit amaritas illa ad extremum, igitur est etiam in medio, igitur vtraque qualitas simul.

Galenus calorem acrem & mordacem quarto *super Sextum Epidemiorum com. 15.* non vocat naturalem aut innatum, quo fit vt duæ temperaturæ necessario consistant. Respondeo quod differunt, sed non eo modo quo penitus distincta, in via autem Principis hoc est facile tueri, & ideo iuxta Principem calor febrilis alius est à naturali, iuxta Galenum autem mutatus naturalis in igneum febris dicitur.

TEXTVS XL.

CVm enim ad inuicem agunt & patiuntur suis virtutibus, accidit ab earum summa, qualitas in toto earum similis, quæ est complexio, & quoniam virtutes primæ quæ sunt in elementis prædictis, sunt quatuor: caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas; tunc manifestum est quod complexiones in corporibus generatis & corruptis sunt per eas,

COMMENTARIVS.

Temperatura triplex vt colligitur *tertio de Præsagiis ex pulsibus cap. vlt. Et 3. causis pnl. cap. 2.* naturalis quæ ab ineunte ætate connata, nobis est acquisititia per assentiam

tiam, quæ per regimen nobis aduenit, & quæ per consensum; quæ fit a membris participantibus, vt in ædemate ventriculi, in quo humida intemperies pullum mollem efficit.

Hic tria videre oportet: primum est cur calidum frigidum siccum & humidum, dicantur substantiæ apud Galenum, & ad hoc est primo auctoritas Hippocratis *Primo de Elementis cap.* 8. dicit Hippocrates; palam facit quod calidum, frigidum, siccum & humidum non solum vocat primas qualitates, sed etiam elementa ipsa: extat & libellus ipsius Galeni, an qualitates sint incorporeæ, quòd ille liber ascriptus est Galeno: multum etiam referret dicere, quod qualitates sint substantiæ, vel quòd sint corpora, fatebitur inquam Galenus qualitates esse substantias, sed exusta tamen prius forma corporea, quam vocant Barbari formam corporeitatis Sed vt dixi ille liber Galeni non est; fundamenta ergo, quæ mouerunt Galenum ad dicendum, quòd qualitates sint corporeæ sunt quinque, seu quod sint substantiæ: Prima est, vbicunque plurimum inuenitur de calido naturali ibi inuenitur plurimum de humido, & tantum augetur vnum quantum aliud, & hoc probatur per ætates *Prima Aphorismorum*: infantes sunt humidissimi, iidem sunt calidissimi, hoc non potest esse, nisi calidum & humidum sint vna substantia, quia si calidum esset qualitas exsiccaret humidum: idem probatur quo ad operationes *Quinto de Tuenda sanitate*: qui calida & sicca sunt temperie, male concoquunt inquit; ergo tales dicit non verè calidi sunt, quia propria operatio caloris excoctio. Secundum fundamentum est quia illud quo nutrimur est vel siccum vel humidum & illud est propria substantia nostra, quia oportet quod alimentum sit simile ei quod nutritur semper in sicco & humido, dicebat *Sexto de Tuenda sanitate cap.* 3. & propterea dicebat *Prima Aphorismorum* quod victus humidus confert pueris, scilicet quia eorum substantia est humida. Argumentum ergo stat in hoc, quoniam nutritio debet fieri restaurando simile in substantia, sed non quærimus simile in substantia aliud, quam in primis qualitatibus, vt in arte medica. Tertia est quoniam calidum & frigidum & reliqua permutant nostrum corpus, & sunt principia per se, actiones autem conueniunt substantiæ per se primo, & non accidentibus: ergo primæ qualitates sunt substantiæ & non accidentia; & maximè quia videmus exsiccationem fieri euanescente humida substantia, humectatione aucta, ergo primæ qualitates erunt substantiæ rerum. Demum dicit, hoc est vtile scire Medico, & credere, quia medicus per hoc non aberrabit: si enim volens exsiccare corpus, tollendo intemperiem humidam, nouerit id non posse facere nisi corrumpat substantiam caloris, & ex consequenti destruat formam membri, & quod dictum est à Galeno *Quinto de Tuenda sanitate*, & ideò dicit Galenus etiam quod qualitates non essent substantiæ, illas tamen credere esse substantias, vtile est medico.

Propter hoc coactus est ponere duplex genus qualitatum, elementare & aduentitium, seu proprium substantiæ, & ab ipso alienum: & si quis obiiciat, quod Galenus distinguit qualitates à substantia, in Primo de Elementis: respondeo quod intelligit de qualitatibus, quæ introducuntur per impressionem.

Ex hoc liquet, quod coactus est ponere qualitates contrarias in eodem subiecto propter tres causas: prima propter experimentum, quia videmus in lingua simul amaritudinem & dulcedinem: secunda ob mistionem medicamentorum ex contrariis, quæ superflua essent, si nõ possent esse qualitates cõtrariæ. Tertia quia quilibet febriens esset mortuus, quia in quolibet febriente prædominatur siccitas, & in quolibet viuente humidum, quia viuens viuit per calidum & humidum, ergo.

Dubitatur à Gentili quomodo non fit temperatura iuxta posita aqua igni: dicet Princeps quòd qualitas est impressa, & non elementalis, at si conuertitur in vaporem, non negabit esse temperaturam, quia in vapore sunt duo elementa aqua & ignis, ideò non est vere mixtum, quia agens producit sibi simile, & ibi nihil est simile terræ nec aëri, & est etiam subtilius aqua: ignis enim attenuat, igitur terra nõ potest generari. Sed tamen Galenus *Primo de temperamentis* ponit exemplum de aqua feruente & glacie; item de aqua & cinere, & vult fieri æquale temperamentum.

Qualitatum autem vt in prædicamentis sunt genera: erit igitur in primo & tertio genere habitus, seu dispositio & passio, vel pati apta qualitas, aliter non esset actionum principium, quia in aliis speciebus non sunt actiuæ. Sunt enim illa quatuor genera habitus vel dispositio naturalis, potẽtia vel impotentia, passio vel passibilis, qualitas, forma vel circa aliquid constans figura. Sed nunquid erit res simplex aut composita. Galenus posuit *in libro de tremore* sectigationis calorem naturalem materiam compositam ex calido & frigido, declarans vtilitatem caloris, vt possit mouere, permutare & alere; frigoris autem vt illius impetum colubeat, ne in altiorem semper partem ob leuitatem differatur, quare hic calor naturalis vel est temperatura, vel pars & qualitas simplex, & ideò non alius erit hic calor naturalis quàm natura, cuius sunt omnia opera nutrire, augereque, iuxta Hippocratis sententiam, igitur composita; sed instant.

(*Quæ ex mutua inter sese.*) Hic adnotandum est fuisse de rerum natura duas opiniones: alteram quæ mixta consuerit componi ex minimis, aliam non.

Hic cadit dubitatio, quare dixit vt cuiusque eorum plurimum, alterius plurimum contangatur: nam cum plus fuerit ibi de terra, aut de igne, Si ille subtilius diuidi potest, erit vt multa minima vnius elementi tangant vnum minimum alterius elementi; sed dico quòd Princeps non curat, an dentur minimæ: hoc enim non dicit, sed sufficit quod se tangant.

De qualitate sunt duo genera *Primo de humana*

humana natura cap.6. primum est primarum vt calidum frigidum, &c. est secundum genus quod ad alios pertinet sensus, nec abs re fuerit dinumerare omnia saporum genera quæ sunt nouem, Acor seu acidus, acerbus, acris, amarus, astringens, austerus, dulcis, pinguis & salsus; Porro declarabat Galen. *Primo de Temperamentis*, qualitates duobus nominibus significantur, vt albedo per albedinem, & album; sed cum album corpus significare volumus, album solum licet appellare: ibi apertè fatetur etiam in elementis qualitatem ab ipso corpore differre, quamuis qualitas corporis etiam qualis nomen suscipiat.

Et quia dicit quòd temperatura est, quæ consurgit ex contrariarum qualitatum actione & passione, duo incidunt dubia: primum an sint duæ temperaturæ, nam duæ contrarietates. Respondeo quòd non perceperunt mentem Principis, nam oporteret dubitare, an esset substantia membri, deinde non posset esse principium operationis; patet primum quia essent duæ substantiæ: secundum etiam quia essent duo principia effectiua, item quia calidum agit in omnes qualitates, vt alias declaratum est ex *quarto Metheororum*; ideo fit vna mixtio simul, & vnum mixtum, & vna temperatura. Item non essent nouem genera temperaturarum hoc modo, sicut posuit Galenus *secundo de Temperamentis cap.1.* Sed videtur sensus tactus esse plures *secundo de Anima com.108.* quia igitur non ratione instrumenti, igitur temperamenti. Respondeo hoc non concludit Philosophus.

Tertium erat de diuersa temperatura, quam necesse est ponere, pro qua intelligenda dicebatur *Decimo artis curandi cap. vlt.* clarum enim est quod sunt solida, & in his est substantia innata, quæ permutari non potest vt etiam colligitur *primo de Tuenda sanitate cap.2.* Solum restat dubium Philosophis discutiendum & egregium, cur cum in augmento quælibet pars aucti augeatur, & in nutritione materia tota fluat & refluat, nihilominus perpetuò siccetur corpus; & an innata intemperies possit permutari? Propterea melius est dicere, quod materia fluit & refluit secundum sui maximam partem, manente solum quod terreum est & forsan non toto, sed dumtaxat parte seminali, atque ita concordabuntur omnia; posset etiam dici quod partes terreæ fluerent ac refluerent vna post aliam, sed non potest postmodum reddi ratio quare non plus de terreo, quàm de reliquis elementis; nisi quis forsan diceret, quod manet plus de terreo, quia mistum oportet vt habeat plus de illo, ergo semper corpus fiet siccius, & tamen elementa fluent & refluent per se. Tota prima responsio est verior: secunda magis facit ad rem. Similiter de mutatione temperaturæ innatæ, quia illud videtur concedere Galenus vt visum est supra, cum diximus de nutritione, dicendum esset quod in valde inani & puero, si paruus sit lapsus, quod potest corrigi trifariam: Primum per fluxum & refluxum materiæ, gratia exempli: capio infantem, cuius corpus sit ponderis quatuor librarum, & cum est iuuenis, perueniat ad sexaginta libras: manifestum est ergo quod præter fluxum & refluxum materiæ ex quindecim partibus quatuordecim nouæ generantur; & quemadmodum in toto, ita in singulis partibus corde, iecore, ventriculo, cerebro, testiculis, pulmone, renibus, vesica: ergo si vel tres partes ad substantiam membri pertineant, illæ vincent vnam & ita mutabitur temperatura innata ex solidis; hoc autem maximè fit tempore lactationis, & videtur quod vera sit mutatio innatæ temperaturæ, nisi quod non videtur quod perfectio ipsius humidi innati possit augeri, reliqua omnia videntur posse restaurari, adeò vt etiã filius phtisici possit perduci ad senectutem. Secundus modus est per parenchymata, & de hoc non est dubium: potest enim generari tanta caro circa ventriculum: exempli gratia, vt transmutetur frigida & sicca intemperies in calidam & humidam, & hoc est quod dicebat Aëtius *libro quarto cap.94.* quòd quidam valde calidi temperamenti ex balneo & similibus sunt crassefacti. Paulus in *libro primo cap.59.* docet modum restaurandi membra macilenta per frictiones, balnea calida, cerata è pice, atque huiusmodi. Tertius modus est ratione qualitatis maximè calidæ vel frigidæ, & de hoc non est dubium tum modis prædictis, tum etiam per cibos, & præcipuè per medicamenta interius & exterius habita: facilius autem est permutare in qualitatibus actiuis, quàm passiuis, & in sicco quàm in humido, & quamuis hæc omnia vera sint, non tamen inuenio quòd Galenus, neque Paulus, neque Aëtius ausi sint permutare temperiem naturalem quod indicium est maximæ difficultatis: quinimo *in sexto de Tuenda sanitate*, cum doceat corrigere multas intemperies, non tamen docet transmutare. Et si quis dicat quòd docet *in Primo de Tuenda sanitate*; dico quod non est verum, quia ibi ex professo dicit se suscipere curam infantis temperati, ergo vltra non progreditur: nihilominus à tempore lactationis perseuerando, vbi lapsus esset paruus, res ipsa succederet, & maximè in his quorum parentes essent robusti natura, & semen esset vitiatum solum casu, aut morbo tempore prægnationis, aut mala victus ratione: omnia enim se retrahant facilè ad suam originem, Animaduertendum quòd Paulus *ibidem cap.72.* & reliqui auctores volunt quod hectica tertiæ speciei non possint emendari, nec sanari; & tamen aliqui infantes & pueri etiam ex habitu senili & tabificio sanantur, & causa est duplex. Prima quia vt dictum est, pueri propter molliciem membrorum possunt nutriri, ergo potest generari materia bona, per quam mutabitur vere intemperies innata, & ita videmus per experimentum, quòd mutant intemperiem verè, & habitum prorsus, & multi viuunt vsque ad senectutem.

Postmodum sequitur Princeps in textu, & declarat quòd ex hac diffinitione oriuntur nouem genera temperaturarum: dicit ergo quòd temperatura est duplex, æqualis & inæqualis; & quod æqualis rursus est duplex,

plex, æqualis in vtraque contrarietate, calidi & frigidi, sicci & humidi, & in vna tantum, & illa quæ est in vtraque qualitate, & est simpliciter, aut est æqualis, quia sit perfecta æqualitas, & illud dicit non contingit in rerum natura, aut æqualis in comparatione ad humanam speciem, & hoc dicit vocatur temperatum iustitia; id est vt habeat quantum habere debet, & inuenitur verè, & est valde propinquum verè temperato. Ista si intelligantur verba Principis, absurdum quid continebunt, namque vt habetur *secundo de anima*, *com.* 116. iudex debet esse medius inter ea, de quibus debet iudicare: ita dicit sensus tactus debet esse medius inter qualitates. Et idem dico, quod homo est perfectissimè temperatus quo ad extremitates attinet, & ita sentit Galenus. Mens autem Principis est, quod totum corpus declinat ad calidum & humidum à temperamento: dico quòd istud non solum est verum, sed declinatio est magna, si quis respiciat ad tactum, quem facit iudicem Galenus *secundo de Temperamentis cap.* 2. Si enim intromittatur manus, manifestè viscera apparent calidiora, adeò vt vix ferri possit ea caliditas. Tota ergo difficultas constat in hoc, quonam pacto superabundante parte elementorum frigidorum adeò, possit dici homo temperatus vel calidus: de duobus enim modis scilicet frigido, ratione molis & solidorum, non est dubium; de calido ratione motus & spiritus accensi, & liquidorum, neque id dubium esse potest propter sensum. Solum restat dubium, quomodo possit elici temperatus; & inspecta veritate, dico quod est somnium merum, quia ista opinio est orta, quod ex temperamento homo habeat operationes adeò perfectas, sed hoc non est verum: testudo enim esset sapientior homine. Dico ergo quod operationes perfectæ in homine sunt ob quinque causas præcipuas. Prima quia habet animam nobiliorem, scilicet rationalem, quæ est ante ipsum corpus, & fabricat sibi ipsum vt instrumentum, non quòd pendeat ex illo. Secundo quia habet plus de calore illo cœlesti. Tertio quia elementa in eo sunt magis refracta: Quarto quia habet compositionem oportunam ad quasdam operationes, quam non habent reliqua animalia: & inter cætera tria præcipua staturam, erectam linguam, & manus. Quinto quia est humidissimus, & ex tenuissima substantia. Et si quis obiiciat, quod hæc excellentia videtur peruenire à temperamẽto, quia temperatiores sunt excellentiores: respondeo quòd in omni excessu, vtile est seruari quendam modum.

Sed circa Galeni sententiam est dubium, quonam pacto detur calidum & frigidum simul, cum contraria sint, igitur *Primo de temperamentis cap.* 3. cum recitasset duas opiniones, ostendit calidum simul habere frigidum hoc argumento: intemperata est vtraque æqualiter, igitur intemperata inæqualiter: argumentum demonstrat modo admittatur antecedens, illico non potest remitti tota qualitas contraria. Similiter *in libro de Theriaca ad Pisonem cap.* 5. declarat in calce medicamenta debilia remittere vim validiorum, & quod tale erit compositum, qualia ingredentia. *In libro de morborum causis cap.* 6. *in princ.* docet, quòd corpus simul calida & frigida intemperie affici potest: vide ibi item argumentum de moriente ex febre, ad hoc facit & est Iacobi *fol.* 56. *in fine* vide infra: item de exemplo de camamilla & solano, quòd immutat cutim, & non ad calidum tantum, neque ad frigidum tantum: hoc enim ab vno fieret eorum: item de circulis *Tertio de simplicibus medicamentis cap.* 16. dicunt quod superaquitant.

Dubitatur an fiat noua forma ex compositione medicamentorum? Galenus *secundò de compositione medicamentorum secundum locos* docet quòd medicamenta valida fiunt moderata, admixtione debilium: quo in loco habetur clara illa authoritas, à debilibus semper esse inchoandum: sic iuxta secundam vtilitatem iam dictam, facta sunt medicamenta omnia polycresta, quæ omnia vt ille inquit contrariis constant facultatibus, dicuntúrque sic quasi multi vsus. Sed contra quia *Quarto de medicamentis secundum locos* eadem ratio est componendi & vtendi, igitur ex ingredientibus licet scire naturam medicamenti, igitur non fit noua quædam forma. Respondeo quòd quo ad qualitates licet hoc scire, non autem quo ad proprietates, vt in theriaca, cum constet carnem viperæ à propria substantia venenis resistere; vel dic quòd in genere non in specie: cum enim ad inuicem declarat diffinitionẽ quòd tẽperatura est, quòd prouenit ex actione qualitatũ id est refractione.

(*Cum autem virtutes primæ*) Hæc est tertia pars in qua declarat Princeps, quoniam dixerat esse primas qualitates, quænam sint calidum, frigidum, &c. ratione declaraui, quòd per hæc intelliguntur qualitates puræ, sicut in litera antiqua iacet, & est corrolarium. An verò calor in humido pabuletur de calore elementari? in mistis dico quòd non, quia essent in perpetua actione: in viuẽtibus tamẽ dicebat Galenus lib. in de vsu Respirationis: calor naturalis in humido sanguinis pabulatur, vnde de influente loquitur, non eo qui est in membris innato, sed non est par ratio de alio: pabulatur autem quia consumit, consumit autem quia mouetur.

Hic solet subiici difficultas, an cerebrum sit factum in frigida an cor solum, vt Galenus *octauo de vsu partium* tribuit Philosopho dicens, quòd nimis à longe positum est, & etiam quòd est artificiosum, & cum ventriculis; sed nos alias declarauimus, quòd Aristoteles vult quòd spiritus animalis infrigidet, quia calor cordis est inutilis sensibus, ideo Galenus calumnia vtitur erga Philosophum hic, An cerebrum sit frigidum & humidum, vide *Decimo & Duodecimo contradicentium.*

Deinde dicit quòd comparatione membrorum Principalium non potest accedere ad mediocritatem, de qua supra dixerat. De sicco patet, quia solum cor est modicè siccum, cum reliqua duo sint valde humida, & de frigido solum cerebrum, cum reliqua duo sint valde calida.

TEXTVS XLI.

ET illud quidem est secundum quod oportet per diuisionem rationalem cum consideratione absoluta absque vlla comparatione ad rem aliquam. Et est duobus modis. Quorum vnus est, vt sit complexio æqualis, ita vt quantitates qualitatum contrariarum in complexionato sint æquales, non superantes, neque superatæ, & sit complexio qualitas in medio earum verè. Alter verò modus est, vt non sit complexio qualitatum contrariarum media absolutè: sed ad vnam magis declinet extremitatum, aut in contrarietate, quæ est inter caliditatem & frigiditatem, aut in contrarietate quæ est inter humiditatem & siccitatem, aut inter vtrasque.

COMMENTARIVS.

Intendit per rationalem diuisionem, non per veram procedere, nam ex vera illico sequeretur, quod datur temperatura aqualis, quia iam in æqualem & inæqualem diuiditur temperatura, sicut rationale & irrationale: sed Princeps volebat negare æqualem temperaturam, ideo dixit *(id autem prout rationalis)* Ex quo patet quod aliæ expositiones sunt fabulosæ: declarat igitur temperaturam, vt per se consideratur, & sic dicit quod diuiditur in æqualem & inæqualem, duplex ex vnaqualitate & ex ambobus, & hoc accepit à Galeno 1. *de temperam.c.*8.

Circa hoc notandum, quod has qualitates in quatuor gradus distinxit Galenus *Quinto de simplicibus medicamentis*: primus est cum non facit impressionem nisi leuem. Secundus cum manifestam absque læsione: tertius cum lædit, & non corrumpit, quartus autem cum & corrumpit.

Quod & mista non habeant elementa quæ inuicem agant, ostendit, quia qualitates sunt in potentia in inanimatis, & ideo non videmus quod proper calefaciat alias res, igitur non videtur ibi nisi forma elementi prædominantis. Sed illa est frigiditas vt etiam grauitas, quantò igitur minus agent in se inuicem, sed si terræ prædominatur in Pipere, quomodo potest esse calidum.

Notandum quod calidum dicitur & frigidum, & reliqua quatuor modis *secundo de animalium*, vel quòd magis afficit sensum, vel quòd magis intensè suspicit impressionem agentis, & quòd magis ardet aut liquidum est. Tertio quod difficilius remittitur: Quarto quod maiore mole. Paulo post autem declarat quod aliud est potentia tale, aliud actu; sed aliter accipit quàm Galenus *Tertio de temperamentis* hanc diuisionem, nam potentia tale esse vult Galenus vt dicebat, quòd ad hominem comparatur: inquit enim *Tertio de simplicibus medicamentis.* In hoc differt consideratio medici à Philosopho naturali, quod medicus omnia ad hominem comparat, Philosophus naturalis ad vniuersam rerum naturam: ob id humidum potentia dicit, quòd casu tale est & de glacie dat exemplum. Dubitatur cum Galenus ponat tria, de quibus considerat medicus causas corpora & signa *Primo Artis medicæ cap.*1. ad quod reducatur temperatura. Respondeo quod illa tria sunt attributa, sed principale est sanitas, ægritudo & naturalitas, sub quibus temperatura continetur: naturæ bona est sanitas, mala morbus, & media neutralitas, inde arte medica: contra quia ipsa est signum sanitatis, igitur non est ipsa sanitas. Respondeo quod est signum sumptum ab essentia, & vocatur signum, quia est pars eius: non enim valet, est bona temperatura, igitur sanitas non possit esse mala compositio.

TEXTVS XLII.

QVòd autem in doctrina medicinæ consideratur æquali, aut extra æqualitatem, non est hoc neque illud; sed medicus Physico credere debet, quòd æquale, secundum hanc intentionem quam diximus impossibile est aliquo modo inueniri, quantò magis vt sit hominis complexio, aut membri humani. Debes autem scire, quòd æquale de quo Medici in suis inquisirionibus tractant, non est denominatum ab æqualitate, in qua æqualitas cum pondere æqualiter existit: sed denominatur à iustitia, in diuiosine. Et hoc est quod complexionato in primis attenditur, siue sit corpus totum, siue sit membrum vnum, vt sit in ea de elementis cum suis quantitatibus & qualitatibus mensura, quam humana natura habere debet secundum meliorem proportionis & diuisionis æquitatem. Accidit autem vt hæc diuisio, cum homo eam habuerit, verè æqualitati, quam primam diximus, valde sit propinqua.

COMMENTARIVS.

(Quòd autem) Hæc est quinta pars, in qua ponit duas conclusiones: prima est *medicus debet eredere Physico,* an detur æquale ad pondus: secunda *non datur tale in tota natura,*

natura, quantò minus quod sit homo aut pars hominis, & ita contradicit Galeno in vtraque.

An detur æquale ad pondus vide *Primo contradicentium tract. 6. contradict. 9.* (*scieque debet quod mediocre de quo medici considerant*) Hic exponit aliud temperamentum æquale, quod vocatur Iustitiæ, & est vltima pars primæ partis: id est non datur temperatura habens de qualitate & quantitate elementorum, quantum debetur: pro humana temperatura quæ æqualior est, intelligit per ista verba aut illa quæ in medio est temperaturæ, vel quæ habet perfectiores operationes: nam si temperatura æqualis humana non est, æqualis igitur vel includit in sua latitudine æqualitatem veram, & sic contradicimus verbis iam dictis sine vtilitate, cum cogamur iterum ponere, & non facere perfectissimam: si verò est extra vel igitur extremum eius versus temperatum est perfectissimum in operationibus, & sic melancholia erit perfectissimum operationum, & hoc vidit Conciliator, & ob hoc fecit differentiam vigesimam, sed si non est illa, igitur temperatissima ex hominibus non habet perfectiores operationes, sed quæ habet declinat ad calidum & humidum: etiam hunc modum æqualitatis ponebat Galenus *Primo de temperamentis cap. vlt.* cum dixit, *quæ verò in animalium speciebus notantur, actionum perfectione, quæ vnicuique conueniunt indicantur.*

Circa hæc notandum, quod vt Gentilis dicebat, quod humana latitudo habet duplicem temperantiam vnam vt Ianus, alteram vt æger in latitudine sanitatis multum extenditur, adeò vt sint homines sicut serpentes, & alij vt Leones, aliqui viuacissimi vt Æthiopes, & qui nuper inuenti sunt in insulis Indici maris, sic refert Aristoteles *in libro de mirabilium auscultatione de stultis quibusdam*: alia refert de Lygistorum gente, quorum mulieres pariunt, & à partu terram sarculo fodiunt, sic & Inarsos & Psylos serpentes infinitaque huius generis: in ægris autem humor ille vitreus Prasagorum, de quo *secundo de locis cap.* 5. ibi Galenus admiratur, quomodo talis humor possit esse frigidus in corpore, & ita de calidissimo. Iuxta ergò eandem & sequitur, quod quilibet horum modorum habet duplicem æqualitatem: vnam sanitatis, aliam vitæ, & hic est latior quia comprehendit morbum, ideò æqualitas vitæ diuiditur in æqualitatem sanitatis & morbi. Dico tamen quod pares saltem sextus & octauus non habent hoc, cum sint modi optimæ dispositionis, & non potest æger esse optimè dispositus. Et nota quòd Princeps declarat hoc totum *Duodecimo de animalibus* & quomodo dantur octo isti modi æqualitatis, & quæ sint, & quomodo cor siccum sit &c.

TEXTVS XLIII.

HVic vero æqualitati, quæ secundum humana attenditur corpora, & quæ est in comparatione aliorum, quæ hanc non habent æqualitatem, neque habent propinquitatem æqualitatis, quam prius nominauimus, quam habet homo: octo considerationum accidunt modi.

COMMENTARIVS.

Hæc est secunda pars principalis, circa quam notandum quòd ponit octo modos, qui dicuntur æqualitatis, sed pares solum veram æqualitatem respiciunt.

TEXTVS XLIV.

AVt enim erit secundum speciem comparatam ei, quæ ab ea diuersificatur, & quæ est de eis quæ sunt extra ipsum. Aut secundum speciem comparatam ei, quod est diuersum ab ea, & est in ea.

COMMENTARIVS.

Primus igitur est cum quælibet species puta hominis vel equi retinent temperamentum in propria latitudine, & ita dicamus omnem hominem & humanam speciem esse temperatiorem equina, & equinam asinina. Sed quia considerabat vt medicus; primus modus erit de homine tantum, vt comparatur ad omnia alia mista, & ita dicetur tota latitudo humana temperatio, reliquis omnibus mistis, & ideo hic modus non recipit inæqualitatem solus, quia contrahitur ad medicinæ subiectum, & contingit homini, vt sit maximè temperatus inter mista.

Secundus modus respicit æqualitatem summam inter homines, vt sit temperatissimus inter homines, ex quo contingit, vt etiam inter mista; & huic opponitur inæqualis qui non est in illo medio. Tertius est temperamentum gentis, vt intra temperaturam Indorum omnis Indus, & Gallorum omnis Gallus contineatur, & hic potest recipere inæqualitatem, quia poterit exire ab illa homo, sed tunc ægrotabit, nec est hic comparatio gentium ad optimam: licet enim possint comparari inter se, hic tamen modus est extra octo hic positos. Quartus est vt Indus inter Indos, Gallus inter Gallos. Vnde constat quòd hic non coincidit cum secundo, nisi vbi poneremus modū nouum id est latitudinem hominum maximè temperatorum, de qua est contentio; aliis proponentibus quartum, aliis quintum clima. Sed est Gallus inter Gallos temperatissimus, vtpote qui

qui maximè est fortis, & qui optimè in eo temperamento consistere potest, & diu. Quintus modus est, vt homo consideretur secundum totam latitudinem, in qua potest esse sanus Plato in sua, & Socrates in sua; cum igitur exierit ægrotat. Sextus est vt homo consideretur cum optimam habet temperiem, & sic habet æqualitatem, cum est plerunque in statu iuuentutis,& optimè valet, cui contrarium est declinare ab illa. Septimus est de vnoquoque membro, vt quòd cor humanum temperaturam quandam exire non potest, & ita iecur iecoris & sic de aliis: nec hic inter membra fit comparando,etsi fieri posset quòd temperaturus, palam enim est quòd cutis: octauus est vt membrum consequatur optimam temperiem in sua natura, sed hoc potest considerari duobus aut etiam tribus modis, vel quod cor sit temperatissimum inter omnia corda hominum, vel inter corda hominum illius gentis, vel in dispositione illius indiuidui: mihi autem videtur vt magis intelligendum sit. Primo modo quia vltimus modus scilicet comparatio cordis Platonis ad se ipsum, cum optimè fuerit dispositum, videtur contineri sub sexto modo, scilicet cum homo optimè valet, ex quibus hæc sequūtur: scilicet quòd omnes modi à medico considerati habent æqualitatem & inæqualitatem, & æqualitas & inæqualitas cuiuslibet modi paris semper continentur sub aliquo impari. Tertium quòd æquale & inæquale in paribus continetur euidenter, obscurius in imparibus. Quartum quod sequitur est quia omnes modi impares habent magnam latitudinem æqualitatis, pares angustam. Quintum quòd modus octauus potest misceri cum aliis,cæteri non bene. Sextum quod Princeps non comparat in modis imparibus,sed solum latitudinem considerat, in paribus autem comparat.

Circa hoc quæri solent, an optima temperatura habeat latitudinem, & circa hoc respondebat Galenus *primo de tuenda sanitate cap.* 5. quòd non solum sanitas generaliter, sed etiam optima sanitas, & sanitas etiam cuiuscunque viri tam temperati quam qui non habet magnam latitudinem. Et quòd licet operationes non sint velut sphiclo in currendo, tamen cum sunt sine accidenti noxa,sanæ dicuntur. Respondeo quòd temperatura æqualis humana intro recipit æquale ad pondus, quod apparet in declaratione secundi morbi.

Notandum rursus, quòd intentio Principis fuit nobis declarare per vnam regulam Dialecticæ omnes hos modos: sed non satis rectè cum venia: quia tertius & quartus non sunt secundum naturam. Nam homo vt homo necessario habuit latitudinem, & qui est in medio eius latitudinis est temperatissimus. Hic etiam homo habet latitudinem circumscriptam, & optimam in sua latitudine. Et cor etiam est calidum vltra metam ex natura. At Æthiopem esse licet considerari oporteat à medico, non est tamen considerandum ex necessitate naturæ sed casus. Et si quis dicat etiam casu homo est hic extra latitudinem, dico quòd hic homo cadit sub differentia primi modi à secundo per se, non autem tertius & quartus. Sed dicere possumus quod primus & secundus, & septimus, & octauus modus sunt principales & per se,sed reliqui quatuor non sunt principales, nec per se,sed partes primi modi, vt à secundo distinguitur. Sed dicetis isti modi sunt superflui, quia Galenus *primo de tuenda sanitate, cap.* 10. dicit, quòd non scribit libros illis, nec Germanis, nec Gallis, nec Æthiopibus, sed solis Græcis, & qui Græcorum more viuunt scilicet Romanis, quod subiecit ob metum, ne destruerent eius libros, ideo non est considerandus Tertius & Quartus. Respondeo quod Galenus fuit in regione temperata & Græcus, ideò hoc potuit dicere,licet non rectè dictum sit: At Princeps si hoc dixisset, non solum impiè sed stultè dixisset, qui aliis consuluisset, suis & patriæ non consuluisset. Ideò Princeps coactus est adiicere tertium & quartum modum, nam quintus etiam est de consideratione Galeni,& de eo agit *in sexto de tuenda sanitate.* Possumus etiam tueri Gentilem ibi, quòd non reiiciat homines aliarum regionum ob intemperiem aëris, sed ob mores fermos, vt de Germanis quos dicit nuper natos infantes mergere in aqua frigida, nam hoc è regione pugnat cum instrumentis, quæ docet in curando infantem: & licet hoc possit dici, tamen in secundo libro dici, non scribere barbari, quia apud illos non possit inueniri homo temperatus.

Et debes scire quòd homo vt plurimum habet de sanguine & spiritu, & sic est in extremo calidi & humidi.conclusio tandem stat in hoc, quòd æquale ad pondus, vel refertur ad vires elementorum, aut molem, & sic homo multum distat ab hac æqualitate, imo plus quàm reliqua alia mista. Ideo Gentilis pensitabat illa verba Principis iam declarata, (non potest vllo pacto reperiri,) & præsertim quod sit humana temperatura, vel humanum membrum; quasi dicat humana temperatura est magis remota ab æquali ad pondus, quàm multa alia mista. Alio modo quòd elementa sint maximè refracta, & sint in vltimo, patet quod vnum; cum verò sint maximè refracta,sunt maximè propinqua medio, & hoc modo homo est propinquissimus æquali ad pondus, vt dicebat Princeps in litera cum dixit; & hæc æqualitas licet non sit illa, est enim maximè illi propinqua, & huius merito homo in omnibus operationibus præcellit reliqua omnia animalia, & hæc opinio facit pro nostra, de homine temperato,quòd habeat perfectissimas operationes omnes respectu alterius; & sic tuemur Principem à contradictione, cum in superiori loco multum moueat hominis temperaturam ab æquali ad pondus, postea faciat illam ei propinquissimam in posterioribus verbis. Et in veritate hæc credo, quòd fuerit mens Principis, non tamen est vera, nec Galeno consentanea vt dictum est; sed Auerroës *Primo Canticorum com.* 19. inquit, quòd temperatura hominis est calida & humida, & quòd non est proxima æqualitati, nisi intelligamus

intelligamus per æqualitatem bonam proportionem elementorum, aut æqualitatem secundi modi id est æqualem distantiam ab extremis.

Ex hoc patet quod sequendo hanc viam, nutritio ex animalibus esset longè melior quàm ex aliis rebus, & videtur fuisse sententia Galeni *octauo de decretis Hippocratis & Platonis*. Vnde & illud *sexto Epidemiorum* vbi dicebat Hippocrates *imbecillia cibaria vitam breuem efficiunt*, dicebat Galenus in commento *imbecillia cibaria* intelligit *quæ parum nutriunt*, vt olera & fructus: causam reddebat Galenus *Primo virtutum naturalium cap.* 10. dicens, quòd oleribus difficile non vt carne nutrimur, quod olera plurimum à natura carnis distent, ideò magna indigeant transmutatione, & dabat exemplum de lactuca. Sed dicit panis minus distat lactuca & oleribus à natura sanguinis; Et ita videtur sentire, quod etiam multò minus caro ipsa. Sed cadit dubitatio in via Principis, homo valde miser erit temperatus posito corde calidissimo, & cerebro tamen humidissimo, frigido & sicco iecore, &c. Consurgit temperamentum simile æquali, & erit in vltimo prauæ constitutionis respondeo quod non erit temperatus, non enim sufficit quòd ex coalternatione consurgat certum aggregatum, sed in vtroque membro debet esse sua portio, quæ non erit in hoc corpore.

An verò testudo sit propinqua temperamento, vt dicit Isaac, dico quòd non in hac via: in nostra autem via tueri possumus quòd sic, & habet proprietatem vt legitur apud Philostratum, quod oua illius prohibent aborsum, nec scio testudinis vsum nisi combustæ ad Alopecias ex *libro de dinamidiis*: vt cunque sit videtur multum vtilis humanæ temperaturæ.

TEXTVS XLV.

AVt erit secundum partem seu materiem speciei comparatam illi, quæ ab ea diuersificatur, & quæ est de his, quæ sunt extra ipsam, & sunt in eius specie. Aut erit secundum partem speciei comparatam illi, quæ ab à ediuersificatur, & est in ea.

COMMENTARIVS.

Sed ex hoc oritur dubitatio non leuis, ex qua videtur simul Galenus & Princeps errasse: nam Princeps in quarto modo æqualitatis recipit eum qui est in medio latitudinis, vtpote in Gallia: ponamus quod sint calidiores & ficciores, nonne temperatior erit ergo Gallus frigidissimi & humidissimi temperamenti, quàm medius temperamento in latitudine Gallorum, qui erit calidus & siccus valde. Item poterit in his inueniri hoc modo verè temperatus, cum tamen Galenus dicat in secundo *de Tuenda sanitate* quod neque per somnium licet inuenire temperatum hominem in Gallia Respondeo quod in Gallia si sit temperatus, non poterit inueniri in eo aere, sed ægrotabit aut statim deducetur ex temperamento. Et ita non est quod non possit inueniri temperatus, sed non potest consistere in temperamento, ideò non consideratur à Principe; quia non is, sed qui proportione respondet aëri regionis, optimè valebit & diu viuet, & præstans erit. Eadem ratione dixit Galenus quod non inuenitur, id est qui maneat.

TEXTVS XLVI.

AVt erit secundum singulare partis speciei comparatum ei quòd est diuersum ab eo, & est extra ipsum, & est in eius parte & in eius specie. Aut erit secundum singulare comparatum suis dispositionibus, quæ in ipso sunt.

TEXTVS XLVII.

AVt erit secundum membrum comparatum illi, quòd ab eo diuersificatur, & est de his, quæ sunt extra ipsum, & est in corpore suo. Aut erit secundum membrum comparatum suis dispositionibus in se ipso,

TEXTVS XLVIII.

PRimus modus est æqualitas, quæ ab homine attenditur comparatione aliorum generatorum, & est res habens latitudinem: & non est comprehensa in termino vno, neque illa qualitercunque existit. Sed in editione & diminutione seu intensione & remissione, duos habet terminos: ab vno quorum cum egressa fuerit, non poterit esse humana complexio.

COMMENTARIVS.

Circa hoc quæritur an homo plus recedat ab extremo calidiore vel frigidiore humanæ temperaturæ, cum fuerit temperatissimus: diximus enim quod æqualiter secundum cutim ad calidum & humidum ratione principalium & contentorum, ad frigidum & siccum ratione molis, & ita non potest dari vna regula generalis, quia tamen erat vnum argumentum Iacobi quod probabat etiam de corde, quod recederat ad frigidum & erat hoc: homo celerius peruenit ad vitium actionum per frigus quàm per

per calidum, igitur etiam ad mortem, igitur minus distat ab extremo frigidiore quam calidiore. Deinde subiungit, quòd latitudo biliosi & sanguinei est maior latitudine pituitosi, & quòd sanguis in extremo est calidior bilioso, quia habet humidum iunctum secum: ista pendent ex hoc toto, quod celerius viciatur operatio à frigido, quàm à calido. Dico quòd cur gratia exempli, æqualis de secundo modo æqualitatis æqualiter distat in latitudine primi modi à suis extremis, erat decisio Galeni *secundo de temperamentis cap. quolibet syncerum & eucraton alteri non sit.* Ad argumentum prius: operatio vitiatur à frigore quàm à calore; ergo celerius peruenit ad mortem, negatur consequentia, quia post certam metam magis vitiatur à calore igneo.

TEXTVS XLIX.

Secundus verò modus est medialis, qui inter duas extremitates huius latæ complexionis existens, inuenitur in indiuiduo, quod est vltimo æqualitatis ex specie, quæ est in fine æqualitatis, & in ætate, in qua argumentum ad suum peruenit finem, & hæc quidem æqualitas etiam, licet non sit æqualitas certa, quam in huius capituli principio nonimauimus, eò quòd hanc inueniri non est possibile, est tamen ei propinqua. Et hic etiam homo æqualitati nō æqualitercumque vicinus existit, sed secundum suorum membrorum alterationem, vel alterationem calidorum, sicut cor; & frigidorum, sicut cerebrum, & humidorum velut hepar; & siccorum sicut ossa. Cum ergo ponderabuntur & æquabuntur, erit vicinus æqualitati veræ. Considerando verò vnumquodque membrum in se ipso, non est aliquod temperatum nisi vnum, quòd est cutis, quemadmodum postea dicemus. In comparatione autem spirituum & membrorum principalium, impossibile est ipsum huic certæ æqualitati esse propinquum. Sed aggreditur ab ea tendens ad caliditatem & humiditatem. Vitæ etenim principium sunt cor & spiritus: quæ quidem ambo vehementer calida existunt, ad superfluitatem declinantia: & vita quid est existit per caliditatem, & augmentum per humiditatem. Et etiam caliditas in humiditate existit, & ab ea nutritur. Membra verò principalia sunt tria, sicut declarabimus, & ex eis quidem est vnum frigidum, quod est cerebrum, cuius frigiditas non peruenit ad cordis & hepatis caliditatem temperandam. Et ex his vnum est siccum aut siccitati propinquum, & ipsum est cor; sed eius siccitas non peruenit ad humiditatem cerebri & hepatis temperandam. Neque etiam cerebrum tantum est frigidum, neque cor tantum est siccum; sed cor comparatione aliorum duorum, est siccum, & cerebrum aliorum duorum comparatione, est frigidum.

COMMENTARIVS.

Declarat etiam, quomodo tota substantia humana ad temperamentum accedere possit, per actionem membrorum principalium, & maximè in cute, dicitque ad hoc concurrere cor; iecur & cerebrum, & reliqua correspondeant. Hic cadunt quatuor dubitationes: prima quia videtur non ex omnibus pendere, sed ex solo iecore & corde *libro artis medicæ cap.* 50. Hic verò apponit cerebrum & alia membra. Dubitatio secunda est, quia testiculi super totum influunt. Dubitatio tertia quia Galenus vult, quòd quædam membra à se ipsis regantur *libro artis medicæ cap.* 5. & tamen totius temperamentum pendet ex solo corde & iecore: videntur enim alia membra posse esse contrariæ naturæ. Quarta quia membra in perpetua actione essent inter se, & etiam simul calor & frigiditas induceretur. Ad hoc dicebat Galenus *libro de inæquali intemperie cap.* 3. & 4. quòd caliditas hæc recipitur in solidis, & post dicit quòd primò accenditur in arteriis: si verò falsa sit æqualis in omnibus membris, tunc non sentitur & dicetur hectica, sed hoc præter naturalis intemperies, idem dico de naturali. Sed occurrit dubitatio, nonne in hectica calidius membrum agit in frigidius. Respondet Galenus quod verum est, sed differentia modica est, ideóque indolens affectio, & in hoc laudat Hippocratem, qui dixit omnem morbum esse vlcus, dico quòd membra ex hac dubitatione facta non dolent, quia per mutuam actionem assimulantur, licet principalis excessus non sit leuis. Ad argumentum in via Galeni non est inconueniens qualitates impressiuas contrarias simul adesse, & multiplicari, sed postmodum fiunt vna.

TEXTVS L.

Modi verò tertij latitudo, angustior est latitudine primi modi, scilicet æqualitatis specialis: latitudinē tamen habet magnā, & est complexio quæ alicui gentium congrua existit, secundum comparationem alicuius climatis & alicuius aëris. Indi namque complexionem habent ambientem seu communem sibi, qua sani existunt. Et Alscalebi aliam habent comple

complexionem, qua sani degunt, & vnaquæque earum per comparationem ad suam speciem, suæ speciei comparatione, est temperata: quæ comparatione alterius non est temperata. Corpus namque Indi, cum secundum complexionem Sclaui fiet, aut infirmabitur, aut morietur. Et sic cum Alscalebi complexione Indi, quale reddetur, erit corporis dispositio contraria. Quæcunque igitur species in terra habitabili commorantium, habebit complexionem eis propriam, aëri sui climatis conuenientem, & habebit latitudinem. Cuius quidem latitudo duas habet extremitates; superfluitatis, & diminutionis: seu intensionis & remissionis.

COMMENTARIVS.

Notandum quod vna regula ab Hippocrate declaratur ratio regionum *in libro de Aëre & aquis*: dices venti situs, regio & tempora anni eandem habent rationem. Si ergo occidentales venti Autumno comparantur ægris in occidente habitantibus, cibi meliores & medicamenta pauciora conuenient, Et non ferent illa, nec sine eis esse poterunt, & habitantibus in septentrione conuenient medicamenta valida vt Germanis, quoniam Boreas facit duras aluos *Tertia Aphorismorum.* Et eadem comparatio regionis & temporis ponitur à Galeno in ratione ordinandi victus regio calida & æstas *Primo de victu in acutis.* Et ita Hispanos ficciores purgabimus validioribus medicamentis, quàm Italos: & habitantes in montibus, quod etiam innuit Princeps *secunda primi* dum dixit habitantes in montibus habere duras aluos. Et si medicus assuetus in vrbe curare veniat ad montanum virum, licet nobilem aut Hispanum, & velit vti medicamentis illis benedictis, & sub eadem qualitate, ridebitur, nihil operabitur, & pro imperito habebitur. Et contraria ratione medicus assuetus curare homines montes habitantes, & maximè viuentes castaneis & similibus, exhibebit medicamenta per quæ homines in vrbibus habitantes ita terrebit, vt nemo se ei audeat committere, quod accidit nostra ætate in Io: Petro Bossio alioquin medico famoso. Cū ergo animaduertendum, quod medici tradiderint modum curandi per tempora anni, tradiderunt etiam modum per regiones, & septem varietates præcipuas quod sint Boreales vel Australes, orientales vel occidentales: quòd sint iuxta mare, lacus, stagnum, flumina, paludes, vel loco sicco: quod in saxis, arena argilla: quod in monte planitie vel valle, quod expositi his ventis vel aliis: vltima est à legibus, consuetudinibus, moribus. Iudei comedunt carnes toto anno, ideo magis indigent sectione venæ; Maumethani abstinent à vino, ideo sunt magis impatientes laboris & ita de aliis. *Corpus namque Indi cum secundum complexionem Illyrij fiet, infirmabitur, aut morietur.*

Hic textus ostendit primum, naturam humanam, quædam non perferre, quæ licet non repugnent, tamen quia accidunt iam habenti aliam temperaturam, homo non fert. Hæc igitur est decima quæstio Iacobi, circa quam operæ precium est videre: primo an quæsitum sit possibile, nam ad quid videtur vtile quærere de eo quod esse non potest: sequeretur igitur, quod vita posset produci vltra optimam constitutionem ab initio habitam; consequens multa videretur includere falsa. Primo quia *quarto de generatione animalium* omnis vita certa periodo terminatur, sed sic manifestum esset, quod posset transire periodum. Secundo quia non videtur ratio, cur senex non posset fieri iuuenis. Tertiò quia cum temperatura sit res à generatione si posset melior fieri, esset hæc alia generatio. Quartò, Galenus *primo de regimine sanitatis cap. 3.* dicit, quod intentio medici est custodire corpus sanum, & quàm diutissimè in robore seruare, igitur si posset hoc fieri, ibi & maxime vbi docet corpora lassa restituere, non debuit tantam vtilitatem ex aëre prætermittere, nullibi tamen eius mentionem facit. Pæterea inquit Galenus *libro artis medicæ c. 59.* solida impossibile est verè madefieri, hæc igitur, saltem est impossibile, permutare temperaturam præcipuè cordis, sine quo non potest homo diutius viuere. In oppositum est dictum Galeni *Primo de Tuenda sanitate cap. 12.* vbi dicit esse quædam corpora, quæ nec Æsculapius perduceret ad senectutem, igitur minus malè affecta poterunt, & hoc docet ibi. Conciliator etiam tenet, quod per causam vniuersalem, & explicat propriè de mutatione regionis, & docet ibi, quod dare vinum muscatellum vt ille dicit, cum croco castoreo, macere, portionibus paribus, hominem à morte retardat. Experientia etiam docet, quod euntes per mare mutant temperaturam, & viuunt diutissimè & vt nunc Andreas Auria Præfectus Cæsareæ classis, & ita de quibusdam qui iuerunt per nouas insulas. Respondeo breuiter, quod tripliciter potest dici temperies immutari, vel ratione primæ generationis, & sic nō potest, aliter vita in infinitum posset produci, & hoc de corde tantum non de aliis membris. In reliquis potest in deterius non in melius, & iuxta determinationem supra statutam. Et ideo putet quod vita potest prolongari absque dubio, respectu aëris in quo natus est, non tamen absolutè, quia terminus naturalis vitæ intelligitur ille, qui debetur illi temperaturæ meliori modo constitutæ in aëre conuenienti, etiam si esset Germani ad Æthiopiā, cibis, potibus &c. & sic seruantur experimenta. Fit autem argumentum, quod mores non mutantur verè, vt ab Hali de sene religioso habente mores lapinos, & crudeles cum familiaribus, *libro artis medicæ text. 36.* Breuiter quòd non possit permutari temperatura, hoc non est ex sui

sui natura : potest enim : sed non potest corpus reddi calidius nec humidius. His visis ad proprium quæsitum accedimus, si fiat mutatio temperaturæ Æthiopis ad Germanum, modo quo diximus, esse possibile dico quod morietur, quia acquiret temperaturam contrariam propriè.

Ideo notandum est circa hoc, quod dantur tres sensus. Primus Iacobi quod fiat per mutationem climatis : ideò dicit si fiat sensim toleratur, si subitò non : hæc non est mens Principis, quia loquitur de temperatura, non de climate, nec in textu additur subito, sed interpretatio Iacobi transit in prouerbium : si Germanus mittatur ad Indos, &c. Secunda expositio est Curtij, quod facta transmutatione non poterit viuere propter aërem : ista expositio non est ad mentem Principis, nec est cum experimento. Loquitur enim Princeps simpliciter, & non comparatiuè, & etiam sequeretur quod Indus in Germania viuere non posset, quod est falsum experimento, vt videbitur. Tertia exemplo est natura, & est quod si fiat tanta mutatio temperaturæ, quomodocunque vix euadet homo à morte, & hoc accidit his, qui volunt venereorum causa vti calidissimis, & hoc est experimentum verum, & si non succedit, est quando temperatura non mutatur.

Dubium est ergo, an quia non mutent, an dum mutatur temperies ? aut quia omnino mutata est: nam si non mutata est remanent cum repugnantia perpetua. Dico quod ægrotant facilius, non mutata temperie, ob aëris atque aquarũ ac ciborum repugnantiã: vbi autem mutata sit, quia non potest coalescere, sunt in maiore periculo vitæ. Dico ergo quod melius resistunt, quibus non est facta mutatio temperaturæ, sed consolidata est prior, vt possit manere cum repugnantia illa. In mutatione autem manifestum est, & ingens periculum, omni modo. Pueri autem melius ferunt, quia manus permutantur, ob robur naturæ, non quia magis. Et si dicas contra, quia effigiem magis mutant, & mores, & melius assuescunt cibis, dico quod non ob id mutant magis temperiem, sed natura melius didicit ferre illorum vsum citra iacturam. Et fateor, quòd plus ferunt de mutatione, quia sanitatis latitudo maior est, ideò etiam quòd plus amittant, plus retinent ex pristina temperatura : ideo plus acquirunt, non tamen magis mutant, vbi tantundem acquirant, plus mutant quia minus relinquitur residui incolume, ideo magis mutantur & facilius pereunt. Ratio autem quare pereant facta mutatione, est: quia si maneant in aëre proprio, habent repugnantiam cum temperatura acquisita: si permutentur non possunt sustinere duas res, temperaturæ & aëris mutationem. quantum verò possit aër, docet Oribasius *libro octauo* docens facere orbem ex felle terrestris, & Melanthio vel nitro paribus, seu æquis portionibus, succo thapsiæ, & grano Cnidio, penè paribus partibus inter se, sed multò minoribus quam felle echini, Elaterio, tertia parte cum oleo hicyonio, aut cyprino ; excipiant & fiant orbes denarij pondere, quorum vnus admotus naribus concocto cibo purgat aluum, sed dicit debilitat. Hoc tamen vix credo. Ex hoc colligit ratio victus & aëris, & talium, quæ debet esse similior naturali, quantò plus fieri potest: & aër debet immutari versus substãtiam naturalem, ignibus conclusis cubiculis, spargendo acetum & flores odoratos, & aqua rosaceam ; Et cibos edere multo igue & multa aqua subactos, & quantò minus possumus transire ad consuetudinem conuenarum. Oribasius *in collectis lib. 9. cap. 15. & 18. & 18.* bonitatem aëris constituit præcipuè in duobus, quòd sit temperatus & quòd exhalationes sint bonæ. Temperamentum dicit, quòd loca contecta à borea sunt minus frigida, & à meridie contrario modo, & supina ad boream frigida, ad austrum calida, & ideo in calidis regionibus exposita boreæ, in frigidis austro sunt meliora loca & montana, & in collibus & in planitie arenosa, & iuxta mare sunt sicca, iuxta paludes, stagna, lacus, flumina sunt humida : Ideo dicit in locis humidis sicca, in siccis humida meliora. Quo ad exalationem ponit quinque signa, quod aër & cubicula & glebæ tractatæ bene oleant, quod dicit contingere in Ægypto: contra si gleba aqua subacta & attrita oleat, quod exustum signum est prauæ exhalationis. Item quòd dormientes super terram sentiunt leuia capita, & corpus bene valere ; contra si ponderosa, dolorosa, lassitudinem. Tertio quod herbæ & flores colores virides & purpureos viuaces habeant, & odore fragrent: contraria malam exhalationem. Pueri etiam bene colorati viuidi, & animalia nuper nata viuacia non manca, non læsa. Adde quod mactata habeant rubrum iecur, & pinguedinem candidam. Demum quod fructus ac frumentum ac reliqua grana diutius incorrupta seruentur. In vno solum contradicit Hippocrati, volens quod regio ad meridiem exposita, sit salubrior, & Boreæ insalubrior, & probat hoc à fructibus, qui sunt maiores, suauiores, & odoratiores, & herbæ magis odoratæ nascuntur in ea parte, & ligna tractabiliora. In oriente autem & occidente medio modo se habent pro quo vide *tertio contradicentium* 80.

Diximus hucusque, an temperatura possit mutari in melius : deinde An intelligendum sit Princeps de Mutatione regionis an temperaturæ, & an quia non possit, vel quia mutetur, vel quia mutata sit. Post an transeuntes ex Hispania in Indiam viuent temperatam vitam, an pereant. Quarto quæ mutatio sit deterior respectu partium mundi. Quinto quæ sint regiones deterioris aëris. Restat vt dicamus quid agere debeat iter agens, aut qui se in alienam contulerit regionem. Oribasius *in synopsi lib. 5. cap. 31. 32. 33.* inquit quod iter agentes per loca frigidá, non debent lauari in itinere, nec vngi; & per calida debent vitare solem, & vtrique pauco cibo vti & potu, donec quieuerint. Nauigantes autem non sistere vomitum, sed habere lentes coctas cum odoratis herbis, præcipuè pulegij, & siccatas redactásque in puluerem, & ex hoc ferculum facere,

facere, Et ex aquis corruptis parum bibere, & cum odoratis herbis.

Solet etiam quæri cur subita mutatio temperaturæ noceat, paulatim acquisita sine iactura sit? Quidam dicunt, quòd subito inducta non manet, hoc est falsum: cùm enim fuerit temperatura, manet. Alij dicunt, quòd oportet quòd habeat dependentiam ab humoribus, & repentina non habent; hoc est falsum, cum facilius mutentur humores, quàm solida. Dico igitur quòd peruenit ob causam mutantem, quæ si repente mutet, necessariò valida est, Galenus *secunda Aphorismorum*: vbi Hippocrates inquit; Plurimum atque repente euacuare dicit in hisce permutationibus, quòd affatim atque repente fit periculosum, quòd verò sensim tutum: Et ante dixerat, quod hoc maximè contingit cum assueuerimus alicui rei, tunc enim subita mutatio nocet. Forsan quæret quispiam, quomodo possit permutari temperatura subitò in Indorum maximè temperiem, qui tam procul absunt: certè docebo vos, si quis corripiatur morbo Gallico, induit naturam Indi & temperiem, nam morbus ille est Indicus, vt testatur Ferdinandus. Gonzalus Ouiedus in sua historia, & ortum habuit ex insulis illis: quòd si faciem Indi illius insulæ, & laborantium morbo Gallico consideretis, provt ab Hutteno Equite & Hieronymo Fracastoreo in suo syphilo, inuenietis eos qui laborant morbo Gallico, factos esse secundum temperaturam Indi, ideò & hunc morbum iure merito Indicum, non Gallicum debere appellari. Et rursus, qui sine eo morbo Indici ligni decoctum sumunt, seu ex aqua, seu ex vino, fiunt & ipsi Indi: vnde egregiis medicorum contingit, vt ex eo potu alios perimerent, alios in insanabiles morbos perducerent, dum ægrum ex Italo in Indum repente mutant.

Circa hoc ergo primum quærendum est, an dictum Principis sit verum? Et videtur quòd non: quia Lusitani eunt in Æthiopiam & Indiam, & vltra æquinoctij circulum, vt habitent, & viuunt longo tempore, cum tamen Lusitani distent quadraginta partibus ab æquinoctij circulo. Quin etiam Ferdinandus Ouiedus senex admodum vixit in Insula Hispana, cum tamen ciuitas B. Dominici vbi habitabat, decem octo partibus tantum ab æquinoctij circulo distaret. Lusitanus quidam in Æthiopia vixit annis plus quàm quadraginta incolumis, susceptis filiis ex vxore, quam ibi duxit. Et si dicat Gonzalus Siluerius Lusitanus, esse adagium protritum, eos qui in Indiam veniunt è Lusitania, solo diuino miraculo seruari, id ad confirmationem opinionis nostræ facit, cum constet sex mensibus plerosque perpetuis in naui permanere iactatos vndis, ventis perculsos, mortis timore frequenti excarnificatos, in omnium necessariorum indigentia, inter ægros, mortuos, sordes, vigilare, ducere vitam morti similem, & tamen vbi terram attigerint, omnes fermè tuti euadunt à mortis periculo. Igitur mutatio ipsa perniciosa non est. Rursus multæ sunt mutationes perniciosæ ex locis propinquis, & longè magis lethales quam ex Illyrico in Indiam: igitur ratio illa haud firma est. Ex Pelignis enim & Æquicolis quos hodie Albrucenses vocamus Neapolim venientes, mensibus maximè Iulio atque Augusto, plerique pereunt, cum tamen vix distantia sit centum mille passuum. Et ex Mediolano Romam iisdem temporibus, vnde etiam in prouerbio est *Roma sepulchrum Longobardorum*: & rursus ex Ormu insula sinus Persici, Barenam quæ in eodem sinu imò in eisdem angustiis posita est, vix CL.M. passuum distans, nauigantibus iisdem mensibus omnes ferme pereunt: adeò vt hoc non animaduertente Prorege Lusitanorum, cum ad eam oppugnandam octingentis cum militibus venisset, octo tantum superfuere, qui arma sumere possent, vt testatur Aloysius Frois Lusitanus. Ergo mutatio illa potius ratione prauitatis nocet quàm distantiæ. Hic ergo cadunt dubia, quæ cum plurima sint breuiter dissoluenda erunt. Primum an mutatio ex Oriente in Occidentem, vel contra sub eadem latitudine sit periculosa, & respondeo semper supponendo magnam distantiam, quòd sic; minor tamen quàm ab Austro in Boream vel contra. Deterior tamen ab Oriente in Occidentem, quàm contra. Secundum an mutatio ad torridam sit semper periculosa? & respondeo quòd sic, & magis quàm ad Septentrionem subito. Sed post tempus tutius est habitare in regione calidiore, quàm frigidiore. Tertium an mutatio ad eandem distantiam vltra æquinoctij circulum sit periculosa? Et respondeo quòd non valde, quoniam partes manifestæ eodem modo se habent etsi conuerso modo. Sed tamen, quia non potest fieri sine transitu torridæ, periculosa semper est in itinere. Quartum an deterior sit mutatio ex regione temperata ad calidam vel frigidam, an ex calida vel frigida ad temperatam? Et respondeo in hoc, quòd regula non est sumenda ab hoc simpliciter, sed à bonitate aëris & prauitate: à malo enim aëre in bonum, semper bona, & paruo cum periculo, contraria verò valde periculosa. Quintum est quomodo tutius fiat, & respondeo quòd corpora, quæ multum abstinent à cibo & potu tutissima sunt, quod apparuit experimento, quia ex tot qui transierunt ex Lusitania in Indiam, soli Phratrij incolumes euasere; & cum tot incommodis neminem legi periisse, cum fere omnes alij aliquando ex morbis obiissent. Sed non sufficit abstinentia tantum cum peragitur iter, sed oportet multis annis abstinenter vixisse. Dubitatur an homo mutans regionem intereat ob mutationem temperaturæ, an ob aëris & reliquorum repugnantiam: & videtur Princeps velle hoc. Sed contra, quia vbi facta est mutatio, tales viuunt incolumes, vt natiui loci. Item quia pueri has mutationes facilius ferant iuuenibus, & iuuenes quàm senes: at iuuenes magis resistunt pueris. Tertius modus est angustior.

Circa hoc notandum est, quod vnumquodque clima, & est pars terræ, in qua magnitudo maximè diei per horæ mediatem variatur, propriam sibi expostulat temperaturam, & in *Primo Canticorum* temperaturæ sunt

ſunt ſecundum....& poſt dicit,quod in quarto eſt temperatura æqualis , ſed non dicit quòd ſit ſimilis climati. Auerroes dicit, quòd calor non prouenit à climate ſed à temperamento,ibi in comento,*eodem climate.* Eſt eadem formæ varietas ratione maris, montium,& paludium, vt Vitruuius de Rauenna ni fallor narrat.

Et dicit quòd eſt anguſtior : quidam dicunt nonne in omni regione poſſunt eſſe omnes temperaturæ?dantur ad hoc tres reſponſiones:prima Iacobi quòd in Primo modo loquitur tam de ſanis quam de ægris : in tertio de ſanis tantum, hoc eſt abſurdiſſimum & indignum Principe. Curtius dicit quòd ſi talis adeat erit æger, puta habens temperaturam Germani, hoc eſt falſum vt dictum eſt. Tertia expoſitio eſt vera quòd ibi non poteſt generari puta Germanus in India,& ideo non poteſt eſſe Germani temperatura in India, ita quòd ſit temperatura verius ex illa regione , & hoc voluit Princeps:qui vult plura de hoc conſulat Hippocratem libro de Aëre & aquis.

Diligentiori modo inquirendo dico,quod Indus veniens in Germaniam,an Germanus in Indiam patiuntur. Circa quod notandum eſt, quod Galenus *ſecundo de temperamentis cap.6.* dicit, quòd Æthiopibus & Arabibus calor modicus naturalis eſt, in intimis adurens, & aſcititius, in cute denigrans pilos,& criſpos reddens:at Germani regioniſque frigidæ accolæ omnes multum habent intus calorem in profundo, in cute minimum:adde albi & glabri euadunt. Differunt autem in quatuor ex regione, pilis, cute,calore naturali, & moribus ; hoc ſtante facta mutatione qui erit multi caloris, deterius ſe habebit, ſi diminuatur calor quàm ille qui paucum habens auget : & ideò Æthiops melius mutabitur quàm Germanus abſque aëris mutatione. Sed mutatione aëris aliud dicendum erit:nam Galenus *libro de aſſuetudinibus* dicit, quòd pori occluduntur & à frigore & à calore ſolis : ideo dico quod tam Æthiopes quàm Germani habent poros concluſos, habitantes in media regione apertos, quare deterius ſe habebit, habitator mediæ regionis in Æthiopiam vel Germaniam tranſiens, quàm Æthiops vel Germanus veniens in mediam regionem, excepto quod frigori arcendo ſunt multa auxilia, quæ non ſunt calori, ſcilicet veſtes, Hypocauſta , exercitium , ignis:ratione autem Æthiopum vel Germanorum,dico quod vbi eſſet æqualis cuſtodia,vel æqualis indiligentia à calore & frigore, quod Æthiops celerius periret in Germania , quàm Germanus in Æthiopia. Ratio habetur à Galeno ſuper Aphoriſmos. *Ventres hyeme & vere* &c. dicebat ibi Galenus, quòd hoc eſt verum in habentibus calorem naturalem validum, nam in debilibus dicit contrarium accidit.

TEXTVS LI.

QVartus autem modus eſt medium,quod eſt inter duas extremitates latitudinis complexionis climatis, & ipſum eſt complexio complexionibus illius partis ſpeciei temperatior.

COMMENTARIVS.

Dicit quod quartus modus eſt, cum quis habet mediam temperiem in ſua regione & æqualiter remotam : *ab extremis* ; diximus enim quod extra extrema aut moritur aut ægrotat: qui igitur æqualiter diſtat eſt temperatus. Ex quo patet quòd de mente Principis Æthiops frigidiſſimæ temperaturæ erit maxime temperatus , & Germanus bilioſiſſimus.

TEXTVS LII.

MOdus vero quintus eſt anguſtior primo & tertio:& eſt complexio quam debet habere indiuiduum deſignatum,qua viuum & ſanum reperitur : quæ etiam latitudinem habet, ad quam duæ terminantur ſuperfluitatis ſeu additionis, & diminutionis extremitates. Debes autem ſcire, quòd omne indiuiduum debet habere complexionem ſibi ſolummodo propriam , in qua alium ei aſſociare vel communicare raro contingit,aut eſt impoſſibile.

COMMENTARIVS.

Abſoluto temperamento gentis deuenit ad,temperamentum indiuidui quod quidem conuenit ſolum vni, & exemplum eſt de oleo quod Iacobus abhorrebat , ideo fit vna quæſtio vtrum dentur duo indiuidua eiuſdem temperaturæ, & videtur quod ſic *ſexto collectaneorum c.1.*& pro probabili argumento habetur à Quintiliano, vbi enarretur fabula de patre, qui habebat duos filios languentes ad mortem gemellos, medicus diffidit alterum vt curaret reliquum. Auerroes dicit ibi quod vnus poterit viuere diu &c. Tertio quia medicina eſſet nulla, quia *Primo ad Glauconem* non curatur morbus niſi temperatura cognita : ſed ſic non poteſt dignoſci. Concluſio ſtat in hoc quod dicebat à Galeno *tertio artis curandi cap.7.* miſtio eſt infinita ſed terminis certis continetur,& ideo dicebat Princeps *Prima primi*, quod dantur proprietates inter medicamenta,& homines & membra.

TEXTVS LIII.

SExtus autem modus est medium, quod est inter istos duos terminos, quod est complexio: quam cum habuerit indiuiduam, erit melioris complexionis, cuius ipsum esse oportet.

COMMENTARIVS.

Circa hunc modum dicebat *sexto de tuenda sanitate*, temperatura calida & humida maximè est longeua, sed vsque ad iuuentutem conflictatur morbis variis. Et ita frigida & sicca melius se habet in pueritia & adolescentia. Idem dico de temporibus anni, & iuxta hoc consulere oportet Hippocratem *Tertia Aphorismorum*, & quod dico de temporibus, anni regionibus, & casibus: non enim omnes vere neque in fine adolescentiæ melius se habent.

Dubitatur an temperatura per coalternationem sit organici vel similaris vna ad plures: dico contra Gentilem quod est vna, & similaris; primo quia est qualitas impressiua, & est principium operationis; contra igitur constabit ex elementari & impressiua.

Sed dubitatur an hæc actio sit per vapores vel per spiritus an qualitates? si per qualitates igitur qualitas impressa erit fixa, & sic erit elementum naturæ & temperatura sẽper manet; si per vapores aut spiritus non erit vbique. Respondeo quòd qualitates impressæ communicantur, sed sensim in corpore sano, & etiam per spiritus, ideo non sentiuntur, sed in corpore ægro vapores sensum faciunt quia confertim immutant: Dico igitur quod actio membrorum fit per qualitates sensus, & immutatio per vapores. Sed cur natura ab initio non fecit membra similia, vt hac actione non indigerent. Respondeo quod neruus fieret calidior quàm oporteret, aut necessarium esset vt homo non esset calidissimus respectu contentorum, sed dicetis potuit prætermittere saltem frigida. Respondeo quòd frigida fuerunt necessaria ratione soliditatis: instat igitur: neque hoc, neque illud est creatum opportunè pro operatione. Respondeo quòd non inconuenit quia partes sunt in potẽtia in toto, & sufficit quod totum habeat . . . . . Et forsitan æquantur in eo caliditas sanguinis, & spiritus cum frigiditate neruorum, & ideò dubitatur, an calor hecticæ sit in vapore, an impressus, an elementaris: si in vapore hectica erit putrida: si impressus ergo calefaciens manum ad ignem patietur hecticam: si elementaris, erit noua generatio in hectica. Respondeo nec hic nec ille, sed cœlestis mutatur in igneam, & ideò dicebat Galenus *libro de Marcore*, *cap.* 3. reprehendens antiquos qui comparabant calorem naturalem flammæ quæ depascitur suum humidum, quòd eousque verba illa visa erant pulchra & habere similitudinem veri: sed quòd multum differret calor naturalis, & maximè in tribus ab igneo: primum quod igneus non solum consumit humidum quo alitur sed reliquum corrumpit: naturalis autem conseruat. Secundo quod igneus loco deperditi non aliud generat humidum; naturalis autem reparat humidum bonum loco consumpti. Tertio igneus non instaurat membra, nec apponit, nec agglutinat, nec assimilat humidum substantiæ solidæ. Superius autem declaraui quòd igneus calor est cum motu maiore, & non circumscriptus naturalis cum minore motu, & circumscriptus in quodam ambitu. Ergo calor hectici est minus humidus, minus cœlestis cum maiore motu, & facit porationem. Et ideò multi hectici sudant; naturalis est humidus cum minore motu cœlestis & circumscriptus. Et si dicas ergo hecticus non concoquet cibum nec assimilabit: Respondeo quòd velut in racemo vuæ datur racemus totus corruptus, sed tamen ita vt edi possit maximè à pauperibus & pueris, quia licet sit corruptum secundum quantitatem, non secundum qualitatem, habet enim adhuc plurimum de dulcedine suauitate substantia colore, & datur racemus qui est vitiatus secundum partem seu aliquot grana, & non totus secundum quantitatem, & hic manditur à nobilibus præcisis granis corruptis: & datur racemus omnino corruptus, & solet exhiberi principibus, & datur corruptus, secundum quantitatem totam & qualitatem qui ab omnibus reiicitur: ita in hectico quãuis totus calor sit mutatus secundũ quantitatem, ita quòd totum corpus incalescat non tamen tota substantia caloris est corrupta, sed generat humidum, conseruat & apponit membris. Propterea curatio hecticorum vt omnes authores docent est impinguatio: quia impinguatis humidum conseruatur, & corpus augetur, & aliud humidum restauratur, & motus cessat: ergo impinguatio est signum & causa. Propterea dico quòd cum sint humores alij in venis, & accensi pariant putridas, & alij velut in lucerna oleum (vt vtar exemplo principis) quod circumfusum est ellychnio cum accenditur, & cõsumitur, facit hecticam primæ speciei, cum id oleum quod est in ellychnio secunda, cum humidum ellychnij quo cohæret illius substantia, fit tertia species. In omni ergo hectica conuenit aër temperatus non frigidus, quia ille refrigerat partes exteriores & per antiperistasim corpus incalescit, & calor naturalis extinguitur: à temperato autem nullum horum accidit, & hic error vt dixi procedit quoniam nõ animaduertunt aërem debere comparari ad naturam membrorum materialium in actu non ad cutim, à calido etiã & sicco læderetur. Et ita de balneo temperato, balneum autem exiguum aquæ frigidæ breui tempore adhibitum multum conuenit, quia non est periculum antiperistasis cum iam vapores exhalauerint. Sed balneum vehementis aquæ frigidæ non debet adhiberi nisi in casu deplorato, quia cum calore hectici præternaturali extinguit etiam naturalem, & ideo tales perueniunt ad habitum decrepitæ ætatis, non senij, non concoquunt,

quunt, non habent vires vllas, iacent vt semimortui. De cibis debent esse calidi humidi, vt ouorum vitelli, carnes, testiculi gallorum, vinum, panis triticeus, lac: sed non debent esse inflamationi apti, quoniam succenduntur à calore hectici; ideo butirum est malum, & lac asinæ bonum, quoniam butyro caret. Quòd verò exhibeat ptisanam hordeaceam, ratione caret, nam parum nutrit & est frigida. Si quis tamen ouis, iuribus, carni, vino misceat quæ prohibent inflamationem, vt vinum granatorum, mucilago psilij, & semina humectantia, cinuli peponum, cucumeris, cucurbitæ, & Iuleb violarũ, & similia haud inconuenit. In infrigidatione ergo abhibetur modus, humectatio autem est securior, ideò aër humectari debet lactucis, papauere, endiuia, frondibus salicis, vitis mali cotonei, floribus violarum, nympheæ, & rosis recentibus. Sed cancri limaces & magis testudines conferunt, non quia frigida hæc, imo testudinis caro frigida non est, cæterum vt frigida est minimè vtilis: Quid ergo iuuant, quia ob substantiæ densitatem & humidum crassum retundunt calorem hecticæ, & extinguunt, & motum eius retardant & humectant, & ideò impinguant. Sed nec putredini obnoxia sunt. Medicamenta verò debent esse frigida & humida actu & potentia, inter quæ illud Principis de cancris & aqua sæpius à me expertum. Sed ego addebam in timore phtisis aut difficultate spirandi, saccharum, & omnes curati sunt, qui simplicem hecticam etiam ex ardente febre contraxerunt. Et exterius etiam frigida medicamenta actu propter causam dictam: & potestate, quia alia est ratio de illis quam de alimentis. Frigida enim qualitas potestate extinguit calorem præternaturalem. Et scias quod hectica vera, vt etiam vult Princeps solum dicitur de cordis inflammatione & non ventriculi. Calida enim & sicca intemperies ventriculi licet tabefaciat, non est hectica tamen, quia non potest esse febris nisi communicetur etiam per cor: tamen quia non est cum motu manifesto vt dixi, ergo assiduus vsus balneorum aquæ frigidæ non diuturnus, & post balneum temperatum curat hecticam, vt etiam docuimus *in Arte medendi parua*.

Declarat quod optimus status: & exposuit iam supra iuxta Galenum *sexto de tuenda sanitate cap.2.* & Princeps hic, quòd est ætas in qua peruenit ad finem argumenti, vt legatur in præsenti & non præterito perfecto, iuxta Galenum vt dixi *sexto de tuenda sanitate cap. 2.* & *Tertia Aphorismorum*: sed isti non recte intelligunt doctrinam Galeni *in libro artis medicæ cap. 6.* quòd vnicuique dum de neutro loquitur, est sua optima sanitas: quibusdam in pueritia, & ideo *sexto de tuenda sanitate cap. 3.* temperatura calida & humida diu morbis conflictatur, cum vero peruenerit ad robur, erit optima: ideò quidam ciuis noster in iuuentute non concoquebat pullos, & in senio concoquebat carnes porcinas.

TEXTVS LIV.

Modus autem septimus est complexio, quam vnaquæque membrorum species habere debet, in qua aliud diuersificatur, æqualitas namque ossis est, vt siccitas in eo plus abundet: & cerebri, vt humiditas in eo plurimum abundet, & cordis, vt in eo sit plus caliditatis, & neruorum, vt in eis plurimum abundet frigiditas; & ista complexio etiam latitudinem habens, quæ extremitatibus seu terminis additionis, & diminutionis terminatur, est minor latitudine prædicta in complexionibus præcedentis.

COMMENTARIVS.

Dubitatur quia dixit ossa esse sicca, cum tamen sint animata, quia vt habetur *secundo de anima:* Anima nutritiua est insensitiua vt trigonus in tetragono, igitur cum ossa nutriantur etiam sentient. Sed iam facile est respondere dicendo, quòd vere animatum cor sicut sol in cœlo, & ossa non sunt animata per essentiam, sed participatione, vt alias declaraui *in libello de animi immortalitate.* Et si dicas augentur, dico quòd sola virtus ad hoc sufficit, & quamuis hoc durum videatur, durius tamen est contrarium: aliter ei cui abscinderetur pes, pars animæ abscinderetur: & in plantis; nec est contra Phiplosophum, immo sunt duæ authoritates pro hoc Philosophi. Respondeo igitur, quòd Philosophus vult, quod alterum ab altero prædicetur, pars autem animæ quæ in corde est, per ficitur in fœtu ex vegitatiua &c.

Hic declarat modum, exponatur litera, & sic de octauo hic primò cadit dubitatio, an membra differant specie, & videtur quòd sic, quia temperaturæ differunt, item functiones. In oppositum Aristoteles *Primo de Anima*: dico igitur quod non differunt. Quantum verò referat membri optima constitutio, docebat Galenus *secundo ad Glanconem, cap.2.* dicens, caro parum debet exsiccari, quia humida venæ indigent & magis nerui, deinde dicit similiter à formatione.

TEXTVS LV.

Modus autem octauus est complexio membri singularis, quam cum habuerit, erit melioris dispositionis quàm habere potest.

COMMENTARIVS.

In hoc modo comparat membrum ad suum simile, scilicet vt cor sit inter corda

temperatum, vel sui ratione & hoc est melius quia seruatur, vt latitudo semper æqualitatis contrahatur & fiat angustior. Nam æqualitas gentis est angustior æqualitate hominis generali, & vnius hominis quàm gentis, & vnius membri quàm vnius hominis, Et littera etiam hoc videtur significare. Modus ergo ordinis & litera & ratio videntur hoc significare.

TEXTVS LVI.

CVm autem species considerauimus, inueniemus hominem veræ æqualitati propinquiorem.

COMMENTARIVS.

Dicebat Galenus *secundo de Temperamentis cap.* 1. Omne animal dum viuit calidum est & humidum comparatione sui; nam simpliciter non est verum, vt de culicibus & formicis, nam talia sunt frigida & sicca. Propterea homo est medium in generatione animalium, & temperatum vt loquitur de viuente, nam mortuus est frigidus & siccus, & comparat hominem ad viuentia, quæ etiam vult esse frigida & sicca: aliter cum esset necessarium. Sed cum constituat duas illas propositiones, homo est medius temperamento, non solum inter omnia animalia, sed inter omnia entia, & homo est temperatissimus, sequitur confestim esse animalia frigida & sicca, Pro quo vide *Tertio contradicentium* 79.

TEXTVS LVII.

CVmque regiones attenderimus, certificatum erit nobis, quod si fuerit locus qui inhabitabitur sub æquatione diei: neque aliqua de rebus terrenis obuiando impedierit, videlicet montes aut maria, oportebit ibi habitantes, æqualitati certæ propinquiores existere, quàm aliæ nationes. Iam autem nobis affirmatum est, quod opinio quæ accidit, quod illic egressio vel excessus ab æqualitate, est causa propinquitatis solis, est falsa. Rectitudo enim solis super capita, minus ibi imprimit, & minus mutat aërem, quàm eius propinquitas apud nos, aut apud eos, qui sunt in maiori latitudine, quàm nos, licet rectitudinem non habemus. Amplius autem, omnes dispositiones morantium in linea æquinoctiali, sunt dispositiones nobiles, similes. Neque aër ibi impeditur impedimento sensibili, sed eorum complexionibus semper est similis, & ad hanc sententiam affirmandam iam fecimus dictionem. Post illos autem, qui in quarto morantur climate, magis temperati existunt. Non enim aduruntur propter moram rectitudinis solis super eorum capita, in hora aliqua post elongationem eius ab eis: quemadmodum fit in climate secundo & tertio: neque congelantur, sicut contingit his, qui in extremitate quinti climatis habitant, & qui secundum latitudinem sunt remotiores.

COMMENTARIVS.

Ponit ordinem habitationum, & vult quod sub æquinoctij circulo sit temperatissima habitatio, & omnium prima, non solum temperatura. Sufficiat hoc adiecisse nunc sub circulo æquinoctij, vt prope adeò temperatam esse habitationem, vt in Episcopis Phratrium seu fratrum B. Pauli Lusitanorum recitentur tres senes sacro fonte liquati, quorum vnus erat centum decem septem annorum, alius centum viginti, alius centum triginta sex. Præterea vnus qui agebat (sed credo esse mendacium) trecentesimum annum, omnes ferme in Goa. Est autem Goa circiter partibus quindecim ab æquinoctij circulo Borealis. Itaque paret ex bonitate ciborum & aquarum, & ratione victus hoc accidere. Abstinent enim hi homines à vino & carnibus. Et non contingit vita, quia regio sit temperata cum sit multum calida & humida, sed quia est temperata quo ad hominem, quia est adeo calidus & humidus, vt nullus aër possit dici calidus aut humidus hominis comparatione, sicut dicebat Galenus *octauo de vsu partium de cerebro cap.* 2. quòd est calidus quocunque aëre æstatis calidissimo, & ita tantò magis viscera nostra indigent aëre calidissimo & humidissimo, sed quia talis aër est obnoxius putredini, ideò oportet vt sit maritimus: talis autem est in Goa calidissimus, quia subtorrida: humidissimus propter assiduas pluuias, & quia est in lacu & sinu à flumine: Et saluberimus atque humidus ob mare; est enim in insula maris. Post æquinoctij circulum ponitur Quartum clima, pro quo vide *vndecimo contradicentium.* 73.

TEXTVS LVIII.

IN indiuiduis verò est indiuiduum magis temperatum: quòd ex parte temperatiori, & ex specie temperatiori.

TEXTVS

TEXTVS LIX.

IN membris verò iam manifestum fuit, quò dmembra principalia non sunt æqualitati certæ multū propinqua: imò oportet, vt scias, quod caro est membrum illi æqualitati magis propinquum, quàm cætera membra, cutis tamen carne propinquior est: quasi enim non patitur ab aqua æqualiter temperata, cuius medietas sit nix, & altera medietas sit aqua ferueus; & quasi vel forsitan aquatur in ea calefactio spiritus, sanguinis, cum frigiditate neruorum, & similiter cum patitur à corpore bonæ permistionis, & siccioribus corporibus & humidioribus, vel magis fluidis, quoniam fuerint in eo æqualia:& nos quidem scimus quòd non patitur, nisi quoniam non sentit sibi simile,& neque est simile, seu tale, quale est illud,nisi quia non patitut ab eo,quoniam si ab eo esset diuersum, pateretur ab ipso. Res enim quæ in materia conueniunt & in naturis opponuntur, patiuntur ad inuicem, & non patitur res ab eo, quod ei in æqualitate communicat, quando fuerit communitas vel communicatio in qualitate, & similitudo in ea.

COMMENTARIVS.

Comparatio hæc Principis videtur obscura,cum comparat cor cerebro,vel Iecori: nã Galenus *secundo de temperamentis c.* 3.ponit quod talia dici debent membra cutis ratione quæ est medium, dico, quod Princeps comparat vtroque modo: sed quia ponebat cutim declinare ad calidum & humidum, noluit declarare quòd cor magis recedit ad caliditatem, & Iecur, quàm cerebrum ad frigiditatem, & ita cerebrum & iecur ad humidum magis quàm cor ad siccum, omnia tamen in via Principis declinant ad calidum & humidum. Sed quomodo cutis cognoscit sensibilia,si cutis est calida & humida, dico quòd Principis opinio propter hoc redditur falsa & obscura.

Cum verò dixit (*Res enim quæ in materia conueniunt*) difficilis est hic textus, & alias solebam illum præterire, non animaduertens quid sibi vellet:facit tamen ex re clara rem difficilem, volens probare quòd cutis est temperata, quia non patitur à temperatis, ergo est temperata: item patitur ab intemperatis,ergo est temperata:& vult quod non pati à temperatis & esse temperatum conuertantur. Sed hic posset vt dixi moueri illa quæstio, cur corpus non patiatur in hac actione: dictum est supra quia sensim fit. Est & alia ratio, quia est perpetua & à natiuitate. Tertia quia est naturalis: si ergo hecticus non sentit hanc actionem, solum quia sensim fit, quantò minus ex naturali actione.

Continuitas etiam huius textus clara est, quamuis pauci intelligant. Intelligendum enim quod isti octo modi traducuntur ad duos,nam primi sex sunt de homine, & duo postremi de membro: & quia cadebat vna dubitatio,nam Princeps *Duodecimo de Animalibus cap.* 1. connumerat alios modos, vt sextum, & eodem modo de ætate Gentilis respondet,quod pars in lingua Arabica non significat nisi gentem: sed istud non est verum, quia omnis lingua significat omnia saltem circumscribendo, etsi non possit vno nomine hoc facere. Dico igitur, quod fuit duabus de causis: prima vt vitaret longitudinem,secunda quæ euidentior est,quoniam posuit partes, secundum sub & supra: sed sexus non poterat esse pars gentis, neque gens pars sexus.

Vult ergo declarare tria. Primum membra principalia non sunt propinqua temperamenta; dicit autem hoc esse manifestum. Omnes expositores transeunt sicco pede: potest igitur duobus modis ostendi, vel authoritate: authoritas est Galeni *secundo de temperamentis cap.* 3. qui dicebat quod cor est calidissima pars ipsius corporis, & quod si intromittas digitum in sinistrum cordis ventriculum, sentietur esse non paulo calidius reliquo toto corpore, & similiter cerebrum: neque enim intelligendum est,quòd sint remota in vtraque membra principalia à temperamento, sed tamen in vna est humidum valde: collocatur enim post adipem *secundo de temperamentis* vt dixi,& *Primo de temperamentis.* De Iecore dicebat Galenus *Primo de temperamentis* esse valde calidum & humidum: calidum post cor ordine collocatur. Secundo vbi notandum est, quòd dicit carnem cordis propinquam esse temperamento,esse tamen humidum, & sic patet alia ratio, posset sumi ex ratione *primo canticæ: cor est fons caloris.* Ergo calidissimum cerebrum est humidissimum, quia molle: *secundo de temperamentis* dicit: non valet molle, ergo humidum durum, ergo siccum. Et quia aliquis potuisset dicere, quod & humidum posset durum esse à frigore, respondet quod in corpore humano non potest esse tanta frigiditas, quæ possit cogere ad duritiem, sed bene potest concrescere rem liquidam vt adipem:dicit ergo cerebrum & pulmo sunt humida, quia mollia; neque tamen dicit sunt frigida, quia omne quòd conrescit à frigido, dissoluitur à calore.

TEXTVS LX.

ET temperatius quod est in corpore, est cutis; Et temperatior cutis, est cutis brachij; Et temperatior cutis brachij est; cutis manus; Et temperatior ea est cutis volæ manus:

Et

Et temperatior ea est illa, quæ super digitos: Et temperatior ea est illa, quæ super indicē: Et tēperatior ea est illa, quæ est super palmam extremitatis eius; & propter illud, ipsa & pulpa extremitatis aliorum digitorū sūt quasi iudices naturaliter, vel existimantur iudices naturaliter in mensurationibus tangibilium. Debet enim declinatio iudicis æqualis ex istere ad vnamquamque extremitatum: ideò, vt egressum ab æqualitate, & à medietate percipiat.

COMMENTARIVS.

Incipit Princeps pertractare de temperamento partium nostri corporis, & (vt dixi iam aliàs) quòd oportet professorem calere omnes artes, & Grammaticā: dico quod visus est hoc nomine temperatius, quia comparatiuum istud minus est propositiuo: nam si dixisset absolutè temperatum satis erat, vt verè dixisset: sed quia ipse non credit cutim esse verè temperaturam: & in hoc discordat à Philosopho, & à Galeno: & causa est, quia non posuerit cutim esse perfectè temperaturam: fuerunt duæ, vna quia totum corpus declinat valde ad calidum, & humidum: ergo etiam cutis, cum sit terminus eius declinabit ad calidum, & humidum. Secunda quia ponit septem genera cutis, & vnum perfectius alio: ergo cutis in alio genere non potest dici temperatura: nam dicit quod cutis totius corporis est temperatior reliquis partibus: inde cutis brachij est temperatior reliqua cute, & est in secundo ordine. Tertius ordo est cutis manus, quæ est temperatior cute brachij. In quarto ordine ponitur cutis volæmanus, quia in syluestri parte manus non adeò habet perfectum sensus tactum: deinde ex vola manus cutis digitorum, & inter digitos cutis indicis, & hic est sextus ordo. Vltimus est summa partis digiti indicis, & est pars carnosa, & ideò coactus est vti illo comparatiuo *temperatius*. Sed Aristoteles, & Galenus dicerent quòd ipsi non curant tot ordines, quia quærunt solum instrumentum tactus, quod est medium exquisiti inter calidum, & frigidum, siccum, & humidum: & ita Princeps in duobus ab aliis dissidet ab Aristotele, & Galeno. Primùm Aristoteles, & Galenus non considerant nisi summum digitorum: & volunt quòd sit temperatum absolutè: & si quis obiiciat, quòd Galenus ponit cutim temperatam, vt in primo de Temperamentis: respondeo quòd Galenus ponit cutim pro temperatiore, & non temperato: & ideo Princeps in hoc variat ab eo, quia caput temperatius in significato temperati, seu potiùs contra temperatum in significatō temperatioris: & vt breuiter intelligas, Galenus intelligit per temperatū verè tēperatum & per temperatius minus temperatum. Princeps autem per temperatum intelligit temperatius (vt dixi) & vt ipse se exponit temperatius, id est, minus intemperatum: & ideo multum differunt.

Dubitatur quomodo cum cutis sentiat graue & leue: nam si fuit temperata, vt sentiret primas qualitates, & in medio earum, igitur vt sentiat graue & leue, debuit esse media & in hoc. Respondetur quòd ratione medij inter illa, sed hoc est falsum, quia non sentiremus medium: alij dixerunt quòd tota temperatura hoc agit, sed non soluunt argumentum Aristotelis. Respondeo igitur quòd omnia sentiuntur sub ratione grauis, sed modicè graue leue appellatur; sed quomodo graue est extremum, cum cutis sit grauior aliquo graui. Respondeo quòd illud sentitur quia graue non percipitur à cute proprie, sed à neruo, & ideò graue vt graue est præter naturam à toto genere, & ideò Indi non ferunt vestes, sed nos ferimus ob consuetudinem: leue autem dicitur quod minus molestum est, nec debent dici contraria, sed quando sensus percipit leue vt in aqua vtrem inflatum, tunc habet ratione medij. *Sed ea longè magis*: hoc est tertium declarandum quod supererat, scilicet quod cutis sit temperata: adducit igitur argumentum tale; mista aqua feruidissima cum frigidissima, non fit sensus: ergo neque corpus afficitur à calido vel frigido: antecedens est Galeni *Primo de Tēperamentis*, vbi miscet aquam &c. tunc vltra corpus non afficitur seu cutis, & omne quod tangit dissimile afficitur, ergo cutis non est dissimilis aquæ, tunc vltra aqua est temperata, ergo cutis est temperata: antecedens est Galeni, vbi supra, & sic sunt tres syllogismi.

Post hæc declarat octo ordines temperamenti in litera noua, & huic sententiæ astipulatur Auerroes *secundo collectaneorum*, licet paululum discrepet, & est quod declarat hominem esse temperatissimum inter omnia, cuius cutis est temperatissima pars, tertio cutis brachij, Quarto manus, Quinto volæ, sexto digitorum: septimo indicis digiti, octauo sumitas indicis digiti, & est perfectissima. Circa quod est notandum, quod dicebat Gentilis, exponendo quod cutis vt magis annexa est corpori, & magis sentit; vt magis remota minus; & sic cutis volæ manus est sensibilissima, & ventris minimè sensibilis.

Sed dubitatur an cutis sit tenuissima in homine, videtur quod sic *Decima Problematum*, & *Tertio de natura animalium*: sed debetur intelligi vt dicebat pro magnitudine corporis, & hoc facit vt optimè sentiat medio temperamenti, & ideo &c.

Tertio dubitatur an cutis sit temperata, & erat duodecima quæstio. Ad hoc respondeo quod sic de mente Galeni *Primo de Tēperamentis*, & *secundo de temperamentis*: sed cuticula tamen non. Sed ego adduco argumentum: omnia membra seminalia sunt frigida & sicca, vt os, nerui, membranæ, cartilagines, ossa: sed cutis est membrum seminale *Tertio Artis curandi*: cutis qualis est, regenerari nunquam potest, caro autem potest, quod etiam sentit Aristoteles *Decima Problematum* 31. reddens rationem, cur pili non nascantur in cicatricibus, *tertio de alimentis*: neruosa enim à cutacea natura, *& item*: etenim omnis neruus ac cutis &c.

Respondeo breuiter quòd quo ad innatam est frigida ac sicca, propter quod autem nerui cuti inserant, declarat Galenus *secundo de vsu partium c. 6.* quòd propter motum ac sensum, duritiem ac glabritatem; ex quo sequitur quòd reliqua cutis declinat ad calidum & humidum.

TEXTVS LXI.

DEbes autem scire vltra hoc, quòd cum dicimus de medicina, quod est temperata: nolumus dicere, quòd sit temperata certe, quoniam illud est impossibile: neque volumus dicere, quod cum temperamento humano in sua complexione sit temperata. Si enim ita esset, tunc esset ex ipsamet humana substantia. Sed volumus, quod cum propter calorem naturalem, qui in corpore existit humano, patietur: qualitate efficietur, quæ hominis qualitatem non supergreditur, in aliqua duarum extremitatum, æqualitatem excedentium: non ergo in ipso operabitur effectum, æqualitatem excedentem. Consideratione igitur suæ operationis in corpore humano, est æqualis. Et similiter cum dicimus quòd est calida, aut frigida, nolumus dicere, quòd in sui substantia sit in vltimo caliditatis aut frigiditatis: aut in sui substantia sit calidior corpore humano, aut frigidior; aliter tunc illa complexio esset temperata, cuius complexio est, sicut complexio hominis. Sed volumus dicere, quòd propter ipsam in corpore hominis prouenit caliditas, aut frigiditas maior illa, quam ex se habebat.

COMMENTARIVS.

Intendit probare duo: primum *medicina* dicitur *esse temperata*, non quia sit similis humano corpori: secundum non dicitur *calida* neque *frigida*, quia sit calidior corpore humano vel frigidior, & ex hoc deducit corollarium. Oportet in medicando permutare medicamenta: primum sic probat; si medicina esset temperata, quia similis corpori humano, sequeretur quòd medicina esset corpus humanum, quod esse non potest. Ista ratio sic deducitur, quæcunque ad vnguem sunt temperata æqualiter, æqualiter sunt mista ex elementis. Sed æqualis mistio ex elementis facit eandem substantiam, ergo quæcunque habent idem temperamentum ad vnguem sunt eadem in substantia. Per idem probatur secundum: medicina dicitur calida & frigida respectu eiusdem, & eodem modo quo dicitur temperata, sed non dicitur temperata in comparatione ad corpus humanum, quia sit æqualis in gradu ei: ergo neque calida neque frigida, quia calidior vel frigidior ex his concludit, quòd medicina dicitur temperata, quia neque calefaciat, neque refrigeret corpus humanum, & intendit quòd licet non sint similia ad vnguem, tamen debent esse adeò propinqua in temperamento, vt non permutent corpus humanum, neque ad calidum, neque ad frigidum. Et similiter medicamentum dicitur calidum quòd calefacit, atque sic concludit quòd medicamentum debet appellari calidum, frigidum, humidum, temperatum, non ab essentia, sed ab operatione in corpus humanum, & hoc propter duas causas. Primam, quia vt dixi esset medicina temperata idem quòd corpus humanum; secundam quia medicina etiam quòd esset temperata in comparatione ad corpus humanum, non esset temperata simpliciter, quia vt dictum est corpus humanum non est simpliciter temperatum, sed declinat ad calidum & humidum. Et licet verba hæc sint speciosa, tamen Princeps refugit ad hanc responsionem potius ob necessitatem, vt vitaret illud inconueniens, quòd medicina esset corpus humanum, & non solum de temperata hoc esset verum & concedendum, sed oporteret concedere de calida in primo gradu, & frigida in comparatione ad homines frigidos & calidos in primo gradu, & similiter de membris, & mille alia inconuenientia. Et licet de hoc locuti simus *Nono contradicentium medicorum*, nunc tamen volo declarare rem exquisitus, & dico quod licet medicamentum esset ad vnguem æqualiter temperatum cum corpore humano millies, vt ita dicam, nunquam tamen esset corpus humanum primum, quia forma cœlestis & impressio non est eadem: secundum quia refactio non est eadem: quantum enim interest inter diuisionem factam à natura, & factam ab arte: quis enim ita diuidat arte elementa, vt faciat carnem & ossa. Tertium discrimen est, quia non sunt refacta, & si theriaca duorum mensium tantum differt à theriaca duorum annorum, quid erit dicendum de mistione naturali comparata artificiosè. Quartum discrimen est, quia in mistione naturali est refactio multiplex, velut ex elementis fiunt plantæ, ex plantis fiunt animalia, & primum sanguis & chilus, & ex animalibus fiunt postmodum oua & lac, & ex lacte demum chilus, inde sanguis humanus, inde substantia membrorum hominis. Quòd si hoc idem solum aliquis in artificiis vellet imitari, vtpore componendo herbas inuicem & exsiccando, & postmodum terendo, & addendo succum aliquem ex illis, & iterum siccando, faceret rem longe diuersam, ab omnibus illis, & si poneret in fimo post repetitas contritiones, nasceretur animal mirabilis naturæ. Quintum est densitas & raritas substantiæ, & ita patet quòd hæc opinio Principis, & argumentum parum firma sunt: sed non occurrebat aliud illi tunc, quamuis potuisset secundum suam opinionem id pulchrè tueri, nam ipse admittit

elementa

elementa integra in mistis cum qualitatibus refractis.

Ad hæc te scire velim, Postquam Princeps declarauit hæc, admonet nos, quod quando dicimus medicinam temperatam, intelligimus non eiusdem temperamenti cum homine temperato, aliter dicit ipsa esset homo. Sequela hæc patet *Primo de vsu partium, cap. 9.* caro est caro & neruus: neruus quia tali temperamento; sed contra quia non videtur dari refractio, nam argumentum non valeret, vt patet: homo enim haberet citra æqualitatem refractionem elementorum, per quam differret: respondeo quod sequitur oppositum, nam si non esset refractio, medicina transeunte à frigido ad calidum, necessario per omnia media fieret homo: responsio igitur habetur *Tertio de temperamentis cap. 1.* duplex est calidum actu & potentia: in animalibus enim est in actu, in cæteris est in potentia; igitur cum sint diuersi generis, vnum non potest esse maius vel minus, vel æquale alteri: inquit enim Euclides *Quinto Elementorum diffinitione 3.* proportio est duarum quantitatum eiusdem generis iuxta magnitudinis rationem comparatio: sed ista non sunt eiusdem generis; ideò dicit medicina non potest iure merito comparari corpori humano; neque vt temperata: sed ratione operationis, vt dicebat Galenus *Primo de simplicibus medicamentis, & Tertio eiusdem:* ideo dicebat oportet ibi quòd talia dicuntur, quæ comparantur ad temperatum hominem; sed contra quia emplastrum poterit esse homo, nam poterit habere calorem & humorem æqualem carni humanæ, & erunt in actu, *Quinto de simplicibus medicamentis cap. 6.* igitur emplastrum erit caro. Ad hoc respondebat Galenus *ibidem cap. 6.* quod calor emplastri est quoquomodo similis, sed non omnino idem calori naturali, quia est præternaturalis; & ideò in debilitate ventriculi ponebat tres ordines admouere puerum, cuius calor differt solo numero; secundo catulum, cuius calor differt numero, & specie propter refractionem. Tertio emplastum, cuius calor differt numero, specie & genere, quia est igneus: & ideò concludo, quòd medicamentum differt à temperatura hominis consimili in quatuor numero, specie, genere, plusquam genere. Pro ordine tamen confirmantium ventriculum, sunt cibus medicinalis, vt *Septimo Artis curandi cap. 6.* colligitur per longum processum, inde puellus, inde catulus, inde emplastrum, inde medicamentum interius sumptum: pro emplastro fit ceratum ex propolide gummi, lentifici, in vino cretico dissoluti, absynthio, & modico Gariophilorum, cum oleo de citro pigmentariorum, & si fieret oleum de absynthio, eo modo esset vltimum; & Galenus incoquebat pro præsentaneo auxilio comam absynthij cum oleo, *octauo Artis curandi cap. 5.* & *in vndecimo eiusdem cap. 16.* & ego expertus sum absynthium siccum solum, & multum contulit, & ita apparet quod sunt quinque. Primum est oleum absynthij factum eo modo quo oleum de citro; secundum ceratum, Tertium emplastrum, Quartum oleum in quo absynthium incoquitur. Quintum absynthium siccum, & loco pueri apponatur palma manus patientis, de puero eligitur carnosus, & pollutioni propinquus.

TEXTVS LXII.

QVa propter, vna medicina plerumque est frigida, humani corporis comparatione, & comparatione corporis scorpionis calida; & humani corporis calida, & frigida corporis serpentis comparatione. Imo, quandoque etiam in vna medicina existit calida, comparatione corporis Petri, magis quàm comparatione corporis Pauli.

COMMENTARIVS.

Hoc corollarium est pulchrum, & est quod dicit, quia vna medicina poterit esse calidior corpore humano, & tamen non calefacere ipsum propter tres causas. Prima quoniam aliud est essentia, aliud est operatio: secunda, quia poterit esse calida respectu corporis humani, vtpote in primo gradu, non tamen erit calida in primo gradu, respectu huius corporis, & etiam poterit esse calida respectu totius hominis, & tamen non erit calida respcctu illius membri laborantis, & hanc sententiam sumpsit à Galeno, tum *in Quinto de tuenda sanitate* vbi dicit, quod in vno oportebit plus addere de cnico, quia sit durioris alui; in alio minus. Quam sententiam etiam scripsit *Tertio Methodi*, & dicit quia proprietates & temperaturæ nō sunt exquisitè notæ: idem dicit, medicamentum consuetum minus redditur efficax; & fuit sententia etiam sumpta à Rasi *octauo continentis & libro vigesimo sexto*, & hæc est prima causa. Duas alias causas reddit ipse Princeps *Decima tertij*, quarum vna est quod sunt proprietates inter medicamenta & corpora humana, scilicet vt medicamenta in eodem gradu, vnum conferat aliud non. Secunda quia ex consuetudine non confert; adeò duas alias rationes addebat *vigesima secunda tertij*, & sunt quod forsan habebit aliquod nocumentum illud medicamentum, & aliud non habebit. Secundo quia confert vni membro, & aliud non, & hæc est alia iam diuersa à prima, quia in prima non confert, puta quia non est calidum, quantum oportet: in hac verò quia non transit medicamentum ad illud membrum, & ita sunt quinque causæ permutationis, & si quis velit diligentius distinguere, erunt septem.

De coturnicibus dicebat Rasis *vigesimo secundo continentis*, & est de mente Galeni, quod faciunt conuulsionem, quia comedunt eleborum. Princeps *secundo cannonis Part. 5. com. 35.* dicit quod hoc est verum, sed à proprietate, etiam si non comedant eleborum. Galenus *sexto Epidemiorum* dicit in

n Doride Bœotia, & ex alia se vidisse tum etiam Athenis, multos qui distentione neruorum laborauerunt, ob assumptam multitudinem copiosam coturnicum, quoniam comedebant elleborum, & similiter capras quæ titimalum vel scammonium ederent, lac efficere non leuiter purgans. Galenus dicebat ibi: vtile est hoc preceptum, quia si volumus purgare lactantem infantem, purgamus nutricem, quoad operationem: quo ad contemplationem dicebat, quia alimentum cum transit in animalis substantiam, non ex toto spoliatur à propria facultate. Princeps diceret sic, quòd coturnix habet hanc proprietatem, quia & si non comedisset elleborum, tamē ipsa descendit à parentibus qui ex esu ellebori hanc qualitatem contraxerant, & ita ego tenui in contradictione de præcantatione quòd poterimus facere hominem, qui necabit serpentes, & alium qui curabit scrophulas, sistet sanguinem, tollet splenem, & sic de aliis per solum contactum vel anhelitum. Supererat alia difficultas, quomodo vna medicina possit infrigidare vnum, & calefacere aliud membrum, & hoc quatuor modis. Primo vel per accidens & per se. Secundo ratione vitij: tertio vel intus & extra vel ratione diuersorum membrorum. Quòd ad primum attinet, dicebat Galenus *tertio de temperamentis cap.* 5. & *in Primo de simplicibus medicamentis cap.* 2. quòd medicamentum habet duas operationes: alteram per se, alteram per accidens, nam medicamentum frigidum admotum morbo vehementer calido, dicit, poterit condensando & obstruendo calefacere, & similiter calidum poterit refrigerare in affectu frigido aperiendo. Propterea dicit argumentum à dissimili valet: hoc medicamentum refrigerat manifestè calidissimum affectum, ergo est frigidum: sed nō sequitur, auget calidissimū affectum, ergo est calidum, quia augmētum potest fieri ab vtroque contrario, sed diminutio non potest fieri affectu summo nisi à contrario, ideò ad experiendū dicebat: oportet experiri cum medicamento, non affectu aliena qualitate, & in summo ac simplicissimo affectu, & ita sunt quatuor conditiones addendo quod in humano corpore. Quarta consideratio medicamentum poterit dici frigidum, respectu vnius membri, vt iecoris, & calidum respectu splenis, vt camomilla. Sed contra hoc inuehitur Auerroës *Quinto collectaneorum* dicit oleum rosaceum in morbo frigidissimo capitis, & mel in febre ardenti diceret Galenus quòd aliud est in morbo ex materia illud in morbo ex intemperie, & ideò camomilla refrigerat Iecur, & calefacit splenem, & propterea Galenus vtitur *octauo de medicamentis secundum locos* medimentis valde calidis pro Iecore; sed istud est valde difficile, quia si endiuia calefacit splenem aut neruos, istud est valde mirabile: & si infrigidat, quomodo poterit dici calida in comparatione ad splenem, & idem in diuersis hominibus & animalibus, quare melius erit hoc sumere ab effectu.

Tertia difficultas erat in comparatione medicamentorum extra & intus: hanc tangebat *tertio de temperamentis cap.* 3. dicens: *Sinapi & cepa sunt nutrimentum, & tamen exulcerant.* Huius assignabat quinque causas: prima quòd concoquitur intus, secunda quod non quiescit in vno loco. Tertia quod diuidit ad multas partes. Quarta quòd subtiliores partes excernuntur per vrinas & sudores. Quinta quòd permiscetur multis cibis ac succis. Sed cur arsenicum intus sumptum erodit ac interficit, extra autem non lædit *Quinto de simplicibus medicamentis* reddebat causam ibi, tum alibi: quia cum crassa sint, substantia à debili calore externo non deducuntur, ad actum intus sumpta deducuntur, & non possunt dissipari: igitur trifariam medicamenta distinguuntur, quædam enim sunt crassissima quæ lædunt interius, vt metallica omnia adurentia, tenuissima quæ exulcerant exterius, vt cepæ & sinapis, quæ vtrinque vt cantarides.

TEXTVS LXIII.

IDeóque præcipitur eis, qui medicantur, vt cum complexionem mutare voluerint, & vnam adhibuerint medicinam quæ non contulerit, ab ea discedant.

TEXTVS LXIV.

POstquam igitur de complexione temperata, quæ dicenda erant compleuimus, ad loquendum de complexionibus distemperatis redeamus. Dicemus itaque, quòd complexiones distemperatæ, siue eas acceperis secundum comparationem speciei, aut partis, aut indiuidui, aut membri, sunt octo: & sunt omnes conuenientes in hoc, quòd complexioni temperatæ sunt oppositæ. Et hæ octo proueniunt secundum hunc modum, videlicet, quod egressus ab æqualitate, aut est simplex, qui æqualitatem non excessit, nisi secundum vnam contrarietatem; aut est compositus, qui æqualitatem secundum duas contrarietates simul excessit. Et simplicis quidem, qui secundum vnam excesserit contrarietatem, aut est excessus secundum contrarietatem agentem: quod est aliquo duorum modorum, quoniam aut est calidior quàm debet: sed nec est humidior, nec siccior, aut frigidior quàm debet: sed neque humidior, neque siccior, aut secundum contrarietatem patientem, quod est vno duorum modorum, quoniam aut est siccior

quæ

quæ debet, sed non est calidior neque frigidior; aut humidior, sed non est frigidior neque calidior. Istæ tamen quatuor non diu permanent. Caliditas namque maior quàm debet, reddit corpus siccius, quàm oportet. Et frigiditas maior quàm debet, facit corpus humidius quàm oportet humiditate extranea. Et siccitas maior quàm debet, cito reddit ipsũ frigidius, quàm oportet. Et humiditas maior quàm debet, si valde fuerit superflua, velocius reducit ipsum ad frigiditatem, quàm siccitas maior. Quæ si plurima non fuerit, conseruabit ipsum prolixiori tempore: ad vltimum verò, reddit ipsum frigidius quam debet. Et hoc intellige, quòd æqualitas, & sanitas, magis pertinent caliditati, quàm frigiditati. Et hæ quidem sunt simplices quatuor.

COMMENTARIVS.

Post declarationem æqualis temperaturæ, deuenit ad declarationem inæqualis, & est duorum modorum. Vna quæ est ex dimidio æqualis, & dimidio inæqualis, vtpote calida est temperata in humido & sicco, & humida temperata in calido & frigido, parum tamen durare intemperies simplices. Princeps refert & accepit à Galeno *secundo de Temperamentis cap. 2. & sexto de tuenda sanitate, cap. 2.* & dicebat *Quinto de tuenda sanitate, cap. vlt.* quod intemperies valde calida, si sit æqualis in humido & sicco, citò traducitur ad siccitatem, & apparent istæ differentiæ in littera, adeò vt non sit necesse declarare modum, pro quo vide *Primo contradicentium, & vndecimo contradicentium*, scilicet an simplices intemperies dentur, & an frigida temperies associet sibi humidam & calida siccam?

Animaduertendum pro hoc quod dicebat Galenus loco adducto, scilicet *Quinto de tuenda sanitate*, quod qui habent calidam intemperiem magnam, debent prorsus abstinere à vino, & hoc non est prætermittendum, nam ab illo maximè læduntur. Debetis etiam considerare, quod curando calidam intemperiem, maximè debemus vti humidis, vt Paulus *in Primo libro, cap. 70. 71. 72. de calida frigida & sicca* dat exemplum, quoniam simul curanda est intemperies, & id in quod est deducere apta: velut etiam in frigida debemus vti siccis, quia sunt apti decidere in humidam: lapsus tamen calidi in siccam, est longe dissimilis lapsui frigidæ in humidam. Nam calida inducit siccam naturalem & veram, frigida verò humidam præter naturam, ideò in calida semper debemus vti humectantibus, in frigida autem non debemus adeò validis, neque perpetuo exsiccantibus vti, sed interdum etiam humectantibus. Consequitur etiam quod eo magis in compositis intemperiebus, debemus vti cura ad vtramque intemperiem. Notandum tamen quòd intemperies calida & humida, vt etiam reliquæ, potest dici trifariam: vel ex abundantia substantiæ, & hæc non debet curari in calida & humida: vel in excessu qualitatis naturalis, *vel excessu acquisita*, & hæ omnes debent curari: aut saltem melius est non esse: nam reliquæ quoniam aduersantur naturæ humanæ: calida & humida quia est putredini obnoxia.

Circa hoc igitur notandum est, quòd opinio Philosophorum est, quòd non detur intemperies simplex, aut si detur vt non possit permanere, & intelligunt de exquisitissima. Galeni autem & Græcorum opinio est, quòd det ad sensum, & quæ permanet, modo non sit valde calida, & hoc quia sensus hoc diiudicat, vt indigemus refrigerantibus solum: ergo medicus debet admittere, quod indiget opere suo: & tanquam constans quòd videt manere per multos annos. Sed nos videmus, quod aliquis patitur frigiditatem ventriculi sine humido vel sicco, & siccitatem sine calido vel frigido per multos annos, & per ætates, & indiget curatione, ergo talis intemperies datur. Princeps verò dicit: *medicus in principiis suis debet credere Physico*, quia ab illo accipit principia. Negaret hoc Galenus vt medicus est artifex: sed Physicus negat has intemperies, ergo non dantur. Et si dantur illæ possunt parum latere: igitur omnes præter calidam si sint exiguæ, possunt aliquandiu permanere: calida tamen & exigua celerrimè transit in calidam & siccam, quia caliditas est validioris actionis omnibus aliis qualitatibus. Et si quis obiiciat quod *in Prima tertij de cerebro tract. 1. cap. 19. Et tract. 2. cap. 14. & in Quarta decima de Iecore, tract. 1. cap. 13. & cap. 27.* & de aliis membris, ipse Princeps ponit illam intemperiem, & curam earum. Ergo præsupponit quòd possit manere. Respondeo quòd Princeps coactus est confundere hanc rem: nam calida temperies morbosa sola datur, nec de illa procedunt argumenta Auerroïs. Sed illa exposcit curam & potest permanere. Naturalis autem non potest permanere, tamen ponit curam eius, quia eadem est cum calida & sicca: quia omnino vt dictum est, facienda est cum humectantibus, quia est prona in illam decidere. Tertium verò genus scilicet acquisita est medium inter illas, nam plus potest permanere quàm naturalis, & magis indiget cura, minus vero quàm morbosa, & minus etiam cura idiget.

Postquam igitur, declarat quòd singuli modi æqualitatis ex octo, habent genera octo æqualitatis, iuxta quòd notandum, quòd cum essem in Saccense oppido ferculum faciebamus ex farina milij, melle, lacte, & ouis: similiter fit gelatina ex iure piscium, aceto, pipere, & cum passulis. Vnumquodque horum constat ex quatuor diuersis temperamentis, exuperante pipere erit mistum calidum, & siccum, & si multum addatur aceti, erit temperatum in caliditate, sed excedet in siccitate: igitur octo erunt intemperies, eodem modo in homine, & vna temperatura seu ad pondus, seu ad iustitiam: nam

qui ponunt temperaturam æqualem ad iustitiam, ponunt quia negant æquale in qualitatibus,& sic sunt omnino nouem. Iacobus nititur ostendere quòd sunt decem,& primo hoc argumento. Nam datur intemperies in ventriculo quæ non concoquit vinum,& ista non est aliqua. Ex illis patet quia si sit frigida & sicca, non concoquet alia calida & humida,neque senex concoquet vinum: dicit ergo quòd erit intemperies occulta. Ad hoc respondebat Auerroës *Primo Canticorum,com.*31.quòd proprietas fit ex singulari quantitate elementorum, sicut videmus quòd aliquis abhorret cucumeres in vigesimo anno, sicut mihi accidit, & nunquam ante vel post; & ideo dico quòd talis intemperies est indiuiduum seu singulare vnius illis octo speciebus, & Curtius laborauit in infinitum dando tres aut quatuor responsiones, quarum nulla satisfacit. Argumentum autem secundum est de moriente qui est calidius & humidius, antequam ægrotet, & post mortem fit frigidus & siccus, & tunc aliquando erit temperatus dum ægrotat, & tamen erit intemperies, quia operationes sunt corruptæ: igitur dabitur decima coniugatio in hoc, & Curtius nutat, dicitque quòd istud corpus est intemperatum,ratione humorum: istud non satisfacit vt patet, quia capiam calidum & humidum, & cum humoribus, ideo dicit quod vt habetur *libro Artis medicæ cap.*5. duplex est corpus insalubre; simpliciter, & vt nunc: vnumquodque habet octo genera intemperiei, & ideò tale corpus non erit temperatum, quia frigiditas & siccitas non erunt refractæ,neque elementares; & si dicas igitur erunt sexdecim genera intemperiei, respondeo quòd sic,& eas posuit Galenus *libro Artis medicæ, cap.*8.& à Principe manifestissimè *in Quarta decima Tertij: tract.*1.*vsque ad capitul.*12. nam cum declarasset signa naturalis temperiei, postea declarat signa præternaturalis. At dices; igitur non sunt nisi nouem; respondeo quòd Princeps hic loquitur de naturalibus tantum: Sed contra in hectico frigidi & humidi fiet æqualitas,nam nutrietur: respondeo quòd non,quia corrumpetur qualitas elementaris,& inducetur impressa;contra quid conseruat impressam: respondeo quòd humidum concauitatum membrorum acquisiuit qualitatem elementarem, non refractam. Sunt & octo acquisitæ intemperies *secunda Aphorismorum*: hæ sunt similes naturalibus eò quòd elementares non impressæ, & eò quod non ægrotat vt nunc, sed tamen sunt acquisitæ. Sed quia præsupponitur cor frigidum, dico quòd non moriente: dicit enim Galenus *Tertio de difficultate spirandi cap.* 8. *frigidus aër quem expirant morientes, non est propter cordis frigiditatem, sed membrorum respirationi inseruientium.* Erunt igitur octo genera intemperiei naturalis, totidem acquisitæ,& totidem præternaturalis,vt sint omnia viginti quatuor:Differentia est quia naturalis non est morbus, nec per se causa morbi, & est in humido proprio membrorum præternaturalis morbus,& impressa; sed acquisita est elementaris, & non est morbus sed causa:calida autem & frigida simul vocatur duplex morbus, ad differentiam compositæ & validæ & siccæ, pro quo notandum est quòd vt habetur *libro de inæquali intemperie*; triplex est hæc intemperies, in qua simul calor sentitur & frigus, vel per maximas partes, vt cyperiis, vel secundum minutas vt in Epialis; vel vbi vtrumque, vt perfusus ab aqua frigida in sole, vide *Primo contradicentium, tract.* 4. *contrad.*7.

Viso quòd non possunt esse plures quàm nouem; ostendere oportet modo,quòd non sint pauciores. Galenus igitur *in Primo de temperamentis*, ponit opinionem existimantium duas tantum calidam & siccam, & frigidam & humidam; nam dicebant, calidum adiunctum humido, consumit ipsum, & frigidum sicco: contra hoc dicebant alij; calidum non prorsus humidum consumit, imo si calidum humido iungatur, calefacit & humectabit. Hi ergo ponebant quatuor intemperies, & ibi dat exemplum de succo papaueris,quem dicit esse frigidum & siccum: deinde declarat suam opinionem quòd sint nouem: ostendit autem ibi dari quatuor simplices intemperies hoc modo: datur calida & humida, datur calida & sicca, igitur datur & calida media, & ita de aliis. Conciliator *decima nona*, tangit istam difficultatem, an detur intemperies ex semisse, nam Galenus *Primo de Temperamentis*, appellat eas medias inter temperatam & intemperatam, ideò dicit non fit transitus ex contrario in contrarium, nisi per medium.

Vide *Quinto contradicentium* 40. an papaueris succus sit humidus?

Vide *Primo contradicentium* 66. *de temperamentis simplicibus*, an detur.

TEXTVS LXV.

Compositæ autem sunt, in quibus fit egressus ab æqualitate secundum vtrasque contrarietates: velut si sit complexio calidior, & humidior simul quam oportet: aut calidior & siccior simul quam oportet: aut frigidior & humidior simul quàm oportet: aut frigidior,& siccior simul quàm oportet. Non enim potest esse frigidior,& calidior simul: neque siccior,& humidior simul.

TEXTVS LXVI.

Vnaquæque autem harum octo complexionum: aut est sine materia: quòd quidem est cum complexio corpus qualitate solummodo afficit, ita quòd corpus hac qualitate non afficitur propter humorem in ipsum penetrantem, qui hanc habeat

qualitatem,

qualitatem ad quam immutatur corpus, sicut est caliditas hectici, & frigiditas infrigidati vehementer ex glacie autniue. Aut est cum materia: quod quidem est, cum corpus non afficitur qualitate huius complexionis, nisi propter vicinitatem humoris in ipsum penetrantis, in quo illa qualitas dominatur, quemadmodum cum corpus humanum causa vitrei phlegmatis infrigidatur aut causa cholerici humoris prassini calefit. Tu autem *in libro tertio & quarto* cuiusque XVI. complexionum exemplum inuenies.

COMMENTARIVS.

Nulla est pars in tota medicina, quæ tantum lucrum & gloriam medico afferat, quàm hæc, ideò de ea faciam tres lectiones. Declarat diuisionem, quam sumpsit à Galeno *in libro de differentiis morborum, cap.* 5. & 12. & *in septimo Artis curandi cap.* 3. de ventriculo exemplum dans, Et causam explicat Haliabbas *sexto Theoricæ cap.* 2. Circa quod notandum, quòd intemperies sunt decem verè: quatuor simplices notæ, & quatuor compositæ, quæ ponuntur in littera; & præterea calida & frigida simul, & humida & sicca simul: quia Galenus *Tertio de simplicibus medicamentis cap.* 16. ponit intemperies contrarias in eadem parte subiecti, & ostenditur hoc fundamento demonstratiuo. Medicus indiget medicamentis simul calefacientibus & refrigerantibus eandem particulam, puta iecur, & hoc non solum comparatione diuersarum intemperierum, puta morbosæ & acquisitæ, sed etiam duarum morbosarum: ergo dantur verè, & sunt de consideratione medici. Et cum manifestum sit, quòd secundum Philosophos istud posset admitti de diuersis particulis paruis, & ita darentur quoad intentionem medici & curam, nec sequeretur aliquod absurdum iuxta Philosophos: tamen Galenus vult, quòd in eadem parte inueniantur & excellentes. Itaque cum duobus modis possint poni à medico sine repugnantia Philosophorum: vel in diuersis particulis, vel diuersi generis vt dixi, acquisita & morbosa: & Galenus velit etiam vt dentur in eadem parte subiecti proprie, & ex eodem genere qualitatis; constat clare admittenda esse hæc duo noua, vt ita dicam, genera intemperiei compositæ: Et si quis dicat cur tamen non ponitur cura harum? Respondemus quod intelligitur ex cura simplicium, & maximè quia non adeò frequenter accidit. Quibus constitutis tandem erunt primæ intemperies cum materia; igitur omnes primæ intemperies erunt viginti, si autem complicentur erunt decies decem, vnaquæque vnius ordinis cum vnaquaque alterius ordinis: erunt ergo centum complicatæ & viginti primæ. Et quia vnaquaque harum, quæ ex materia fiunt, potest esse vel contenta in cauitate, vel infusa vel faciente abscessum; erunt igitur sine materia intemperies centum & viginti & cum materia ter centum & sexaginta, & ita omnes erunt quadringentæ octuaginta. Porro intemperie à materia contenta in cauitate, & infusa in tunicas, differentiam ostendebat Galenus *septimo Methodi c.* 11. Rursus quia quælibet intemperies cum materia potest esse sola, & sine materia inducta, tamen à materia quod frequentissimè accidit, imò in morbis longis fermè semper erunt materiariæ septingentæ & viginti, scilicet simplices trecentæ sexaginta, & totidem geminatæ: omnes ergo octingentæ & quadraginta cum centum vinginti primis sine materia. Pro quo sciendum est, quòd intemperies à materia, vt colligitur à Galeno *vndecimo Artis Curandi cap.* 10. triplices sunt: aliæ enim ita sunt à materia, vt sublata materia subito auferantur, quia nil impresserunt: aliæ impresserunt, sed ita vt facile tollantur, quia in habitum non transierunt, manent tamen sublata materia. Rursus aliæ sunt fixæ, quæ transierunt in habitum, & vocantur sine materia. Et ideo illæ secundæ sunt quasi mediæ, inter materiarias & non materiarias: sunt enim absque materia, quia sublata materia manent. Et materiæ quia sublatæ, non habent sedem firmam. Cum vero vt dixi naturales non possint esse nisi cum materia, & similiter acquisitæ: hæc autem diuisio materiarum & sine materia, comparat solis morbosis. Addemus numero proposito Ducentas quadraginta alias intemperies, & erunt mille octuaginta intemperies. Præter eas etiam quæ sunt compositæ ex modis materiæ, velut in cauitate & in tunicis, vt dabat exemplum Galenus *septimo Methodi c.* 12. Has ergo medici pro maxima parte ignorant, ideóque meritò plures morbos insanatos qui sanari possent, derelinquunt.

Dubitatur quomodo temperatura possit esse vna, cum tam naturalis quàm elementaris, est diuersa, & etiam refracta, nam cur est calidius cerebro & caro ossibus? Ideò respondeo quod est vna continuitate, & tamen est diuersarum partium, vt in manu temperatura est, quod resultat ex refractione carnis, nerui & sanguinis, quæ in tota est vna diuersarum partium: sed alia tamen est carnis refractæ, alia nerui, alia membranæ. Sed quomodo potest temperatura esse vna qualitas, quia sic non dicetur de temperaturis compositis, item quia humida temperies careret virtute contentrice, quæ fit à sicco, *secunda Aphorismorum com.* 20.

Consideratio Gentilis in hoc est diffusa, super quam declarat viginti quatuor propositiones, & longè etiam plures, Sed has numerat ordine, & est quòd in omni mixto prædominatur calidum & humidum sumpta, *Quarto Metheororum*: impossibile enim est, quod mistio fiat à frigore, nec quod misceatur vincente sicco, igitur saltem in perfectis hæ duæ qualitates prædominantur. Adducit & authoritatem Auerroës *Primo canticorum com.* 19. Addit Gentilis rationem: nam putredo cum sit misti corruptio,

ruptio, si mistum posset à prædominio esse frigidum & siccum, posset fieri etiam putredo deuicta frigiditate, & siccitate innata à frigiditate externa, igitur multa putrefacta essent calidiora & humidiora interius, quàm essent dum non putrescebant, & ideò dicit: si Galenus *secundo de temperamentis cap.* 3. dixit, quod membra quædam fiunt à frigido: vel si Auerroës dixit, quod membra quædam perficiuntur frigore, intelligit per frigus calorem diminutum, & quod ista mistio intelligitur de potentia non de mole, quia palmus ignis validior est cubito terræ. Inde dicit si quis nolit fateri hoc in aliis mistis, saltem in animalibus hoc concedere cogitur. Sed hoc esse falsum & contra Galenum, iam superius, & modum quomodo formica sit verè frigida, declaraui: neque enim valet in aliquibus: hoc corpus formicæ gubernatur à calido & humido, igitur in illius mistione vincit calidum & humidum.

Ex hoc vsque ad octauam propositiones illæ sunt descendentes ex supposito in octaua: similiter secundum illam opinionem esset verum, *in mistis saltem perfectis non dari æquale ad pondus.*

In vndecima autem propositione dicit, quòd cum in omni genere inanimatorum & animatorum & animalium sit ponere medium, quod homo est in medio totius temperaturæ mistorum, declinantis ad calidum & humidum, vt dictum est superius.

Rursus de his habetur pulchrum exemplum *Prima tertij*, & nullibi melius: & *secunda Aphorismorum com.* 25. non soluuntur morbi, manentibus qui eos efficiunt humoribus; & ideo circa hoc dubitari solet, an temperatura *masa* quæ fit à vermibus, vel à lapide, aut à carne putrida dicatur esse materialis: quidam dicunt quod sic, quia illa solum dicitur materialis quæ causam habet manifestam: sed ista responsio non satisfacit, quia secundum illos mala intemperies à lapide deberet esse materialis, cum non sit apud illos. Forsan aliquis diceret, quod dicitur materialis quæ nondum est fixa, sed hoc est falsum: quia quamuis omnis fixa sit immaterialis, non tamen omnis immaterialis est fixa, & sic nec à manifestatione, nec à fixione potest dici immaterialis. Galenus *de morborum causis cap.6.* declarabat duplex genus intemperiei, sicut etiam hic à Principe tangitur: vel enim sine materia vel cum materia. Princeps autem bifariam diuidit intemperiem cum materia: aliqua enim est in membro ingenita, aliqua non: eodem modo in lapide; nam si intemperies talis est, vt ablato lapide auferatur intemperies, tunc erit materialis: si autem non auferatur, tunc erit materialis & immaterialis, quia medicus considerat omnia à fine, & ideo penes curam, & quia cura materialis fit per euacuationem, vt in vltima authoritate, & alia alio modo &c. Neque possumus dicere, quòd lapis non sit materia aliter neque aqua in hydrope, & sic incidimus in magnos errores: nam neque pulmo cum catarrho seu muco loborat, aut sanie. Sed hic emergunt ex textu aliæ dubitationes. Prima quia Galenus *in tertio de Presagio ex pulsibus cap.* 8. cor patitur humidam intemperiem propter ædema, & tunc hæc vocabitur morbus materialis in corde. Respódeo quod non, quia nihil est in corde, quo ablato auferatur mala qualitas: respondeo quod dum fit, potest dici morbus materialis, quia pendet ex aliqua materia, possemus tamen dicere, quod non dicitur materialis, nisi quando fit impressio sine medio à materia, sed hæc impressio non fit sine medio, quia ædema aut imprimit in membrum aut per vapores, & ita non illico in cor.

Notandum quod vt habetur ab Oribasio *Quinto synopseos cap.* 51. datur intemperies simplex, vt in iecore, ex qua humor generatur velut in Iecore: ex calida & sicca intemperie generatur bilis, Et hæc intemperies non dicitur à materia, quia non gignitur ab illa, & tamen dicitur intemperies cum materia, quia oportet vt curatio illius fiat per euacuationem materiæ, ideo est intemperies media inter simplicem & cum materia.

Notandum secundo quod per intemperiem siccam, Oribasius intelligit consumptionem humidi, & ideo distinguit eam in tria, sicut de tribus speciebus hecticæ: vel enim consumptum est humidum in arteriarum & venarum osculis, & est primum genus, quod sanabile est: vel in substantia membri infusum, non tamen ad huc conuersum, & est secundum genus siccitatis, quod vix curatur. Vel est ipsum humidum membri quo illius substantia compaginata est: & tunc morbus hic est insanabilis, cum humidum illud amissum non queat restitui. Ex quo patet, quod secundum ipsum non daretur intemperies sicca à sola qualitate impressa, quod tamen videtur esse alienum à sensu & à mente Principis. Nam quod ad Principem attinet, ponit intemperiem cerebri, quæ restinguitur solis embrocis & inunctionibus, quæ non possunt restaurare substantiam ipsius humidi. Et quo ad rationem, videtur quod velut caliditas, ita siccitas posset imprimi sine consumptione substantiæ, sicut etiam caliditas. Et etiam quia istud videtur in medicamentis, & etiam quia talia medicamenta imprimunt sui similitudinem, & non nisi qualitatem siccam, quia ea prædita sunt, & non consumunt maxime si frigida sint: ergo datur intemperies sicca, sine consumptione materiæ. Dicendum quod datur, sed sic non lędit, quia nec consumpta est substantia, nec siccitas ipsa magnam efficit actionem. Ergo talis intemperies non consideratur à medico. Et propter hoc Oribasius eam solum exposuit, vt à medico consideratur Et quam solent medici curare: non quòd non sit alia.

Circa vtramque autem intemperiem tam simplicem quàm à materia dicebat *libro de morborum differentiis cap.* 5. oportet ad cognoscendum morbum, causam illius scilicet à qua intemperie proueniat, scire: nam inquit si quis male concoquat, & aliquis interroget cur male concoquat, medicúsque respondeat, quia ventriculus est imbecillis, dicit Galenus: ille nihilo plus dixit quàm quiuis medicinæ imperitus: imo dicit nihil dicit.

dicit. Ex quo apparet quam necessaria sit intemperierum cognitio, & ad morbi scientiam & ad illius curam. Neque enim dicit cura fit, nisi ablata causa. Idem quoque dicebat quòd intemperies sine materia, si non sit magna, non sentitur, quæ autem cum materia facile percipitur à medico. Et ibidem addebat, quòd intemperies cum materia non solum rarò est simplex, sed frequenter est mista multipliciter dicebat, quia rarò datur humor sincerus. Dico etiam quòd si esset humor sincerus, adhuc esset composita, quantò magis si sit humor permistus ex multiplici genere humorum.

TEXTVS LXVII.

ET est tibi sciendum, quòd complexio cum materia duobus modis est: membrorum enim quandoque exterius à materia madefactum est: & quandoque materia penetrat, & retinetur in foraminibus & ventriculis ipsius: & est cum receptio, & penetratio est apostemans, & est quando non.

COMMENTARIVS.

His visis proponitur de materia imbibita seu infarta, seu impacta. Quinque modis materia inest in membro; aut in concauo eius, aut foraminibus latis, si concauitate membrum careat vt in primo modo. Aut vt sit transmutata in substantiam membri, vt de Nicomacho Smirneo dicit Galenus; aut vt sit per modum pinguedinis vel etiam carnis super excrescentem (hi duo modi naturales sunt) aut vt sit infarta, *tinctilem* vocant à *tingo* Latini, de quo agit Philosophus *Quarto Metheororum cap. 9. in princ.* & datur exemplum propriè de lana, & est cum sorbent humorem, & non redduntur molliora, quoniam inquit aqueus humor recipitur in foraminibus misti terrei. Aliter forsan legendum esset; tinctile est quod mollescit, non autem liquescit instar vitri & salis, quæ licet madescant postmodum tamen etiam liquescunt: at funis, pannus, lorum madefiunt, mollescunt; nullo tamen modo liquantur. De hoc modo quo imbibitur membrum sine tumore, loquebatur Galenus *septimo Artis curandi cap. 11.* & fit duobus modis. Vno cum materia tenuis & pauca ingreditur primos meatus, & non facit tumorem, quia pauca: neque duritiem iam non penetrat. Secundus modus est cum præter hæc remanet aliquid de materia crassa extra, & tenuis intus penetrat, & hic tangitur à Galeno *ibidem cap. 12.* dicente quòd materia quæ in concauitate est, si purgetur fomentum subtrahit illi, quæ in poris infarta est. Itaque hoc quartum genus est omnino sine tumore, & omnino etiam sine duritie, imo cum maiore mollitie quàm antea. Hucusque omnia clara erant, nisi quòd non penetrabat: ratio cur cum impacta esset materia membrorum, tamen neque tumeret, neque duresceret, & hoc constat ex tribus: paucitate materiæ, tenuitate eius, & quòd non penetret. Ex hoc sequitur quòd dolorem non faciat; nam ratione qualitatis id potest facere, non ratione quòd soluat continuum: sequitur tamen quòd membrum fiat maius, sicut videmus de loro madefacto, quòd fit mollius, & maius ab initio, vnde duplici causa membra quæ imbiberant materiam fiunt bibiliora. At vero quintum genus est in quo maior est difficultas, & ponitur à Galeno *in libro de differentiis morborum cap. 9.* de tumore linguæ, qui constat esse præter naturam, & tamen fuit sine dolore: quia ergo affuit humor, ideo materia infarta fuit, non solum in superficie sed intus. Fuit ergo materia præter naturam & infarta; & intus, & tamen dicit Galenus, neque erat œdema, neque scirrhus, neque phlegmon; neque enim particula dolebat, neque sensu carebat, dicit Galenus. Illud idem accidit sæpe in mammillis & testiculis & glandulis, qui tumor aliquando si ad strumas deuenerit, multum incommodi affert, intendens quòd in huiusmodi tumoribus magnitudo crescit sine dolore, & cum dicat *in libro de tumoribus cap. 17.* quòd ipse non prætermisit vllum tumoris genus, ideo necesse est hunc tumorem comprehendi sub aliquo genere eorum, quæ posuit ibi.

In principio ergo distinguit tumorem quem *oncon* vocat, in præternaturalem & non naturalem, dicens quòd non statim qui nòn est naturalis, præter naturam est, vbi videtur sibi contradicere. Pro quo vide *sexto contradicentium cap. 1.* Visum est rursus *in Duodecimo eiusdem*, an omnis tumor præter naturam sit abscessus. Vide etiam quid abscessus significet, & quomodo ab Apostemate differat, sed hoc non est præsentis instituti; Verùm solum id quærere quod non talis tumor sit præter naturam, & *in libro de tumoribus 4. contrad. 15.* egerit de omni huiusmodi supposito, quod lædat operationes, nam si non læserit, non erit præter naturam, sub quo continebatur. Huiusmodi etiam tumores aduenıunt sæpe in musculis ventris, qui citra dolorem sunt, vt in nobili muliere De Blanchinis Bononiense: Et superueniente dolore tunc reducuntur ad abscessus genus duri, vel mollis, vel calidi. Respondeo ergo quòd non comprehenditur sub aliqua specie, sed sub genere ipso, quia materia potest esse cuiuscumque generis: ideo si sit sanguinea, comprehendetur sub phlegmone, si pituitosa sub ædemate, & ita de aliis. Nos autem admonebat ibidem de duobus: primum quòd sub cute omnia laxa sunt, & etiam in carnibus sunt cauitates, maximè citra arterias vbi dilatantur. Cum ergo immodico implentur sanguine, faciunt inflammationem, quia tumorem dolorem & pulsationem generant, inde etiam plus. Alterum de quo nos admonet, est quòd sanguis non auget tumorem valde ex suppuratione, quia dicit non increscit multum ex inflammatione: neque enim est vt pix & resina, quæ dum calescunt plurimum crescunt, sed crescit tumor

timor ferme solum ex multitudine sanguinis. Dicit hoc contingit, quia sanguis non concreuit à frigore vt illa, & ideo neque à calore adeò excrescit, sed valde parum, quod etiam in ardentissimis febribus cognoscitur quæ superuenientes Phlegmoni, parum illum aut nihil adaugent. Ex quo liquet, cur egregij medici dubitant, an sit phlegmon an non, cum parum differat quod iam incipit suppurare ab eo, quod resoluitur aut nondum incepit. Sed differentia iuxta Galenum magis à calore sumenda est, quàm tumore vel dolore, quæ potius multitudinem humoris sequuntur, quàm inflāmationem. Ex hoc habetur ratio, cur dum influit cura esse debeat per refrigerantia & astringentia. Sed vbi impactus fuerit, astringentia non proderunt sed potius nocebunt, vt ibidem dicit. Ponit etiam curam *secundo de locis cap. 1. sect.* 10. quæ consistit in attenuatione & concoctione, dum iam materia defluxerit.

Aliàs docuimus supra, quomodo astringentia non merito materiæ fluxæ sed membri & periculi &c. sunt admiscenda: inde ergo dicam, quod materia huiusmodi facit tumorem, infarcta in interioribus cauitatibus, extendendo particulam, & plerumque dum extendit in latitudinem, contrahit longitudinem, vt in locis madefactis. Et in hoc etiam est ordo vt dixi, nam antequam extendantur partes non fit dolor, & tunc est tumor præter naturam, sed eius non meminit Galenus *in libro de tumoribus*, quia non lædit operationes, sed est in via, vt generet dolorem, cum nimis impletur, inde etiam suppuret. Et vocatur inflammatio, etiam antequam suppuret cum dolorem facit grauem; sed est ex quodam abusu sumpto, ex eo quod sæpius euenit. Cum enim dolet aptum est venire ad suppurationem, & si non superueniat difflata materia, & maximè cum auxiliis & inedia. In vniuersum ergo colligendo, materia infarcta est quadruplex, superficiaria citra tumorem: & cum tumore, sed citra dolorem, aut cum adeo leui, vt non impediat operationem, & hic tumor non est de consideratione medici *in libro de tumoribus*, quoniam non considerat nisi quatenus est morbus. Et cum est cum tumore & dolore graui, & calore sed non adeò magno, vt significet suppurationem, & tunc debet curari cum astringentibus, & refrigerantibus, & præcipuè si sit supra iecur, vbi suppuratio est valde periculosa. Vltimus ordo (nam vt vides, ista quatuor procedunt quasi ordine necessario se inuicem) cum materia est infracta cū tumore, dolore vehementi, & calore manifesto, maximè cum febre, vt tendat ad suppurationem, & tunc est inflammatio exacta, sicut tertius modus est inflammatio, sed non exacta id est quæ tendat ad suppurationem.

Declaratum est in lectione præcedenti, quod materia imbibitur ex venis: Dicebat Galenus *in libro De inæquali intemperie c. 3.* Quippe calida fluxio, vbi in musculum procubuit, primum maiores arteriæ venæque opplentur ac distenduntur ab iis minores, atque ita res procedit, donec ad minimas sit peruentum. In iis vbi valenter impacta fluxio est, nec amplius contineri potest partim per ipsarum ora, partim per tunicas, colatum foras transmittitur; tum verò spacia ipsa vacua quæ inter prima sunt corpora fluxione implentur. Sic omnia ab humore omnique ex parte incalescunt ac perfunduntur. Ea sunt nerui, ligamenta membranæ, caro ipsa, antequam hæc arteriæ & venæ, quæ scilicet & primæ, & præter cetæra vario dolore afficiuntur. Quippe interius affluxione tum excalefiunt, tum distenduntur ac diuelluntur: exterius non modo calefiunt, sed etiam premuntur ac degrauantur reliquæ particulæ, aliæ comprimendo solum vel incalescendo, aliæ vtroque genere laborant, appellatúrque morbus ipse phlegmone. Est autem inæqualis intemperies musculi: feruet enim iam qui in eo est sanguis. Is secum excalefacit: primum quidem ac maximè arteriarum & venarum tunicas, mox verò omnia quæ extra has sunt, quibus scilicet circumfunditur. Ita duorum alterum necesse est sequi, vt si fluxio vicerit, corruptio sequatur victorum corporum: sin fluxio sit victa, vt musculi ad naturalē statum redeant. Esto igitur prius victa fluxio, (rectius enim à melioribus incipitur) duplex hic incidit curationis genus, quod vel digeretur, quicquid humoris in particulam procubuit, vel concoquetur. Verùm digestio optanda maximè curatio est. Concoctionem hæc duo necessario sequuntur; puris generatio, & eius in aliquod spacium abscessio. Abscedit aliquando incapacitatum quæ propinquæ sunt, tum maximam tum minimè momentaneam, quod sane abscessionis genus optimum est. Alias in non momentaneam quidem, non tamen maximam. Interim in maximam, non tamen non momentaneam. At quæ in ventriculum incidunt abscessionum optima est, quæ in sinum eius internum abiit, in quem etiam plerumque se aperiunt: mala verò, quæ sub peritoneum. Pari modo in iis quæ circa cerebrū existunt, bona est quæ in priores eius ventriculos ascendit, mala quæ sub inuolucra eius, item quæ in posticum eius ventrem se recipit. Qui verò circa costas abscessus colliguntur, hi in capacitates erumpunt thoracis ac musculorum quidem abscessus sub cutem: viscerum verò, in arterias & venas, quas in se continent; vel in membranam, qua operiuntur, quæ ipsis pro cute est. At si victæ à fluxione particulæ fuerint, in tantam deuenient intemperiem, vnde tum earum pareat actio, tum ipsæ spacio corrumpantur. Porrò desinent tum primum dolere, cum mutatrici qualitati fuerint adsimilatæ. Non enim cum mutata particularum temperies iam est siue (vt sic loquar) in ipso mutatum esse dolent, sed dum mutantur: siue in ipsa mutatione. Quéadmodum mirus dixit Hippocrates, dum alterascit ac corrumpitur natura, dolores fiunt.

Proponit Galenus modum quo fiunt phlegmones, locum, materiam, finem, differentias abscessuum ex magnitudine & partibus, quibus rumpuntur: demum quando finiunt

finiunt ſymptomata. Modus quidem eſt repletio non ſolum venarum, ſed & arteriarum, ex maximis ad magnas, mediocres, paruas, puſillas & minimas, idque primum animaduerſione dignum, quòd ex arteriis etiam fluit materia. Secundum quòd ex vaſis minimis, non ſolum ex operationibus eorum, ſed etiam per tunicas effluit humor per anaſtomaſin, de qua *in libro de diſſectione venarum in fine*. Tertium, quòd muſculi ſunt, qui phlegmonibus obnoxij ſunt. Quartum quòd implentur nerui, ligmenta, membranæ, caro, & primum ante muſculos vacuitates. Quintum quòd non ſolum implentur ſed diſtenduntur dolent & inflamantur. Sextum quòd mirabile eſt, quia dicit venas & arterias vario dolore affici; Et quòd ab intus diſtenduntur & diuelluntur, extra caleſiunt & premuntur, & eſt ſeptimum. Materia eſt ſanguis pro ſignificato, vt quinque partes continet; ſcilicet quatuor humores & ſeroſam partem. Poſtmodum declarat finem: vel enim vincitur membrum à fluxione, & moritur homo ſi viſus laboraret, aut particula ſi extremitas: aut natura perfectè vincit, & tunc fit digeſtio, & omnes ſeruantur; aut vterque calor, & natura & fluxio, & tunc alij ſanantur alij moriuntur. Moriuntur quidam dum fit coctio, vt in pleuritide; quidam ex eroſione ſaniei: quidam ex effuſione vt in empyemate. Cum verò ſuppuratur diſcrimen eſt à magnitudine, optimus eſt abſceſſus, minimus, deterrimus, maximus, medius, mediocris. Adnotat abſceſſum dici phlegmonem ſuppuratum: poſtponit differentiam ex parte, qua rumpuntur. Et eſt quòd optimum eſt rumpi in loca habentia exitum naturalem, vt in cauitatem ventriculi, non in cauitatem ventris, & ita de veſica & renibus, & cerebrum in anteriores ventriculos. Vltimo docet quòd dolores fiunt, dum pars mutatur ſeu ad coctionem, ſeu ad corruptionem, vbi aſſimilata fuerit alteri horum, ceſſant dolores & etiam febres, ſed non adeò; ob id prætermiſit, & ita ſunt ſeptem.

Quarta difficultas eſt an morbus materialis ſit in compoſitione an temperatura, vt de difficultate ſpirãdi. Reſpõdeo quòd vt dixi materialis eſt nomen cauſæ non morbi, ideò materia poteſt eſſe cauſa tam morbi in compoſitione, quàm etiam in temperatura, nam materia poteſt facere vtrumque, ſed non additur morbis compoſitionis hæc differentia quia nõ omnibus conuenit. Sexta difficultas, an detur intemperies humida ſine materia; quod ſic *libro de cauſis morborum cap. 5. iuxta med.* Vide *ſecundo contradicentium*.

Secunda difficultas. Idem dubitat *Tertio collectaneorum*, quoniam omnis morbus materialis videtur eſſe compoſitus, quia primo eſt morbus per ſe ex materia, item per malam qualitatem in membro receptam: ſed ad hoc reſpondetur ex Galeno *in libro artis medicæ*, intemperies in membris ſunt morbi; materia eſt cauſa morbi non morbus; ideo decipitur Auerroës, quia materialis & ſine materia non ſunt differentiæ eſſentiæ morbi, ſed cauſarum eius, vel melius exponamus Auerroïm, & optimè; quod materia plerumque vltra eam quam facit intemperiem ex mora imprimit, & intemperies quæ eſt cum materia, cum moram duxerit, fit morbus compoſitus ex materiali & immateriali. Et hoc videtur ſumptum ab Galeno *in vndecimo artis curandi*, dum dicit in febre duæ intemperies; vt facta curetur, & quæ fit inhibeatur.

CAPVT II.

TEXTVS LXVIII.

DIco, quòd Deus cuique animali, & cuique membro donauit ex complexione, quod magis meretur: & quod eius actionibus, & diſpoſitionibus ſecundum poſſibilitatem melius exiſtit: hoc autem certificare Philoſophi eſt, & non medici. Donauit autem homini complexionem temperatiorẽ, quàm in hoc mundo eſſe eſt poſſibile, cum conuenientia ſeu proportionalitate ipſius ad virtutes, quibus agit & patitur: & vnicuique membro donauit de complexione, quod meretur. Poſuit ergo quædam ex membris calidiora: & alia frigidiora, & alia ſicciora, & alia humidiora.

COMMENTARIVS.

Poſtquam locutus eſt Princeps de octo modis æqualitatis, tum etiam de modis inæqualitatis totius corporis, nunc incipit loqui de ſeptimo & octauo modo, qui ad membra pertinet. Et diuidit in octo partes: in prima proponit quatuor propoſitiones, in ſecunda ponit membra calida, in tertia frigida, in quarta humida, in quinta mouet dubitationem, quid humidius pulmo an Iecur? In ſexta quid humidius pituita an ſanguis? in ſeptima quid humidius oſſa an pili; in octaua explicat membra ſicca. In prima igitur dicit quatuor. Primum quòd Deus optimus dedit vnicuique animanti vt membro partes neceſſarias pro operationibus ſuis; ſecundum quod hoc ſpectat Philoſopho non medico declarare. Tertium quòd homini temperatum: Quartum quòd etiam membris humanis; & propterea dicebat Galenus quod ad membra attinet *in primo de vſu partium, cap. 5. in fine*, dum de digitis loquitur; & poſt quod natura dedit vnicuique membro illud quod erat neceſſarium ad operationes de ſubſtantia & numero & magnitudine, & forma, & ſitu: & rurſus muniuit ſummitates digitorum vnguibus, vt melius apprehenderent. Quod ad animalia verò attinet, dicebat *in primo de vſu partium*, quòd natura dedit etiam animali corpus proportiona

portionatum operationibus suis, vt equo vngulas, & leoni vngues. Et propterea dicebat circa finem eiusdem, & *in tertio de vsu cap. 22.* quod natura dedit simiis corpus ridiculum, quia habent animam ridiculam; circa quod scire expedit quod vltimis finis animalis est operatio, ergo perfectissimum in ipso *Nono Methaphysicæ cap. vlt in fine.* Et quia ad operationem necessariæ erant virtutes & instrumenta, ideo factæ sunt virtutes & instrumenta, & quia virtutes erant accidentia, & instrumenta erant corpora, ideo oportuit esse spiritus, in quibus essent virtutes & temperamenta, quibus membra constarent: & quia intellectus erat perfectissima operatio, ideo homo fuit perfectissimus inter omnia animalia: sed dubitare contingit quia *Nono Methaphysicæ com.16.* quorundam est operatio & quorundam illud quod factum est, igitur non operatio semper est finis; respondeo quod in homine intelligens & intellectum cum operatione: sed in aliis operationibus non curat Princeps, quia satis est, quod operatio est vltimum eorum, quæ in homine continentur. Pro quæstione decima octaua, an homo præcellat omnia animalia sensibus, vide *secundo contradicentium.* Pro decima nona quæstione, scilicet an corpus temperatum habeat perfectiores operationes, tractata est super *secundo artis medicæ*, qui tamen velit videat *secundo contradicentium.* Dubitatur penes quid consideretur temperatura, an secundum innatam tantum an fluentem tantum, vel vtranque. Quod non de influente tantum, patet quia sic omnia membra essent calida; neque de innata tantum quia dicit quod venæ sunt calidæ, eo quod recipiunt multum sanguinis, Relinquitur igitur quod intelligant de innata deducta ad actum per influentem. Istud idem ostendit eo quod comparantur ipsi cuti, tanquam temperatæ, & sic dicimus vt habetur *secundo Prognosticorum*, quod extrema corporis sunt frigida, & maximè in diuturnis morbis in senibus: & in hyeme, quia multum distant à calore cordis. Tertio quia talia sunt, qualia à tactu percipiuntur: sed tactus percipit innatam deductam ad actum per influentem. In oppositum quod non sit hoc modo intelligendum quia sic nerui & ligamenta cordis sunt valde calida & plusquam caro. Propterea dicebat Galenus *Primo de temperamentis cap. vlt in fine* quod circa membra valde calida vt cor & iecur, non generatur pinguedo. Dicendum quod regula de tactu, intelligitur de his membris quæ sunt detecta.

Sciendum est etiam quod membra simplicia sunt facta propter instrumentalia *secundo collectaneorum* sicut ligna propter nauim, & illa propter spiritum qui ei submittitur à corde, vt ibi dicebat Aristoteles *in libro de motu animalium,* sequitur ibi; est autem quadruplex.

Sciendum est etiam quod hic per membra intelligit partes ipsius corporis, vnde etiam numerantur spiritus humores & pili: pilorum autem & vnguium nullum est regimen *libro artis medicæ c. 9.* vt pili viuunt aut nutriuntur: partium igitur corporis triplex est differentia: quædam habent influentem tantum, vt spiritus: quædam innatam tantum vt vngues & pili: sed hæc innata duplex: alia quæ dicitur virtus, alia quam dicitur temperies. Virtutem non habent vngues & pili, sed bene temperiem: quædã vtraqmue vt caro. Circa ea quæ dicit, quod corpus humanum est temperatissimum dicebat Galenus *primo de Alimentis.* Quæ medij sunt temperamento, & nulla vincenti qualitate prædita, & sola alimenta vocantur, talia nec aluum subducunt, nec astringunt: nec roborant ventriculum, nec debilitant, etsi quædam dicit *in libro de cibis boni & mali succi cap. 2.* lenta sint & crassa: hæ enim possunt esse differentiæ alimentorum: Et enumerat sex quæ sunt temperata, triticeos panes, alicam, tragum: Et est simile farri, vel ipsum far, seu Condrum. Diosco rides *libro secundo cap. 84.* oua, carnes suillæ, & lac. Dicit inquam post *in eodem libro De cibis mali & boni succi cap. 10.* isti cibi temperati solum conueniunt temperatis hominibus, nam intemperatis contrarij conueniunt, vt qui sunt frigida & humida temperie calidi & sicci temperamenti, & frigidis & siccis calidi & humidi. Quocirca de membris cum intelligatur proprium temperamentum & non simile, illi cibi dicentur etiam temperati, qui sunt similis naturæ non absolutè temperati, & iecori temperatus cibus dicetur calidus & humidus, quia iecur natura est calidum & humidum inter membra, temperati comparatione & etiam hominis.

Intendit quod corpus humanum quo ad mistionem elementorum est temperatissimum, scilicet in qualitatibus, quoniam vt alias dixi, est optimè mistum, & magis remotum à dissolutione: sicut centrum est maximè remotum à circumferentia, & ita minus obnoxium dissolutioni. Sed quo ad vitæ constitutionem, est calidissimum & humidissimum & hoc quia debet fungi plurimis operationibus & perfectissimè & facillimè: sed hoc fit medio qualitatis maximè actiuæ, & est caliditas, & maximè passiuæ, & est humidum: adeò vt ingrediatur illius diffinitionem: dicimus enim humidum est quod terminat termino alieno. Sed cum debeat esse tale scilicet calidissimum & humidissimũ in iuuentute, ergo debet esse in infantia adeo humidum, vt indigeat solus homo auxilio alieno, vt dicit Philosophus. Nam corpus perpetuo exsiccatur, & à principio corpora animalium adeò sunt humida vt in edendo videantur muco lento constare *secundo de temperamentis*: inde paulatim exsiccatur vt *in Primo de tuenda sanitate.*

His visis deuenio ad modum. Declaraui quomodo Galenus docebat cognoscere temperamenta membrorum *in secundo de temperamentis*, & dico quod ponit duas vias: vnam sumptam à sensu, aliam à ratione. Quo ad sensum attinet, Galenus docuit quod in frigido & calido debemus iudicare per sensum *secundo de Temperamentis cap. 2.* & etiam adducit rationem vt videbimus: in

humido

humido autem & ſicco vtitur ratione quæ talis eſt. Omne molle humidum & omne durum ſiccum dicit in aliis non valet, quia glacies eſt dura non tamen ſicca. Hic locus à nullo ante nos intellectus eſt, quia ſi non datur frigidum in corpora congelans, igitur non dabitur ſiccum: dico intentio eſt quod dura à calido ſint ſicca & mollia humida, & non per colliquationem igneam, quia metalla ſunt ſicca, & tamen mollia cum ſunt liquefacta: ſed ſunt mollia ob immenſum calorem qui non poteſt inueniri in corpore: molle igitur humidum, durum igitur ſiccum in corpore. Rationes autem quibus deuenitur ad hoc ſunt tres, quarum vna eſt Galeni *Primo de Temperamentis c. vlt.*& eſt ab eo quod participant aut carent ſanguine: ſecunda Princeps à diſtillatione, ea tangitur infra. Tertia ab eo quòd non mutatur.

Eſt & Tertius modus examinandi temperies partium, poſitus à Philoſopho *ſecundo de Partibus animalium*, ab Auerroë *ſecundo collectaneorum*, vt in cerebro cerebrum cum coquitur, durius redditur difflata parte aquea, igitur eſt aqueum ac terreſtre, ex quo ſequitur quòd iecur & oua ſint huiuſmodi.

Dubitatur quænam ſit melior via pro temperatura dignoſcenda; reſpondetur quòd via tactus: contra quia vel in mortuo, & ſic non erit membrum calidum, vel in viuo & ſic non erunt dentes frigidi, & nerui in pectore ſed calidi. Ad hoc Gentilis argumentum reſpondeo, quòd de pituita diſcernit ſenſus *ſecundo de Temperamentis*; ſed de aliis partibus dico quod loca oſſium ſunt frigidiora, & neruorum carnoſa calidiora, & hoc ſufficit: quare habemus indicium de internis per externas, & ideò de dentibus, quamuis in ſuperficie ſint calidiores, quia tamen oſſa ſunt, & ſcimus quod oſſa intus ſunt frigida vt apparet in cruribus, vbi ſola pelle integuntur, ideò ſcimus quòd dentes intus ſunt frigidi. Reſpondeo ergo in via Galeni, quòd diſtinctio membrorum in calido & frigido, intelligitur de compoſitione elementorum, provt eſt deducta ad actum conformem temperaturæ propriæ, & ideò vtitur ratione pro ſupplemento, quæ ſecus non eſſet neceſſaria ſi acciperet calorem provt eſt, influentem. Si tamen multum excedat ille calor influens, vult quòd reducat membrum à proprio ordine frigidorum ad calida, vt in venis & arteriis. Verum dicendum eſt potius, quòd omnia membra dicuntur calida comparatiuè & ſunt illa, atque quamuis ratione multus calor influit ex ſanguine, vt cor, Iecur, arteriæ, venæ, caro, &c. quomodo Galenus poteſt tueri ſuam regulam, quia oculi ſunt calidi tactu, & tamen reponuntur inter membra frigida? & verè argumentum Gentilis concludit, & ratio, quia ſuppoſitum Galeni eſt omnino falſum, nam corpus humanum in actu eſt calidum totum præter cutim, quæ refrigeſcit ab aëre, & pituitam, & quandoque melancholiam, quæ vel frigida ſunt in corpore, vel celerrimè refrigerantur; & ideò dico quòd membra alia ſunt valde calida, quia multum habent de ſanguine; & alia parum calida, quia parum habent de ſanguine, & nullum eſt membrum frigidum, & quia iſtà dicuntur comparatiuè propter curationem, ideo res reducenda eſt ad huiuſmodi regulam, quæ ſola eſt vera & vtilis ad exercitationem artis. Membra ergo alia ſunt calidiſſima, alia valde calida, alia temperatè calida, alia parum calida; calida tamen membra calidiſſima ſunt, quorum ſubſtantia conſtat multo ſanguine & elementis calidioribus, & continentur in ea actu plurimum de ſanguine ac ſpiritu, velut cor: membra calida valdè ſunt duorum generum, vel quia ſunt ſanguinea & ex elementis calidis, ſed cum pauco ſpiritu velut iecur & pulmones, vel quia conſtant ſubſtantia non ſanguinea, & ex elementis frigidis, & multo ſpiritu vt arteriæ & cerebri extima pars. Vnde notandum eſt quòd dictum Galeni *octauo de vſu partium cap.* 2. debet ſolum intelligi de exteriore parte cerebri, maximè ſuperiori, nam intima & maximè inferior eſt frigida, licet parum, & ideò Galenus deſtraxit potius medicinam quam locupletauit, quia protulit generaliter quædam ex ſenſu accepta tamquam vniuerſalia, cum eſſent ſpecialia. In hoc caſu nihilominus fuit tam bene fortunatus, credo quia verax; nam ſcire hoc de cerebro multum confert ad medicinam, eo quòd in vulneribus capitis ſeu penetrent ad membranas, ſeu ſolum ad os, ſemper debemus adhibere ignem prope, cum medicamur, vt docebo: poſt membra autem calida temperatè ſunt quatuor generum, vel quia abundant elementis calidis cum pauco ſpiritu vt caro, vel quia conſtant ex elementis frigidis, ſed abundant multo ſanguine ſine ſpiritu velut venæ: vel quia conſtant multa materia frigida & ſpiritu copioſo velut oculi. Quartum genus eſt quod frigida conſtat materia & caret ſpiritu, & modicum habet ſanguinem, ſed temperatura vapore multo calido, vt inteſtina: quæ verò parum calida ſunt, materia conſtant frigida, modico ſanguine, ſpiritu ferme nullo, velut oſſa & aures genuum & tibiarum, & cubitorum, & loca cartilaginum: hæc enim omnium ſunt frigidiſſima inter membra, quia cartilago eſt denſior eſſe ſicut pituita eſt frigidiſſimum omnium abſolutè. Ex quo patet quòd habemus nouem genera calidorum vel frigidorum, quibus ſtantibus cum quatuor poſſint applicari; calidum actu, frigidum actu, calidum potentia, frigidum potentia, Regula igitur generalis eſt quia talia applicari debent, ratione morbi, & morbo ſemper debent eſſe contraria: videndum eſt quomodo conueniant ratione membri, nam per ſe debent applicari ſemper contraria actu & poteſtate, & ideò ſi cauſa morbi ſit valde magna, debemus habere rationem cauſæ morbi, debemus etiam diſtinguere inter membra interiora & exteriora: interioribus numquam conueniunt frigida in actu, niſi ſint valde calida, & ſpiritu vel ſanguine vt in morbo calido debemus exhibere frigida & applicare velut ventriculo, & Iecori: oculis autem debemus applicare frigida, quia conſtant materia frigida; & multum habent

de spiritu, & sunt membra exteriora auri autem semper calida, vt sit regula secunda generalis omnibus membris, tam interioribus, quàm exterioribus habentibus parum de spiritu, & sanguine, sed magis interioribus debentur calida in actu, propterea auris cum careat spiritu, & sanguine, & sit membrum interius; & sit etiam frigida compositione: propterea debetur medicamentum tanto calidius actu, quanto membrum constat ex elementis frigidioribus, vt non lædatur à frigido: oculis ergo conuenient frigida actu; quia plurimum habent de spiritu, & etiam quia sunt membra extrinseca: sed quia frigida sunt compositione: ideò non conueniunt vehementer calida. Tertia ergo regula erit: nulli membro conueniunt contraria valdè in actu temperaturæ ex elementis: cordi ergo, & pulmoni non conueniunt valdè frigida; neque auri valdè calida, quia sunt contraria compositioni valdè. Quarta regula omnia membra, quæ concoquunt ferunt medicamenta contraria in actu dispositioni seu causæ facienti morbum, vt ventriculus & iecur, ferunt frigidiora in morbo calido quàm cor, pulmo, cerebrũ. Quinta regula mẽbra omnia, exanguia & sine spiritu gaudẽt medicamẽtis applicatis calidis: nam si calida sint conseruant temperiem; sin autem sunt frigida, vt non excitetur dolor, vt auris: si verò habeant sanguinem vel spiritum sufficienter similibus in erysipelate; ergo auri adhibebimus minus quàm tepida & frigida medicamenta potestate, sed non multum. Sexta regula generalis: omnia membra quantò validiora caliditate naturali, seu elementari, seu à spiritu, tantò magis sustinent medicamenta frigida actu & potentia, nisi fuerint vnum ex tribus principalibus; fallit & in pulmone, quia licet sit validus ratione caloris, est imbecillis ratione raritatis: Septima regula; in humido & sicco omnia membra indigent similibus, non solum ratione temperaturæ membri, sed totius & regionis, & ætatis, & sexus.

Post lien assignat solum causam, cur carni postponatur, quia humorem continet melancholicum: ideò est frigidior musculis: de quibus nihil dixi; quia non occurrebat res digna: præsupponit autem, quod sciamus ipsum esse arteriis repletum, propter quas sit calidus: & ita patet ratio cur ponatur sexto loco, seu ordine calidorum.

Postmodum subiicit renes, vt habetur *prima primi*; attractiua indiget caliditate, & est sententia Galeni *libro artis Medicæ c.* 95. *post* item renes facilè incurrunt caliditatem: igitur sunt calidi. In oppositum renes sunt pingues, igitur sequela patet *secundo de Temperamentis cap.* 3. Ad argumentum dico, pinguedo generatur iuxta cartilagines: ad aliud dicebat Galenus *tertio virtutum naturalium cap.6.* quod attractio ipsa fit, vt nutriatur membrum: sed contra Galenus *in Primo de facultatibus naturalibus: cap.* 3. dicit quod istud totum prouenit à temperamento quatuor qualitatum, reprehenditque Aristotelem; quòd duas tantum posuerit qualitates affectrices, cum in libro de generatione, & corruptione posuerit quatuor: ideò dicit, si dicas magis affectrices non Hippocratem absona dicturum. Galenus *Primo de facultatibus naturalibus cap.* 15. argumentatur sic; si renes non trahunt, sed in illos sanguis expellitur totus sanguis expellit in renes: sin autem trahitur sanguis, vt colet, igitur totus trahitur. His duobus argumentis ostendit renes secernere quod in sequenti progressu declarat: respondeo igitur quod renes suaptè natura vehementer sunt calidi, quod ostendo quatuor rationibus. Prima si attrahunt multum, & attractio fit à calido, vnde notanda erat sententia Galeni *Quinto de vsu partium cap.6.* cum tria sint excrementa sanguinis, copiosissimum est seorsum, minimum melancholicum, mediocre biliosum, atque ita etiam se habent in crassitie: nam tenuissimũ, aquosum crassissimũ melancholicum, biliosum, mediocre: secunda quia facilè inflammantur. Tertia propter venam, & arteriam magnam; quarto & vltimo propter lapidis generationem: quare igitur posita est temperatura *sempτimo loco rerum cap.* 1. dico quod propter multitudinem serosæ partis, quæ ipsos renes refrigerat non secus ac humor melancholicus lienem *libro de rerum affectibus c.*10. *in fine*, sunt tamen calidiores, intus quam extra: & ratione quia serosa pars multam habet partem calidam, vnde accidit bibentibus aquam marinam, vt magis sitiant.

Cur autem arteriæ octauo loco ponantur calidæ, declarabat Galenus *sexto de vsu partium c.*10. dicens in toto corpore mutua est anastomasis, atque ossillorum apertio, arteriis simul & venis; transumuntque ex sese pariter sanguinem atque spiritus per foramina plana angusta, & inuisibilia: hoc autem demonstrabat *tertio virtutum naturalium* duabus rationibus: prima ex sectione arteriæ magnæ vsque ad mortẽ euacuatur totus sanguis in venis, igitur &c. ex dextro ventriculo cordis transit sanguis in sinistrum: igitur &c. igitur sanguis transit, & spiritus, patet ratio Principis. Sed contra rationem Galeni, quia prius deberet euacuari totus sanguis arterialis; igitur prius morietur euacuato ventriculo sinistro cordis quàm euacuetur sanguis totus ex venis. Sed oportet stare experimento, venæ autem ob id ponuntur arteriis frigidiores, quia sanguis arteriarum est calidior, tenuior, plenus magis spiritibus, siccior, flauior eo qui est in venis *sexto de decretis Hippocratis & Platonis.*

Spiritus an res temperata & an calidior corde, vide *Duodecimo Contradicentium.* 7.

Sanguis an sine serosa parte, vide *Duodecimo Contradicentium.* 9.

Sanguis an habeat calorem suum à corde, vide *Septimo Contradicentium.* 9.

Iecur an facilius liene scirrhum contrahat vide *Duodecimo Contradicentium.* 18.

Caro an temperatissima post cutim, vide *Duodecimo Contradicentium.* 13.

TEXTVS

TEXTVS LXIX.

QVòd autem in corpore eſt calidius, eſt ſpiritus, & cor à quo procedit; Deinde ſanguis licet in hepate generetur: quia enim cum corde continuus exiſtit, ab eo plus acquirit caloris quàm hepar habeat. Poſtea hepar, quia eſt ſicut ſanguis congelatus; poſt quòd eſt caro, quæ minoris eſt caloris, quàm hepar: propterea quòd neruorum villi in ea miſti ſunt, qui ſunt frigidi. Deinde ſunt muſculi, qui minoris ſunt caliditatis, quam caro ſimplex: propter illud quod de neruis & ligamentis eis admiſcetur. Poſtea eſt ſplen, propter illud, quod eſt in eo de fæce ſanguinis. Poſtea renes, eò quòd non multus in eis exiſtit ſanguis. Deinde arteriarum tunicæ, non propter ipſarum neruoſa corpora, ſed propter illud, quòd recipiunt de calefactione ſanguinis, & ſpiritus qui ſunt in eis. Poſtea ſunt venarum non pulſatilium tunicæ, propter ſanguinem ſolum. Poſtea cutis manus temperatæ.

COMMENTARIVS.

Circa membra enumerat decem calida, ſpiritum, cor, ſanguinem venalem, iecur, carnem, muſculos, lienem, renes, arterias & venas. Dicitur primo à quibuſdam, quod caro eſt calida per ſe, & adducitur Auerroës *ſecundo collectaneorum cap.* 3. qui dicit quòd caro cordis eſt calida, ſed dicit propter ſpiritum, & ibi dicit quòd calidior eſt ſpiritus, inde ſanguis, poſt caro, ſed intelligitur comparata influente. Deinde adducitur Princeps hic qui de arteriis & venis explicauit, quòd eſſent calida propter ſanguinem, igitur idem dixiſſet de carne. Reſpondeo quòd de arteriis locutus eſt ob hoc, & venis, quia mirabile videbatur: dico igitur quòd hoc non conſideratur à Principe, quia determinari non poteſt, nam neque vtile eſt, nec calor ille poteſt ſeparari influens ab innato; & ſi vellemus conſiderare vt cibum, tunc eſſet alia ratio. Quòd caro non ſit calida, apparet quia non vt viuens ſine calore influente, nam *in tertio de Temperamentis, c.* 1. dicit ſe locutum de his, qui actu ſunt hucuſque, neque per ſe, quia vt nutrimentum ſanguinis eſt frigidior carne *ſecundo de Alimentis, cap.* 1. quare caro non poteſt dici calida.

De ſanguine an calidius ſit, vide *Duodecimo contradicentium*: an verò habeat calorem à corde, infra videbimus. An ſub carne παρεγχύμα comprehendantur, videtur vtique quòd non; nam de iecoris carne ſeorſum tractat quam in quarto loco calidorum ponit, at carnem in quinto: in contrarium eſſet Princeps inſufficiens, quod neque inter calida, nec inter frigida membra numeraſſet. Reſpondeo quòd intelligitur; attamen caro iecoris & ſplenis ſeorſum conſideratur: contra quia inteſtinorum caro, & ventriculi quæ ſunt comprehenſa ſub παρεγχύματι, non ſunt calidæ, reſpondeo quòd *in libro de Partibus artis medicæ*, comprehendunt ſub fibroſa ſubſtantia. Dictum Galeni *Decimo artis curandi* intelligitur late, intelligendo ipſum παρεγχύμα. Quinto loco ponuntur muſculi, quia conſtant neruis & ligamentis.

Dubitatur an ſanguis ſparſus per corpus ſit calidus æqualiter, vt ille qui in hepate: dico quòd ille qui in ſuperioribus eſt validior, quia tranſiuit per cor: qui autem eſt in inferiore frigidior vel æqualis, & ideo ſectio venæ pedum in febre parum aut nihil iuuat, quia cor non refrigeratur.

TEXTVS LXX.

FRigidius verò quod eſt in corpore eſt Phlegma, Poſtea pili, Deinde os; Poſtea cartilago. Poſtea ligamentum, Deinde chorda. Poſt panniculus, Deinde neruus. Poſtea nucha, Poſt cerebrum, Deinde adeps, Poſtea pinguedo; Poſtea cutis.

COMMENTARIVS.

Frigidius verò quod in corpore eſt; dicebat Galenus *ſecundo de temperamentis, cap.* 3. *iuxta finem*, frigidiſſimum & humidiſſimum quæ in corpore continentur, omnium pituita eſt.

Hic igitur cadit dubitatio an humores ſint actu tales, Deinde ſequitur quæſtio vigeſimaprima, an pituita ſit frigidiſſima. Quidam dicunt quòd eſt frigidiſſima, quia proportionatur aquæ, & aqua talis eſt, iuxta Philoſophum *ſecundo de generatione & corruptione, com.* 23. iſta ratio non eſt bona, quia aſſumptum eſt falſum apud Principem *in libro de cœlo, cap. vlt.* quia terra eſt frigidior: deinde argumentum à ſimili claudicat, quia non eſt omnimoda aſſimilitudo. Alij dicunt quòd eſt, quia multiplicatur in corpore ſimili; contra quia vera pituita multiplicatur potius in infantibus, ſed in ſenibus muci & excrementa ſeroſa *Quinto de tuenda ſanitate, cap.* 5. *&* 8. Curtius dicebat quòd intelligitur de vitrea pituita *ſecundo de locis, c.* 5. de qua Galenus dicebat, quòd eſt ſimilis vitro fuſo & quòd tactu talis percipitur. Sed oportuiſſet Galenum & Principem explicaſſe, cum tamen ipſi loquantur generaliter. Quarta reſponſio loquitur per accidens, id eſt quia non eſt cocta à calore naturali, ſed hæc reſponſio minimè ſatisfacit: quia etiam dantur cruda calida *libro de cibis boni & mali ſucci, cap. vlt.* melius forſan ex *Primo de natura humana*, adducuntur duæ rationes: prima quia euacuata medicamento talis

talis videtur; secunda quia abundat hyeme frigidissimo tempore, sed *in fine libri de arte* Hippocrates videtur velle, quòd pituita sit distributa à calore naturali, acrimonia ciborum, & vult dicere quod eodem modo medicus acribus medicamentis diffundit: item *tertio de temperamentis, cap.* 4. pituita etsi cocta attamen frigida est, vt declarat Galenus dictum Hippocratis, *in libro de natura humana cap.6. in princ. in libro octauo de decretis Hippocratis & Platonis cap.7. in princ.* Sed cadit etiam difficultas maior; eò quòd calor naturalis datur in pituita etiam, vt habetur *octauo de dogmatibus Platonis & Hippocratis* iam supra adducto.

Erat postmodum vnum argumentum Iacobi valde difficile, quia vt habetur *secundo virtutum naturalium*, per ipsam est natum nutrimentum transire in sanguinem, & ideo natura nullum fecit ei peculiare vas: sed clarius *secundo regiminis acutorum*, pituita vlteriore actione in sanguinem transit. Capio igitur primum in quo debet transire in sanguinem, hoc sanguine qui est modice calidior pituita est; est aliquis sanguis frigidior, puta sanguis senis, igitur datur sanguis frigidior pituita. Respondeo quòd non est inconueniens, sicut nec de canis pituita & humano sanguine, sed respectu eiusdem.

Sed est argumentum magis: in re pituita est frigidissima, sanguis est in tertio ordine calidorum, igitur in instanti acquiritur tota illa latitudo. Respondeo breuiter quod pituita fit humor medius antequam transeat in sanguinem, ideò &c. Dico quod tunc pituita est calida nec est humor *secundo Methaphysicæ* genera sunt media inter esse & non esse, & quod generatur existentis & non existentis: sed an pili sint frigidiores vide *in textu com.7. fol.75*.

Quæritur & an melancholia sit frigidior pituita: videtur quod non, nam terra quæ illi proportionatur, facilius accenditur, quàm aqua, igitur pituita est frigidior, melancholia fit ex calore per vltimam decoctionem, igitur &c. Primum argumentum non probatur, quia potest facilius comburi, non tamen facilius calefiet, quia aqua repugnat in duabus qualitatibus, quas oportet corrumpi, vt aqua in ignem transeat, & terra in vna tantum, quia aqua celerius potest calefieri, vt minus frigida: sed neque secunda ratio, quia ex vlteriore adustione per viam resolutionis potest euadere frigidum, conclusio tamen est vera tam de naturali quam præternaturali.

Sed dubitatur quomodo pili possint esse frigidi; nam *Quarta Problematum* generantur à superfluo calore, vt à Galeno supra, igitur calidi: item pili calefaciunt nos, igitur sunt calidi; item pili facilè ardent ergo calidi sunt *Primo de Simplicium medicamentorum facultatibus cap.* 11. respondeo quod pili, sunt frigidi in actu; primo quia ad tactum: Secundo quia destituti à calore naturali *libro artis medicæ cap.* 9. pilorum & vnguium nullum est regimen, sed sola generatio. Ad primum fiunt frigidi resolutione Ad secundum solet responderi quod calefaciunt non vt panni: responsio ista est falsa, quia frigidum non potest calefacere; respondeo igitur quod prohibendo frigus, & ideo male agunt quia non abscindunt capillos in pituita capitis.

Sed dubitatur quia Princeps *Septima Quarti* dicit, quod pilus nutritur ex viscoso seu tenaci humido & vnctuoso, & dicit quod generatur ex vapore fumoso, ergo nutrimētum erit calidum, & pilus non erit frigidus. Respondeo breuiter quod humidum illud tenax continet vapores calidos & siccos, inde ex vlteriori assatione fit resolutio, vnde pilus euadit frigidus. Circa vtilitatēm pilorum dicebat Galenus *vndecimo de vsu partium cap.* 14. quòd pili sunt geniti propter duas vtilitates: vnam propter frigoris integumentum, Secunda propter ornatum viri indigent veneratione, & natura facit corpus proportionatum animæ: mulieres autem dicit non indigent integumento, quia domi manent; sed alia vtilitas est explicata ab Auerroë vbi supra.

Sed hic occurrit vna magna difficultas difficilis, quia Galenus in loco præallegato dicit, quòd oculi apparent calidi ad tactum, erunt ergo calidi, ex regula sua *Secundo de Temperamentis cap.* 2. Aristoteles *Trigesimaprima Problematum cap.* 23. quærens cur soli oculi non rigescant, respondet quod quia optimi, non quia calor igneus abundet in illis vt quidam dicebant: sunt enim de natura aquæ *in libro de sensu & sensili, cap.* 2. *in fine*. Quæritur cur pili semper crescant, ossa non semper? Hanc quæstionem mouebat Philosophus *Secundo de generatione animalium cap.* 4. *in fine* & dicebat quod senescentibus & ægris, imo dicit etiam mortuis pili increscunt, sed dicit non de nouo generantur. Respondet quòd ossa generantur ex vtili pili excremento, sed in senibus & ægris, quia parum nutriuntur multa sunt excrementa, igitur &c. Sed hic cadit dubitatio, quia vt recte dicebat Princeps in doctrina præsenti; materia per se non agit ad incrementum, sed in mortuis est solum materia; respondent quidam quòd exeunte carne & non verè crescunt. Ista responsio non est vera, quia ego vidi quosdam, in quibus crementum pili post mortem per duos digitos excreuit, & tamen pilus confundetur in panniculo carnoso, qui sine medio subiacet cuti non posset extendi, neque per medium digitum: ideo respondeo quod vapor ille & materia quæ continetur sub membrana pingui, à calore præter naturali impellitur, & cum ascendit vsque ad membranam fit pilus, & quia ista pinguedo est crassitudinis quatuor digitorum aliquando, vt narrat Vesalius, ideò potest sic augeri, id est tantum. Sed dicetis cur ergo non potest nasci de nouo; ad hoc respondebat Galenus *Secundo de Temperamentis cap.* 5. quod ad hoc quod pilus nascatur, oportet vt cutis transuerberetur, sed illa est densissima in mortuis, igitur pili non possent nasci in mortuis.

Item dubitatur, quia Philosophus *Quinto de generatione animalium* dicit, quod ab aquis calidis generantur pili candidi, à frigidis nigri, videturque sentire, quod à calore

lore fiant candidi,quia dicit calor concoquit, & aeream ſubſtātiam facit:reſpondeo quod per candidum non intelligit canum, aliter ſed non ad mentem Philoſophi dicerem, quod aquæ calidæ reſoluunt calorem naturalem.

Dubitatur quia in ægris & mortuis deberent caneſcere magis, quia calor naturalis eſt debilior, reſpondeo ad hanc dubitationem, quia dicit Philoſopus *Quinto de generatione animalium cap.* 4. quod in ægris etiam quandoque caneſcunt pili: hoc ſtante dicerem quod non poteſt fieri tanta refrigeratio in morbo, niſi diuturno, quanta eſt in ſenectute: & ſi modo fiat, partes exteriores non poſſunt adeò refrigerari,manent enim in lecto & locis calidis:nam vt dictum eſt canities fit à frigore, tametſi per flata non facile caneſcant, quia non putreſcunt: vel die longè melius quòd calor in ſene eſt remiſſus in quarto & quali, & in ægro ſolum in quanto, & etiam quia ſolida quæ ſubſunt cuti in ægro, non ſunt refrigerata vt in ſene. Hippocrates *de natura pueri* dicit, quod canities fit vel ob cutis candorem, quod etiam conſeptit Philoſopho vel ob humidum, quod diuturnitatem temporis computruit, ad cutim quæ excretum eſt, & ideò in morbis non poteſt niſi ſint valde diuturni, ita putreſcere, & ſuprema pars pituitæ candeſcat, velut videmus in mucidis partibus, & adipe. Sed dicit in mulieribus non fiunt pili, quia excretio ſeminis non fit cum tanta agitatione, vt cutis tareſcat.

Oſſa ſequuntur tertio loco. Sed hic ſubitò cadit dubitatio quia Philoſophus *Secūdo de generatione animalium cap.* 4. *fol.* 3. dicit: caro colliquatur à calore, oſſa non colliquantur à calore, ergo dicit oſſa fiunt à calido, & caro à frigido, & fuit ſententia Hippocratis *in libro de natura pueri*. Quo ad oſſa igitur ſunt calidiora carne: Reſpondeo quòd vt dicebat *Secundo de Temperamentis* pinguedo eſt calida & concreſcit à frigore: regula igitur non eſt vera,niſi dicit in his quæ indurant, etiam ſimiliter oſſa ſunt frigida propter reſolutionem.

Animaduertendum quòd vt dictum eſt, membra ex mutatione facili aut difficili oſtendunt ſuum temperamentum,nam quæcumque calida ſunt in calidos morbos declinant facile, & eſt regula generaliſſima per ſe, nec vllam exceptionem patitur: cor enim,iecur, renes, caro facillimè in morbos calidos incidunt, & frequentiſſimè contra cerebrum, ventriculus,inteſtina,veſica,nerui, oſſa incurrunt morbos frigidos: ergo ſunt frigida membra. Similiter & auris,oculi autem ferme ex æquo calidi & frigidi, & ratio eſt demonſtratiua: omne membrum generat excrementa iuxta propriam temperiem, & in eandem facilius prolabitur, quia facilius recipitur ſimilis qualitas quàm contraria, vt etiam experimento videmus: nam calida facilè incaleſcunt, potius quàm refrigerentur, & frigida facilius refrigerantur, quàm incaleſcant:ergo duplici de cauſa omne membrum per ſe facile dilabitur in morbos ſimiles ſuæ temperiei, & eſt regula proprie medica,& melior quam illa Principis de deſtillatione, quæ pertinet ad chymiſtas, & quàm illa de multo aut pauco ſanguine tranſmiſſo ad membrum,quæ non eſt generalis, neque per ſe,vt diximus,multò minus illa de tactu quæ eſt ſpecie quiddam,re autem fictio & manis ratio; neque etiam illud Ariſtotelis multum ſatisfacit arti medicæ:nam iecur eſſet terreum & aqueum, quod tamen calidum eſt prorſus: neque per illas regulas poſſumus inuenire morbos conſuetos & medelam ſicut per hanc; ergo ſola hæc regula eſt verè medica, & tangitur de intemperiebus *in arte medica cap.* 14. & 15. vt de cerebro. Solum relinquitur, dubium de duobus membris, de pulmone & ſplene, nam pulmo eſt calidus, & facilius & frequentius incidit tamen in morbos frigidos, tuſſes, aſthmata & ſimilia: ſimiliter lien eſt calidus, & tamen eius omnes morbi ſunt frigidi, vt vix inuenias morbum calidum; ſcirrhi, obſtructiones, morbi regij nigri. Ad hoc poſſet dici in vtroque quòd contingit ratione materiæ ſuperuenientis,in pulmone quidem à capite pituita quæ defluit, & hoc eſt veriſſimum: nam morbi frigidi qui adueniunt, pulmoni, adueniunt ei per accidens & non per ſe, quamquam non me lateat Serapionem velle, vt fiat excremētum frigidum in pulmone,tamen non dicit magis de pulmone, quam de pectore; & certè non debemus propter dictum vnius authoris ſine ratione moueri ab his, quæ cum demonſtratione inuenta ſunt,Et ſi quis velit tueri illum, etiam poſſumus dicere quòd in pulmone;nam frigido & valde per intemperiem refrigerato poterit generari aliquid excrementi pituoſi, ſed hoc erit paucum, & raro continget, nos autem non negauimus quia poſſint contingere hi morbi, ſed diximus quòd raro & non adeò facilè, & hoc eſt clariſſimum etiam apud Serapionem; ergo ſententia ſerapionis non ſolum non aduerſatur noſtræ,ſed etiam fauet nobis. Sed de liene aliud eſt; quanquam enim poſſim ſic euadere vt dixi, tamen veritas eſt quod lien eſt frigidus,tametſi Princeps & Galenus ſtatuant eum non ſolum calidum, ſed etiam renibus calidiorem, & arteriis & venis, in quo decipiuntur: nam fundamentum quo illud probant, eſt quod ad illum veniant multæ arteriæ, & habetur à Galeno *Quarto de vſu partium cap.* 15. *in fine* ſed plus poteſt ſubſtantia & alimentum, quorum vtrumque frigidum eſt & valde plus frigidum quam ſolus ſanguis arterialis.

Adduco modo rationes tres quibus oſtendo lienem eſſe frigidum: prima eſt nutritur à ſanguine frigido & melancholico;& omne quod nutritur nutritur à ſimili, dicebat Galenus *Secunda Aphoriſmorum, com.* 26. ergo lien eſt frigidus. Et ſi dicas quod ille ſanguis eſt permutatus à calore vehementi arteriarum, reſpondeo quòd illa mutatio non eſt ſubſtantiæ, illa enim fit in nutritione, ſed eſt ſola impreſſio qualitatis, aliter omne quod coqueretur & portulaca, & lactuca, fierent calida. Secunda non eſt dicta, quia lien generat morbos frigidos, quartanas, quarum cauſa eſt frigida, morbos regios, frigidos, canines appetitus, flatus.

flatus, & excrementa sua sunt frigida, sicut apparet in fluxibus & vomitibus lienis. Tertia ratio est à calore; nullum membrum est calidum quod non sit rubrum, omne membrum liquidi coloris est valde frigidum, sicut apparet de intestinis & cartilaginibus & membranis; & fuit sententia Hippocratis, quod liquidum semper fiat à frigiditate, nam rubrum & flauum in corpore humano semper fiunt à caliditate, liuidum semper à frigiditate, & similiter album; nigrum & viride, modò à caliditate, modò à frigiditate, at color lienis est liuidus: siquis etiam tangeret inueniet temperatè calidum in viuente animali, imo nulla potest assignari ratio, cur animalia sint imbecilliora sinistra parte quàm dextra, nisi ob frigiditatem lienis. Demum medicus debet diiudicare membra calida & frigida, que debent curari ac regi curatione, & regimine calidorum vel frigidorum reliquorum membrorum per se, vt possit statui vna regula generalis, sed lien indiget moderatè calefacientibus: velut iecur & renes refrigerantibus exterius, interius verò refrigerantibus, & ideò secundum hanc viam potest statui vna regula generalis magis ad propositum, quàm illa quæ est superius posita; & est quod membra calida plerumque indigent frigidis medicamentis intus potestate & extra, sed in actu extra temperatis, quia plerumque incurrunt morbos calidos, adhibemus tamen temperata in actu, ne repercutiant: si tamen calor sit vehemens, nec membrum sit principale, debemus apponere frigidissima in actu, si principale frigida moderatè: in frigidis autem plerumque membris, calida secundum triplicem modum extra actu & potestate, & intus potestate, imo etiam actu. Sed hoc est ex vsu etiam in calidis membris, modo non sit vehementior caliditas. Sed si membra laborent intemperie contraria, calida calidioribus indigent actu & potentia vt frigida frigidioribus potentia, actu tamen exanguia, nunquam debent sustinere medicamenta frigida valde, nisi in casu necessitatis, & ita sola prima regula data in lectione externa manet inconcussa.

Sed dubitatur, quia Galenus *Duodecimo de vsu partium cap.* 12. & *primo de vsu partium cap.* 13. dicit, quod caro est facta propter ossa, & quod præstat illis rectitudinem primo, secundo securitatem, Tertio tutelam à frigore & calore. Ad hoc respondeo, quod vtrumque est factum propter alterum, nec hoc inconuenit in diuerso genere vtilitatis, nam ossa sunt necessitatis causa in comparatione ad carnem, & caro vtilitatis, & decoris: simpliciter autem ossa sunt propter carnem, quia caro habet primam operationem & ossa propter vsum, vt *secundo artis curandi cap.6 .post primo* vbi dat exemplum de oculo & crystaloide. Et ita patet vera solutio, quia ossa sunt propter carnem qua indigent propter musculos, sed caro simplex quæ non habetur opus est propter ipsa ossa.

Notandum quòd vt habetur *Primo de medicamentis secundum locos cap.* 1. triplex est genus pilorum necessariorum generatione; vtile valde & fortuitum, necessarium in palpebris, & superciliis, vtile vt in barba; sunt etiam ad decorem & fortuitum, vt in cruribus.

Dictum fuit quod frigidissimum in corpore est pituita, deinde pilus. Enumerat duodecim genera membrorum frigidorum, computato humore: scilicet pituitam primam; inde pili, ossa, cartilago, tendo, membrana, neruus, spinalis medulla, cerebrum, adeps & pinguedo, in quo dubium est, quia pili uidentur esse omnino priuati calore naturali & pituita, non dico quòd pituita est adeò frigida, quòd etiam addito calore naturali remanet frigidissima, postmodum successerunt ossa.

Nunc autem dicendum de cartilaginibus, ligamentis, membranis, neruis, spinali medulla, & cerebro. Igitur vt ad rem reuertam Galenus *secundo de vsu partium c.* 3. dicit quod cartilago quæ χόνδρος Grecè dicitur, durissima est omnium partium quæ sunt in corpore, præter os, natura transeunte secundum ordinem, à durioribus ad meliora. Est autem commune, vt membranis circumtegantur intus & extra: verum dicebat author libri *de diffinitionibus*, quod cartilago habet duo communia cum vngue. Primum quod sit expers sensus. Secundum quod inæqualis substantiæ: est enim plerumque crassior in vna parte quam in alia; ob id ergo manifestum est, cur cartilagines post ossa subito collocentur: formantur autem cartilagines ossa & vngues duplici modo, differenter à membranis, neruis, venis & arteriis *secundo de Temperamentis cap.* 2. *in principio.* Primo quia serius, Secundo quia coagulando, reliqua tendendo: & id ratione quia frigidissima. Propterea Galenus *secundo anathomicarum aggressimum cap. vlt. in fine* dicebat, quod cartilagines sunt mediæ inter ossa & ligamenta, natura quidem non mixtione, ex quo patet cur cartilagines sequantur illico ossa, & inde ligamenta. Verùm Galenus *Primo de Temperamentis* posuit cartilaginem & ligamentum, & tendonem eo ordine, sicut *secundo de Temperamentis cap.* 3. in ordine siccitatis, non autem frigiditatis, sed Princeps sic interpretatur. Meminit & membri nominati .... tanquam medij inter cartilaginem, & neruosum ligamentum: sed Princeps comprehendit illud sub ligamento. Est autem horum natura vt habetur à Vesalio *libro secundo* eorum quæ feruntur intus colligantia ossa, vt ex medio capitis femoris, in acetabulum coxendicis; & quod ex media tibiæ sede, qua femur respicit in femur, ipsum inseritur, & rursus cartilaginē inter appendices vertebrarum mediam talem esse dices: nectit enim ipsos appendices dicebat Hippocrates *sexta Aphorismorum com.* 19. quòd neque os neque cartilago generantur. Propterea Galenus ibi tres statuere videtur ordines hoc modo: ossa & cartilagines neque crescunt, neque coalescunt, nerui, venæ & arteriæ, non crescunt, sed coalescunt, si diuisa non discisa fuerint, & hoc....caro autem est discisa, & coalescit, & regnat. Galenus *septimo de vsu partium cap.* 7. dicebat cartilaginem detrimentum esse

esse formæ insanabile, & exemplum dabat de cartilagine gutturis, membranam autem interiorem facile sanari posse.

Vnum non decet præterire, quòd scribitur *sexto artis curandi*, quòd ligamenta valida auxilia tolerant propter duo: primum quia non oriuntur à cerebro. Secundum quia sensus expertia; neque est periculum conuulsionis. Post illa sunt tendones, post nerui qui conuulsionem excitant, & minimè valida ferunt medicamenta, assimulantur autem ligamenta neruis, vt ibidem dicebat, candore; & quia exanguia & cauitate carent, & in fibras diuiduntur, ideò multi decipiuntur: tum quia ligamenta sunt valde duriora. Deinde membranæ de quibus dicebatur *Quinto de anathomicis administrationibus*, quoniam quædam sunt..... quædam.... id est, subiungentes & intercipientes, quod & in *secundo de motibus musculorum*, *cap.7.* vltimis verbis declarauit. *In sexto* autem *administrationum anathomicarum*, *cap. 2. in princ.* declarabat quòd omnis membrana caret fibris, & in hoc differt ab intestinis & talibus: sed in *septimo earundem* declarat, quod membrana & tunica sunt idem, & quòd exquisita membrana multum differt à corporibus membranosis: explicabat confusionem *Quarto de vsu partium cap.9.* dicens: membrana seu tunica seu operimentum, (has putabat Galenus) *in libro de formatione fœtus*, *cap.2. in fine*, fieri ex semine, non tamen explicat de quo, sed *in Primo de semine*, *cap.7.* quòd ex vtroque semine: intestinalem tamen tunicam, quæ media est ambiens fœtum. *Primo de semine*, declarauit fieri ex fœmineo semine tantum; paruam quidem, quia semen fœmineum paucum est. Galenus *septimo de placitis Hippocratis & Platonis* declarabat, quòd membrana solum vicem refert integumento membrorum, & nullius alterius vtilitatis.

Inde sequuntur nerui, hi sunt duplices: sensitiui, & motiui. *Sexto decimo de vsu partium*, *cap.2.* Sensitiui sunt omnes qui motiui, differunt tamen in duobus, quia sensitiui sunt molliores & soli, motiui autem duriores & misti tendonibus. De his alias.

Post sequitur de spinali medulla, *nucam* Barbari appellant, de qua est quæstio vigesimaquinta Conciliatoris, seu differentia an sit frigidior cerebro: & Gentilis mouet eam, & nos *in vndecimo contradicentium*; Gentilis tenet quòd non possit solui.

Post sequitur quæstio de cerebro, an sit frigidum, & mouetur à Gentili, & est quæstio vigesima tertia Iacobi, & differentia vigesima quarta Conciliatoris, & habetur & visa est supra: assignatur autē causa quare sit frigidum, vt resisteret motibus & cogitationibus. Secundo assigno quatuor signa propter somnum & mucum, item quia læditur à frigido, & quia incurrit facilè morbos frigidos, & hæc probant de innata deducta ad actum per influentem.

Sequitur quæstio vigesima quarta Iacobi, quam quia tractauimus in lectione sexagesima sexta, non est solitum repetere, an adeps frigidus. Deinde ponit pinguedinem post adipem, vt interea distinguat. Et Mantineus posuit sepum pro adipe, & pinguedinem calidiorem sepo.

Animaduertendum primo, quod adeps seu sepum est calidum potentia, *tertio de temperamentis*, *cap.1.* vtilitatem adipis declaraba *sexto decimo de vsu partium cap. 2.* quòd est facta vt humectet membra solida, quæ solent exsiccari propter mediam longam & validam excitationem. Sed tamen illud dubium relinquitur cur carni vndique exterius sit affusa, non ossibus neque neruis. Aristoteles *secundo de Partibus animalium*, *cap.5.* ponit tres differentias seui & pinguedinis: primam quod seuum siccatur, adeps non. Secundam quòd frangitur, Tertiam quòd est magis terrestre, & ideo inuenitur in habentibus cornua & vngues magnos, non autem in serratis dentibus. Reliquit dubium de carentibus carnibus & dentibus serratis, vt asinis, equis, camelis; vult autem adipem esse concoctum sanguinem, ideo declarabat aliam vtilitatem *tertio de partibus*, *cap.9.* quòd adeps & seuum iuuant ad concoquendum, & calefaciunt corpus, sed & hoc testatur Galenus *Quarto de vsu partium.* Sed vt reuertar ad Philosophum. In secunda authoritate dicebat, quòd sepum maxime viget circa renes, quia sanguis cum vrina tractus, postquam nutriuerit renes, cogitur in adipem: ideo qui faciunt candelas, quærunt seuum renum, tanquam optimum. Regula verò est Philosophi in prima authoritate: eandem sententiam habebat Galenus *in vndecimo de simplicibus medicamentis cap.3.* vbi dabatur vna regula, quòd vbi mitigandus est dolor, & est regula difficilis: vtimur potius pinguedine quàm adipe, nam adeps & seuum idem significant, nisi quod adeps potest significare omnem pinguedinem, sed seuum non. Sed in doloribus vbi volumus curare vlcera, dicebat Galenus melius est seuum quàm pinguedo, quia celerius concrescit: ergo in disenteria incipiente melior est suilla pinguedo quàm caprillus adeps: demiror autem illos qui scribunt hircinum adipem, cum sit calidior & siccior caprillo, iuxta Galenum ibi.

TEXTVS LXXI.

HVmidius verò, quod est in corpore est phlegma. Postea sanguis, postea pinguedo, postea adeps, postea cerebrum. Postea nucha, postea caro mammillarum & testiculorum. Post pulmo, postea hepar, deinde splen, deinde renes. Postea musculi, post cutis. Et hic quidem est ordo quo Galenus disponit ea.

COMMENTARIVS.

Hic describit duodecim membra seu partes humidas, & primò ponit pituitam: dupliciter dicitur humor talis actu & potentia, non sigillatim pituita est humidior sanguine, sed

sed simul: nam sanguis magis actu est humidus, quia magis fluit: post sanguinem ponitur pinguedo, inde adeps, post cerebrum, spinalis medulla, post caro mammillarum & testium, pulmo, iecur, lien, renes.

Sed quòd pituita sit humida habetur *octauo de Dogmatibus*, vbi proportionatur elemento aquæ. Post spinalem medullam ponitur caro mammarum & testium; septimo loco. Sed Galenus de hoc non loquitur, & tamen dicit sic posuisse Galenum. Respondeo de mente Galeni non ex verbis. Sed non posuit omnem carnem glandosam; Respondetur quòd solum vult esse humidam illam, quæ est apta generare humorem aliquem, & sunt tria genera testes, mamma, & quæ sunt sub lingua, vt alias etiam dixi. Sed quæ sunt sub lingua prætermittuntur, quia solum retinent, non dant formam; ergo de mammis Galenus *libro septimo de vsu partium, cap.22.* declarat ad longum vtilitatem mammarum, & quomodò ad eas transeat sanguis ex arteriis: & venis, ex iugulis, quæ quidem prius cor pertransierint; sed ista præter propositum, illud solum quod caro illa est frigida per se, sed calida à calore cordis, & quòd sunt communes glandulosæ similiter & testiculi, sed caro glandosa videtur esse sicca, dico quod solutio colligitur à Galeno *septimo de vsu partium*, vbi dicebat, quod glandulæ quæ sunt iuxta laringem, propter lassipatem & fungosam naturam replentur semper humore, & ideò Princeps hoc forsan considerauit, nam & præposuit pulmonem iecori, sed est per accidens. Ex hoc tamen patet ratio dicti *Tertiodecimo artis curandi, cap.5 in princ.* cur si pes vlcere laboret, facilè intumescant glandes in crure, vulgares dicunt quod ob claudicationem, sed non est verum similiter de vlceribus capitis & glandulis post aures, ideo patet cura earum ex cura vlceris.

Deinde pulmo, deinde hepar, & lien & renes. Circa renes est dubitatio, primo quia generantur lapides qui sunt sicci. Secundo quia vrina exsiccat; Tertio quia renes attrahunt, & attractio fit à sicco etiam: respondeo quod lapides generantur ratione caliditatis intensæ, Etsi dicas contra in humido non potest generari lapis, respondeo quòd antecedens est falsum, circa quòd notandum est quòd lapides duobus modis generantur: vno modo virtute solis in sicco, vt lateres in fornace; alio modo in humido, & sic à frigiditate continuè congelante, & sic in epiro post pluuias generantur lapides propter frigus: nam se ex aqua fit glacies, quantò magis vbi aliquid congeletur, in aqua currente, vbi pars sumptuosa subtilior detrahitur, & durities confirmatur, & istis duobus modis non potest generari lapis in renibus. Tertius modus est cum in aquis calidis, & sic oportet esse de natura salis aut sulphuris, & Domitius Brusonius narrat in *Quarto libro exemplorum* syllarum flumen esse in patria sua iuxta Conturbium, olim Cursentinos, in quo deiecta lapidescunt in tophos diuersorum corticum, singulo anno corticem suum ostendente: ex quo elicio quòd si quis non comedat salem, vix generabit vnquam lapides, quia neque à frigido, cum tantum frigoris non possit esse in corpore humano, vt fiat durities *secundo de temperamentis, cap.3.* & *libro de rerum affectibus, cap. 2.* neque à calore puro Solis, nam sic non fierent in corpore humano. Relinquitur tertius modus, in quo oportet esse materiam, quæ humida cum sit congeletur à calore. Talis omnis est salsa vt vitriolum, sal, alumen fex vini. Sed dicetis Galenus *Quarto decimo artis curandi, cap.4.* dicit quòd lapis generatur in renibus assato crasso & glutinoso humore, ergo sine sale: & *in libro de curatione renum & cognitione, cap.3.* lapides fiunt in substantia renum aliquando, & aliquando in cauitate nigri pallidi, vel alio colore, vel ob materiam, vel ob calorem, ergo non semper à materia salsa: item ibi quæ prouocant vrinam & calida sunt indurant lapidem, igitur non indigent materia salsa. Rursus & ibi lapis fit à calore; vel cum materia est crassa, vel cum tenax in crassa, dicit, sufficit calor moderatus; in tenui oportet vt sit magnus, ergo, &c. Et rursus *Tertia Aphorismorum 26.* Galenus *in commento*, generant lapides facile ob ingluuiem; etenim crassis abundant humoribus, & calorem validum habent: in senibus autem licet crassa generentur, non tamen calor adeò validus est, ideò non adeo calculis sunt obnoxij: dico intelligit de calculo vesicæ. Idem *sexto de tuenda sanitate, cap.7. in fine*, immoderantia cibi facit calidum: item in *Decima octaua Tertij tract.2. cap. 16* causa est materia crassa & tenax cum calore, &c. deinde inter cibaria non enumerat salsa, sed crassum humorem aut tenacem generantia. Et rursus *Primo de alimentis cap. 4.* itria & post cibi ex farina tritici & lacte multum & bonum dant alimentum, sed lapidi generando obnoxium. Item *Tertio de alimentis, cap.5.* ibi dicit salem humores superfluos tenuare & digerere, ergo prohibebit generationem lapidis. Ad omnia hæc respondeo quod Galenus præsupponit, quod materia salsa ibi adsit, & illa iuncta glutinosa indurat in lapidem. Ad vltimum dico quod exterius attenuat, interius & in prima actione, sed vbi fit in loco valde calido lapidescit in humido, sicut est fex vini, quia salsus est dimittere salem & vti aceto præseruat à lapide; in vehementi tamen calore renum ex materia crassa attenuata potest generari lapis in substantia renum absque salsedine, sed tamen & facilius cum illa. Ad secundum dico, quòd vrina exsiccaret si per se attraheretur, sed à sanguine interius & aquea parte humectantur à pinguedine exterius. Ad tertium attractio fit etiam à calido & humido.

TEXTVS LXXII.

Scire tamen debes, quod pulmo in sui substantia, & natura non est humidus vehemēti humiditate: omnis

nis enim complexio membri naturalis similis est ei quo nutritur: & secundum accidentalem complexionem similatur ei, quod in ipso superfluit. Pulmo autem nutritur calidissimo sanguine, & multæ admisto choleræ, & hoc quidem ipsemet Galenus nos decet. In ipso vero multa humiditatis superfluitas colligitur, propter illud quod ad ipsum ascendit de vapore corporis, & propter illud, quod ad ipsum descendit ex catarrhis. Postquam igitur sic est res: hepar multò magis humidum est pulmone, humiditate naturali: & pulmo magis est madefactus: licet assiduatio madefactionis iam fecerit ipsum humidiorem in sui etiam substantia, & dispositiones phlegmatis, & sanguinis ita intelligendæ sunt. Phlegmatis namque humectatio est secundum modum madefaciendi, & sanguinis humectatio est, secundum modum penetrandi, in substantiam membri, penetratione ita perfecta, quòd conuertatur in substantiam ipsius membri, licet phlegma naturale aqueum plerumque sit maioris humiditatis, quàm sanguis. Ex sanguine enim cum quantum digeri debet digeritur, multum humiditatis ex eo resoluitur, quæ erat in phlegmate aqueo naturali, quòd ad ipsum conuersum fuit. In sequentibus autem scies, quod phlegma naturale est sanguis, qui aliqua conuersus est conuersione.

COMMENTARIVS.

Absoluto sermone de humidis declarat Princeps, quid sit humidius, pulmo, aut hepar: & sumitur declaratio *Quarto de vsu partium cap. 15. in fine* his verbis: *hepar rubicundo & crasso sanguine nutritur, splen ex subtili & nigra, pulmo ex subtili & flauo, puro, elaborato ad vnguem ac spirituoso.* Item de iecore adducuntur quatuor rationes quod naturaliter sit siccius pulmone. Primo quia grauius, igitur magis terrestre: item quia facilius concipit scirrum *tertio decimo Artis curandi cap. 16.* & habetur regula *Quarto de pulsuum præsagiis de pulmone & cerebro c. 9.* quia mollit; Tertio quia durius per se. Quarto quia nutrimenti crassioris *tertio de alimentis cap. 12. de quadrupedibus 21. de auibus.* In vtrisque hoc confitetur, sed caricas dat suibus, & lacte pascit ac imbuit alimenta anserum; sic enim fiunt iucunda, non tamen dicit concoctu facilia. Vnde oritur dubitatio, quomodo detur igitur iecur gallinarum ægris. Et inueni apud Principem *Decima tertia tertij.* Draco cum perdit appetitum cibi & debilitatur, venatur aues, & comedit iecur tantum, & reddit appetitus. Hoc habet tres difficultates. Primo quomodo possit venari aues; deinde si operatur in serpente, ita in homine. Tertio & vltimo, quomodo possimus scire, quod ob hoc venetur. Sed dico quod damus cibum qui valde appetitur, cuius virtute excitatur postmodum appetentia, quâ excitatâ etiam appetuntur reliqua, & damus iuxta aphorismos, *parum deterior cibus aut potus* &c.

Causa autem huius est quod omnis res talis est potentia, qualis fuit actu, sicut etiam ex potentia transit ad actum. Sed virtus appetendi est in iecore efficacissima: cum ipsum sit origo appetendi, & secundum Galenum animal viuit, ergo dum mortuum sit tale potentia: ideo omne iecur maximè excitat, si edatur, vbi appetitum, magis tamen auium, quia quadrupedum non concoquitur, & præcipuè quia crudum non est aptum, & coctum durescit, & ideo multum confert peritia obsonandi, in hoc. Estque ob id duplex hæc ars vna, quam est necessaria & hæc est vtilis medico: alia ad voluptatem quæ non pertinet ad medicum. Cum ergo non reducitur ad actum vis illa, quæ est in potentia non proficit imo nocet: ideo res habent quadruplex esse, vt vis appetendi in iecore animalis viuentis, est per se in actu; Secundo in actu per aliud, vt iecore concoctum. Tertio in potentia vt iecur antequam edatur: Quarto in potentia non reducta ad actum, sed tentata & frustrata vt iecur in ventriculo, quod non potuit euinci, manet tamen adhuc facultas illa: sed si corrumpatur nullam prorsus retinet vim, & hæc est causa quòd comedimus animalia occisa non mortua ex morbo, quia talia non sunt potestate ad facultatem recipiendam ab alia anima. Et etiam quia putrida corrumperent humores & possent interficere si ergo aliquis iecur suillum præcipuè, vel vitulinum bene concoctum tenuissimè diuisum edat in parua quantitate, vti testudinis, proderit vt iecur pulli. Sed & iecora piscium magna præsertim marinorum, & lucij, cum sint facilis coctionis optima sunt.

Ad argumenta: ad primum grauius, quia densius; nam & aqua grauius est: ad secundum reddit & rationem Galenus ibi, quod etiam alias diximus ob nutrimenti non substantiæ qualitatem. Ad tertium non est verè durius nisi quatenus densum raro comparatum est durum, & hæc duo genera duritiei sentit & discernit tactus. Ad quartum argumentum primo non valet, deinde pulmo est etiam durius alimentum quàm iecur, quod pituita est nescio qua ratione; vires secundum substantiam possunt conferre pulmoni etsi Arabum quidam hoc scribant, Galenus tamen nec *primo de Alimentis cap. 22.* meminerit, nec alibi quod sciam, nec *in libro de attenuationis victu* nec *in sexto de simplicibus medicamentis cap. 7.* Declarat igitur Princeps, quod hepar est humidius pulmone, quia est principium nutritionis; sed pulmo est humidior humido accidentali.

accidentali. Adducitur iam ratio de nutrimento pro iecore, & ita duplici causa iecur est humidius, pulmo autē repletur ab humido, descendent de capite propter vapores ad caput ascendentes. Iuxta id oboritur Quæstio vigesima quinta Iacobi, an nutritum sit simile nutrimento, & videbatur quod non, quia erat authoritas Principis *secunda Primi cap.* 15. nam dicit in principio capitis, quod sanguis generatus ex lactucis est frigidior temperatura hominis: & in fine dicit, quod sanguis genitus ex lactucis calefacit, quia auget calorem naturalem. Interpretantur secundum Galenum *tertio de Temperamentis*, quod quædam infrigidant, quia antequam nutriant, generant sanguinem frigidum, infrigidando iecur: sed isti non concordant Galenum cum Principe. Sententia Galeni & Principis est, quod lactuca quando transit in substantiam membri, ipsa tunc ex toto assimilatur membro, & hoc dicit Galenus non de sanguine: nam dum est sanguis auget calorem naturalem in quantitate, sed remittitur in qualitate, aliter esset destruere totam medicinam. Postmodum distinguitur de nutrimento proprio (quod Barbari immediatum vocant) & dicunt quod remotum non est necessario simile. Sed nec propinquo vt declaraui. Curtius dicit quod ista similitudo intelligitur in substantia & colore *Quarto de vsu partium cap.* 15. *in fine*: dico istud est verum de nutrimento non proprio, nam quod medulla transit in substantiam ossis, tunc ipsa est frigida & sicca, etsi dicas contra; quia intelligendo de remoto medulla est mollis & os durum, respondeo quod medulla est tantò durior sanguine quantò os carne.

Circa hoc quæritur an membra possint humectari interius, & circa hoc dixi in contradictione, quod omnia propter cor, & est pro hoc argumentum de incremento *Primo de generatione & corruptione com.* 39. de conditionibus tribus eius, quod augetur per aliquod appositum, quod quælibet pars aucti augeatur: quod manente subiecto: item quia ibidem materia fluit, manet forma: igitur elementa omnia mutantur, & recedit etiam terra de hoc *in Duodecimo contradicentium.*

An superfluum assimiletur ei cuius est superfluum in temperatura, videtur quod sic *lib. artis medicæ c.* 14. & 15. signum sumptum ab excrementis in naturali & preternaturali. Sed contra quia in senibus abundat pituita multa, etiam ob id humidi censendi sunt, dicebat Galenus *Quinto de Tuenda sanitate cap.* 8. Respondeo breuiter, quod excrementa propria sunt similia nutrimento, & nutrimentum membro, dicebat Princeps in textu: igitur excrementa membro. Si tamen sint excrementa communia vt feces & vrina, aut communia aliquo modo, id est quæ debilitatem caloris naturalis talia euadant, non ob membri substantiam, tunc non licet iudicare ex excrementis temperiem.

Princeps ponit in textu hoc multas pulchras propositiones. Prima quod membrum habet temperiem naturalem nutrimenti, & accidentalem excrementi influentis supra ipsum, vnde pulmo est calidus & siccus naturaliter, sed cur non numerauit inter frigida. Respōdeo ex *sextodecimo de vsu partium cap.* 14. quod est natura calidissimus, ideo in hoc non potuit vinci ab accidentali dispositione. Secunda quod pituita humectat exterius madefaciendo, sanguis intus nutriendo. Tertia quod pituita aqua est humidior sanguine. Quarta quod pulmo nutritur sanguine calidissimo & multæ bili admisto, id est propter hoc calidissimo. Quinta quod ex sanguine cum in nutrimento conuertitur resoluitur pars aquea, quæ est pituita ipsa. Sexta quòd pituita est sanguis aquosus quæ in ipsum sanguinem aliquo modo conuersa est. Septima quod pulmo est mollis propter pituitam qua madefacit.

Respondeo quod est in membrana, potest fieri ex humoribus acutis, tenuibus, sed hoc non est de quo loquitur Galenus *in Quarto de causis pulsuum*, sed de eo quæ fit in substantia. Aliud dico quod cum ambo fiant ex sanguine lateralis, & peripneumonia, ratione loci fiunt similes, & quantò mitior est materia peripneumoniæ, tantò loci conditio sæniorem reddit morbum; succedente autem tempore *Secundo de differentiis febrium cap.* 9, fiunt hi morbi similes, subtiliore parte in bilem transeunte: falluntur tamen qui putant fieri ex destillatione, & ideo Paulus dixit causam exeuntem non propriam.

TEXTVS LXXIII.

Res autem siccior, quæ est in corpore sunt pili: sunt enim ex vapore fumoso, qui eleuatur. Resolutum namque fuit, quod in eo de vapore mistum erat, & pura fumositas congelata remansit. Postea est os: ipsum namque omnibus membris durius existit: humidius tamen pilis est. Ossis namque generatio est ex sanguine; cuius situs est situs, in quo os exugit humiditates naturales locatas circa ipsum. Quapropter os multa nutrit animalia. Pili verò eorum nullum nutriunt aut fortasse si nutriunt ex eis aliquod, valde est rarum, & extraneum: sicut existimant quidam, quod vespertiliones eos digerant, & in eis delectentur. Nos autem cum duas quantitates ossis, & pilorum, in pondere æquali assumpserimus, & eas in cucurbita alembico superposito distillauerimus, egredietur ex osse plus aquæ, & plus olei: & remanebit minus fæcis. Os ergo pilo humidius est. Post os autem in siccitate est cartilago, postea ligamentum, post chorda, post panniculus.

niculus. Post arteriæ, post venæ, post nerui motiui, post cor, post nerui sensus: motionis enim nerui frigidiores, & sicciores simul existunt temperaméto. Nerui autem sensus frigidiores quidem, sed non multum sunt temperato sicciores: & fortasse sunt ei propinqui: & neque etiam in frigiditate sunt ab eo valde remoti. Postea est cutis.

COMMENTARIVS.

Absoluto sermone de membris humidioribus deuenit Princeps ad declarationem siccorum, & in primo ordine collocat pilos, & quia pili erant molliores ossibus, ideo adducit tres rationes contra regulam Galeni, quod omne corpus quantò mollius, tantò humidius. Prima ratio ergo est ossa generantur ex sanguine, pili ex vapore, ergo ossa sunt humidiora. Secunda multa animalia edunt ossa, & nullum vescitur pilis, nisi forsan vespertiliones. Tertia in sublimatione plus extrahitur de humido ex ossibus, quàm à pilis. Sed dicetis, ergo regula Galeni est falsa, dico quod illa tenet solum in membris.

Post hæc duo ponuntur cartilagines, ligamenta, tendones, membranæ, arteriæ & venæ: sed dubitatur quia eadem ratione, qua arteriæ & venæ dicuntur calidæ propter sanguinem, eadem ratione debent dici humidæ. Curtius bene respondet in via sua quod calor magis imprimit quàm humida qualitas: sed quia nos declarauimus, quod Princeps non loquitur de impressa, sed de influente qualitate, ideò respondeo quod spiritus sunt calidiores, quàm humidi, & tunicæ arteriarum & venarum sunt sicciores quam frigidæ; ideò totum aggregatum est siccum, & non frigidum: opinio tamen Curtij correspondet sensui, quia nos inuenimus sæpe arterias siccas, vt in senibus & Hecticis, frigidas non nisi prope mortem. Sed ad illam opinionem sequuntur vt dictum est.

Post ponit neruos motiuos. Hic dubitatur quomodo nerui motiui possunt esse minus sicci quàm venæ. Hic respondetur quod & si venæ recipiant sanguinem, quod etiam nerui recipiunt nutrimentum, & etiam spiritus: declaraui enim quod omnes nerui sint concaui, dicunt autem quod nerui sunt humidiores, quia oriuntur à cerebro, & cerebrum est humidius corde.

Sed hic cadit dubitatio non leuis, quomodo nerui oriantur à cerebro & venæ à iecore, & cerebrum & iecur sint humida, nerui verò & venæ siccæ temperaturæ. Ego crederem de neruis quod iuxta cerebrum essent humidi, sed dictum Principis intelligitur pro maiori parte. De venis autem dico, quod non propriè à iecore toto, sed in iecore ipso ortum habent secundum mentem Galeni: sed secundum mentem Aristotelis facilius est respondere, quia Aristoteles vult quod etiam venæ oriantur à corde.

Deinde sequitur cor & de hoc dictum *tertio contradicentium*, nerui sensitiui & motiui an idem, vide supra artem medicam. Post cor ponit neruos sensitiuos, id est, qui tantum sentiunt post cutim.

Mouetur quæstio an membra dicantur talia secundum temperaturam innatam, pro quo sciendum est quod membra dicũtur habere triplicem complexionem: innatam, & est quæ constat ex quatuor elementis, & hæc conuenit non solùm animalibus, sed etiam plantis; influentem quæ est propria animalibus, & fit per mistionem sanguinis & spiritus; & impressam: sed ista non est vera temperatura. Sed hic dubitatur, quia quædam membra videntur habere operationem pendentem solum ab innata temperie *libro Artis medicæ, cap.* 3. & *Primo de locis, cap. vlt.* respondeo operatio fit ab innata tantum, sed perfectio fit ab influente, & etiam conseruatio, & ideo consideratio est de operatione perfecta & quæ potest permanere. Secundo dubitatur an membrum vt caro cordis, est alia, vt est pars in toto, & videtur quod sic: nam *secundo collectaneorum* est duplex sanitas, & duplex ægritudo; nam si caro cordis haberet malam formam, esset sana, & membrum simplex, & ægra vt pars compositi: respondeo quod merito temperaturæ dicebat Auerroës, quòd ægritudo membri compositi in temperie fit per accidens, ex intemperie membri simplicis: An spiritus sit humidus, licet non expresse dicatur hic, nec numeratur inter humida vel sicca, tamen colligitur *Prima Aphorismorum* 14. *in princ*: cum dixit, quod illud est principium, quod ex aërea & aquea constat substantia, ex quali semen, & quod pueri abundant tali eodem modo. In *Quintodecimo Commento* dicit quod iste calor naturalis est principium operationum, & quod est idem quod natura, ideóque cum constet ex puriore sanguinis parte, ideò erit humidus.

CAPVT III.

De Complexionibus ætatum & generum.

TEXTVS LXXIV.

ÆTATES omnes sunt quatuor. Ætas adolendi, quæ vocatur ætas abhadate, & est ferè vsque ad XXX. annos. Postea ætas consistentiæ, quæ est ætas iuuentutis, & ferè, à XXXV. vsque ad XL. annos. Et ætas declinationis cum remanentia virtutis, & hæc est ætas almechthelin, & est vsque ad annos XL. Et ætas declinationis cum manifesta virtutis debilitate, & hæc quidem ætas est senij, vsque ad finem vitæ.

COMMEN

COMMENTARIVS.

Circa textum diuidit ætates in quatuor; adoleſcentiam id eſt incrementi vſque ad trigeſimum annum, & conſiſtentiæ vſque ad trigeſimum quintum vel quadrageſimum;& primi ſenij vſque ad ſexageſimum; & vltimi poſt. Et circa hoc debetis obſeruare duo:primum quod in quibus terminatur ad trigeſimum quintum conſiſtentia, primum ſenium terminatur ad quadrageſimum nonum; ſed hoc tacuit tanquam per ſe manifeſtum. Secundum quod inter duos motus contrarios eſt quies media & explicat de augmento & diminutione *octauo Phyſicorum text.* 23. inde diuidit primam ætatem in quinque: infantiam, primam pueritiam, cum nondum perfecti ſunt omnes dentes; ætatem concuſſionis quæ eſt à duodecimo anno vſque ad quintumdecimum: veram adoleſcentiam cum ſemen emittunt, ſed tamen manifeſte creſcunt, vſque ad vigeſimum primum annum, & ætatem roboris id eſt vſque ad triginta annos. Et ita ſunt octo vnde quarta in tres diuiſa etiam erunt decem.

Ætates autem ſunt quatuor, vide ſupra expoſitionem Aphoriſmorum.

Notandum quod ætas conſiſtentiæ in quinque conſiſtit. Primo quod habeat calidum æquale calori in pueritia, & ideo ſi ſit temperatura æqualis, erit calidum æquale frigido. Secundo quod humidum ſit æquale ſicco. Tertio quod non mutetur calidum naturale in quantitate. Quarto quod humidum quod reſtauratur ſit æque bonum. Quinto & vltimo vt operationes ſint æquè bonæ, declarentur rationes Principis.

TEXTVS LXXV.

Aetas verò alhadate diuiditur in ætatem infantiæ, & hæc quidem eſt, cum membra pueri nondum ad motiones,& ad ambulandum ſunt apta. Et in ætatem puerilem, quæ eſt poſt ambulationem, & ante fortitudinem vel ſoliditatem,& illud quando nondum dentes ceciderint, & nati fuerint. Poſtea eſt ætas altherharha, quæ poſt fortitudinem, ſeu ſoliditatem & natiuitatem dentium ante almeracha. Deinde eſt ætas algulamie, & alreach quouſque barbeſcat. Deinde eſt ætas alfethian quouſque deſinat creſcere.

TEXTVS LXXVI.

Puerorum verò ſcilicet ab infantia ſua vſque ad alhadate complexio in calore fere temperato: & in humiditate fere ſuperflua exiſtit. Medici autem antiqui inter ſe diſceptauerunt de duabus caliditatibus, pueritiæ & iuuentutis. Fuerunt enim eorum quidam, qui dixerunt, quod caliditas pueri eſt maior: & propter illam plus creſcit: ideoque omnes eius operationes naturales appetitus & digeſtiones, ſunt maiores, & diutius durantes: quoniam calor innatus, qui ineſt eis ex ſpermate, magis eſt aggregatus: & eſt minoris temporis. (*De calore præterea*) mouet quæſtionem à nobis poſitam *Primo Contradicentium* 15.

COMMENTARIVS.

Circa primum mouetur fundamentum à Principe quod pueri creſcunt, iuuenes non. Secundum quod habent validiores operationes appetendo & concoquendo, igitur etiam validiorem calorem, dictum eſt à nobis *in contradicentibus.*

TEXTVS LXXVII.

Et ex eis fuerunt, qui dixerunt, quod calor innatus in iuuenibus, eſt valde fortior: quoniam eorum ſanguis eſt maioris quantitatis,& magis ſpiſſus: ideoque accidit eis fluxus ſanguinis ex naribus plus & fortius: & quod eorum complexio, plus ad choleram declinat & puerorum complexio, plus declinat ad phlegma, & quod iuuenes vehementiorum motionum exiſtunt: motus verò, non eſt niſi propter calorem, & ipſi etiam vehementioris iſtimbre exiſtunt, & ſunt melioris digeſtionis. Et hoc ex calore. Deſiderium namque non eſt ex calore, ſed ex frigiditate: ideoque caninus appetitus ex frigiditate ſæpius contingit. Signum autem quod vehementioris iſtimbre iſti exiſtant, eſt, quod neque nauſea accidit eis, neque vomitus, neque ſatietas nauſeatiua, ſeu corruptio cibi in ſtomacho, quemadmodum contingit pueris propter digeſtiuam eorum malitiam. Et ſignum, quod eorum complexio magis choleræ pertinet eſt, quod omnes eorum ægritudines ſunt calidæ: ſicut febris tertiana: & eorum vomitus eſt cholericus. Ægritudines autem plurimæ quæ pueris eueniunt, ſunt frigidæ & humidæ, & eorum febres phlegmatiuæ: & plurimum quod vomunt, eſt phlegma: & augmentum quod eſt in

pueris,

pueris, non est propter fortitudinem caliditatis eorum neque est nisi propter multam ipsorum humiditatem; maximum etiam eorum desiderium significat caloris eorum diminutionem. Hæ quidem sunt duarum sectarum sententiæ & ipsarum rationes.

COMMENTARIVS.

(*Nonnulli verò*) adducit quatuor rationes quod iuuenes sint calidiores pueris. Prima igitur ratio est, iuuenes habent sanguinem copiosiorem & calidiorem, nam accidit sanguinis fluxus frequentior *tertia Aphorismorum c. 29.* Secundo quia biliosorem, quod ex febribus & vomitibus probat. De febribus accutis Aphorismus idem, & Galenus de tertianis *secundo de Crisi 3.* Tertiò, ipsi validiores habent motus, & motus à calore procedit. Quarto quia melius appetunt, non euomunt vt pueri. Circa primum igitur dicitur, quod iuuenes habent sanguinem copiosiorem & crassiorem, & ideò incidunt in fluxum sanguinis narium. De multitudine dicebat Galenus *in libro aduersus Lycum* quod absolute verum est, sed secundum proportionem non; circa defluxum autem sanguinis reddebat rationem Galenus *tertia Aphorismorum* dicens, quod accedentibus ad pubertatem sanguinis narium, non quia plus generetur quàm ante, sed quia non absumitur in incrementum. De iuuenibus autem dicebat *tertia Aphorismorum* quòd hoc accidit ex incontinentia, quia pergræchantur: cæterum non esse causam euidentem fracturæ venæ: videtur autem abundantia sanguinis magis esse in adolescentibus. Ea de causa nonum aphorismum quintæ particulæ non exposuit, vbi dicit Hippocrates: Tales fiunt. Sed circa tertiam partem est dubitatio, quia *secundo Prognosticorum com. 33.* dicebat Galenus quod vrinæ puerorum sunt maximè crassæ, consistentium autem tenuissimæ, *& tertio Prognosticorum com. 12.* supra illud quod vsque ad trigesimum quintum annum oportet expectare profluuia sanguinis, dicit Galenus quia est piliosior & calidior, ideo dico quod sanguis puerorum est tenuior, quia minus habet de melancholia. Circa secundam rationem nulla est dubitatio. Quod autem sanguis crassior sit calidior declarat; sumptum est à Philosopho *secundo de Partibus animalium*, vbi dicit quod quæ habent sanguinem crassiorem, sunt animosiora. Circa tertiam sequeretur, quod nerui motiui essent calidiores sensitiuis; posset istud concedi sed non de sensibus propriis, nam in his requiritur multa quantitas spirituum. In responsione de appetitu multa dicta sunt *in libro Artis medicæ* & de hoc loquitur infra etiam, & dicit quod magis concludit oppositum iuxta illud Galeni in eodem libro: *ventriculi frigidi est bene appetere, & male concoquere.* Circa confirmationem quartæ & secundæ rationis plura possent dici quæ omitto.

Aliud argumentum erat Thomæ de Garbo. Vrina est certum signum, & illa est coloratior & tenuior in iuuenibus quàm in pueris, ergo significat maiorem calorem in iuuene quam in puero, sicut in bilioso quàm in pituitoso. Curtius nutat in responsione. Veritas est quod vrina fit rubicundior tribus de causis: vel propter humorem vt in bilioso, vel propter magnitudinem caloris vt in febriente, vel propter magnitudinem actionis caloris vt in ieiuno, & has causas tangebat Princeps *secunda Primi*, ideo dico quod significat abundantiam bilis in iuuene. Contra igitur corpus calidius, quia calidum influens est maius, respondetur quod qualitas non est maior, sed videtur propter siccitatem, contra igitur apparebit maior in tactu; respondeo quod Galenus *secundo de Temperamentis cap. 2.* gloriatur ex longa consuetudine se sentire istam æqualitatem, non obstante differentia humidi & sicci, & do exemplum ignis. In calibe non est calidior igne accenso in adipe, quia vtraque est summæ caliditatis, & tamen vni coniungitur materia sicca: sed dicetis maiorem præcipio caliditatem; respondeo propter densitatem, non sic in palea & adipe.

Ratio verò secundæ sectæ hic confirmat duas rationes quæ sunt. Pro prima secta de pueris & confirmando, respondet quartæ rationi quæ est pro secunda secta, & addit pro prima secta vnam rationem primo, deinde confirmat rationes primæ sectæ. Ratio est pueris nihil accidit vsque ad iuuentutem, quod calorem minuat; nec iuuenibus quod augeat. Sed in minore humido calor conseruatur, Et probat hoc: cum enim calor ille faciat augmentum & conseruetur, Et quandoque non possit conseruari nec augere, igitur nec in medio poterit vnum facere, & aliud non. Sed augere corpus & non se conseruare est impossibile, igitur conseruabitur & non augebit, & hoc est in ætate consistentiæ. Deinde quia ad rationes dicebant quod augmentum in pueris erat ab humido, & appetitus à frigido, dicit humidum est materia, sed oportet esse calorem. Appetitus à frigido non est naturalis: respondeo ergo ad primam, quod sanguis non est copiosior, & si dicas venæ sunt latiores, dico non: aliter signa in arte medica posita non essent vera. Ad secundam cum dicis est biliosior, respondeo habet etiam plus de melancholia, crassitudo arguit oppositum potius; ad tertiam, motus sunt validiores ob instrumenta perfecta, non ob calorem, nam nutritio est æqualis.

TEXTVS LXXVIII.

GAlenus verò, ambabus sectis contradicit; dicit enim quòd in ambobus caliditas est æqualis in radice, sed puerorum caliditas est maioris quantitatis, & minoris qualitatis, scilicet acuitatis: & iuuenum caliditas,

est minoris quantitatis, & maioris qualitatis scilicet acuitatis. Et huius quidem declaratio, sicut ipse dicit, est vt opinemur vnam solam caliditatem in mensura: aut corpus subtile, calidum, vnum in quantitate & qualitate, in substantiam humidam multam, semel sparsum esse sicut aqua: & alia vice sparsum esse in substantiam siccam & paucam, sicut lapis; & cum sic fuerit, inueniemus caliditatem aqueam maioris quantitatis, & mollioris qualitatis; & caliditatem lapideam minoris quantitatis, & acutioris qualitatis: & ita debes agnoscere caliditatem, quæ est in pueris & iuuenibus. Pueri enim non fuerunt generati, nisi ex spermate, quod est multum calidum, & huic calori, nondum accidit res, quæ ipsum extinguant. Puer namque augeri non cessat, sed crescendo graditur: neque adhuc stetit, nedum quod iam retro cedat. Iuuenibus verò nihil accidit, quod eorum calorem augmentet innatum, neque etiam aliquid, quod ipsum extinguat: sed ille calor in eis conseruatur humiditate minoris quãtitatis, & qualitatis simul, donec ad declinationem perueniat, neque tamen huius humiditatis diminutio computatur per comparationem, ad conseruationem caloris, sed per comparationem ad augmentum. Erat igitur prius humiditas in tanta quantitate, quòd duas res facere poterat: custodire videlicet calorem, & superesse etiam ad augmentum faciendum. Ad vltimum verò ad hoc deueniet, quod neutram duarum rerum efficere valebit. Oportet ergo vt in medio talis existat, quòd possumus vnam rem efficere & non alteram. Falsum autem est, vt dicamus ipsam posse augmentare, & non posse retinere calorem innatum. Quomodo enim in re augmentum præstare potest, quod radicem non valet custodire? Restat ergo vt dicamus, quod calorem custodire potest, & in corpore augmentum præstare non potest. Et scitum est, quod hæc est ætas iuuentutis. Quod autem dixit secunda secta, quod augmentum quod est in pueris, non est nisi propter humiditatem, & non propter calorem, est dictio falsa: humiditas namque augmenti est materia. Et materia non patitur per se, neque per se creatur: immo apud operationem virtutis in eam agentis: virtus autem hoc agens, est anima: aut natura præcepto Dei, neque agit nisi cum instrumento: & illud est calor innatus. Quod autem dixerunt est, quod vehemens appetitus, qui est in pueris non est nisi propter frigiditatem complexionis eorum: est dictio falsa. Ex malo namque desiderio, quod est propter frigiditatem complexionis, non prouenit istimbre: neque nutrimentum. Puerorum enim istimbre, melior est, quam esse potest in pluribus horis: & si non foret illud, non adueniret in eorum corporibus de permutatione, seu restauratione, quæ est nutricatio, plus quàm sit illud quod resoluitur: propter quod crescunt. Aliquando verò accidit eis malitia istimbre propter eorum gulositatem: & quia eorum comestiones malis disponuntur ordinibus, & comedunt res malas, & humidas, & multas, & desuper malis mouentur motibus: quapropter de superfluitatibus plus in eis adunatur. Vnde purgatione indigent, & præcipuè eorum pulmones. Ideóque eorum anhelitus est spissior, & velocior: magnitudinem tamen non habet, eo quod eorum virtus nondum ad complementum peruenit. Iste igitur est sermo de complexione pueritiæ, & iuuentutis, quemadmodum Galenus dubitauit: cuius nos sumus interpretes.

COMMENTARIVS.

Princeps tria facit: primo exponit mentem Galeni per exemplum de lapide & aqua. Secundo adducit rationes pro opinione. Tertio confirmat rationes primæ opinionis, prout faciunt pro opinione Galeni. Illud mirum est sanè quod alias dixi imo prorsus ridiculum, quòd Galenus meminisse se testetur temperaturæ puerorum & iuuenum per tot annos, intercedente spatio, vt nemo eum defendere audeat.

Gentilis mouet quatuor difficultates. Prima est an in aliis viuentibus reperiantur ætates? Respondeo ex Aristotele *Quarto de generatione animalium, cap.* 10. ratione autem optima tempora omnium, & debet legi totus textus ab illa parte in finem, cuius sententia talis est. Tempora generationis & ferendi vteri, & vitæ, constant certis siderum circuitibus, annis, mensibus, diebus, & horis, & coniunctionibus Solis & Lunæ, quod tempus mensis vere est, quia, inquit, circuitus minus principalium sequitur circuitum magis principalium, & dat exemplum. Aër & flatus sequuntur motum siderum; sed mare

mare ſequitur motum aëris, & flatuum; impediri tamen hanc circuituum abſolutionem, vel propter materiæ varietatem vel propter caſus ipſos. Et ſuper hoc textu ego ſumpſi fundamentum & rationem conficiendi omnes libros Aſtrologiæ, qui nunc ſimul habentur impreſſi.

Secunda dubitatio eſt, an homo creſcat vſque ad trigeſimum annum, ſeu de tempore incrementi. Philoſophus *Primo de animalium generatione cap.* 18. dicit quod homo creſcit in quinto anno vſque ad dimidium ſuæ magnitudinis. Sed *vigeſima Problematum* Ariſtoteles diffiniuit incrementum vſque ad trigeſimum annum, Et probat hoc à ſigno, quod homines vſque ad trigeſimum annum creſcunt, quia eouſque ſemen creſcit, copia vel craſſitudine.

Tertia dubitatio an temperatura ætatis ſit eadem naturali. Ad hoc reſpondeo: ex Galeno *libro artis medicæ cap.*4.colligitur quod naturalis eſt in potentia ad omnem ætatiuam, & eſt vt totum & partes: ſi tamen per naturalem intelligeremus contractam ab initio natiuitatis, tunc illa eſſet temperies infantiæ, & hæc differret.

Quarta dubitatio eſt an temperies conſiſtentiæ detur, ad quam reſpondet Galenus *in Primo de Tuenda ſanitate cap.* 5.*in fine* quod quo ad ſenſum datur, ſed vere non, quia corpus ſemper euadit ſiccius. In oppoſitum tamen eſt Princeps in litera,& tres rationes adducuntur à Dino, quæ pulchræ ſunt, ideò adduco eas. Et prima eſt; quies media eſt inter quoslibet duos motus *octauo phyſicorum.*Sed incrementum & decrementum ſunt contrarij motus, igitur inter illos eſt quies media. Sed non dicitur quieſcere aliquid in inſtanti, quia non poteſt moueri, igitur durat per tempus. Secunda ratio:forma perfectiſſima ad quam mouetur aliquid aliquo tempore manet, quia non corrumpitur in eodem inſtanti, ergo in alio:ſed inter quælibet duo inſtantia eſt tempus medium, igitur illo tempore ſtabit. Tertia ratio: natura nihil producit, cuius conſeruationem non intendat, *ſecundo de generatione animalium cap.*1.*in primo.* Pro hac quæſtione reſpondeo: primò quòd quantitas durat. Secundo caliditas etiam manet ex Galeno *ſecundo de Temperamentis.cap.*2. Tertio dico quod humidum non manet,patet ex eodem: ſed Galenus non fuit Philoſophus acutus,veritas enim eſt quòd ſubſtantia manet longo tempore, ſed interim qualitates mutantur. Verum eſt aliud diſcrimen ſecundum Galenum, conſumitur à calore proprio, ideò conſumptio eſt perpetua: at ſecundum Principem ab ambiente. Conſumptio autem non eſt perpetua quia vt dixi qualitatis actio ſolum. Ad argumenta. Ad tertium illa forma manet ſecundum numerum, ſed præuiæ qualitates non. Ad ſecundum corrumpitur ſubito poſt illud inſtans in quo ſit, non tamen datur primum non eſſe. Sed ad primum dico, quod generatio non eſt motus: ſed contra quia *Octauo Phyſicorum* explicat de generatione,breuiter dico quod è mente Philoſophi manet, quia negat mutationem quæ non ſentiatur, vt *Quarto Primæ Philoſophiæ* ſed Galenum eam admittit. Ideò Concordia eſt inter Galenum & Principem& Arroëm, de quantitate calidi quod non ex quiſita æqualitas *ſecunda primi de pulſibus ætatum* calor pueri & iuuenis eſt ferè ſimilis,& eodem modo intellexit Auerroës *Primo canticorum com.* 34. quod calor iuuenis eſt idem cum calore pueri, & ideo ad diminutionem humidi diminuitur calor in quantitate ſed non in qualitate. Galenus facit æquales in qualitate, ſed nec quantitas eadem eſt. Tamen aſſumptum Auerrois eſt falſum, quod calor naturalis fundetur in humido radicali, imo fundatur in humido influente etiam.

TEXTVS LXXIX.

Præterea ſciendum eſt, quod caliditas poſt tempus conſiſtendi minui incipit: propterea quod aër circumdans materiam eius, quæ eſt humiditas, exſiccat. Calor quoque innatus,qui eſt intus, ad hoc adiuuat: & labor proueniens ex motionibus corporeis,& animalibus,quæ neceſſariæ ſunt in vita: & defectus naturæ ad reſiſtendum illi ſemper.

COMMENTARIVS.

Circa hoc Iacobus facit quæſtionem trigeſimam, in qua quærit an calor naturalis poſt ætatem conſiſtentiæ incipiat remitti,& dico quod ſic in quali: nam in quanto adeò manifeſtè decreſcit, & cogatur etiam decreſcere in quali. Sed Iacobus adducit fundamentum: corpus poteſt incaleſcere regimine calidiore, ergo tunc erit calidius, quàm in iuuentute.Reſpondet Curtius quod non eſt inconueniens, dico iſta reſponſio eſt falſa de mente Galeni, Principis, & ex experientia, nam Princeps dicit,quod calor iuuenis non augetur, ergo multo minus poſt conſiſtentiam, & hoc eſt quia diſtinxit inter calorem membrorum, & reliqua genera: calor enim ille cæleſtis *ſecundo de generatione animalium cap.*3. non poteſt ſuſcipere augmentum, ſed ſolum calor elementaris, aliter daretur regreſſus in ætatibus, elementaris autem augetur.

Poſtmodum quæritur, an labor exſiccet corpus, & de corpore videtur quod non, *ſecundo de Tuenda ſanitate cap.*2.exercitium ratione melioris nutrimenti humectat ſolida, & idem videtur ſentire Princeps *tertia Primi.* Oribaſius *in Primo ſynopſeos* definit exercitationem, quod ſit vehemens motus cuius terminus eſt frequentia anhelitus. Idem inquit Auerroës *in ſexto collectaneorum cap.* 11.tria facere commoda, exercitationem, duritiem in ſolidis, incrementum caloris, & ſpiritus concitationem, motum. Ex prima vtilitate robuſtiores fiunt operationes, & vt non lædantur ex eis membra:

Ex caloris autem incremento solidorum fusionem, & attractionem alimenti copiosiorem, atque nutritionem meliorem, tum verò colliquationem excrementorum ex spiritu concitatiore, meliorem superfluorum digestionem & expulsionem, & meatus amplificari. Si autem coctio perfecta nondum sit, aut corpus plenum crudis humoribus, diffundit & spargit talia cruda magno vitæ periculo. Dicit autem quod tempus est, cum prodit vrina subrufa non aquea: est enim nimis tempestiuum, nec cum rufa iam est, est enim nimis serò. Et quod triplex est valida, quæ non frequentem facit anhelitum, vt fossorum; celer quæ velociorem, quæ magnum facit anhelitum vt currentium, & valida simul ac velox, quæ vtrumque facit vt pilæ paruæ & magnæ: Ideò dicit; violenta autem vti licet sine velocitate: indicans velocem esse periculosam, scilicet quia non addit robur musculis, & inflammat corpus. Terminus autem est ex quinque, quorum quatuor ibi ponit, quod corpus detumescere incipiat, vel colorem floridum amittere, vel languescere, aut malè profluere, vt frigidus aut paucus. Quintum est indicium exercitationis, & est respirationis mutatio, aliter exercitatio non est.

Circa motus animalis, quomodo exsiccent, dico quod per motum spirituum, vt declaraui in *libro de immortalitate animi*, fiunt sensus operationes, ergo exsiccatio: qui verò tenent spiritus non concurrere, multum laborant in hoc, quomodo sentire exsiccet. Ex hoc patet vna pulchra conclusio, quod eruditi non possunt esse longæui, & pro illa longissima vita habenda non est necessarium, imo neque expedit vti exercitatione vel mediocri, sed exiguo valde.

TEXTVS LXXX.

OMnes enim virtutes corporeæ sunt finitæ, hoc autem iam ratiocinatum fuit in scientia naturali, eius ergo operatio non semper existit in restauratione.

COMMENTARIVS.

Aristoteles *octauo Physicorum* id proponit, quod verissimum est, scilicet virtutem in materia esse finitam, atque ibi probare videtur quod postmodum Duodecimo Primæ Philosophiæ repetit: demonstratio ergo talis est fundata in tribus propositionibus; prima, omnis mutatio & motus est in tempore: Secunda quod potentia maior in minori tempore æqualem, & in æquali maiorem actionem producit: Tertia quod poterimus tantum adiungere quod æquabitur datæ quantitati: tunc igitur si ponatur quantitas transitus materiæ in aliquo tempore, & illa materia mouetur ab aliqua potentia finita maiore, tunc celerius mouebitur à dupla & quadrupla; ergo tandem eodem modo sicut ab infinita; ergo contra secundam propositionem suppositam. Circa hoc animaduertendum est quod Philosophus non vult quòd intelligatur ista propositio nisi de potentia actiua propter materiam primam. Secunda de virtute in materia, quia aliter non posset esse vniuersalis. Tertia in materia finita, aliter esset indemōstrabilis hac demōstratione saltem; Quarta de virtute motiua vel mutante propter cœli permanentiam, quæ est infinita; sed est difficultas, quia *Duodecimo Metaphysicæ, com.*41. argumentatur Aristoteles: intelligentiæ manent æterno tēmpore; ergo non sunt in materia; igitur videtur concludere etiam de permanentia. Sed dico quod eodem modo est intellectum ratione motus, quia vbi intelligentia esset in corpore; & hæc est alia demonstratio, non posset mouere æterno tempore, quia ad hoc vt maneat, oportet vt habeat vires illas cum corpore ipso: igitur iuxta diuisionem corporis diuidetur potentia; sed corpus non potest habere potentiam infinitam ad motum, quia neque ad diuisionem, sed exhauritur: igitur, &c. Et si quis dicat quod ignis mouetur infinito tempore; dixi quod conuenit toti per accidens, partibus per se; sed nulla pars mouetur: sic neque manet demonstratio: igitur illa videtur esse vna, quia eam non explicat *Duodecimo Metaphysicæ*, nec est verisimile quòd prætererit; igitur probat quod nulla potentia actiua infinita permanentia potest esse infinita. Sed tamen *octauo Physicorum in princ.*7. dicit, declaratum est ibi, quod corpus non potest mouere infinitum; sed intelligit de ordine, non de tempore, id est quia est deuenire ad primum motorem. Vtrum autem aliquid possit permutare seipsum motum: de hoc videntur authoritates *secundo Physicorum, comm.*1. non inuenitur corpus simplex quod ex se permutetur, sicut inuenitur quod mouetur; & animal quod videtur ex se mutari, ac planta. Item *septimo Physicorum, com.*3. omnia quæ mouentur ad generationem, vel augmentum, vel mutationem, mouentur ab extrinseco; & quædam motu loci, & *octauo Physicorum, com.*20. non inuenitur aliquid ex se moueri, nisi in motu locali: in cæteris motor est exterior; idem *Quarto cœli com.*24. *iuxta medium*, manifestum est, quia faciens motum in re permutabili, est extra id quod permutatur, & existimatur quod illud manet cum partes sint diuersæ, vt accidit infirmo, in quo cor sanat membrum ægrum, & *Nono Metaphysicæ*, vbi dicit quod in aliquibus potentia actionis & passionis est in eodem subiecto, in aliis in diuersis Sed ego iam dixi, quod agens non agit proprium subiectum in inanimatis: de animatis dixi superius.

TEXTVS LXXXI.

AMplius si hæc virtus infinita foret, & semper fieret restauratio loco eius, quod resoluitur æqualiter secundum quantitatem vnam; fieret

fieret tamen resolutio non secundum quantitatem vnam, imo augeretur semper omni die; tunc non esset restauratio resistens resolutioni: & esset resolutio finiens humiditatem, quantò magis cum duæ res se iuuent ad minorationem faciendam, & retrocedendum? Et postquam sic est, oportet necessario finiatur humiditas, & calor extinguatur, & præcipuè cum ad eius extinctionem adiuuet præter materiei defectum, alia causa. Et illud est humor extraneus, qui accidit assiduæ, propterea quòd cibus priuatur digestione: & adiuuat ad extinguendum ipsum duobus modis: vno suffocando & tegendo: alio, qualitati obuiando: hic enim humor est phlegmaticus frigidus.

COMMENTARIVS.

Postmodum declarat duplicem modum extinctionis à cruditate: Scilicet à qualitate contraria & à multitudine; tantum verò potest multitudo. Galenus declarabat in libro *de bono habitu* dicens, quod athletis imminet suffocatio repentina à sanguine quantò magis à pituita, quæ etiam ratione qualitatis suffocat calorem.

Solet etiam quæri an senium sit morbus, respondet Galenus *in libro de tabe, cap.*4. *in fine,* quod senium quidam dixerunt non esse neque à natura, neque propter naturam, sed non naturalem dispositionem. Simile quid in *libro de particulis artis medicæ, cap.*1. vbi dicit quod gerocomica non est neque curatiua neque conseruatiua: idem *sexto de tuenda sanitate*, vbi dicit quod dispositio senum est neutra.

Sed dubitatur an sit vna causa mortis tantum vt Galenus *Primo de tuenda sanitate, cap.* 2. vbi dicit quòd duo sunt tantum necessaria. Vnum mors propter siccitatem. Secundum nutritio propter defluxum materiæ. Idem *in libro de tabe cap.*5. Si cordis & iecoris substantiam humidiorem facere liceret, senium tolleretur. Princeps ponit plures; respondeo quod Galenus tractauit ea, quæ erant magis euidentia sensibus. Princeps autem posuit illud de restauratione, quod etiam ponitur à Galeno, quia Galenus videbat, quod vbi corpus non redderetur siccius, restauratio poterat esse æquè bona, & ita in senectute sicut in pueritia, licet non restauraretur æquale materiæ, ex qua genitus est. Princeps verò posuit duas, quia quælibet interficit, sed tertiam posuit coadiutricem non generalem.

An mors possit naturalis retardari. Tangitur à Conciliatore, sed nihil boni dicit vltra vnum argumentum, quod fundatur in vna authoritate *libro artis medicæ*, quod potest permutari temperatura, igitur cum temperaturæ habeant diuersos periodos vitæ, patet argumentum. Gentilis distinguebat in ætatem humanam, quæ non potest prolongari quia est propria speciei & in ætate temperaturæ, quam putat posse augeri mutata temperatura, & in ætatem indiuidui, & de hoc est dubitatio propter illud argumentum Conciliatoris, vt si Æthiops transferatur à pueritia in Italiam, potest viuere vsque ad septuaginta annos, cum in sua regione non viuat nisi quadraginta, teste Plinio *libro sexto, cap.*30. Verum ego dico, quod quantum ad naturalem temperiem potest permutari ad sicciorem non ad humidiorem, aliter posset fieri regressus in ætatibus; quoniam verò Galenus docet permutare temperaturam, non intelligit de propria in comparatione ad humidum radicale, sed tamen quo ad mistionem elementorum: quantum verò sit ratione dati humidi possibile est vitam producere multis modis, sed præcipuè quatuor: mutatione regionis, emendatione temperiei malæ, regimine præseruante, & auro potabili, de quo disputaui in *libro de subtilitate*, & propter hoc dicit ad authoritatem Principis hic, & Aristoteles *Quarto de generatione animalium, cap.*10. intelligi debere de potentia existente secundum optimum modum regiminis, & non secundum regimen consuetum.

Notandum quod in humectatione est periculum mortis præternaturalis propter putredinem, sed augetur vita in comparatione ad mortem naturalem; sed in siccis quamuis mors præternaturalis caueatur, attamen naturalis corripitur. Vnde Galenus *Quinto de tuenda sanitate, cap.*9. vituperat Aloëm propter siccitatem in senibus, quod idem est de omnibus pillulis, & etiam in omnibus siccis temperaturis, ideò etiam Gallorum Reges parum viuere creduntur propter vsum multorum aromatum.

Deinde super illa verba quod hoc totum diuino procedit præcepto, quæritur an omnia fato contingant: respondeo de mente Aristotelis & Auerroïs *octauo Physicorum*, agentia naturalia non habent potentiam ad contrarium, sed voluntaria bene. Sic & ideò omnia sunt ordinata à Deo, de necessitate secundum ordinem naturalem, & sic etiam Beatus Augustinus concedit fatũ, quicquid dicat Scotus, nam Augustinus dicit *in libro de Ciuitate Dei*, quod intelligendum per fatum ordinem causarum vniuersi, nihil inconuenit concedere fatum, & ideò non debetis esse multum soliciti nisi de studiis.

Deinde sequitur quæstio trigesima quarta, in qua quæritur à Iacobo, an possit restaurare humidum melius quàm sit deperditum. Hoc declaratum est quod non, sed bene melius quàm illud quod præerat; sed quia ponitur humidum substantificum, dico quòd illud potest esse melius & fieri, non tamen radicale, & intelligo per humidum substantificum humidum membri, in comparatione ad elementa, quia poterit esse pinguius, sed non tamen vt radicale: differunt enim ratione, & vt pars & totum, nam substantificum dicitur vt pars membri, & continens totum humidum illius, & conueniens omni membro, radicale soli cordi, & continens humidum pingue solum, & vt est subiectum caloris naturalis.

Si virtus nostra infinita foret, an homo semper viueret vide *secundo contradicentium* 35.

TEXTVS LXXXII.

ET hæc est mors naturalis cuique indiuiduo destinata, secundum suam primam complexionem, vsque ad terminum, quem in sua potentia habet ad suam humiditatem conseruandam. Vnumquodque enim eorum terminum præfixum habet, qui in indiuiduis diuersificatur, propter complexionum diuersitatem. Et hi quidem sunt termini naturales. Sunt verò & alij termini non naturales, totum tamen diuino prouenit præcepto.

TEXTVS LXXXIII.

QVod ergo ex hoc acquisiuimus est, quod puerorum & iuuenum corpora sunt calida temperatè. Et corpora senum, & decrepitorum sunt frigida. Sed puerorum corpora, æquali sunt humidiora propter augmentum: & hoc quidem nobis insinuat experimentum, quod de mollicie ossium est, & neruorum, vel membrorum ipsorum, & consideratio: quoniam parum est tempus ex quo fuerunt sperma, & spiritus vaporalis. Senes autem & decrepiti proprie præter hoc, quod sunt frigidiores, adhuc sunt ficciores. Et hoc quidem scitur experimento, quod habetur de duritie ossium eorum, & asperitate cutis eorum, & consideratione, eò quod prolixum est tempus, ex quo fuerunt sperma, & sanguis & spiritus vaporalis. Et in pueris quidem, & iuuenibus est igneitas æqualis. Sed in pueris plus abundat aeritas, & aqueitas. Et in senibus & decrepitis, plus abundat terrestreitas, quàm in illis duobus: & est in decrepitis plus. Iuuentus autem habet complexionem magis æqualem complexioni pueri, comparatione tamen pueri, est eius complexio sicca, & senis & decrepiti comparatione, est humida. Decrepitus verò est ficcior iuuene, & sene in membris radicalibus, & humidior vtrisque humiditate extranea madefaciente.

COMMENTARIVS.

Concludit ergo operationem trium ætatum principalium, & dicit crescentes sunt æquè calidi cum iuuenibus, sed longè humidiores propter incrementum. Secunda comparatio est senum cum consistentibus, & senes non solum sunt frigidiores, sed etiam sicciores: sed littera est corrupta. Deinde probat hoc ex duritie ossium, ex quo patet quod temperies puerorum & senum quæ comparatione (vt claram prætermisit) est ad vnguem opposita altera alteri.

Sed quod dixit igneam facultatem in pueris & florentibus æqualem esse, humidam autem in pueris abundare, hoc videtur ostendere pueros calidiores esse iuuenibus; sed tamen haud ita est; ergo vel sub dubitatione dictum sit, vt apud Galenum legitur; vel quod magis mihi accidet, quod in pueris calidior est influens, in iuuenibus innata.

TEXTVS LXXXIV.

SEcũdum verò diuersitatem complexionum generum, fæminæ frigidioris existunt complexionis: ideoque sunt in creatura minores masculis, & sunt humidiores: ergo propter complexionum earum frigiditatem multiplicantur earum superfluitates, & propter paucum ipsarum exercitium: & substantia carnium earum est ascaf, licet viri caro ex parte compositionis eius, per id, quod ei admiscetur, fit ascaf; quoniam sua spissitudine, est maioris & vehementionis separationis ab eo, quod in ipso penetrat & de venis & de villis neruorum.

TEXTVS LXXXV.

QVi vero terras inhabitant septentrionales, humidiores sunt, & qui artes exercent aqueas, humidiores existunt.

COMMENTARIVS.

Dicit quod boreales sunt humidiores: idem videtur sentire Galenus *secundo de Temperamentis c.* 5. dum de Illyriis & Germanis loquitur: dicit enim quod habent capillos rectos sicut Æthiopes, crispos propter siccitatem: sed contra quia Aristoteles *Decima Quarta Problematum* dicit, quod Boreales sunt efferi moribus, *& in octauo* dicit quod sunt fortes, quæ ambo proueniunt à siccitate; respondeo ex Philosopho

in

in eadem particula vbi quærit cur habitantes in regionibus calidis sint sapientiores, dicit quod calor efferuescit, & facit quasi ebrios in regionibus frigidis. Propter calorem igitur vehementem sunt feri & fortes, & ideò non sunt feri, nisi cum iracundia:& differt hæc siccitas feritas à siccis & calidis regionibus, quia est permanens: fortitudo autem fit à caliditate & abundantia sanguinis.

Quæritur an regiones frigidæ producant corpora magna? Aristoteles *Decimaquarta Problematum* dicit quod in calida & frigida magna corpora fiunt, & assignat causam quam ego dixi in principio lectionis, quoniam calor noster maior est in æstate & in hyeme, quàm in mediis temporibus: æstate quia non consumitur à frigore, hyeme quia cogitur. Ex quo patet solutio de sene, cur melius se habeat tempore æstatis, quam in alio: verum in regione calor non ita resoluitur sicut in æstate, quare causa quam Aristoteles adducit est optima: vel dic quod humidum extenditur in calidis regionibus ab externo calore, coquitur ab interno; sed Hippocrates *in libro de äere & aquis c.* 10. & 11. non dixit corpora borealium esse magna sed languida: respondeo breuiter, quod intelligit Hippocrates de valde frigidis regionibus.

IN PRIMAM PRIMI

HASEN

COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

DOCTRINA QVARTA DE HVMORIBVS.

QVICVMQVE cupidi sunt diuitiarum & honorum, hanc quartam Doctrinam studiosius amplecti debent. Vnde Galenus libro de atra bile *qui humorum contemplationem omittit, magnam & maximè necessariam medicinæ partem prætermisisse videtur, quippe nullis morbis medicus magis aut ditatur aut insignis efficitur, quam his qui ex humoribus pendent: nam primum illorum copia maior est, & euidentiora ac repentina damna, dolores, febres, vlcera, tumores & curationes magis conspicuæ: neque enim gloriosius neque mirabilius quicquam contingere medico potest, quàm si vel præsente sanguine quem venæ sectione eduxerit, vel per humorem quem purgamento purgauerit, soluatur morbus. Neque enim tunc vel supplicationibus Deorum, vel præsentationibus maleficorum, vel naturæ viribus aut friuolis idiotarum auxiliis, vel morbi tædio aut fortuna, casúue, in qua sex plerumque reiici solet sanitatis constitutio; sed sola medici industria curatus existimabitur. Tunc ergo vicini atque affinès accurrunt, & fama illius cum lucro augetur, quamobrem vos omnes huic tractationi totis viribus attingite.*

CAPVT I.

TEXTVS I.

HVMOR est corpus humidum, fluidum, in quod imprimis nutriens conuertitur.

COMMENTARIVS.

Doctrina hæc quarta quæ est de humoribus, duo continet capita. In primo agit de humoribus: in secundo de eorum generatione, quæ quamuis sit prior tempore & natura, est tamen posterior cognitione. Primum igitur caput sic diuiditur. In prima ponit diffinitionem humoris & illius explicationem. In secunda agit de secundis humidis ibi, (*secundarum verò*) In tertia species omnes humorum ibi (*& dicemus etiam*) in

in quarta remouet dubitationem dicentium, solum sanguinem esse humorem ibi (*inquit Galenus*) In quinta remouet dubitationem eorum qui dixerunt robur sequi sanguinis multitudinem ibi (*sunt autem quod*) In sexta remouet tertiam dubitationem eorum, qui dicebant quod dummodo humores sint in debita ratione inuicem non requiritur certa quantitas ibi (*Et sunt quidam*) Tertia pars est valde longa. Nos autem hic longas intermiscebimus digressiones interserendo librum floridorum vtilem lectu. In prima ergo; primum quid sit humor diffiniendum erat: dicit ergo quod humor est corpus. Sed primo dubitatur quia per notissimam illam diuisionem *sexto epidemiorum sect.* 7. in parua tabella corpus nostrum trifariam diuiditur in continentiam, contenta, & intus permeantia corpora, ergo de corporibus prius dicendum quam de humoribus: respondeo sequendo istum ordinem, ita deberet fieri. Sed Galenus dixit *secundo de Elementis cap.* 1. quod vt elementa sunt elementa omnium, ita humores animalium, & etiam quia humores ipsi ex elementis constant, membra ex humoribus, *Primo de Elementis cap.* 1. Sed ex hoc oritur alia dubitatio, quia si humores sunt elementa animalium; igitur sicut fecit Galenus, qui post primum de elementis posuit secundum de humoribus, ita Princeps debuit facere tertiam Doctrinam de humoribus, & quartam de temperaturis. Respondeo quod Galenus secutus est ordinem ab vniuersalibus ad singularia, in comparatione ad animalia tantum; Princeps in comparatione ad omnia mista.

Circa diffinitionem exponantur partes, quæ sunt; quod est corpus liquidum in quod primo alimentum conuertitur, corpus generationis loco liquidum propter membra & spiritus, in quod alimentum primo conuertitur. Cùm dixit *conuertitur* excludit chylum, qui non fit per conuersionem, cum retineat colorem & substantiam, cum dicit primo excludit humida secunda. In via tamen Galeni haberet aliquam difficultatem de pituita. Sed Princeps diceret, quod etiam est humor, quia alia habent substantiam & colorem, licet in ventriculo generetur. Et ita diffinitio est perfecta, & habet quatuor partes. Aliàs legebat humidum liquidum; duo verba pro vno vitio interpretis, quod frequens est apud Gazam. Cum enim nesciret an humidum an liquidum significaret, posuit ambo. Est enim humidum, & dicitur quod terminatur termino alieno, *secundo de generatione & corruptione com.* 9.

Inuenio aliam diffinitionem *libro de dissect. viuo*, quod humor est membrum molle ad suscipiendum impressionem: facile ego lego pro membro *partem*, & est bona diffinitio & breuis.

Considerandum quod humor septem habet significata. Vnum quod conuenit tribus humoribus & sic capitur *in libro de atra bile: cap.* 2. & huic dicebat Galenus conuenit, non cogi vel gelascere. Secundo vt comprehendit sanguinem & reliquos tres humores naturales tantum in venis, & sic capiebat *in secundo de Elementis cap.* 2. & ei conuenit dicebat Galenus contineri in venis vel arteriis, & quod sit ex alimenti genere. Tertio vt comprehendit quatuor humores & excrementa eorum, & sic capitur *Primo de Natura humana* & continetur in aliquo vase, & est vtile. Quarto vt comprehendit etiam humores non naturales: & sic conuenit solum continere in aliquo vase. Quinto verò vt etiam humida. Sexto vt significat aliquando chylum *secunda Aphorismorum* cum dixit Galenus quoduis sanguificum in venis, supple meseraicis, non potest transmutare humorem, qui ad eos peruenit in sanguinem; manifestum est quod per humorem chylum intelligit. Septimo vt etiam comprehendit vrinam, & est idem quod contentum in venis & arteriis, dicitur Græcè humor ὑγρότης.

Notandum quod humor etiam explicatur *Prima Primi*, & est quod humores sunt corpora quæ ex prima generantur ciborum commistione, sicut membra ex humoribus, & cibi ex Elementis, & hoc declarat diffinitionem præsentem clarè. Alio modo diffinitur à Principe *Duodecimo de animalibus cap.* 5. & est quod est corpus humidum fluxibile, quod ad bonum terminatur, ibi diffinit humorem pro bono tantum humore.

Hanc diffinitionem explicabat Nicolaus *libro Quinto tract.* 1. *cap.* 12. animaduertens duo. Vnum quod dixit liquidum propter spiritus, nam ipsi sunt humidi, sed non liquidi. Secundo animaduertit, quod humidum potest dupliciter intelligi, vt colligit *in libro de causis morborum cap.* 6. clare hic intelligitur de actu & non de potentia.

TEXTVS II.

ET ex eo quidem alius est humor bonus: & est illud de cuius proprietate est, vt fiat pars substantiæ nutriti solus: vel cum alio: & vt assimiletur ei solus, aut cum alio, & in summa est supplens loco eius, quod ex eo est resolutum. Et quidam ex eo est superfluitas, & humor malus, & est ille, qui non habet proprietatem illam, aut raro in bonum conuertitur humorem: & ante illud à corpore expelli & proiici debet.

COMMENTARIVS.

Circa hoc est dubitatio. Iacobus vult quod diffiniantur quatuor tantum humores, & opinio eius est vera; nam licet loquatur post de humidis, de illis agit vt ab humore distinguuntur. Vgo exponit quod omne humidum; & ita secunda humida chilus & vrina essent humores secundum Vgonem? Sed hoc non est verum, quia non cadunt sub partibus diuisionis. Datur tertia expositio, quæ reddit rationem, quomodo chilus non sit humor & fundatur in hoc verbo primo: sed legit in primis, id est concoctioni

concoctionibus, & ex hoc chilus non est humor: Attamen peruertit litteram. Quarta expositio est Curtij, quod humor est quicquid est aptum nutrire, & fit per concoctionem, sed remanebat difficultas de chilo: ad hoc dicit quod non est primò nutriens, sed ista responsio præter id, quod accipit alimentum impropriè, non satisfacit de chilo, nam accipit alimentum passiuè, non debeat accipi actiuè. Alia est solutio Gentilis, quam recitabo, quia multa continet pulchra, non tamen est vera. Habet autem duas conditiones; primam quod est secundum Galenum; secundam quòd non extorquet literam Principis. Dicebat ergo Galenus *Primo de facultatibus naturalibus, cap.* 11. nutrimentum ex Hippocrate tripliciter dicitur verè per similitudinem, & impropriè pro eo quod nutriturum est. Relinquit igitur hoc tertium significatum vt improprium, & dicit Galenus; primo modo significat illud quod assimilatur. Secundo modo habet quatuor ordines, quod agglutinatur, quod apponitur, quod est in venis, & chilus quodcunque vocatur nutrimentum: ergo illud in quod primo conuertitur, si sit corpus, humidum, liquidum, erit humor. Videamus modo an sit verum, chilus conuertitur in sanguinem & reliquos humores, ergo, &c. humores in venis in humida secunda: rursus quod apponitur & agglutinatur, & sunt species humidi secundi in id quod assimilatur; ergo quod assimilatur est humor. Rursus quod assimilatur in membrum, & quantum esset merito huius membrum deberet esse humor, sed non est corpus humidum. Sed hic modus amplectitur humida secunda contra opinionem Hippocratis, Galeni & Principis. Dico ergo: primo quod vrina non est humor quia non fit per conuersionem, vt colligitur *Primo de facultatibus naturalibus, cap. vlt.* Nec secunda humida, quia in ea non conuertitur primo alimentum, sed prius in humores: Nec chilus quia non conuertitur alimentum in chilum, ita quòd mutet substantiam & colorem. Et ita est propria.

Quidam mouent dubitationem, an malus humor vtpote gypseus qui non fluit, & bilis eruginosa contineatur sub hac diffinitione: & respondeo quòd supra gypseus humor fluit, & si malè fluat, & bili æruginosæ conuenit, quod sit genita ex nutrimento, & ideo diffinitio nostra sic exposita, tollit omnem difficultatem: nam in via Curtij humor eruginosus non posset esse humor, quia non potest nutrire. Sed iuxta nostram expositionem est, nam sufficit quod fiat ex nutrimento.

TEXTVS III.

Dicemus ergo, quod humiditatum corporis, quædam sunt primæ: quædam secundæ. Primæ sunt quatuor humores, quos paulo post nominabimus. Secundarum verò duæ sunt diuisiones: aut enim sunt superfluitates, aut non superfluitates. Superfluitates verò in sequentibus nominabimus. Et quæ sunt non superfluitates, sunt humores, qui à principali dispositione conuersi, membris delegati fuerunt: sed nondum alicuius membrorum simplicium operatione perfecta, pars effecti sunt: quorum sunt quatuor species. Vna est humiditas in foraminibus extremitatum paruarum venarum contenta, membris simplicibus propinquarum, imbibentium ea, vel à quibus ipsa membra imbibunt. Alia est humor per omnia simplicia, transiens membra: sicut ros, qui in nutrimentum conuerti est aptus, cum corpus nutrimento caret: & vt membra humectet: cum aliqua causa fortis motus, aut alia ea exsiccauerit. Tertia est humiditas quæ in tempore proximo fuit coagulata, & est nutrimentum, quod in substantiam membrorum ex parte complexionis & similitudinis conuersum est, sed ex parte essentiæ completæ nondum conuersum fuit. Quarta est humiditas, quæ est intus in membris simplicibus à principio natiuitatis: per quam partium eorum continuitas existit, cuius principium est ex spermate. Spermatis verò principium est ex humoribus.

COMMENTARIVS.

Ponit duas diuisiones, dicens humida alia prima, & sunt humores: & secunda quæ rursum diuiduntur in bona & mala. Ex quo patet quod non diffinit humorem vt significat superfluum. Circa humoris ergo diffinitionem; Primo dubitatur an malus humor possit nutrire, & videtur quod sic, quia corpora leprosorum nutriuntur: & similiter de veneno, vt habetur à Galeno *Tertio de simplicibus medicamentis, cap.* 18. Et à Principe in Sexta Quarti. Ad hoc solet responderi, quod res perfectè mala non potest nutrire: dicitur autem non perfectè mala, vel quia non adepta est tantam contrarietatem, vt non possit conuerti substantia, vel quia habet aliquid vtile, igitur imperfectum venenum potest nutrire.

(*Ad hæc*) Hæc est secunda diuisio in qua ponit quatuor humores: deinde ponit secunda humida. Sed diuidit ea: quædam enim sunt superflua de quibus sequenti capite ibi (*superfluitas igitur digestionis*) iuxta finem: sunt autem, & ibi declarat, sudor, vrina, & alia. Vtilia autem videntur esse quatuor. Prima est in osculis venarum; secunda quæ est tanquam ros. Tertia quæ est agglutinata & assimilata. Quarta & vltima est ipsius membri substantia ab initio generationis, de quibus dicemus, quia Galenus

aliud sentit. Hic Curtius dixit esse tantum tres in via Galeni, sed non adduxit locum, neque quænam essent: locus est *Primo de facultatibus naturalibus, cap.* 11. Ponit ergo quatuor; assimilatam, agglutinatam non assimilatam, appositam, non agglutinatam & rorem, & dat exemplum de morbis, nam agglutinata non assimilata facit vitiliginem, & apposita non agglutinata anasarcham: quæ verò nondum apposita inter cutem & carnem est ros, & quæ in osculis nõ faciunt morbum in cute. Ideo concludo quòd hoc modo loquendo poterunt dici sex, & in via Galeni quinque tantum adueniunt: nam innatum membri non aduenit: ergo Princeps distinguit ea penes. Cum ideò duo omisit principalia; appositum non agglutinatum; & agglutinatum non assimilatum: ergo erunt quatuor. Vide *Septimo contradicentium.* Circa literam dicit quod humida secunda sunt, quæ iam mutata sunt & ad membra peruenerunt, hoc non conuenit primo humido; deinde dicit quod non permutata sunt in ipsa membra, sed hoc non conuenit quartæ. Ros etiam differt à pituita (cum habeant duas vtilitates vt in litera nutriendi & humectandi in validis motibus) in quatuor. Primo quia pituita parum est immutata à natura quam accepit à iecore. Secundo quia parum differt ros à nutrimento, pituita multum. Tertio quoniam pituita est in magnis concauitatibus, & continua; ros in paruis, & diuisus in minimas partes. Quarto quia pituita quæ humectat, non est illa quæ nutrit, licet in genere fungatur vtroque munere: at idem ros numero est, qui humectat & nutrit.

In vniuersum magna incidit dubitatio circa temperaturæ cognitionem, quam adeo extulit Galenus *Primo ad Glauconem*, vt velit medium non esse medium, nisi propriam temperaturæ mensuram non solum qualitatem cognouerit: & licet tacta sit supra & in *Tertio contradicentium*; dico tamen, quod multa huic opponantur: nam nunquam primum, quod non vidi hominem aliquem qui ad hoc cognitionis peruenerit, imo quod maius est, clarissimi medici etiam post longam visitationem, inuicem sæpe litigant. Secundo quod repente aduocamur vel ad curandos morbos acutos, vel ad consulendum in morbis diuturnis. Tertio quod videamus plures sanari infirmos & ab imperitis, tales ac longè plures quàm quorum temperies nota sit. Quarto quod sufficit medico scire causam morbi, & quanta sit; sed hæc deprehenditur à magnitudine læsæ operationis, qualiscunque sit temperatura, ergo absque conditione temperaturæ dignoscemus & morbum, & quantitatem morbi, & causam, & omnia necessaria. In oppositum est istud quod videmus sæpe homines eodem vitio laborantes, & vnus moritur, alter sanatur; & vnus iuuatur vehementer ab vno auxilio, & alter nihil prorsus; & vnum cogimur regere vno modo, alium alio modo: & non potest esse causa neque in morbo, neque in causa morbi, cum supponantur paria, neque in compositione: igitur restat vt temperatura sit causa horum. Et quo ad ætates dico quod hoc est manifestum, non ratione temperaturæ, sed multitudinis coloris naturalis aut paucitatis, vt Hippocrates in *prima Aphorismorum*: qui crescunt, plurimum habent innati caloris, plurimo igitur indigent alimento. Secundum est ratione consuetudinis: neque enim dubium est, quod assueti multo cibo non possunt perferre inediam, quia calor non concoquit nisi tenuem partem cibi: ergo paucum si exhibeas cibum, adeò debilitabis vt interficias illum; & si multum assueto, assumere paucum iubes, præter id quod grauabis naturã multitudine alimẽti, perimes ægrum, quia calor est assuetus extrahere quantum potest. Tertio ratione proprietatis: quibusdam enim hæc vel illa prosunt aut obsunt. Quarto ratione similitudinis in nutritione: nam calidi calidioribus, si ægrotent morbo frigido, aut minus frigidis si calido, & sicci siccis, & eodem modo de aliis indigent: sed hæc omnia naturalia sunt; ergo temperatura non facit ad cognitionem curationis morbi, & multò minus cognitionis nisi per accidens, vt pote de ætate vt dixi & de consuetudine, & de proprietate, & de similitudine, & vt addam quintum de innata imbecillitate alicuius membri, & hoc dupliciter: vel vt non perferat medicamenta velut ventriculus debilis, aut vt non ducamus super membrum læsum: & similiter quoad cognitionem attinet, quia ex iecore calido verisimile est generari multam bilem, in cæteris scilicet per essentiam parum aut nihil prodest hæc cognitio: & videamus primum in morbis materiariis, postquam disputauerunt satis de ipsa temperatura, postmodum ne verbum quidem faciunt. Similiter in abscessibus non quærunt temperaturam, nisi ætatis aut loci: & quod sit verum, Hippocrates totam rationem temperaturarum traduxit ad librum primum de diæta, vbi agit de sanis, & in *prima Aphorismorum* 17. dicit: *condonandum est aliquid ætati, consuetudini, & tempori.* Idem dixit antea de qualitate cibi, vbi videmus ipsum amplecti ætatem & consuetudinem: addit & vt dixi tempus anni; hoc idem *in libro de veteri medicina*, vbi non expressit temperaturam sed euentum, quod tollerent, vel non: dicebat igitur *in primo de Diæta*, quod temperaturæ degunt optimè in ætatibus & temporibus, & regimini contrariis; & proponit sex temperaturas quoad corpus, & septem quoad animam, & quod calidis temperamentis aqua magis prodest. Adde quod nec caliditas, nec frigiditas provt distinguuntur à calore naturali indicant de cibo, vel de inedia: & capiamus exemplum de intemperie sicca, quæ quatenus solum est intemperies, nec indicat de cibo, quia siccitas facit ad tollerantiam ieiunij, nec de inedia quia illa auget siccitatem; & vt breuiter dicam, indicatio cibi est, vel à concoquentibus, vel resoluentibus, vel à similitudine substantiæ, quæ potest comprehendi etiam sub concoquentibus. Et similiter considerat Hippocrates naturam biliosorum aut picrocholorum, & similium vt sunt, abundant in eis humores, velut in illo 3. *Aphor.* 2.

Naturarum

Naturarum hæ quidem ad æstatem aut hyeme bene .... se habent. Et in morbis minus periclitantur ægrotantes. Et in *Tertio Epidemiorum* inquit. *Maxima* autem *& grauissima erat tabes & plures occidit.* Est infra. *Forma tabidorum erat leuis, subalbida, & reliqua.* Et sæpe illud. *Erat autem sublienosus* vt de fratre vxoris Aristei, *vel anhelosa* vt Antigenis vxor, & illa *in Quarto Epidemiorum*, Et de Apollonio in Abderis. *Erat autem magnis visceribus præditus, & circa epar dolor multo tempore comitabatur, & tunc sanè morbo regio tenebatur, erat autem flatus plus* (inquit) *& coloris subalbi*: Et vult huiusmodi vt statum aduentitium & abundantiam humorum consideret Hippocrates, tum etiam morbos diuturnos & excessus temperaturæ. Sed temperaturam membrorum non principaliter considerat, neque vt indicem affectus, sed potius permittit, vt siquis velit, temperaturam ex affectu dignoscat, non ex temperatura affectum. Quod si dicas: si tamen ego cognouero, non male faciam. Sed licebit & serius in via colligere, vt agrum impingues; omnia bona, bona sunt, sed dico non esse vllo modo hoc necessarium apud Hippocratem: si enim consideres errandi periculum, sumptum temporis, & quàm parum hoc vtile futurum sit, omnino prætermittes. Et ad Galeni authoritatem respondeo, voluisse non per naturalem statum temperiem intelligi, sed operationes & affectus: velut si bene sit solitus concoquere, plurimum appetere, si ructum non edere, si aluum sæpe deiicere, si siticulosus omnino non sit. Et quis non videt hæc exquisitè & huiusmodi sciri posse, & quanta sit vtilitas ad dignoscendam qualitatem, & magnitudinem symptomatiis, & morbi, & causæ eius, cum temperatura naturalis vix dignosci queat, & cognita quam exiguam afferat vtilitatem, ne dicam nullam.

Nunc venio ad Principẽ qui dicit in pueris esse respirationem velocem, & crebram magnitudinem, tamen dicit respiratio non habetur, quia pulmones nõ peruenerant ad perfectionem suæ magnitudinis. Dicit Galenus *Tertio de causis pulsuum*, loquens de pulsu puerorum, (Et ratio est par) quod bifariam potest dici; magnus vel simpliciter: & sic non potest esse magnus, nam quantumcunque pulsus pueri dicit extendatur, semper erit minor pulsu iuuenis: quia nunquam tantum extendetur arteria, quantum illa iuuenis. Sin autem appellemus pulsum magnum, in quo extenditur arteria quantum debet, & iusto plus aliquid pulsus puerorum est magnus semper, quia iusto plus arteria extenditur ob calorem: idem ergo dicemus de magnitudine respirationis puerorum.

Circa consumptionem humidi ponit, quod ea fiat ab ipso aëre principaliter, & videtur sequi Aristotelem: secundo à calore naturali. Tertio à motibus necessariis, & hæc est vna ex causis mortis. Vide pro hoc *Primo Contradicentium.*

Et similiter ponit temperiem in sexu, docens masculum esse calidiorem fœmina, de quo visum est in *vndecimo Contradicentium.* Et non solum frigidiores sed etiam humidiores, vt etiam videtur in *Quinta Aphorismorum.* Quòd verò dicit mulieres magis habere *ascaf* id est raram texturam, intelligitur vt in propria expositione huius nominis: nam *ascaf* duo habet significata, sicut etiam apud nos laxitas: dicimus enim laxum quod est molle: & hoc modo corpora fœminarum sunt magis laxa quia humidiora: diximus enim *ex secundo de Temperamentis cap. 3.* quod humidum est molle, & durum, & siccũ: & dicimus laxum, quod raram habet texturam, & hoc fit in calido magis quàm in frigido: & ita corpora virorum sunt magis rara quia pilosiora, vt *secundo de Temperamentis cap. 5.* sunt enim hirsutiora; pili enim prodeunt ob raritatem cutis: vnde infantibus non prodeunt. Ergo difficultas est solum in verbo.

Ex hoc patet ratio trium Ethicorum, & concordia Principis *in Prima Quarti tract. 3. cap. 1.* vbi dicebat quod ex quatuor humidis fiunt quatuor genera febrium. Primum facit febrem sanguineam, quam vocat ebulientẽ, duabus de causis; non poterat dicere hecticam: tum quia continetur in venis, tum quia est parum immutatus à natura. Sanguinis reliqua tria genera comparat: primũ humido lucernæ scilicet rori. Secundũ oleo contento in licinio, & tertium humido ipsius licinij proprio: & secundum hoc dicit fiunt tria genera hecticæ. Cum enim consumitur primum humidum, generatur primum genus, ergo in rore constat primum genus hecticæ. Sed Gentilis dixit, quod Princeps non dixit de rore, quod faciat primum genus hecticæ, & confundit Textum Principis clarum, motus vno argumento, quod si putrescat humidum in osculis venarum, tunc fiet putrida: igitur non hectica? respondeo quod erunt hecticæ, quia sufficit de hoc quod sit hectica, quod consumantur membra & appareant signa hecticæ; & Tertio quod non putrescat certum genus humorum: & ita tria inueniuntur in calore igneo istorum trium humidorum, igitur erit hectica. Secundus error est quod existimat posse humorem in venis agglutinari absque eo, quòd fiat ros, & fundamentum est hoc, quia Princeps ponit, quod nutriat in tempore necessitatis, ergo non videtur velle quod nutriat semper. Iste est error contra Galenum & Principem, procedens ex primo errore, nam si consumptio eius facit primum genus hecticæ, ergo nutrit corpus. Sed Princeps non meminit nisi duarum vtilitatum propriarum, nam iam dixerat humida secunda, quæ non sunt excrementa, quæ nutriunt corpus, sunt quatuor generum, ergo superfluum fuisse dicere, ros nutrit corpus. De hecticæ generibus visum est alias.

Secundo dubitatur an sanguis qui est humor, sit arterialis vel venalis? Galenus *sexto de decretis Hippocratis & Platonis* dixit. *Sanguis in arteriis est flauior, calidior & subtilior eo, qui in venis continetur*: Et in libro de fætus formatione: *sanguis in arteriis subtilior & feruentior.* Ideò non videntur esse vnum. Galenus tamem non distinguit aliter in

in libro an sanguis &c. ideò dico quod differunt secundum puritatem, tum & secũdum plus & minus. Aristoteles diceret quod solus arterialis est verus sanguis. Sed videtur ignorasse, quia Erasistratus nepos suus & sectator, negat sanguinem in arteriis contineri.

TEXTVS IV.

ET dicemus etiam quod humores humorosi boni & superflui, quatuor continentur generibus: genere sanguinis, qui omnibus illis melior existit: & genere phlegmatis: & genere choleræ rubreæ: & genere choleræ nigræ. Sanguis verò, natura calidus existit, & humidus: cuius sunt duæ species, naturalis, & non naturalis. Naturalis autẽ, est cuius color est rubeus, malo carens odore, & est valde dulcis. Non naturalis verò, sunt duæ diuisiones. Alius enim est, qui à complexione bona fuit mutatus: non propterea quod aliquid ei admistum fuerit, sed quia eius complexio in se vitiata fuit, verbi gratia, quia aut fuit infrigidatus, aut calefactus. Et est alius, qui non fuit mutatus, nisi propter humorem malum, qui ei admistus fuit. Quod est secundum duas diuisiones; aut enim ad eum humor deforis venit, & penetrauit in ipsum, & corrupit. Aut in ipsomet fuit generatus humor; verbi gratia; aliqua eius pars putruit: & eius subtile in choleram rubeam, & spissum in choleram nigram conuersum est; & remanserunt ambæ, aut vna earum in eo. Et huius quidem diuisionis partes, diuersificantur secundum id, quod ei admiscetur, & secundum species eius ex speciebus phlegmatis, & speciebus choleræ nigræ, & speciebus choleræ rubeæ, & secundum aquositatem eius. Plerumque ergo fit turbidus, & aliquando fit subtilis: & aliquando niger, multa infectus nigredine: & quandoque albus. Similiter quoque in odore sui, & sapore mutatur: fit namque amarus, aut salsus, aut acetosus.

COMMENTARIVS.

(*Naturalis autem sanguis*) Tribus signis docet cognoscere. Sumptum hoc est ex *Quarto de Medicamentorum facultate.* Cognoscimus maximè ex tribus sensibus qualitates medicamentorum; visu, odoratu & gustu. Per visum decernitur de colore, & dicit quod debet esse ruber; deinde de adoratu, quod sit expers fætoris. Dicetis istud non pertinet ad odorem; respondeo quod sensus cognoscunt suas priuationes *secundo de Anima*, & ibi sensus comprehendunt tripliciter, per se & propriè: & sic propria sensilia per se & non proprie: & sic communia sensilia, quæ ibi sunt quinque: motus & quies, numerus, magnitudo & figura; & secundum Auerrois expositionem solum tria prima sunt communia quinque sensibus, reliqua duo magnitudo & figura solum tactui & visui: sed Temistius putat quod sint communia omnibus. Et non per se nec propriè, & sic priuationes etiam sentit, vt visus tenebras, auditus silentium. Deinde dicit quod est dulcis quoad gustum, ex quo comprobatur quòd calidus moderatè, nam omne dulce tale, ex *Quarto de simplicibus medicamentis cap. 9. in princ.* & ideò dicit quod dulce se habet ad gustum, sicut tepidum ad tactum, quod autem dulcis sit, sumptum est à Galeno *in libro de Atra bile cap. 2.*

(*Non naturalis verò*) declarat modos corrupti sanguinis, qui duo sunt. Alter cum substantia sanguinis ipsa corrumpitur, alter cum manet: de qua manente dicebat Galenus *secunda Aphorismorum* quod vbi sanguis incipit corrumpi, accidit ei quod vino cum acorem contrahit, namque si parum, reuerti potest, si multum, nequaquam. Cum ergo non reuertitur transit in alios humores. Humores autem esse admistos sanguini docebat Galenus *secundo naturalium facultatum c. 9. iuxta finem* dicens, quod tam pituita quam nigra bilis & flaua sunt necessaria, cuius permistionis vsum docet *in libris de vsu partium.* Si verò sit corruptio; vel propter humores genitos, vel aduenientes, nam de genitis dicebat Galenus *secundo de Differentiis febrium c. 9.* cum sanguis incandescit, pars eius tenuior transit in bilem, crassior in atram bilem, & hoc modo corrũpitur, ergo duobus modis. Declarat Princeps hic in Textu corruptionem eius à causa, ab essentia, à signo; ab essentia, quia vel erit biliosus, vel pituitosus vel melancholicus; à signo proportionem habente tribus dictis modis: veluti si biliosus sit erit flauior, odoris acuti, & amarior, & tenuior, & melancholicus erit acidus, niger, & grauis odoris, & crassior. Tertio à causis.

Causæ sunt principales quatuor. Prima vt plus generetur de humore vno puta propter caliditatem Iecoris, & illa tangitur *secundo de naturalibus facultatibus cap. 8. paulo post medium.* Secunda cum non segregatur puta propter obstructionem vesicæ fellis, aut debilitatem, aut nimiam plenitudinem, vt tangitur *secũdo de naturalibus facultatibus cap. 9. iuxta finem*, & clarius in eodem ante medium, dum loquitur de morbo regio à liene. Tertia causa est propter putredinem, & tangitur *secundo de Differentiis febrium cap. 9.* Quarta & vltima est propter effusionem è loco, & tangitur *Quinta Aphorismorum 23.* dũ dixit quod sanguis suffusus recẽs

in

in vlceribus est ruber, sed antiquus denigratur: & *sexta Aphorismorum 20. si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.* His visis quærenda sunt tria, quis sanguis sit deterior? Ad hoc respondeo quod vt habetur *secundo ad Glauconem cap.* 10. sanguis niger est ille qui magis paratus est ad elephantiasim & cancrum; & quantò nigrior tantò deterior. Secunda quæstio est quod natura superfluum sit deterius, & ad hoc respondebat Galenus *secundo de naturalibus facultatibus c.9.iuxta finem*, quod serosa pars est omnino præter naturā, & ideò corpus postulat esse mundum ab illo superfluo, & ideò dicebat in *secundo de Alimentis cap.* 2. quod fructus consistentia humida facilè corrumpuntur. Dicebat Galenus *secundo de Crisi cap.* 12. vbi sanguis computruerit, tenuis pars, & pinguis conuertitur in bilem, crassa & arida in atram bilem; deinde si perseuerauerit immodicus calor ex flaua, etiam fit transitus in atram bilem.

Relinquuntur duo, quæ pro tirunculis practicæ declaranda sunt. Primum vt dignoscatis partes sanguinis. Facta igitur sectione venæ in duabus cyatis absque suppressione, & dimisso sanguine in vmbra per horam, videbitis quinque illas partes positas *prima Aphorismorum.* In suprema parte spumosam quandam, ac flauam congeriem, quæ est bilis procul dubio: & hæc vt plurimum est crassitudinis medij digiti: deinde proiicietis serosam partem, quæ non differt ab vrina nisi quia non fuit in renibus; hac eiecta ponetis sanguinem vt iacet super tabulam, & diuidetis ipsum per medium: & pars vna est nigra: & si fuerit homo melancholicus videbitis interstinctum liuidis maculis & quasi nigris: pars verò media est sanguis admixtus pituitæ, & pro hoc dignoscendo debetis cum acie gladij trahere, & si facile diuiditur & est valde ruber, parum est de pituita; & si tenax & subalbidus multum; debetis etiam pondere experiri, & si leuis est pro quantitate abundat bilis & pituita: si grauis atra bilis & sanguis qui crassus est, ac nigrior, est significans super caliditatem vehementem, quia calor resoluit partes aqueas, & hoc de sanguine crasso dicebat Galenus *libro quoad animi mores*, &c. aquosus autem significat frigiditatem, sed hæc potest prouenire merito pauci caloris & ciborum.

Secundum est considerare, quis sit sanguis prauus, respondebat de hoc Galenus *Tertio de alimentis, cap.* 26. quod aquosus valdè, & qui est similis pici in crassitie, quòd ille est pessimus: deinde dico est sanguis albus qui significat putredinem; deinde liuidus, deinde croceus, deinde viridis: nigrum nunquam vidi, & pro magnitudine parti iudicatæ.

Sanguis autem menstruus, ne vos in muliebribus morbis decipiamini *libro de atra bile, c.8. in princ.* nigrior est naturali; sed tamen Aristoteles dicit *Primo de Generatione Animalium, cap.* 19. quod sanguis ille fit propter caloris imbecillitatem. Respondeo quod Galenus in eo loco dicit, quod solum superfluum expurgatur.

Cur autem sanguis appareat salsus dubitatio contingit, nam non ex superabundantia alicuius humoris contingere potest, nam bilis amarum, melancholia acidum efficit, pituita insipidum, vt dicebat *in Textu* Princeps, sed neque per adustionem. Quoniam Galenus *Quarto de simplicibus medicamentis, cap.* 17. dicit, quod dulcia non aduruntur, si sint frigida dulciora euadunt, si calida, amara. Forsan quis posset dicere quod Galenus *Tertio de Alimentis, cap.* 32. quod austeri & acerbi succi priùs salsi fiunt, deinde amari: sed ista responsio non satisfacit, quia difficile est imaginari, quod melancholia possit aduri sine sanguine. Forsan quis posset dicere, quod sanguis ipse non sit salsus, sed pituita erodens; sed nos debemus inniti experimento, quia videmus multos qui ante sanguinis sputum salsum, saporem nullum sentiunt, & tamen post eiectionem sanguinis apparet salsedo manifesta, & nos non debemus negare experimentum, vt sanus. Damascenus in *Quarto libro, cap.* 25. dicit quod eruptio fit propter sanguinis acredinem, & illam post, dum de cura agit, vult esse etiam in pituita, igitur intelligit salsedinem: & expresè de salso Galenus *Quarto de simplicibus Medicamentis, cap.* 16. dicit, quod abundante bile in sanguine si corpus vt lingua salsedinem perciperet, sentiret amarorem, & quod fracto vase sentitur dulcedo si sanguis sit secundum naturam, aliter amarus aut salsus percipitur: igitur contingit à putredine vel adustione, & dabat exemplum de immoderato ieiunio quod prius salsam inde amaram reddit saliuam, ideò dico quod fit salsus à serosa parte quæ salsa est.

Tertiò dubitatur, quare sanguis concrescat, & cæteri humores non? respondet Hippocrates *libro de carnibus*, quod est propter fibras quæ sunt frigidæ, & glutinosæ: huius signum est quod exemptis fibris non coalescit: idem *Tertio de natura animalium, cap.* 6. Propterea dicebat quod sanguis cerui, & damæ non cogitur, neque bubuli, sed bene coit, exēplo lactis quod sine coagulo coiuerit, humores non careant fibris, non coalescunt; hoc recitatur à Galeno *libro quod animi mores, &c. cap.* 7. vbi probat esse fortia, quorum concrescit. Quarto dubitatur quonam pacto putrescant humores, vide *Primo Contradicentium.* Putredo an semper fiat, an aliquando facta, vide *septimo Contradicentium.* Circa Paralipomena quæritur illud Aëtij, scilicet an sanguis possit esse purus in toto corpore, & corruptus in vna parte, puta in cerebro, velut in melancholia, vt ille: & respondeo quod sic, & hoc tribus modis. Vno modo, cùm exierit extra venas, sicut *in apostemate* vt *secundo regiminis Antorum.* Secundo ratione expulsionis naturæ, vt *in hæmorrhoidibus*, vt *sexta Aphorismorū*; in atra bile, & renum morbis hęmorrhoides; & clarius ibi: in sanientibus varicis innatæ bonum; dicit ibi Galenus quod natura protrudit illuc prauum sanguinem. Tertio contingit per viam obstructionis, vel debilitatis loci corrumpentis sanguinem, qui postea ad cor abit, idémque inficit, *Tertio de natura animalium.* Et quia dubitatio est de motu san-

ZZz 3 guinis

guinis quæritur quomodo moueatur: Multi dicerent quod à virtute attractiua trahitur, ab expulsiua expellitur, sed ista non sunt communia omnibus; sanguis autem videtur, motu quodam proprio moueri. Idem Aristoteles *in libro de motu animalium* & Galenus *in libro de motu manifesto & obscuro c.4.* dicit; quod anima mouet spiritus ad virgam & ad linguam, & quia spiritus deferuntur cum sanguine, ex quo sequitur vnio, quod in omni motu sanguinis necesse est debilitari virtutem, tales autem sunt expulsiones sanguinis, adeò etiam saniei *sexta Aphorismorum Text. 26.* tum animi affectus calidi, vt timor, ira, tristitia, lætitia, adeò vt Valerius Maximus *libro Nono de Marco Iuuentio Calua*, qui ob lætitiam decreti honoris expirauit, & de duabus mulieribus quæ nuncium accepissent superuiuere, quos putabant periisse filios: quo & mortis genere Sophoclem periisse refert; ideò ægri cauere debent. Aristoteles minime hoc quæsitum fatigat; quia *Tertio de Historia animalium c.19.* dicit quod sanguis animatus est, ideò sponte mouetur. Circa quod notandum quod tres sunt motiones à naturali facultate, quæ inseruiẽtes quatuor illas habet ab animali volũtaria quæ trahit & laxat: vtrum autem impellat dubium est, nam musculi non impellunt forsan membrum. Tertia fit per consequens, vt tensio membri quæ fit absque voluntate semper per spiritum qui implet.

Dubitatur quia Princeps non dicit illud quod dicebat Galenus *Quarto de vsu partium*, scilicet quod sanguis sit ignis colorem detersus: Respondeo breuiter quod illud conuenit ei, vt est exiens: Princeps verò describit, vt iam exiuit.

Dubitatur circa odorem, quia calida, & humida corpora magis fætent. Respondeo ob superflua quæ multa sunt: antecedens *Prima Quarti & octauo artis curandi.*

Dubitatur quia dictum est quod sanguis est calidus, & humidus, & *Quarto de simplicibus medicamentis cap.17.* quod calida, cum vlterius concoquuntur fiunt amara, tum maximè quia dicit *sexto decimo de vsu partium*, quod lac & semen ex sanguine exactè cocto generant. Respondeo quatuor sunt in causa quod lac fiat dulce, quamuis sanguis sit calidus. Prima quod fit ex sanguine purissimo *Decimo de simplicibus medicamentis cap.10.* Secunda quod modicùm suscipit mutationem *Primo de Tuenda sanitate cap.7. in fine.* Tertio quod substantia mamillarum est frigida, & in frigidis, quod dulce est non amarescit, *Tertio de alimentis.* Quarta colligit, *Quarto de simplicibus medicamentis*, cum dixit quod quæ non exactè dulcia sunt dulciora euadunt, talia vtique quæ humido alieno commiscentur, vt sanguis in mamillis.

Postmodum Princeps dicit modum quo corrumpitur sanguis per admistionem alterius humoris, & hoc vel quia sponte constat, & sic non corrumpitur vt *Secundo de facultatibus naturalibus c.9. iuxta finem* sunt enim in sanguine partes diuersæ, & hoc secundum naturam, & enumerat eas Princeps in Textu, monstrando cognoscere easdem partes quinque modis: vel ratione actus retinendi: vel ratione substantiæ sanguinis, vel coloris, vel odoris, vel saporis. Ratione actus retinendi trifariam non naturaliter vt in fame, vel præter naturam, à natura tamen, & hoc duobus modis. *Primo Prorrhitici Com.13.* dicit, bilis flaua retinetur vel ob obstructionem inter chistim fellis & intestina, vt in morbo regio, cum apparent feces albæ, & propter calorem Iecoris; etsi dicat *Quarta Aphorismorum* quod ponitur inflammatio loco caliditatis; dico quod oportet accipere inflammationem sub antiquo significato, vt *in libro de morborum differentiis.* Tertio vt fit ista translatio ab opere medici; continet & hic modus criticam expulsionem, vt de sanie, *Quinto de locis*, quæ in venas impellitur & tangitur à Galeno in commento Aphorismi adducti. Potest enim in vehementi fame stante bile in ventriculo trahi ad venas bilis: ideò biliosis valdè malum est ferre famem.

Secundus modus principalis est à substantia retenta, & cum videmus serosam partem in eo quæ nulla esse debet, *Quinto de vsu partium cap.6.* Tertius à colore, quia, parum debent partes à rubedine euariare. Quartus à sapore quia debet esse dulcissimus *Quarto de simplicibus Medicamentis cap.16.* id est expers omnis alterius saporis, vnde dulcissimum: & reliqua pleraque superlatiua bifariam dicuntur, vel quia in summo, & sic sanguis non est dulcissimus, vel quia pura. Quinto expers odoris saltem praui.

TEXTVS V.

PHlegmatis autem aliud est naturale, & aliud non naturale. Naturale est dulce, quod est aptum, vt in aliquo tempore fiat sanguis: quia est sanguis non plene coctus. Et ipsum est quidam modus dulcis phlegmatis, quod non valde existit frigidum: imò corporis comparatione, est frigiditatis paucæ: sanguinis verò comparatione & choleræ rubeæ, est frigidum. Est etiam phlegma dulce, quod non est naturale, quod est phlegma, saporem non habens quod nominabimus: si accidat, vt cum eo sanguis misceatur naturalis, quod multoties in rheumatismis & in sputo sentitur. Dulcis verò naturalis receptaculum dixit, Galenus, naturam non fecisse membrum proprium, quemadmodum duabus fecit choleris; hoc namque phlegma sanguini propinquam habet similitudinem: & egent eo membra omnia: ideóque fecit natura, vt cum sanguine vadat. Dicimus autem, quod hæc indigentia est propter duas res: vna est necessaria,

cessaria, & altera iuuatiua. Necessaria verò, est propter duas res: vna est, vt sit iuxta membra, ad hoc, vt cum membra nutrimentum, quod ad ipsa consueuit venire, amiserint, quod est sanguis bonus propter retentionem materiei eius, quæ à stomacho fit, & hepate propter aliquas causas, quæ acciderunt, operentur virtutes eorum sua caliditate naturali, & coquant: & digerant, & nutriantur ex eo. Et sicut calor innatus digerit ipsum, & rectificando facit ipsum sanguinem; similiter calor extraneus ipsum plerumque putrefacit, & corrumpit. Hanc verò necessitatis partem non habent duæ choleræ. Duæ namque choleræ phlegmati in hoc non communicant: quod calor naturalis eas rectificat, & faciat ex eis sanguinem; licet in hoc communicent ei, quod calor accidentalis ipsas mutet, & faciat eas putridas & corruptas. Altera est vt sanguini admisceatur: vt ipsum aptum reddat, vel membra phlegmaticarum complexionum nutrienda: in sanguine quorum, qui ea est nutriturus, oportet phlegma actualiter esse secundum mensuram notam, sicut est cerebrum: Et hoc quidem in duabus est repertum choleris. Iuuatiua verò est, vt humectet iuncturas, & membra, quæ multum existunt motionis: ne siccitas eis accidat propter calorem, qui ex motu prouenit & fricatione. Et hoc quidem est iuuamentum stans in terminis necessitatis.

COMMENTARIVS.

(Pituitæ etiam alia) Diuidit primo Princeps pituitam in naturalem & præternaturalem. Naturalis est illa quæ apta est conuerti in sanguinem: dictum est hoc haberi *secundo regiminis acutorum com.* 30. vbi declarabat Galenus quòd pituita transferri potest in sanguinem, & ibi videtur ex verbis eius quod cibi transeant in sanguinem medio pituitæ, cum dicit quod in pituitosis eduliis sanguinem perpetuò procedit; tum ergo videtur quod in aliis. Sed hic dubitatur quomodo ex carduis fiat sanguis, cum cardui sint calidiores sanguine & sicciores, cum non possit bilis reuerti ad naturam sanguinis. Respondeo quod in carduis resecatur pars terrestris & ignea in ventriculo, & hoc non potest fieri in aliis coctionibus. Secunda differentia est, quod in carduis est relictum etiam multum de humido, quod non est in bile, cum iam separata est ex toto. Sententia igitur textus est, quod pituita est duplex: naturalis & non naturalis; & naturalis est dulcis ex additione Bellunensis, & quasi temperata, & est immixta sanguini, & est alia similis naturali in dulcedine quæ fit per admixtionẽ sanguinis cum pituita insipida. Sed naturalis est propter necessitatem & vtilitatem. Necessitas est duplex: vna dicit, vt tempore indigentiæ possit nutrire membra loco sanguinis: alia vt possit nutrire membra sibi conuenientia, vt *secunda Aphorismorum*, nerui nutriuntur frigidis & lentis humoribus: vtilitas vt humectet membra tempore motus. Conditiones igitur pituitæ naturalis sunt quatuor; quod sit apta transire in sanguinem, quod immixta sanguini, quod quasi temperata, quod subdulcis. Thomas autem de Garbo tenet generaliter quod pituita sit media; & fundamentum suum est, in transitu successiuo necesse est vt fiat transitus per omnia media, ergo per calorem pituitæ. Istud argumentum facit pro Galeno expresse, quia si cibus sit calidior pituita, ergo non transibit per calorem, pituitæ in generatione sanguinis. Sed contra, quia si sic; ergo aliquando non generetur pituita in ventriculo, quotiescunque cibus esset calidior temperato. Respondet Galenus quod in omni mixto sunt partes frigidiores aliquæ, ex quibus generaretur pituita, & hæc est veritas. Ex quo sequitur vnum, quod cibi valde calidi sunt non multum vtiles ventriculo, quia ventriculus ex simili sibi nutritur. Et malè faciunt medici qui in ægris & maximè à febre exhibent vina potentia, & alia calida pro confirmando ventriculo, cum nullum calidum sit vtile. Et si dicas, monbasium recreat ventriculum. Respondeo vt medicamentum, non vt potus vel cibus. Sed dubitatur, quia si in omni cibo calido est aliqua pars frigida, quæ prius fit pituita, ergo in quolibet cibo frigido est aliqua pars calida quæ fit sanguis, & non pituita. Respondeo quod dictum Galeni debet intelligi secundum maiorem partem ipsius cibi, ita quod cibi pituitosi maxima ex parte transeunt in sanguinem per viam pituitæ. Et nota quod inter Galenum, & Principem non est vlla contradictio, quia Princeps vult, quod omnis pituita possit transire in sanguinem. Galenus vult quod non omnis cibus transit in sanguinem pituitæ medio. Sententia ergo Galeni est quod cibi frigidi transeunt in sanguinem: sed antea manent diu sub forma pituitæ, at temperati rectà sine mora transeunt in sanguinem, vt licet fiant prius pituita, non manent sub eius forma. Sed sic cadit dubitatio, quia præsuppono quod humores distinguantur specie: deinde quod subiectum generationis sit ens in potentia *Quinto Physicorum com.* 8. Ergo vel oportet quod detur vnus quintus humor, vel quod fiat vna corruptio media, vel quod fiat solum ens perfectius, quod est contra primum suppositum. Respondi aliàs, quod humores differunt in specie apud medicum, non autem apud Philosophum.

Dubitatur

Dubitatur quia dicit quod pituita est parum frigida: vide *sexto contradicentium*.

Tertio dubitatur, quomodo pituita possit transire in sanguinem, quia si generatur in ventriculo quomodo potest transire in sanguinem? Curtius & Brasauolus distinguunt de triplici pituita: de illa quæ est tanquam mucus descendens à cerebro, de qua Hippocrates *Secundo de morbis cap.* 1. dicit: destillat ad nares, ad os, pudenda, & facit vrinæ quasi stillicidium, & hæc non est humor. Secunda quæ generatur in ventriculo, & illa transit in sanguinem. Tertia quæ est tanquam sanguis imperfectus quæ transit illico in sanguinem, & ideò secunda species est verè pituita; retinet enim saporem & colorem &c.

Huic dicit, scilicet quæ in venis continetur: dicit Princeps nullum, nam fecit vas proprium. Et hoc sumpsit à Galeno *libro de atrabile c.* 8. & *secundo de facultatibus naturalibus cap.* 9. & hoc ob necessitates dictas. Quarta dubitatio est quomodo pituita insipida possit fieri per admistionem sanguinis & pituitæ dulcis. Respondeo littera est corrupta, & debet sic legi: naturalis pituita est dulcis &c. & est quædam pituita dulcis quæ fit per admistionem pituitæ insipidæ cum sanguine: qualem sæpe in gustu sensimus.

Dubitatur quare non dixerit quidquam de colore, tum maximè quod Hippocrates *secundo de morbis cap.* 42. vocat pituitam albam. Et Galenus *septima Aphorismorum* pituita alba, vel morbus, vel quod aliqua talis sit, & ibi alba pituita in ventrem impulsa fit aquæ intercus species, quæ vocatur leuchophlegmatia. Respondeo quod quia non habet proprium vas, ideò ipsa est rubra colore alieno: ideò cum habeat diuersos colores, non potest sub vno poni. Hippocrates loquitur de morbo non humore in prima authoritate, vocat tamen humores qui ab ea fiunt albos, *Primo de natura humana cap.* 32.

Sexta dubitatio est an sanguis ex pituita genitus possit esse eiusdem speciei cum sanguine ex chilo genito; quod non, ex *octauo Physicorum Com.* 86. dico intellige in entibus perfectis.

Dictum fuit quod pituita transit in sanguinem: quæritur igitur an pituita possit transmutari in sanguinem in quocunque loco, & videtur, quod non: quia semen non generatur nisi in testiculis, & lac nisi in mamillis, ergo sanguis non nisi in hepate. Ad hoc respondetur quod etiam vasa seminaria generant semen, non tamen adeò perfectum, mamillæ verò non sunt membra principalia, & ideò non possunt influere super venas, sicut iecur. Ad hoc respondebat Galenus *Quarto de vsu partium cap.* 12. Iecur habere perfectam sanguinis rationem & principalem, venas tamen quæ ab ipso exporriguntur non solum ad ventriculum sed etiam ad intestina, dicit Galenus habere: sed hoc neque principaliter, neque perfectè. Quod non principaliter, quia pendet ab hepate: quod non perfectè, quia dicit ibi, quod caro hepatis est causa perfectæ rubedinis, & absolutionis sanguinis. Sed hic cadit dubitatio, de pituita Galeni non potest fieri sanguis nisi transeat ad iecur, loquendo de sanguine perfecto, ideò cessat quæstio an fiat retrocessus pituitæ ex venis ad iecur: sed bene dubitatur, cur venæ vltra iecur non habeant virtutem sanguinis generatiuam, de quo alias Galenus *libro de Atrabile cap.* 8. dicit, quod mutatur in sanguinem per concoctionem quam obit in iecore.

Tertio dubitatur an humores alij, (& est circa primam vtilitatem literæ) possent conuerti in sanguinem: & dicit Galenus *Secundo regiminis acutorum*, quod non, & est veritas. Contra hoc argumentantur, quia ex sanguine commesto fit pituita, & ex lacte sanguis, cum lac sit vlterius concoctum. Propter hoc argumentum Dij boni quanta ruditas sæculi præteriti dixerunt quod dictum Galeni intelligitur de toto, & non de parte: tamen ista responsio non est ad propositum, quia loquimur de humore in actu; lac cum comeditur non est lac: declaratum est enim ex *Quarto Metheororum* quod membra mortui non sunt membra. Dico igitur quod propositio Galeni est generalis, *Tertio etiam regiminis acutorum com.* 38. acetum conuertit bilem in pituitam; est modus dicendi.

Notandum quod vt habetur *Primo de Natura Com.* 32. humana pituita est maximè viscida, & ibi loquitur de naturali sed secundi modi: sed diceris tubercula alba nonne fiunt ex contenta in venis. Respondeo quod post separationem talis euadit, non dum est in sanguine, quia concoquitur ibi. Princeps igitur, prætermisit hoc, quia loquitur de ea quæ in uenis continetur.

Dubitatur iuxta secundam necessitatem, an membra frigida & humida nutriantur sanguine pituitoso: & videtur quod sic, quia *libro artis medicæ cap.* 86. duo sunt modi in corporibus lapsis, vel membris. Vnus bonus vt conseruetur per similia temperamentum naturale: aliud est de intemperie naturali quæ potest conseruari: sed optimum est vt reducatur per contraria vel saltem præseruetur. Sed contra in cerebro est sanguis purissimus *Secundo de partibus animalium c.* 10. sensus maximè nobiles sunt in cerebro, quia sanguis purior: calidus enim & feruens impedit sensum. Respondeo quod dictum Galeni est de intemperie & non de temperie: dictum Philosophi haud repugnat, cum talis sanguis sit frigidus & humidus.

Declarat circa vtilitatem postmodum, quod pituita humectat membra: contra quia siccitas est causa motus vt videtur in canibus & phreniticis. Respondeo quod in talibus siccis non tamen deest humidum proprium, humidum etiam facit ad tolerantiam.

TEXTVS

TEXTVS VI.

NOn naturalis autem phlegmatis, aliud est superfluitas diuersæ essentiæ apud sensum : & istud est mucilaginosum : Et aliud est in substantia æquale in sensu & in veritate diuersum : & est phlegma crudum. Aliud est valde subtile: & ipsum est aquosum. Aliud est valde grossum, album, nominatū gypseum: & ipsum est cuius subtile fuit resolutum: ideò quod in foraminibus, & iuncturis diu fuit retentum: quod omnibus existit grossius. Et ex phlegmate est quoddā, quod est salsum, quod omnibus phlegmatis speciebus calidius est & siccius, & leuius. Omnis verò salsuginis causa est, vt aquosæ humiditati pauci saporis, aut priuatæ eo: terreæ partes adustæ complexionum siccarum, & saporis amari misceantur mistione temperata. Si enim multa fuerit, amarus sapor prouenit, & ex hoc quidem similiter fiunt sales: & aquæ salsæ. Et est etiam cum sal fit artificialiter ex cinere, & alchali, & calce, & ex aliis, cum in aqua coquuntur & colantur: & coquitur illa aqua donec in salem coaguletur, aut ita dimittitur, donec per se coaguletur. Similiter quoque phlegmati tenui, quod saporem non habet : aut cuius sapor adeò est paruus quod non superat, cum cholera sicca, amara ex natura & adusta se miscuerit, moderata mistione ipsum faciet salsum, & salmastrum, seu salitum efficiet: hoc igitur phlegma est cholericum. Galenus verò dixit phlegma hoc salsum fieri propter ipsius putredinem, & aquositatem quæ ei admista fuit. Et nos quidem dicimus putredinem ipsum salsum efficere, ideo quod in ipso adustionem facit, cinereitate, quæ cum eius humiditate commiscetur. Sola autem aquositas cum ei admiscetur, salsedinem in ipso efficere non valet: cum ibi vlla alia non fuerit causa. Et mihi quidem videtur quod loco *aut di unctiua*, debet esse *& coniunctiua*: tunc enim locutio completa erit: & ex phlegmate est quod est acetosum. Et quemadmodum dulce est secundum duos modos, dulce per suam essentiam : & aliud propter rem extraneam, quæ ei admista fuit, quæ est cholera nigra aëris, quam in subsequenti nominabimus: altero propter causam quæ in ipsomet contigit: & illud quidem est vt phlegmati dulci, quod diximus, aut ei quod est in via ipsius accidat: sicut accidit aliis succis dulcibus, qui prius bulliunt, & postea acescunt. Et est aliud ponticum, cuius dispositio est, quemadmodum hæc dispositio. Fortasse enim erit eius ponticitas, propterea quod cholera nigra pontica ei admista fuit. Et fortasse erit eius ponticitas, propter causam, qua in se vehementi infrigidatione, infrigidatum est, adeò quod eius sapor ad ponticitatem sit conuersus, ideóque eius aquositas congelata est, & ad siccitatem parum, & terrestreitatem alterata est. Et neque fuit calor debilis, qui ipsum bullire faceret, & conuerteret in acredinem; neque calor fortis, qui ipsum coqueret. Et est phlegmatis species vitrei, spissi, grossi, vitro liquefacto similis, in sui viscositate & ponderositate: quod plerumque est acre, & plerumque saporem non habebit. Et videtur quod illud ex eo quod est grossum, saporem non habens, fit crudum: aut conuertitur in crudum. Et hæc quidem est illa phlegmatis species, quæ in principio rei, erat aquosa frigida, quæ neque putruit, neque res alia ei admista fuit, sed sic permansit recondita, donec fuit ingrossata, & frigiditas fuit ei addita. Iam igitur declaratum est, quod corrupti phlegmatis modi ex parte saporum ipsius sunt quatuor: salsum, acidum, dulce, & insipidum. Et ex parte suæ essentiæ, sunt quatuor: aquosum, vitreum, mucilaginosum, & gypseum : crudum verò est de summa mucilaginosi.

COMMENTARIVS.

Declarat genera pituitæ, sed verè satis confusè, ratione substantiæ & ratione saporum, vt in epilogo: & sunt quatuor genera ratione substantiæ; aquosa, mucosa, vitrea, gypsea. Horum omnium dicebat Hippocrates *libro de carnibus Pag.* 2. cerebrum est metropolis frigidi & glutinosi, vt calidum pinguis. Dicit autem Princeps hoc, quia vt habetur *Primo super librum de humoribus*, vt Rab. Moyses refert sex modis humores dolores faciunt: multitudine, crassitie, lentore, caliditate, frigiditate, & erosione

ſione: ratione ſaporis, acris, acida, inſipida, ſalſa, & quia dubium erat de cruda, ideò reſpondet, quod ſub mucilaginoſa vel gypſea continetur, ſed erat dubitatio de dulci non naturali. Reſpondeo dupliciter, vel quod eſt miſta, ſed hic tractat etiam de miſta vt ſalſa. Dicendum eſt igitur quod loquitur de ſaporibus præter naturam, ſed dulcis non eſt ſapor præter naturam, quamuis aliqua ſpecies ſit præter naturam. Inuenio apud Galenum *ſecundo de differentiis febrium, cap. 6.* quatuor genera pituitæ; vitream, acidam, dulcem, ſalſam: dicit deinde quod vitrea forſitan acida eſt, & ita reducuntur ad tres, inquit ille: excolligo vnum quod in membris ſuperioribus rarò gignitur pituita vitrea, aliter aliquis ad hanc vſque diem illam cognouiſſet: dicit autem ibi quod proprium pituitæ eſt eſſe frigidam & humidam. Circa ſubſtantiam igitur dicit quod mucilaginoſa eſt inæqualis; alia eſt æqualis apud ſenſum, licet verè ſit inæqualis, & eſt humor crudus, alia eſt tenuis, alia aquoſa, alia craſſa verè & eſt gipſea. Et ita hæc diuiſio ad bimembrem reducitur æqualis apud ſenſum & inæqualis; inde inæqualis ratione eſſentiæ, vel ſubſtantiæ, duplex craſſa & tenuis: ſed quomodo prima diuiſio reducitur ad ſecundam? Reſpondeo quod non conueniunt, ſalſa tamen & acris aquoſæ ſunt plerumque; acida autem, vitrea, inſipida, aquoſa & muccus.

Sed dubitatur vbi iſta diuiſio ſecundum ſubſtantiam inuenitur à Galeno. Reſpondeo quod etſi de pituitæ ſpeciebus quoad ſubſtantiam locutus non eſt in nullo loco, in diuerſis tamen locis meminit earum: velut de vitrea, *ſecundo de locis*, & *ſecundo de differentijs febrium*, alibi de aliis vt ſuo loco dicetur. Eiuſce generis eſt & cruda pituita, niſi quod non ſplendet, neque adeò tenax eſt, dicitúrque cruda, quia neque propriam pituitæ actionem adepta eſt. Crudus dicebat Galenus ſuper *librum de humoribus*, ex Rabi Moyſe eſt quandoque tenuis, & tunc protinus debet euacuari: quandoque craſſus & tunc debet concoqui. Dico tenuis non eſt frigidus: craſſus eſt pituita. Hæc neque aquei coloris, neque albi coloris eſt, ſed cinerei ex aqua, ſcientia non leue commodum in dignoſcendis purulentis accedit. Princeps *Decima Tertij* docens hoc dixit, quod fœteat in igne & deſcendat in aqua, & ita hoc fallit in cruda pituita: quod autem diſſoluatur non fallit. Hic autem humor mucilaginoſus, plerumque tuſſes cum in pectore, & grauedines cum in capite, & raucedines cum in faucibus, creat, Aetius *libro octauo, cap. 53. & 54.* Dixit Galenus ſuper *ſextum Epidemiorum*, ex Rabi Moyſe: quandoque hic humor adeò abundat in corpore, vt deſcendat per vrinam, & ad iuncturas faciens tumores, quos medici fruſtra aperiunt, exiſtimantes eſſe abſceſſus. Dico vidi mirabile in fratre Leone Canonico, nam mittebat fruſta pituitæ mucilaginoſæ ad magnitudinem panis, quæ extendebantur per duos pedes. De hoc rurſus dicebat *Primo ſuper librum de humoribus*, mucilaginem & mucum aquoſum è naribus fluentem, odoribus & inſtillatis in aurem curamus.

Succedit aquoſa pituita quæ vix expuitur: dicebat enim Galenus *Primo Epidemiorum*, quod tuſſis arida fit quatuor modis: vel quia materia non ſubeſt, vel ob vitium partium ſpiritualium, vel quia humor eſt glutinoſus, ex quo propter adhærentiam nihil expuitur; vel quia aquoſus qui ictum ſpiritus non recipit, ſed diſſipatus, retrò agitur. Dico vitium partium poſtmodum poteſt eſſe triplex: abſceſſus, vlcus non ſordidum ſeu ſiccum, & ſphacelos.

Sed dubitatur, quia in *Primo Canticorum*, non meminit de ſubſtantia pituitæ niſi de vitrea. Reſpondeo quod vbi non ſit differentia in ſapore, aut valde magna vt in vitrea parum refert à ſubſtantia.

De gipſeo humore neque apud Galenum neque apud Haliabbatem *Primo Theor.* qui fuit interpres Galeni, mentionem vllam inuenio. Sed colligitur tamen *Decimo de ſimplicibus medicamentis*: nam certum eſt quod fit ex pituita mucilaginoſa, quæ vbi defluerit, in gipſeam conuertitur.

Deinde ſubiicitur de vitrea de qua loquitur, vt dixit, Galenus *ſecundo de locis, cap. 5.* & in *ſecundo virtutibus naturalibus.* Princeps autem dubitat an ſit inſipida, vel acetoſa; dicitque eam eſſe pondere & tenacitate vitro liquefacto ſimilem, & quod ex cruda pituita non per viam putredinis, ſed congelationis fit. Sed ne ordinem peruertam, Principem relinquo: vide *ſecundo de differentiis febrium. cap. 6.*

Animaduertere decet quod Galenus *Quarto de ſimplicibus medicamentis, cap. 20. in fine*, ponit quatuor ordines ſalis: primum foſſilem qui maximè aſtringit. Et hic commodiſſimus naturæ ventriculi, ſecundum quod ex mari. Tertium quod ex aquis foditur parum ſalutis. Quartum ſedomidicum quod aſtringente vi caret, ideóque inutile: dat verò regulam generalem, quod omne ſal, vt minus amarum eſt eò vtilius ventriculo, & aſtringentius; & ideò cauere oportet ne amaritatis quicquam contineat. De hac miſtione aquæ & terræ locutus eſt Philoſophus *vigeſima tertia Problematum* Solet ſolui vna quæſtio quare mare ſit ſalſum: Galenus reſponder *Quarto de ſimplicibus medicamentis, cap. 20.* quod eſt propter aduſtionem terrei aduſti, & hoc idem eſt ex ſententia Philoſophi, *ſecundo Metheororum, cap. 3.* Sed Princeps dixit terrei aduſti, ſicci volens declarare, quomodo ſit valde ſiccum, dicitque quod amarum miſtum inſipido facit ſalſum, iſtud eſt manifeſtè falſum de aloë & abſynthio. Reſpondeo quod oportet vt ſit terreum amarum & parum amarum, nam amarum vt amarum, eſt igneum, & non terreum, quamuis non ſit terreum terreſtris ſaporis. Cur mare ſalſum ſit, vide *ſecundo de ſubtilitate.*

Circa quod notandum eſt quod tres ſunt ſapores calidi *Quarto de ſimplicibus Medicamentis*, calidiſſimus, acris, ſeu acutus dicebat Auerroës *Quinto collectaneorum, cap 27.* quod eſt non ſolum calidiſſimus, ſed & ſiciſſimus

ficcissimus, vt piper, piretrum, nastartium, quod habeat saporem piretri; alea cepe calidus, & est amarus, modicè calidus, & est salsus & dulcis, qui tepidus est; de salso autem dixit: ibi solent autem sic distingui tres calidi dicti, quatuor frigidi, acidus, acris, vel acetosus, astringens, stipticus, acerbus, & austerus, ponticus etiam dicitur *Sexta Decima Tertij*, ideò carent nomine distinguente acerbum ab austero: tres mediocres dulcis, pinguis, seu vnctuosus & insipidus, & quanquã decem hi sapores ponantur, *Primo de Natura Humana c.* 31. vbi etiam de saporibus pituitæ agit, sed acerbum prætermittit, & insipidum; Colligitur tamen aliter hæc distinctio à Principe.

Dubitatur, quomodo fit sapor salsus *Vndecimo de simplicibus Medicamentis*, & Princeps expresse *Secundo Canonis*: & tamen ibi dicit quod fundatur in substantia calida, & aquea, ac humida. Solutio ex *Tertio de Alimentis cap.* 41. siccat colliquando humidum vtraque qualitate, tum postmodum detergendo & contrahendo: vnde vt dixi vim habet astringentem.

Dubitatur, an pituita salsa sit subtilior quàm acida: & videtur, quod non, quia pituita salsa habet terreum coniunctum. Respondeo quod aquosa pars salsæ pituitæ attenuat ab illo calore, & sic totum tenuius fit pituita acida: sunt tamen quædam partes crassiores in pituita salsa, sed paucæ in quantitate.

Dubitatur, an pituita salsa sit calida, & videtur quod non: *Secundo de Differentiis febrium* omnem frigidum & humidum humorem vocamus pituitam: in oppositum res salsæ vrunt & arrodunt, & hæc est operatio caloris. Item Princeps *Prima Quarti*; fit febris ardens ex pituita salsa putrefacta, & adducit Hippocratem de hoc in Epidemiis scilicet *Tertio libro super Tertium*, vbi dicit febres ardentes phrenitici: & ibi subiicit, soporosi diu rursusque insomnes erant: & Galenus dicit quod hoc erat ex humido nondum acri. Itaque Princeps tenet esse exquisitam ardentem febrem à pituita. Ego inuenio apud Hippocratem *in Quarto regiminis auctorum* genus ardentis febris quod à salsa fit pituita: & ideò Galenus in commento dicit quod fit ex pituita salsa: ad hunc dicit esse nothum non legitimum. Legitimus fit à bile flaua, vt in *quarto regiminis auctorum* & *Secundo de Crisi*; febris ardens à flaua bile fit. Ad authoritatem Galeni dico quod pituita salsa est frigida, quia non purè salsa sed etiam insipida. Sal enim est calidum, pituita tamen salsa est frigida. Ad id de febre pituita salsa putrefacta excalefacit, non autem per se.

Dubitatur, quia non videtur quod ex mistione amaricum insipido fiat salsum, quia in omni febre tertiana notha esset pituita salsa: item quod non ex putredine, quia omnis febris ex pituita esset ex pituita salsa. Item sequeretur, quod hoc genus pituitæ rarò sine febre inueniretur. Ad hæc respondeo quod ad hoc quod fiat salsum oportet vt pituita vincat: sed in tertiana notha vincit bilis: ergo ad secundum dico quod plerumque abundat salsedo, non tamen dicitur febris ex pituita salsa, nisi illa quæ facta est à pituita, quæ ante febrem fuerit salsa, & ideò salsedo in ore est signum febris pituitosæ satis certum. Ad tertium fieret febris vbi esset in venis vel valde multa in concauitatibus; aliter putrescendo non possunt transmittere vapores vsque ad cor: & propter hoc dicebat Princeps *Decima tertij* quod cum pituita est in pulmone post quatuordecim dies putrescit, & fit putrida vel hectica.

Dubitatur, quomodo possit fieri febris ex pituita salsa, cum salsedo resistat putredini. Respondebat Aristoteles *Quarto Metheororum* quod aqua maris pauca putrescit, multa serò: sic pituita salsa, cum sparsa fuerit putrescit, & maximè si fuerit parum salsa.

Dictum fuit quod febris ardens fit ex pituita salsa, verùm cum omnes morbi ex omni materia fiant, attamẽ peculiares quidã ex pituita salsa fieri solent: qui autem in vniuersũ sũt quatuor principales, quia vel materia salsa continetur in venis & pellitur versus cor, & sic fit febris ardens; vel ad cutim, & sic fit psora, scabies, lepra: vel extra venas, & defluit à capite *sexto de Tuenda Sanitate cap.* 9. & sic vel ad pectus, & fit tabes, vel ad ventriculum, & sic fit fluxus ventris. Cum ergo dictum sit de febre ardente, reliquum est vt de aliis dicamus.

Nemo vestrum est qui ignoret omnes authores tam Græcos quam Arabes fateri, tabis genus proximum procedere ex stillicidio salsæ pituitæ: sed quomodo, non declarant. Dicebat enim Princeps *Decima Tertij tract.* 4. *cap.* 22. quod tabidorum sit causa humor acris. Circa hoc ergo dubitatur, an tabes à salsa pituita crassa sit deterior & videtur, quod sic: quia Princeps dicit loco allegato; cum tabes est facta ex materia crassa quæ non concoquitur, tunc est mala, & sputum cadit ab initio, & potest ostendi ratione, *Primo Epidemiorum c.*1. *sect.* 12. quia in crassa & tenui est paritas in non exuendo, sed crassa deterius concoquitur & magis erodit, quia plus habet de forma & magis præfocat. Sed in oppositum est ratio, quia materia tenuis facilius penetrat & magis salsa est, quia maiori calido maior tenuitas. Et Galenus *Quarto de locis* enarrat de tribus qui expuerunt tenuem humorem, sed sine acredine, & omnes tandem mortui sunt intra annum: sed illa non erat pituita salsa: ibi etiam dicebat sputum crassum & lentum non potest expui, nisi à validis viribus, aqueum à nullis. Respondeo breuiter quod Princeps *Decima Tertij* cum tractasset curam post principium sputi sanguinis facti à crassa pituita, post medium dicit, quod factum ab acri est ferme impossibilis curæ: ergo in dubio debemus procedere cum incrassantibus, quale est sublime diæcodion positum *Septimo de Compositione Medicamentorum secundum locos*, & deinceps vsque ad *Decimam cap.* 2. vbi vsum eius tractat post septimum; qui licet vulgaris, vtilis tamen ob præsentem vtilitatem.

VITA LVDOVICI FERRARII BONONIENSIS,

A H. CARDANO DESCRIPTA.

LVDOVICI Ferrarij auus, Bartholomæus Ferrarius Mediolanensis fuit, qui exul factus Bononiam se contulit, duósque filios genuit, Vincentium & Alexandrum. Ex Alexandro ortus est Ludouicus; cúmque pater occisus esset, in patrui domum se contulit. Huius patruelis Lucas cum à patre profugisset, Mediolanum peruenit, & cum apud me fuisset, clam abiens rediit Bononiam. Me autem conquesto apud patrem illius, misit pro filio nepotem suum agentem annum quintumdecimum. Et quamuis pro famulo venisset, nec literis humanioribus esset instructus, tamen lepore & felicitate ingenij delectatus, pro Ammanuensi illius opera vsus sum. Deinceps perdidicit literas Latinas, Græcas, & Mathematicas. Vbi annum expleuisset decimum octauum, publicè profiteri cœpit, magna omnium qui eum cognouerant, admiratione. Inde statim cum domum sibi conduxisset, certauit cum Ioanne Colla, & post cum Nicolao Tartalea, ambobus Brixiensibus Mathematicis sui temporis clarissimis, publicéque eos superauit: cuius rei adhuc extant monimenta publica: cùm certamina coram tota vrbe celebrata sint. Hæc peracta cum nondum vigesimum attigisset annum. Duobus post annis simul vocatus est Romam, & à Prorege Galliarum Brisacco, & Venetias priuata tamen conditione sed locupleti, tum à Cardinale Mantuano, & à Cæsare, vt erudiret filium qui nunc est Imperator. Peruicit Cardinalis, quòd eodem anno illius frater Ferdinandus Gonzaga præfectus prouinciæ muneri dimetiendi agrum Mediolanensem eum præfecisset, pro qua opera penè quadringenti coronati in singulos annos numerabantur. Dissuaseram ego discessum, volebámque esse contentum præsenti fortuna, quæ etiam suspecta erat: illius memor:

Immodicis breuis est ætas, & rara senectus;
Quicquid amas, cupias, non placuisse nimis.

Sed iam seipsum in nassam intruserat: abiit, accepítque octo in annis aureos coronatos penè quater mille, certè plus tribus millibus præter omnem sumptum vitæ: nam famulos duos & equum ei alebat Cardinalis. Verum fistulam in anno contraxit, ex qua cum esset intemperans, malum contraxit habitum. Cúmque nullis non officiis Cardinalis illum non demereretur, quasi quod fortunæ aut sibi imputari debuerat à Cardinale acceptum referret, illi iratus non obscurè Bononiam se contulit, ad sororem Magdalenam orbam viduam, quam vnicè diligebat, ibique extructa domo satis commodè præter vim morbi vixit. Ab aduentu etiam meo Bononiam publico Mathematices profitendi muneri præficitur: cumque annum vix exegisset, repente mortuus est non sine suspicione veneni. Hæres fuit soror ab intestato, quæ intra quintum decimum diem nupsit, adeò vt suspicio creuerit antea id factum esse: tum quòd nullas prorsus lachrymas in funere ediderit, vt odij scelerati manifestum specimen referret. Addidit quoque furori tanto insaniam, cunctáque donauit statim coniugi. Et nunc relegata ab illo ruri senex fortunis & omnibus bonis spoliata, vt etiam si ille pereat, ne teruncium ad ipsam sit rediturum, degit, & meritas impietatis pœnas dat. At patrueles flent, cum nihil ad ipsos ex tota hæreditate peruenerit. Libros nullos reliquit, nescio qua causa; solum colligendis quibusdam dictis authorum intentus. Credo quòd eam rationem non teneret. Correxit tamen Cæsaris commentaria, figurísque locupletauit. Hæc, & in Vitruuium obseruationes occupauit Sororius, testatus

coram

coram me, velle vt eius filius qui nihil attinet Ferrarium, est enim Magdalenæ priuignus, vt suos aliquando edat. Hæc fuit infœlix vitæ Ludouici Ferrarij, ingenio & eruditione in Mathemacis nulli Secundi, sed in humanis rebus minimè sapientis, & in Deum parum pij: vt qui & illum, & Diuos omnes ex consuetudine turpiter execraretur, adeóque violenta ira processerat, vt ego rarò ad illum accederem, nec alloqui auderem. Natus est anno salutis M D X X I I. die 2. Februarij ascendente X X I. parte Arietis, & Luna erat ei in loco Iouis. Vulneratus fuit X V I I. anno in sinistra manu, vt ferme digiti omnes præcisi sint. Vnde in posterum incommodo illo & deformitate non caruit. Fuit paruæ staturæ, iucundi vultus, blando sermone, prudens in rebus exigui momenti, comptus, naso paruo, non tamen deformi, roseo colore. Verbo; vndequaque ad decorem formatus. Obiit anno M.DLX V. die Octobris.

EIVSDEM ANDREÆ ALCIATI MEDIOLANENSIS IVRISCONSVLTI *VITA.*

ANDREAS Alciatus Ambrosij Filius, mater ei Margarita Landriana ex oppido Alciassio, quod propè Mediolanum est, vnicus Patris filius, indole eximia fuit, vt qui à puero grauitatem quandam supra fortunæ conditionem retineret; primùm literis Latinis Græcísque imbutus, deinde facundia si ad antiqua tempora comparatur, forsan quæ vinci posset: si ad nostra sanè incomparabili: nam & nitidiore stilo & puriore, tum pleniore atque suauiore fuit, item carmine felicissimè lusit. Inde Bononiam veniens Iurisprudentiæ studiis incubuit, adeò vt inter primos suæ ætatis adhuc adolescens haberetur. Audiuit & Iasonem Maynum suæ ætatis Iurisconsultum celeberrimum Papiæ profitentem. Lauream adeptus, vbi Mediolanum se contulisset, tanta auctoritate ob eruditionem micuit, vt in collegium Iurisconsultotum reciperetur, tametsi aliqua obstare viderentur. Narrabat mihi, Gualtherus Corbeta Senator, ob eminentiam sapientiæ prudentiæque Iuris potius receptum, quàm legibus ac statutis ipsius Collegij. Paulo post vocatus in Galliam Auigniorum, quæ vrbs Pontificia est, professus magno stipendio est. Ea verò fuit illius felicitas, vt tum peritia legum, tum facundia, tùm Græcarum Latinarúmque literarum scientia longè latéque omnes non solùm sui temporis, sed etiam prædecessores superauerit, illudque de eo Ciceroni anum dici posset, quod de Scæuola prædicabat: *Iurisperitorum eloquentissimus, eloquentium Iurisperitissimus:* neque hoc solùm verè, sed omnium consensu dici poterat. Antecelluit facundia, scientia linguarum, historiæ Cognitione, interpretationis subtilitate omnes, qui in ea facultate vixerunt. Quod si volumina eius, quæ extant, id non apertè testarentur, suspicione addulationis carere non possem: verùm ipsa res dicto meo maior est; quapropter id Horatianum proferam.

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Suum ergo cuique iudicium permittam, tum maximè quod illius libri nunc omnium in manibus maxima cum authoritate habeantur: nemo dedignatur Alciatum, nemo sine illo Iurisconsultum eruditum haberi se posse putat. Sed omittamus hæc, atque de vita sermonem, quem institueramus, prosequamur.

Quum adeò nomen eius vndique celebraretur ex Italia, Gallia tota, Hispania, Germania, Pannonia, Cimbris, Britannisque discipuli confluebant: itaque frequentissimo auditorio omnibus gentibus notus erat. Reuocatus in patriam stipendio duorum talentorum atque dimidij, quorum summa est mille quingentorum aureorum Philippeorum, senatoria etiam dignitate ornatus est, id stipendium coactus est dare I. Sforzia Secundus, quod tantundem in Gallia recepisset singulis annis. Ex eo tempore Papiæ professus, postmodum succedentibus bellis Bononiam se contulit; deinde indignatione quadam, Ferrariam se contulit, vbi cessantibus bellis à Cæsare Carolo Quinto per vim reuocatus est in patriam, ea tamen lege, vt sine concursore profiteretur. Audiui à multis fide dignis interim à Pontifice vocatum, vt quauis conditione inter Purpuratos Collegij, quod vocant Cardinalium, ascisceretur: verùm nulla conditione aut vllis promissis persuaderi potuit. Hunc virum sine inuidia omnibus, quos cognouerim, plerisque etiam antiquorum doctorum illustribus felicitate prætulerim, eruditione incompararabili, librorum multitudine, fama vulgari sui temporis, authoritate apud omnes Principes Europæ, auditorij frequentia, stipendij magnitudine, opibus insignibus, facundia singulari, adeò vt quum peroraret, quendam nouum Ciceronem audire se mortales existimarent. Duobus præterea naturæ, atque fortunæ priuilegiis specialibus: altero grauitatis summæ: altero (quod rarissimum est) quod nullum vnquam naufragium in tam perpetuo incremento nominis, ac gloriæ perpessus sit. Sed nemo tamen prorsus fœlix est; *quod additur latere ex vno, ex altero adimitur*: quippe frequentibus morbis vexabatur, doloribúsque podagræ adeò atrocibus, vt vltimis annis ambulare nequiret, turgidis pedibus: quandoque etiam in manibus tentabatur, vnde illi tœdium vitæ inter tanta ornamenta & animi, & fortunæ sæpe, atque diu fuit: obiit febre quinquaginta septem natus annos. In sermone communis, blandus, facetus, lætúsque fuit, humanitate singulari, moribus omnino ingenuis, amicitiæ cultor præcipuus, clarissimis sui temporis viris, Budæo, Erasmo Roterodamo, Thomæ Moro, Longolio notissimus, à quibus literas accepit, & scripsit. Nihil atrox aut admisit, aut perpessus est, sed continuo tenore fortunæ blandientis vsus est: domos habuit Mediolani & Papiæ, vxore caruit: hæredes reliquit Andream Baptistam & Franciscum, omnes ex familia Alciatorum. Andream ego filium eius sed spurium existimaui. Præstantissimus fuit horum Franciscus, quem & vnicè dilexit, & aliis testamentis omnium hæredem constituerat: sed & fortuna omnino totam hæreditatem ei pollicita, præstitit morte aliorum cohæredum sine filiis. Hic verò & Iurisconsultus inclytus euasit, & profitendi munus eodum prosecutus est, donec à Carolo Borromeo Romam vocatus, paucos post annos in collegium, quod Alciatus primus recusauerat, Cardinalium cooptatus est. Statura fuit mediocri, amplo pectore, membris, quæ à semine oriuntur magnis, oculis, naso, labiis, auribus, facie ob id quasi bubalina, sed tamen eiusmodi, quam omnes etiam si non cognoscerent, libenter venerarentur: inter loquendum verba cachinno prosequebatur, quod alij indecorum fuisset, in ipso gratiam quandam habebat. Memoria fuit incredibili, ac tenacissima, ingenio acutissimo, iudicio, & suauitate morum adhuc longè melior, sed nulla in re tam excelluit, quàm prudentia.

FINIS.